THEOLOGICAE DISPVTATIONES

DE PRAEDESTINATIONE DEI,

& aliæ, quæ in primo libro Sententiarum desiderabantur.

AVCTORE
F. PHILIPPO FABRO FAVENTINO
ORD. MIN. CONVENT.
In Vniuersitate Patauina Sacræ Theologiæ Professore.

Quibus Doctrina Scoti magna cum facilitate dilucidatur, & contra Aduersarios omnes veteres, et recentiores defenditur.

Cum duplici Indice, vno Disputationum, altero Rerum memorabilium.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D.
D. HIPPOLYTVM ALDOBRANDINVM
S. R. E. Cardinalem Amplissimum.

Pertinet ad St. Bonauentu[re] Conuentum de Urbe.



VENETIIS, ex Officina Marci Ginami, M DC XXIII.

Permissu Superiorum, & Priuilegio.

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISS.
DOMINO,
D. HIPPOLYTO ALDOBRANDINO
S. R. E. Cardinali Amplißimo,

Frater Philippus Faber Fauentinus F. P. P.



ON fuit mihi diù deliberandum, Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Princeps, cui hos meos labores, quos de miſterijs altiſsimis, nimirum de ſcientia, & prædeſtinatione Dei, non ſine magno ſtudio, opere, & induſtria conſcripſeram, vetere conſuetudine noſtris etiam approbata temporibus, deſtinarem. Nam etſi terreret tuum Illuſtriſsimum nomen; familiæ longa auorum ſerie ſplendor; S. R. E. Cardinalatus amplitudo; Clementis VIII. Pont. Summi nepotis dignitas; animabant tamen animi tui generoſa indoles, magnanimitatem cum omni virtutum decore vndique ſpirans; ſtudiorum labores, quos auidiſsimè à primis annis ſubijſti; inculpata adoleſcentia, cuius florem adhuc Patauium olet, ſuſpicit, & reueretur. His ego, quæ vidi, & tua benignitate ſingulari non ſemel expertus ſum, impulſus, has meas lucubrationes glorioſo nomine tuo exornare, & ſub tuis felicibus auſpicijs toti orbi euulgare, auſus ſum. Parcas, atque conſueta animi tui humanitate agas, rogo. Vale, & diù feliciſſimè viue.

Patauij, Kalendis Iulij 1622.

INDEX DISTINCT. QVAEST. DISPVT. ET CAP.

F I N I S.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Fit

Perseue-

INDEX.

F I N I S.

Errata ſic corrigito.

Pagina 6.col.2.linea 22.non, lege nos.pag.7.col.1.linea 69.præſeriptum, lege præſcitum. pag.12.col.2.linea 61. peccaium, lege peccaturum. pag.13.col.2. linea 30. eiunt, lege erit. pag.14.col.2. linea 57. ſcire quam ignorare, lege ignorare qoam ſcire. pag.15.col.1. linea 29. ad oppoſitum, lege da oppoſitum. pag.18.col.2. linea 37. vt homo, lege eſt homo. pag.26.col.2.linea 22. prouidensiam, lege præſcientiam. pag.39.col.1. linea 45. firmum, lege formam. pag.46.col.1.linea 5. materiam, lege naturam. pag.49. col.1. linea 59. immediata. Et prima eſt vero, lege immediata, & prima; eſt vero. pag.49.col. 2.linea 22. contra, lege extra. pag.61.col.2.linea 60. vt rem, lege vult rem. pag.65.col.1.linea 47. & iam, lege etiam. p.65.col.2.lin.25.precioſum, lege præmium. pag.75.col.2.linea 15. ſcilicet, lege 53. pag.76.col.1.linea 62. congruentia 4. lege congruo in 4. pag.79.col.1.linea 2.ſuperfluè, lege ſuperque. pag.83.col.1. linea 11. voluit, lege noluit. pag.88. col.2. linea 24.55. lege Sanctorum. pag.90.col.1.linea 44. prædeſtinatione, lege prædeterminatione. pag.92.col.1. linea 20. per, lege coniunguntur per. pag.94.col.1. linea 60. &, lege etiam. pag.99. col.1. linea 12. intrinſecus, lege extrinſecus. ibid. linea ſi cauſetur, lege cauſetur Deum. ibid. linea 53. aduenit, lege alienet. pag.102.col.1. linea 48. &, lege ex. pag.104. linea 64. voluntatis, lege voluntatis voluntate. pag.112.col.2. linea 48. Richardus, lege Ruardus. pag.118. col.1. linea 39. neque, lege neque enim. pag.117.col.1.linea 18. Nam, lege contra. pag 143. col.1.linea 14. inuiſibili, lege inuincibili. ibid.col.2. linea 7. cecidit, lege coincidit. ibid. linea 11. reſiſtant, lege reſiſtunt.

Magiſtro Bonauentura Capridonio Ordinis Min. Conuent. pub. auct. Correct.

AD LECTOREM.



Postquam hoc opus de Prædestinatione in lucem edidi, audiui Nonnullos, propositiones quasdam in hoc opere contentas, in alio sanè sensu interpretari, ac ipse senserim: proinde operepretium iudicaui easdem clarius explicare, & explicationem in lucem, prout facio, edere, ad omnem ambiguitatem tollendam.

Prima propositio.

In disputatione 56. num. 36. habeo hanc propositionem in margine. *Prædestinatio, & Reprobatio nostra variatur pro meritis, & demeritis nostris.*

Explicatur. Hoc quidem non intelligitur ex parte Dei; Censeo enim actum diuinum esse inuariabilem, sed ex parte creaturæ, quæ cum sit variabilis modò est in peccato, & modò est in gratia, & sic modò habet merita, & modò demerita; & consequenter secundùm talem statum, modò est ordinata ad gloriam, & modò ad damnationem.

Secunda propositio.

In disputatione eadem 56. num. 53. in fine habeo hæc verba. *Et sic non est inconueniens dicere, Deum modò prædestinare Petrum, modò eum reprobare pro diuerso statu, & operationibus Petri, ad quas Deus concurrit cum sit prima causa. Ad peccatum enim Petri concurrit permissiuè, ad bonum per se: ergo data hac hypothesi, possumus dicere Deum mutari, imò habere diuersos actus, & tamen certissimum est Deum vnico actu ad extra omnia facere.*

Hæc secunda propositio est explicanda vt prima.

Tertia propositio.

Eadem disput. 56. num. 36. dico omnes Catholicos sustinere liberum arbitrium *partialiter concurrere ad actus nostros contingentes*.

Explico. Pro intelligentia est obseruandum, quod licèt D. Aug. in Enchirid. cap. 32. dicat totũ opus bonum tribuendum esse Deo, non tamen vult negare Deum, & liberum arbitrium esse causas partiales respectu eiusdẽ effectus, totales tamen in suo genere. Nam libro de gratia, & libero arbitrio ad Valentinum cap. 5. habet hæc verba. *Cum igitur haberet hoc meritum malum (.s. Apostolus) redditum est bonum pro malo in eo, quod secutus adiunxit, sed gratia Dei sum id quod sum, atque vt ostenderet, & liberum arbitriũ mox addidit, Et gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui. Hoc enim liberum arbitrium hominis exhortatur, & in alijs, quibus dicit: Rogamus ne in vacuum gratiam Dei recipiatis; vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt vt propriam perderent voluntatem: tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putatur bonũ aliquid posse continuo, cum dixisset, gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui, subiunxit, atque ait, Non ego autem, sed gratia Dei mecum, ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo.* Consideranda sunt illa verba vltima, *nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed Dei gratia cum illo.* Non vult ergo D. August. quod totum opus bonum sit à solo Deo, nec à solo libero arbitrio, sed ab vtroque, hoc autem vt patet est asserere, quod Deus, & liberum arbitrium sunt causę partiales eiusdẽ effectus. At non sunt ita causæ partiales, quod Deus sit causa effectus quo ad vnam partem, & liberum arbitrium quo ad aliam, sed vterque est causa eiusdem effectus secundùm totum, & secundùm omnem partem totalis in suo genere, Deus autem est causa prima totalis in suo genere, & liberum arbitrium est causa totalis in suo genere causæ secundæ.

Cum ergo ipse D. August. eo libro de gratia, & libero arbitrio apertè dicat, quod nec solius Dei, nec solius liberi arbitrij est operari bonum, & sit de fide, quod liberum arbitrium quoque causaliter concurrat ad efficiendum actum bonum, fit euidens D. August. hoc non voluisse negare in eo loco ex Enchiridion cap. 32. dum dixit *totum tribuendum esse Deo*, sed solùm voluit dicere, quod etsi liberum arbitrium quoq; ex sua parte concurrat, tamen non debet superbire, & se extollere, sed totum tribuere Deo, quia Deus est causa principalis, & præcipua præueniens, adiuuans, & perficiens opus bonum. Vnde non valet illa consequentia, quod si liberum arbitrium concurrit cum Deo, sicut hæc propositio est vera; *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; ita vera erit ista; *Non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis hominis*; quia non est par ratio de Deo, & libero arbitrio. Nam homo ex se non potest, nedum facere bonum, sed nec incipere, sed eget auxilio Dei præuenientе, cooperante, & perficiente; & sic Deus est causa principalissima, liberum autem arbitrium minus principalis & infima sine auxilio ipso Dei.

Quarta propositio.

Eadem disputatione 56. num. 82. habeo hanc propositionem. *Actus excellentes maiorum Ecclesiæ non sunt meritorij eo modo quo sunt meritorij actus secundùm legem Dei ordinariam. Nam secundùm legem Dei ordinariam ille solum potest mereri, qui potest operari, & non operari actus bonos, nedum intrinsecè, sed extrinsecè. Isti autem actus excellentes extrinsecè sunt necessarij, quia sunt præfiniti efficaciter ante consensum liberi arbitrij: sunt ergo meritorij ex speciali acceptatione Dei.*

Explico. In hac propositione duo sunt quæ videntur facere difficultatem. Primum, quod dico actus bonos maiorũ meritorios esse necessarios extrinsecè, quod videtur falsum; quia necessarijs, nec meremur, nec demeremur. Secundum est, quod dico hos actus bonos esse meritorios ex speciali acceptatione Dei, & alia ratione diuersa ab actibus bonis meritorijs secundùm legem ordinariam Dei.

Explico. Quo ad primum non dixi actus maiorum in Ecclesia esse absolutè necessarios, sed dixi esse extrinsecè necessarios, & intrinsecè liberos; hoc autem necessariũ est idem (vt ibi me explico) quod infallibile. Vnde dicere actus maiorum esse necessarios extrinsecè non intrinsecè, est idem ac dicere quod sunt infallibiles, siue quod infallibiliter eueniunt, licèt liberè à voluntate eliciantur, quoniam cum præfiniantur efficaciter à Deo antecedenter ad consensum liberi arbitrij creati, non possũt non euenire. Neque hæc necessitas extrinseca, seu infallibilitas tollit libertatem, in qua consistit ratio meriti, licèt tollat contingentiam, quia præfinitio Dei non mutat, nec ponit aliquid in libero arbitrio.

Quantum ad secundum, quod alia ratione sint me-

ritorij actus boni maiorum in Ecclesia, quàm aliorum secundùm legem communem, explicatur. Quia cùm solùm secundùm legem communem ille possit mereri, qui potest demereri, & confirmati in gratia sint impeccabiles, & consequenter non possint demereri, ideò alia ratione dixi acceptari ad meritum actus maiorum, idest confirmatorum in gratia, & actus aliorum non confirmatorum.

Quinta propositio.

Disputat. 61. cap. 2. nu. 16. habeo hanc propositioné. *Natura humana non differt à seipsa in statu innocentia, nisi quia tunc natura in eo statu habebat negationem gratia, nūc autem habet priuationem illius. At hac differentia non minuit uires natura.*

Explico. In hac propositione cum dico, *vires natura non esse imminutas.* Intelligo de substantia ipsius naturæ, quæ per peccatum non corrumpitur. Vnde naturalia remanserunt integra. Nihilominus prædictæ vires multum inclinatæ, & attenuatæ sunt propter carentiam iustitiæ originalis, propter difficultatem ad bonum, propter ignorantiam, & similes defectus, qui diminuunt inclinationem ad bonum, quæ inclinatio ad bonum, & virtutem dicitur, & est bonum naturæ.

Sexta propositio.

Disputatione 60. cap. 3. in fine primæ rationis principalis habeo hanc propositionem. *Voluntas autem, qua Deus vult electos saluari, est voluntas conditionata.*

Explico. Pro tanto dico Deum velle saluare electos voluntate conditionata, quia Deus nūquam efficaciter decreuit saluare aliquem (de Adultis loquor) nisi ipse cooperetur gratiæ præuenienti. Vnde requirit semper hāc conditionem vt mereatur, & faciat opus bonum. Vnde cum electi sint illi, qui saluantur, neque ex decreto Diuinæ voluntatis de lege ordinaria saluentur sine cooperatione ad gratiam, iurè dicitur eos saluari voluntate Diuina conditionata.

Septima propositio.

Disputatione 61. cap. 3. nu. 17. dico quod *homo in statu naturę corruptę potest diligere Deum super omnia, non tamen meritoriè.*

Explico. Per illam particulam *super omnia,* non intelligo quod possit habere perfectissimā, & intensissimam dilectionem, quia illa dilectio, cum sit à natura infirma, est imperfecta.

Octaua propositio.

Disputatione 61. cap. vltimo, num. 47. loquens de homine in fide, qui ignorantia inuincibili ignorat Euangelium, dico; *Si seruaret legem naturę, quam seruare potest cum auxilio Dei, saluaretur sine Sacramentis, vel Deus miraculosè mitteret Angelum, vel hominem ad illum illuminandum, & baptizandum.*

Explico. Intelligo de auxilio Dei tam ex parte intellectus, quàm voluntatis.

Nona propositio,

Disputatione 60. cap. 6. num. 7. & pluribus locis dico; *Deum expectare voluntatem nostram.* & Disputatione eadem cap 4. ad secundam rationem principalem dico. *Deum expectare assensum voluntatis creatę, antequam impium iustificet.* Hæc propositio videtur in terminis contraria Concilio Arausicano.

Explico, pro intelligentia obseruandum est, quod ista propositio, *Deus expectat voluntatem creatam,* potest habere sensum falsum, & sensum verum, & catholicum. Si intelligatur sic, quod Deus expectat, vt voluntas ipsa incipiat operari bonum, & deinde, ipse Deus subsequatur adiuuando, & perficiendo est sensus falsus. Fuit enim hic sensus Semipelagianorum, & damnatur in Concil. Arausicano 2. Canone 4. & 5. & à D. Aug. & sanctis PP.

Alter sensus est, quod Deus incipiat per gratiam præuenientem mouere voluntatem creatam ad operādum opus bonum, & deinde expectet consensum, & cooperationem voluntatis creatæ ad faciendum illud idem opus bonum. Et hic sensus est catholicus & verus. Habetur enim sub his formalibus verbis in sacra Scriptura. Nam Isaiæ 30. dicitur: *Expectat Deus vt misereatur vestri.* & cap. 5. *Plantauit vineam expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas.*

Quod autem hic sensus sit verus optimè probatur ex D. August. Disputatio enim tota inter D. August. & Semipelagianos in hoc fuit constituta, quod Semipelagiani dicebant liberum arbitrium incipere operari bonum, & gratiam subinde sequi, & a Deo dari propter bonum vsum præcedentē liberi arbitrij, & gratiam dari a Deo secundùm mensurā boni vsus liberi arbitrij; adeoquod illis, qui magis viribus naturalibus operabantur bonū, maior gratia daretur, & illis, qui minus, minor. D. Aug. verò semper contendit gratiam veram incipere, & præcedere bonum vsum liberi arbitrij, & bonum vsum liberi arbitrij pendere à gratia, non è conuerso; Et Deum conferre gratiam maiorem, vel minorem huic, uel illi pro beneplacito suæ uoluntatis, non intuitu boni usus præcedentis; & facere alia uasa in honorem dandò eis maiorem gratiam, seu plusquam sufficientem, ut omnino conuertantur; Alia uerò uasa in contumeliam dando solum sufficientem; ne peccatum habeat excusationem, non autem maiorem, & plusquam sufficientem, qua certissimè conuertantur, quam certissimum est posse dare; tamen non dat, quia suæ Diuinæ uoluntati non placet, & propter sua inscrutabilia iudicia. Hunc autem esse uerum statum quæstionis probo præsertim, alijs locis dimissis, ex Epistola 107. D. Aug. ad Vitalem, quæ sæpissimè in hac materia citatur, & est compendium clarum, & dilucidum totius doctrinæ D. Aug. contra Pelagianos, & Semipelagianos, & errores eorundem.

Primo loco sint verba illa in eadem Epistola parum à principio super illa verba Psalmi 36. *A Domino enim gressus hominis diriguntur, & viam eius volet,* quæ sunt: sed ideo dixit *a Domino gressus hominis diriguntur, &c. vt intelligeremus ipsam voluntatem bonam, qua incipimus velle credere: quoniam Dei via quid est nisi fides recta illius esse donum, qui gressus nostros propterea dirigit prēmitus, vt velimus. Non enim Scriptura ait a Domino gressus hominis diriguntur, quia viam eius voluit, sed diriguntur inquit, & volet, non igitur, quia volunt diriguntur, sed quia diriguntur volet.* Et paulò infra subiungit hæc alia verba. *Deus enim est, qui operatur in nobis, & velle, & multa huiusmodi quibus commendatur vera Dei gratia, hoc est, qua non secundùm merita nostra datur, sed dat merita ipsa cum datur, quia præuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cuiusquam inuenit in corde, sed facit.* Et paulò infra: *sic & Dei gratia non negatur, sed sine vllis humanis præcedentibus meritis vera monstratur, & liberum ita defenditur vt humilitate solidetur, non elatione præcipitetur arbitrium, vt qui gloriatur non in homine, vel quolibet alio, vel seipso, sed in Domino glorietur.*

Et infra secunda regula catholica eius est hæc. *Scimus gratiam Dei nec paruulis, nec maioribus secundùm merita nostra dari.* Et infra. *Recognoscis meum puto in ijs, quæ nos scire dixi, non omnia, quæ ad fidem catholicam pertinēt commemorare voluisse, sed ea tantùm, quæ ad istam quæ inter nos agitur de Dei gratia quæstionem. Vtrum præcedat hæc gratia, an subsequatur hominis voluntatem; Hoc est, vt planius id eloquar, vtrum a Deo nobis detur, quia volumus, an per ipsam Deus etiam hoc efficiat, vt velimus. Si ergo istas duodecim sententias, quas nos dixi scire ad fidem rectam, & catholicam pertinere etiam tu frater nobiscum tenes, ago Dei gratias, quas profectò non veraciter agerem, nisi ipsa*

Dei

Dei faceret, ut teneres, quæ tibi tenenti nullum omnino remaneret nobiscum de hac quæstione certamen. Ponderanda sunt hæc verba vltima. *Quia tibi tenenti nullum omnino remaneret nobiscum de hac quæstione certamen.* Ex his enim apertè colligitur vltra gratiam præuenientem nullam aliam gratiam requiri, quæ efficax dicatur, & quę faciat velle, de quo disputent D. Aug. & Semipelagiani, quia licèt D. Aug. det etiam gratiã adiuuantem, & perficientem, tamen de hac nõ erat lis cum Semipelagianis, quia ipsi eam concedebant, cùm dicebant conatus liberi arbitrij esse incassos nisi gratia Dei subsequeretur, & per hoc dicit D. Aug. nullum omnino aliud certamen remanere inter Catholicos, & Pelagianos seu Semipelagianos.

Sequitur ibidem. *Vt enim eadem 1 2. breui expositione percurram quomodo voluntatis humanæ meritum sequitur gratia, cum datur, & paruulis, qui hoc nondum possunt velle, vel nolle? quomodo gratiam, vel in maioribus dicetur præcedere merita voluntatis, si gratia, ut vera sit gratia, non secundum merita nostra datur. Quam sententiam catholicam Pelagius ipse sic timuit, ut eos qui dicunt gratiam Dei secundum merita nostra dari sine dubitatione damnaret, ne à Catholicis iudicibus damnaretur?*

Et infra. *Quomodo Deus expectat voluntates hominum, ut præueniat eum, quibus dat gratiam, cum gratias non immeritò agamus de his quibus non ei credentibus, & eius doctrinam voluntate impia persequentibus, misericordiam prærogauit, eosq; ad se ipsum potentissima facilitate cõuertit, ac volentes ex nolentibus fecit? Vt quid ei inde gratias agimus si hoc ipse non fecit? Vt quid tanto magis eum magnificamus, quanto magis nolebant credere, quos credidisse gaudemus, si gratia diuina in melius non mutatur voluntas humana?*

Hæc authoritas est notanda, quia habemus, quod quando D. August. dicit, *Deum non expectare voluntatem creatam*, loquitur de collatione gratiæ præuenientis, non de collatione gratiæ habitualis, & iustificantis, quia hæc subsequitur assensum liberi arbitrij ipsi gratię præuenienti.

Et infra inquit. *Nempe manifestum est ex illis duodecim sententijs, quas pertinere ad catholicam fidem negare non sineris, non solum omnibus, verùm etiam singulis id confici, ut confiteamur gratiam Dei præuenire hominum voluntates, & per hanc eas potius præparari, quam propter eorum meritum dari.* Ex his patet quomodo auctoritates D. August. intelligi debeant, cum ait per gratiã Dei præparari voluntatem creatam; & quod gratia Dei fecit, vt velimus; quod gratia Dei dat velle: hoc enim ideo dicit, quia gratia ipsa est, quæ præuenit, & disponit voluntatem ad eliciendum bonum velle, & ad operandum bonum, sine qua nullatenus operarentur bonum.

Hoc idem elicitur ex Epistola Diui Prosperi ad D. August. quæ habetur in operibus D. Aug. ante librum de Prædest. Sanctorum. Nam ibi D. Prosper loquens de sententia Semipelagianorum habet hæc verba. *Hæc enim ipsorum diffinitio, professio est. Omnem quidem hominem Adam peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione saluari. vniuersis tamen hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento sanguinis Christi sine exceptione esse propositam, ut quicunque ad Fidem, & ad Baptismum accedere voluerint, salui esse possint: qui autem credituri sunt, quiuè in ea fide, quę deinceps per Dei gratiam sit iuuanda mansuri sunt, præsciisse ante mundi constitutionem Deum, & eos prędestinasse in regnum suum.*

Pensanda sunt illa verba. *Vt quicunque ad Fidem, & ad Baptismum accedere voluerint salui esse possint.* Non enim dixit, qui accedere per gratiam Dei voluerint, sed absolutè voluerint: nimirum per proprias vires. Et similiter pensanda sunt illa alia verba. *Qui autem credituri sunt, quiuè in ea fide, quę deinceps per gratiam Dei sit iuuanda mansuri sunt.* Nam apertè significant eos asseruisse, quod gratia Dei iuuat fidem *deinceps*, postquam est acquisita puris liberi arbitrij viribus.

Et sic patet D. Prosperum asserere sententiam Semipelagianam fuisse, quod voluntas creata ex se posse credere, & deinceps fidem, & bonam voluntatem iuuari per gratiam subsequẽtem, atque ipsos voluisse Deum præsciuisse ab ęterno, qui sint proprijs viribus credituri, & operaturi bonum, atque eos prædestinasse ad Regnũ Cælorum. Hoc idem apertius ostendit in verbis illis paulò infra. *Remoueri itaque omnem industriam tolliq; virtutes, si Dei constitutio humanas præueniat voluntates, & sub hoc prędestinationis nomine fatalem quandam induci necessitatem.*

Volebant ergo Semipelagiani quod gratia a Deo daretur ad mensuram boni vsus liberi arbitrij præcedẽtis, non autem quod Deus eam conferrat magis, & minus pro sua voluntate, ante vsum liberi arbitrij ad illud adiuuandum: Quia videbatur illis hæc prioritas collationis gratiæ tollere libertatem, & inducere fatum, in quo quàm maximè decipiebantur, cum gratia non tollat, sed adiuuet, & perficiat liberum arbitrium.

Obseruandum est tamen, quod isti Semipelagiani, vel saltem aliqui eorum aliquando etiam concesserunt gratiam Dei præuenire nostras voluntates ad operandum bonum, ac sine gratia Dei neminem posse incipere, nec perficere opus bonum, sed tamen hoc semper negauerunt de fide, asseruerunt enim semper mordicus fidem rectam in Christum haberi posse ex viribus naturalibus, neque hominem egere gratia Dei ad incipiendũ credere, atque diuersam esse rationem de fide, & de alijs operibus bonis, illa enim sine gratia Dei præueniente credebant haberi non posse, at de fide dicebant illam esse in potestate nostra omnino, qua habita tanquam meritò, deinde alia dona nobis a Domino donarentur. Vtrunque patet expressius in Epistola D. Hilarij ad D. Aug. quæ habetur in eisdem operibus D. August. ante librum de Prædest. Sanctorum (quem librum, & librũ de bono perseuerantiæ composuit D. Augustinus, vt satisfaceret quæsitis, & dubijs motis a D. Prospero, & D. Hilario in illis duabus Epistolis, vt patet ex 1. capite eiusdem libri de Prædest. Sanctorum.)

Primum scilicet quod confiterentur necessitatem gratiæ præuenientis in alijs operibus excepta fide habetur in illis uerbis Epistolæ D. Hilarij. *Cæterum ad nullũ opus, vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt.* Et propter hoc D. August. libro de Prædest. Sanctorum c. 2. habet illa uerba. *Peruenerunt etiam ut præuenire voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque ut ad nullum opus bonum, vel incipiendũ, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiunt.* Atque in hoc eos laudat, quia plurimum recesserunt per hoc à Pelagianis uerbis sequentibus, quæ sunt. *Retenta ergo, ista, in quę peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt.*

Secundum uerò scilicet quod negauerint necessariã esse gratiam Dei ad habendam fidem, patet ex illis uerbis D. Hilarij paulò infrà in eadem Epistola. *Vndè non consequenter putant exigendam, ab eo fidem, cuius naturę id voluntate conditoris est concessum*, & aliis sequentibus, & propter hoc D. August. libro de Prædest. Sãctorum cap. 2 in principio inquit. *prius ergo fidem, qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere.* Et paulò infra arguit aduersus ipsos Semipelagianos, quod si negent fidem esse donum Dei, & asserant uiribus puris naturæ acquiri posse, ipsos recedere à concessis scilicet quod ad incipiendum, & perficiendum opus bonum necessaria sit gratia Dei. Et ratio D. August. est, quia etiam fides est donum Dei. Verba D. Aug. eodem capite 2. libri de Prædestinatione Sanctorum sunt ista. *Non ergo recedatur ab ea sententia, quam Pelagius ipse in Episcopali iudicio Palestino, sicut eadem gesta testantur damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quasi non pertineat ad gratiam Dei, quod credere cępimus, sed illud potius quod propter hoc nobis additur ut plenius, perfectiusq; credamus, ac per hoc initium fidei nostrę priores damus Deo, ut retribuatur nobis, & supplementum eius, & si quid aliud fideliter petimus.*

Concludit ergo D. Aug. Semipelagianos sibi contradicere

dicere, dum fatentur alia opera bona esse dona Dei, atque nos egere gratia Dei preuenienti ad illa opera incipienda, id verò negant de Fide, quia etiam fides est donum Dei, & egemus gratia Dei ad habendum initium illius, atque hoc negando eos recedere a prima assertione, qua dicebant nos egere gratia Dei præueniente in omni opere bono, & consequenter eos non esse omnino alienos ab errore Pelagij, qui dixit gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Hoc totum confirmatur per verba Apostoli prima Corinth. 15. *Gratia Dei in me uacua non fuit sed abundantius omnibus laboraui*. Et rursus secunda Corinth. 6. *Videte fratres ne gratiam Dei inuacuum recipiatis*. Sentiebat ergo Apostolos gratiam Dei fore vacuam, nisi ipse consensisset, & cooperatus fuisset & Deum nobis frustra, & in vacuum dare gratiam, nisi nos cooperemur; ergo Deus expectat consensum nostrum, postquam nos gratia sua præueniente excitauit, & volentibus nobis assentire, ipse quoque annuit, & adiuuat, & cooperatur per gratiam adiuuantem, & cooperantem, quæ non negabatur à Semipelagianis.

Neque allata propositio aduersatur Concilio Arausicano, nec in terminis, nec in sensu, quia verba illius Cōcilij canone 4. sunt ista: *Si quis vt a peccato purgemur, uoluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari uelimus per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nos fieri confitetur, resistit Spiritui sancto per Salomonem dicentem: Pręparatur uoluntas a Domino, & Apostolo salubriter prędicanti: Deus est qui operatur in nobis, & uelle, & perficere pro sua bona uoluntate*. Non aduersatur ergò in terminis, quia propositio Concilij est hæc. *Si quis, ut à peccato purgemur, uoluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari uelimus per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nos fieri confiteatur, resistit, &c.* Propositio autē mea est hæc. *Deum expectare uoluntatem creatam, idest consensum uoluntatis creatę ad operandum opus bonum*: patet autem, quod istæ propositiones sunt ex terminis diuersis.

Nec aduersatur quantum ad sensum, quia certum est Concilium loqui secundùm doctrinam D. Aug. & contra Semipelagianos: Semipelagiani autem dicebant, vt vidimus supra ex D. Aug. liberum arbitrium incipere, & gratiam Dei subsequi, & proinde Deum expectare voluntatem nostram ad hoc, vt à peccato purgari incipiamus. Non autem erat disputatio inter illos, an postquā Deus mouit liberum arbitrium per gratiam præuenientem expectet consensum, vt supra vidimus. Atque hoc modo explicatis his propositionibus, nullam existimo remanere ambiguitatem.

LAVS DEO.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

A. Episcopus Hieracen. Vicesg.

Imprimatur

Fr. Nicolaus Rodulfius Ord. Prædicatorum Sacri Palatij Apostolici Magister.



ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. M. DC. XXV.

NVNC DENVO

VENETIIS, Ex Tipographia Marci Ginammi. M DC XXVI.

Superiorum Permissu.

THEOLOGICAE DISPVTATIONES F. PHILIPPI FABRI FAVENTINI,

Quæ in primo lib. Sententiarum deſiderabantur.

Diſtinctio XXXIX. Quæſtio Prima. Diſputatio LV.

Vtrum in Deo detur ſcientia futurorum non abſolutorum.

Rationes eorum, qui allatam ſcientiam dari negant. Caput Primum.

1 VARTVM, quod diximus facere difficultatem in opinione Scoti eſt, vt vidimus ſupra diſput. 54. cap. 5. quia Scotus videtur admittere ſciẽtiam conditionatam. Saltem nos ſic ſumus eum interpretati in tota illa diſputatione, & alibi, vt admittat ſcientiam conditionatam ad ſaluandum, quod illud decretum nõ auferat voluntatis creatæ libertatem. Diximus enim ſuperius decretum diuinũ, quod voluntas noſtra aliquid efficiat, ideo non imponere neceſſitatem voluntati creatæ, neque ei libertatem adimere, quia decretum illud non præcedit præuiſionem eius, quod actura ſit voluntas, ſed ſubſequitur, quia Deus prius præuidet, quid voluntas creata ſit volitura, deinde ipſe decernit cum ea ad illum actum concurrere, & tunc certò ſcit illud eſſe futurum; hoc autem non poſſumus ſuſtinere, niſi aſſeramus in Deo dari ſcientiam futurorum ſub conditione, quæ præcedat decretum diuinæ voluntatis; quę cõmuniter appellatur ſcientia conditionata, & ab aliquibus ſcientia media. Aſſumptũ probatur, quia ſcientia conditionata futurorum eſt cognitio, qua Deus cognoſcit, quid vnuſquiſque eſſet facturus, ſi haberet tales & tales cõditiones, quas tamen non eſt habiturus vnquam; vt puta *Si Petrus hic nunc adeſſet hoc faceret non hoc*, talis autẽ cognitio eſt quam nos poſſuimus in Deo de futuris contingentibus liberis, vt ſaluemus libertatem arbitrij creati, & contingentiam in rebus. Diximus enim ideo decreuiſſe concurrere cum Petro ad actum peccati, quia præuidit Petrum voliturum eſſe actum peccati, quo ad materiale, & decreuiſſe Petrum glorificare, quia præuidit Petrum bene vſurum libero arbitrio, & cras futurum eſſe bellum nauale, quia præuidit duces & milites volituros eſſe pugnã: hęc autem omnia pertinent, vt patet ad ſcientiam conditionatam. Falſitas verò conſequentis probatur nimirum, quod ſcientia conditionata non detur ſequentibus argumentis.

Notandum eſt tamen, quod non omnes recentiores negant ſcientiam futurorum ſub conditione abſolutè, ſed nonnulli, & præſtantiores negant ſcientiam futurorum ſub conditione antecedẽtem decretum diuinę voluntatis, vt patebit. Rationes autẽ contra ſcientiam conditionatam præcipuè ſunt illæ.

Prima ratio. 2 Primo. Supponunt, quod cõſequens in propoſitione conditionali poteſt duobus modis prouenire ex antecedenti. Vno modo ex conſequentia, & illatione omnino neceſſaria, vt in hac propoſitione. Si homo eſt animal, homo eſt ſubſtantia, vel in hac. Si lapis eſſet homo, lapis eſſet animal (parum enim refert ad pręſens, quod antecedens, vel conſequens ſint impoſſibilia; ſufficit enim, quod poſito antecedenti, conſequens, quodcũque ſit ſequatur ex illo neceſſaria illatione.) Alio modo cõſequens poteſt prouenire, & deduci ex antecedente, non ex vi antecedentis, & per neceſſariam illationẽ, ſed ex aliquo concomitante illud antecedens. Exemplum in hac propoſitione; ſi cras venies ad me, dabo tibi equum. Cõſequens enim illud non prouenit ex illo antecedẽti neceſſaria illatione, ſed ex decreto voluntatis meę concomitãte illud antecedens, ꝗ (?) decreui dare tibi equum, ſi adimpleueris hãc conditionem vt cras venias ad me; neque n. poſito hoc antecedente conditionato, ſi cras venies ad me, neceſſariò ſequitur hoc cõſequens, dabo tibi equum; ſed ſolum ſequitur ex decreto meæ voluntatis, quo decreui adimpleta illa conditione dare tibi equum, vt dictum eſt.

3 Ex hoc duo corrolaria deducuntur. Primũ quod quando conſequens ex vi illationis neceſſariæ deducitur ex antecedenti, poſito antecedente conditionato in eſſe, ponitur quoque conſequens neceſſariò: at quando conſequens pendet ex antecedenti ratione concomitantis, poſito antecedente conditionato ſolo in eſſe, non ponitur conſequens; ſed neceſſe eſt etiam, vt concomitans illud antecedens ponatur in eſſe, vt patet in exemplo allato; ſi cras venies ad me dabo tibi equum; ad hoc enim vt dem equum non ſufficit vt cras venias ad me, ſed requiritur, vt fecerim decretum, quod ſi venias dabo tibi equum. Primũ corrolarium. Secundum corrolarium eſt, quod quicunque cognoſcit antecedens primo modo, cognoſcit quoque conſequens, vel poteſt cognoſcere ex vi illius antecedentis præcisè; quia conſequens deducitur ex illo antecedenti conſequentia neceſſaria, & naturali; at qui cognoſcit antecedens ſecundo modo non cognoſcit, nec poteſt cognoſcere conſequens, niſi cognoſcat illud concomitans antecedens, virtute cuius conſequens ponitur in eſſe: nam ſi hoc antecedens ponitur in eſſe; ſi cras venies ad me, & tamen decretum meæ voluntatis dandi tibi equum non ponatur in eſſe, neque cognoſcatur, nunquam ex illo antecedenti conditionato ſequetur hoc conſequens, dabo tibi equum; neque qui cognoſcet illud antecedens eſſe poſitũ in eſſe, ſciet certò hoc conſequens, niſi cognoſcat quoque illud decretum meæ voluntatis dandi equum adimpleta conditione. Secundum corrolariũ.

4 Ad propoſitum futura ſub conditione, quæ ex aliquo antecedente deducuntur neceſſaria illatione cognoſcuntur à Deo certò & infallibiliter ex illo antecedẽte. Exemplum in hac propoſitione, ſi Petrus eſt prædeſtinatus ſaluabitur. Deus cognoſcit hoc conſequens futurum, Petrus ſaluabitur, quia ex illo antecedenti conditionato poſito in eſſe neceſſariò ſequitur: ideo ſci

tur a Deo scientia naturali. At futurum quod pendet ex antecedente conditionato, non ex vi illationis necessariæ, sed ex aliquo concomitanti ad illud antecedens, vt puta ex decreto aliquo voluntatis, non potest Deus cognoscere nisi posito decreto, & eodem cognito. Hoc corrolarium patet, quia illud consequens non pendet præcisè ex illo antecedenti conditionato, sed pendet ẽt ab illo decreto cõcomitanti; ideo illo decreto ablato, & ignorato, cõsequens neque habet esse, neque est cognoscibile: vt patet in exemplis supra allatis. Sed adducamus exemplũ quod adducunt recentiores licet sub alia forma. Ponamus casum, quod Deus ab ęterno voluisset creare alios angelos, & deinde decreuisset efficaci voluntate vt perseuerarẽt in gratia, ac saluarentur, tunc ex positione illius antecedentis conditionati; si Deus creasset angelos ab ęterno, non ponitur necessariò hoc consequens in actu, angeli illi saluabuntur; neque Deus si cognosceret præcisè illud antecedens conditionatum esse adimpletum, propter hoc cognosceret consequens esse positum in esse, & esse verum: sed opus est vt posito antecedenti etiam decretum illud ponatur in esse; & ad hoc vt Deus cognoscat consequens, necessarium est vt cognoscat quoque illud decretum concomitans, quia ex illo decreto consequens habet esse, & est ens verè futurum: ante autem illud decretum, consequens est tantum possibile, non actu, & determinatè futurum.

5 Ex his patet quę scientia futurorum sub conditione impugnetur ab istis: nam dimissa scientia futurorum sub conditione, quæ sequuntur ex illatione necessaria (de his enim non est sermo) scientia futurorum sub conditione ex decreto concomitante antecedens conditionatum duobus modis considerari potest: vno modo vt præcedit ipsum decretum: alio modo, vt subsequitur decretum illud; scientia futurorum conditionatorum, quæ præcedit ipsum decretum, impugnatur; scientia verò futurorum talium sub conditione, quæ non præcedit, sed subsequitur decretum concomitans admittitur, & talem dicunt esse scientiam futurorum sub conditione, quę tñ non erunt, quæ in Deo ponitur à Scriptura, vt habetur Matth. 11. *Veh tibi Corosaim*, &c. concedunt enim si facta fuissent miracula in Tyro, & Sydone, quę facta sunt in Betsaida, Tyros, & Sydonios conuersos fuisse: concedunt etiam Deum præsciuisse illud futurum conditionatum, quod si facta fuissent miracula apud Tyrios, & Sydonios, quæ facta fuerunt in Betsaida, Tyrij, & Sydonij conuersi fuissent; sed dicunt quod Tyrij, & Sydonij conuersi fuissent non præcisè ex positione miraculorum, sed ex decreto diuinæ voluntatis efficaci statuẽte, quod ipsi Tyrij & Sydonij ad miraculorum positionem conuerterentur: & ideo etiã præsciuisse illud futurum conditionatum (quod tamen erat futurum) non præcisè ex illo antecedenti conditionato posito in esse, sed ex cognitione illius decreti efficacis, concomitantis illud antecedens conditionatum; & ita ex hoc fundamento principali comprobant scientiam futurorum, quę subsequitur ad decretum diuinæ voluntatis concomitans antecedens conditionatum, & impugnant scientiam futurorum sub conditione, quæ antecedit decretum illud diuinum concomitans antecedens conditionatum.

Ratio formatur.

Vnde pro eis potest formari ratio sic breuiter. Illud potest sciri a Deo verè, & infallibiliter, & de facto scitur, quod est ens, & habet certam, & determinatam causam sui esse: sed futurum sub conditione, quæ nunquam adimplebitur ante decretum diuinæ voluntatis concomitans illud antecedens conditionatum non est ens, neque habet causam certam, & determinatam sui esse; ergo non est scibile, neque de facto scitur à Deo: maior patet ex illo principio, sicut se habet res ad esse, ita ad intelligi: minor verò patet ex dictis, quia futurũ sub conditione non habet esse præcisè ex conditione adimpleta, siue præcisè ex antecedente conditionato posito in esse, sed ex decreto diuinæ voluntatis concomitante. Ideo antecedenter ad illud decretum futurum illud consequens non est ens, verè & realiter futurum, sed solum possibile, & ideo non est scibile vt ens verum & futurum, sed solum vt possibile. Hoc est principale fundamentum auctorum huius opinionis, quod etiam sequenti argumento confirmatur.

6 Secundo contra eandem sciẽtiam futurorum sub conditione pręcedentem decretum diuinæ voluntatis, vt expositum est, arguunt argumento, quod sæpe repetunt, quia putant habere maximam vim, vt patet ex Aluarez lib. 2. de Auxilijs, disput. 7. num. 13. & 19. & re vera est eorum principale fundamentum. A causa indifferenti, & contingenti in quantum indifferens, & cõtingens est ad vtram libet partem non exit actus determinatus nisi ab alio determinetur; sed sic est quod voluntas ex se est causa indifferens, & indeterminata in quacunque conditione ponatur; ergo non potest aliquem determinatum actum producere, nisi determinetur ab aliqua priori causa: at nulla alia prior causa assignari potest ipsam determinans, quam voluntas diuina; ergo voluntas creata ante decretum diuinę voluntatis, nõ potest habere aliquem actum determinatum faciendi hoc vel illud; ergo neque Deus ante decretum suæ voluntatis potest certò præscire, quem actum ipsa voluntas creata, tali conditione posita, sit elicitura; sed solum post decretum diuinæ voluntatis determinantis voluntatem creatam, vt existens in tali conditione, & circunstantia faciat hoc non illud; ergo non datur scientia futurorum sub conditione certa ante decretum diuinæ voluntatis. Maior propositio est Auerrois 2. Phys. text. 48. approbata à D. Thom. p. p. quæst. 19. art. 3. ad secundum. Minor est euidens; voluntas enim est causa libera, ideo est indifferens ad agendum, & non agendum, & ad agendum hoc vel illud; ergo ex se non est determinata ad aliquem actum. Reliqua assumpta in ratione patent. Hoc est principale fundamẽtum auctorum huius opinionis dicunt enim voluntatem non posse determinare seipsam ad actum, sed determinari ab extrinseco, scilicet ab intellectu, vel ab obiecto, vel à Deo: ideo in actibus supernaturalibus dicunt illam determinari à Deo, & proinde nullus actus voluntatis secundum eos ante decretum diuinæ voluntatis est verè futurus, neque est verè ens, neque consequenter est verè scibile.

2 Ratio.

Fundamentum principale huius opinionis.

7 Tertio si Deus decreuisset creare alium mundum, non sciret certò, & infallibiliter quot numero angelos esset in illo creaturus, ante decretum suæ voluntatis de numero præfixo creando; ergo similiter si voluntas creata ponatur in tali ordine rerum, quod talis, & talis conditio adimpleatur; vt puta quod miracula facta in Betsaida fierent in Tyro, & Sydone, non potest Deus scire quid voluntates ipsæ Tyriorum, & Sydoniorum essent facturæ ante decretum diuinæ voluntatis: an scilicet factis miraculis conuerterentur, vel non conuerterentur; ergo non datur scientia futurorum conditionatorum certa ante decretum diuinæ voluntatis, quod adimpleta tali conditione voluntas creata faciet hoc, & non illud. Antecedens conceditur ab aliquibus, & videtur esse concedendum, quoniam quod Deus data hipotesi, quod alium mundum esset facturus, sit creaturus tot numero angelos, & non plures, oritur ex decreto diuinæ voluntatis, quia ad eam spectat determinare numerum certum angelorum creandorum; ergo ante decretum illud diuinæ voluntatis non potest intellectus diuinus certò scire, quot numero angelos ipse esset creaturus. Consequentia verò probatur, quia quicquid facit voluntas creata non ex se sola facit, sed ex decreto diuinæ voluntatis, per suam prouidentiam cuncta ad extra in particulari regentis, & gubernantis; ergo sicut numerus angelorum certus dependet ex de-

3 Ratio.

creto diuinæ voluntatis, neque ante illud certò sciri potest; ita quicquid facit voluntas creata pendet ea decreto diuinę voluntatis, & ideo ante illud non potest certò sciri. Posset quidem Deus scire, quid ipsa voluntas creata, stătibus illis cŏditionibus, posset facere; sed non posset scire quid de facto, certò, & infallibiliter esset factura. Ex his sequitur nos falsum dicere cum asserimus, Deus præcognoscit, quod si Petrus ponatur in talibus circunstantijs, vt puta præueniatur tali vocatione consentiet: si verò præueniatur tali non cŏsentiet, quia istæ propositiones non habent determinatam veritatem ante decretum diuinæ voluntatis, nec sunt re vera futuræ, sed solum sunt possibiles.

4. Ratio. 8 Quarto. Nulla est necessitas, vel vtilitas ponendi hanc scientiam futurorum sub conditione præcedentem decretum diuinæ voluntatis; ergo non est ponenda. Antecedens probatur. Non est necessaria ad concordandum liberum arbitrium cum præscientia, & prędestinatione diuina, & efficacia auxiliorŭ Dei, quia illa comodè habetur sine hac scientia media, vt ipsi sequentes suam sententiam exponunt: neque est vtilis, quia multa absurda ad illam consequuntur; nam si dicamus Deum non determinare bonum vsum liberi arbitrij ad actum bonum, necesse est dicere, quod liberŭ arbitriŭ determinetur tandem ad bonum vsum ab aliqua causa naturali, vt puta vel à cŏplexione corporis, vel ab aliqua cŏstellatione, vel à proprietate huius liberi arbitrij particularis, vel ab aliqua causa, quæ ipsum determinet congruo modo, & suaui, ad assentiendum. Consequens est absurdum, quia sequeretur, quod voluntas huius hominis in talibus circunstantijs cŏstituti esset determinata per naturam ad vnum, & non esset libera in illo actu. Consequentia probatur, quia liberŭ arbitrium ex se est indifferens ad vsum bonum, & malum; ergo debet ab aliquo extrinseco determinari, at non determinatur per nos a decreto diuinæ voluntatis, neque a gratia vel diuinis auxilijs ad bonum vsum; ergo relinquitur, vt determinetur ab his causis naturalibus.

Responsio tacita impugnatur. 9 Quod si quis dicat, voluntatem se ipsam determinare ad alteram partem, quæ sibi placuerit. Contra licet voluntas sit libera, & ad vtrumlibet, tamen non potest habere ex sua natura, vt se determinet ad assensum, vel dissensum: quia tunc non esset libera & indifferens, sed esset potentia naturalis, & determinata ad vnum vt natura, saltem vt constituta in talibus circunstantijs.

5. Ratio. 10 Quinto. Posita hac scientia futurorŭ sub conditione, quam vocăt mediam, sequitur dari causam prædestinationis ex parte nostra, vel saltem conditionem sine qua non, consequens est absurdum; ergo. Consequentia patet, quia obiectum scientiæ conditionatæ præcedit decretum diuinæ voluntatis, neque pendet ab ea. Dicimus enim, quod quia Deus præuidit Petrum cooperaturum gratię quę illi datur tali tempore, illum prędestinauit ad gloriam; ergo cooperatio liberi arbitrij præuisa est causa prædestinationis non effectus illius. Falsitas autem consequentis probatur ab eis in disputatione, An prædestinatio habeat aliquam causam ex parte prædestinati, qua sibi adduximus.

6. Ratio. 11 Sexto. Obiectŭ scientiæ conditionatæ pręcedentis decretum diuinę voluntatis nulla necessitate est necessarium; ergo de eo non potest dari scientia. Consequentia est euidens ex Aristotile 1. Poster. in diffinitione scire. Antecedens verò probatur: quia quod Petrus positus in talibus circunstantijs, vt puta vocatus tali auxilio tali tempore, &c. sit consensurus infallibiliter illi vocationi, & conuertatur, non est necessarium simpliciter vt patet; neque ex suppositione, siue ex necessitate consequentiæ. Probatur, quia est impossibile, quod aliquis effectus sequatur necessariò necessitate consequentiæ, siue infallibiliter ex causa defectibili, & impedibili, nisi talis causa determinetur ad talem effectum a causa superiori, quæ impediri non possit: at illa cooperatio liberi arbitrij ad gratiam ante decretum diuinæ voluntatis determinantis illam ad talem cooperationem, pendet à causa impedibili, quæ est nostra voluntas; ergo illa cooperatio non est necessaria infallibiliter; ergo non est scibilis a Deo.

12 Confirmatur primo, res nŏ potest esse nesciri in aliquo casu nisi dependenter a causa sua efficienti, id est nisi posita causa eius efficiĕte, & cognita eadĕ causa; sed sic est qđ prima, & vniuersalissima causa a qua primo res habet esse est decretum diuinę voluntatis, vt dicitur in lib. de causis propositione prima; ergo ante decretum illud nulla res habet esse, neque potest cognosci. 1. Confirmatio.

13 Confirmatur secundo, quia sicut decretŭ diuinæ voluntatis est causa, vt futurum absolutum sit, ita decretum diuinę voluntatis conditionatum, scilicet statuens, quod si illa conditio adimpleatur illud futurum sit, est causa futuri conditionati; ergo ante decretum illud, futurum conditionatum non est futurum, neque est scibile. 2. Confirmatio.

14 Confirmatur tertio, futurum cŏditionatum adimpleta conditione transit in futurum absolutè, ergo si antecedenter ad decretum diuinæ voluntatis est futurum, aliquod absolutè erit futurum, quod non dependebit a decreto diuinæ voluntatis, quod est absurdum euidens. 3. Confirmatio.

15 Si hęc scientia cŏditionata daretur in Deo, sequeretur auferri ab ipso Deo primam, veram, ac propriam rerum, & præsertim actuum humanorŭ causalitatem: consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur, quia secundum hanc scientiam conditionatam Deus non causat primo res ipsas, & actus humanos quo ad substantiam, & circunstantias actus, sed ideo illos effectiuè efficit, quia prius ab eiusmodi hominis voluntate erant profecturi. Vnde veræ essent istæ propositiones, quia facturus erat homo facit Deus, & quia causa secunda facit, facit prima; non contra. Consequentis autem falsitas probatur, quia D. August. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 10. huiusmodi propositiones detestatur, & eodem libro cap. 14. contra Massilienses, qui hanc scientiam conditionatam admittebant, dicebant enim quibusdam pueris non fuisse concessum baptisma, quia Deus præuidit eos pęnitentiam non acturos, ait autem D. August. hanc scientiam impugnans, Deum non præscire ea quæ non sunt futura, sed quæ sunt futura. Præterea etiam vera philosophia illas easdem propositiones quoque abhorret, & nomina ipsa causæ primæ, & causæ secundæ eandem falsitatem ostendunt. Hæc enim omnia significant primam, & veram causalitatem rerum pendere a Deo, non à rebus ipsis, quæ sunt causæ secundæ: secundas verò causas tribuere rebus ipsis solum causalitatem secundam. 7. Ratio.

16 Octauo. Hæc scientia conditionata tollit scientiă absolutam, & independentem à Deo de actibus humanis, vt patet, & ponit solum scientiam complacĕtiæ, siue conditionatam; consequens autem est absurdum, & contra omnes Theologos, qui ponunt in Deo scientiam absolutam, & independentem. 8. Ratio.

17 Nono. Apostolus ad Ephes. 1. *Deus operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* At si ponatur scientia conditionata operaretur Deus omnia non secundum consilium suum, sed hominis voluntatem attenderet. Ibidem cap. 2. *Præparauit nobis bona opera, vt in ijs ambulemus.* Hester 13. *Dominus vniuersorum, & in ditione eius omnia sunt posita.* Sapientiæ 8. *Attingit omnia a fine vsque ad finem fortiter, & disponit suauiter.* Omnes istæ auctoritates omnino reijcere videntur scientiam istam cŏditionatam, quia tunc Deus non efficeret omnia secundum suum consilium, sed secundum consilium hominum; non præpararet opera 9. Ratio.

hominibus, sed homines illas sibi prius præpararent; non esset Dominus vniuersorum, quia non posset disponere actus humanos; non disponeret omnia suauiter, seu potius sequeretur dispositionem hominum.

10. Ratio. 18 Decimo. Hęc scientia est noua, & recenter nata incognita Patribus; ergo non est approbanda, vel saltẽ non est necessaria ad saluandam concordiam diuinæ voluntatis cum nostro libero arbitrio, alioquin SS. Patres nesciuissent hucusque concordare liberum arbitrium cum diuina prædestinatione, quod est temerarium; vel si per eam ita facilè potest conciliari, facile fuisset D. Aug. & alijs Patribus hoc modo hoc conciliũ facere, & respondere hæreticis, quod tamen non fecerunt, sed alium modum adinuenerunt scilicet eum, quem ipsi Thomistæ ex D. August. in lib. de prædestinatione Sanctorum colligunt, & quem reiecimus disp. præcedenti.

11. Ratio. 19 Vndecimo. Nullus potest assignari modus, quo Deus illa futura conditionata cognoscat; ergo talis scientia non datur. Antecedens probatur, non cognoscuntur immediatè per se, quia eorum complexiones non sunt notę ex terminis, nõ enim sunt necessaria: neque per mediũ extrinsecum, vt est reuelatio, vel huiusmodi, quia Deus non vtitur tali medio, nec aliqua causa, quia nulla est quæ habeat necessariã connexionem cum illis, cum sint contingentia: neque cognosci possunt in se ipsis, vt futura contingentia, quæ aliquando futura sunt, quia istã nunquam sunt habitura verum esse, illa verò maximè, ideo illa sunt in se cognoscibilia, ista verò nequaquam; ergo nullum datur medium, quo cognosci possint ista futura contingentia conditionata, ergo talis scientia non datur.

12. Ratio. 20 Duodecimo. Si Deus haberet scientiam cõditionatam rerum, sequeretur Deum posse cognoscere omnes propositiones conditionales, quæ a nostro intellectu fingi possunt; ergo potest cognoscere omnes propositiones disparatas, in quibus nulla est connexio, vt si Petrus ambulasset, volaret leo, & huiusmodi, quod videtur absurdum.

13. Ratio. 21 Tertiodecimo. Sequitur Deum creasse aliquos cõtra pietatem, & misericordiam, quod est absurdum. Consequentia probatur, quoniam præuidit, quod hic, & ille homo cum limitatis auxilijs damnabitur, & tamen eos creauit, & talia limitata auxilia tradidit; ergo videtur creasse eos ad gehennam, quod est contra pietatem diuinam.

14. Ratio. 22 Quartodecimo. Si illa futura contingentia sub cõditione essent scibilia, essent vera, quod enim non est verum non est scibile, at huiusmodi futura non sunt vera, quia re vera non sunt futura; ergo non sunt scibilia.

Allata opinio reijcitur. Cap. II.

23 EGo semper miratus sum inter Scolasticos recentiores tam grauem verti litem, an hæc scientia futurorum sub conditione, quæ nunquam erunt, detur in Deo: neque video quomodo ij, qui negant eam dari, hoc sustinere possint. Ego quidem arbitratus sum semper eam dari, & contineri sub scientia simplicis intelligentiæ, quam omnes Theologi cõmuniter admittunt, licet sub his nominibus, sub quibus agitatur à Modernis, apud illos non reperiatur: hoc autem facilè

D. Thom. probo. Nam D. Thom. p. p. quæst. 14. art. 9. declarans distinctionem illam de duplici scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, explicans quid sit scientia simplicis intelligentię, habet hæc verba: *Quædam vero sunt, quæ sunt in potentia Dei vel creaturæ, quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt, & respectu horum non dicitur habere scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ, quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent esse distinctum extra videntem.*

Ex his verbis apertè habetur, scientiam simplicis intelligentiæ extendi ad ea, quæ nunquam fuerunt, non sunt neque futura sunt: possent tamen esse, quia sunt in potentia, vel Dei, vel creaturæ. Tunc sic arguo: at futura conditionata sunt in potentia Dei; ergo sunt possibilia. Antecedens probatur, possent enim creatura aliqua creari a Deo, quæ tamen non creabitur, sed si illa crearetur, & versaretur cum alijs creaturis, & esset libera, præsentata tali occasione faceret hoc, non illud; ergo futura conditionata sunt possibilia, & consequenter pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ. Exemplum. Istud totum est possibile. Si Carolus erit primogenitus Regis Hispaniarum (qui tamen Carolus non erit primogenitus) erit successor in Regno Hispaniarum; ecce posita illa conditione, quod Carolus sit primogenitus Regis Hispaniarum, sequitur eum futurum esse verè Regem Hispaniarum; quod tamen futurum non erit, quia conditio non adimplebitur. Hoc totum est scibile, non scientia visionis, quia non est re vera futurum; ergo scientia simplicis intelligentiæ, quia possibile est esse futurum. Et notandum est, quod adimpleta illa conditione, quod Carolus sit primogenitus Regis Hispaniarum, successio in Regno est futura absque aliquo decreto nouo quo Deus determinet, quod adimpleta illa conditione Carolus succedat in Regno. Stante enim cõcursu generali Dei quo ad omnes actus humanos concurrit, & positis cæteris requisitis ad eliciendum actus humanos adimpleta conditione Rex Hispaniarum declarabit filium suum Carolum esse suum successorem in Regno; & ita hoc futurum erit re vera futurum, & erit ens verum, & cognoscetur à Deo certò, & infallibiliter: quoniam scit Deus, quod voluntas Regis se determinabit ad hunc actum, si ipsemet Deus suo concursu non deficiat, nec adsit aliquod aliud impedimentum; posito autem, quod Deus concurrat suo generali concursu ad illum actum, & quod voluntas se determinet ad actum illum, actus ille infallibiliter erit, & ita est verè, & certò scibile absque nouo decreto Dei subsequente adimpletionem conditionis. Pertinet tamen ad scientiam simplicis intelligentiæ, quia licet posita conditione sit futurum: tamen, quia conditio non ponitur in esse, numeratur inter entia possibilia.

24 Pręterea posset Deus facere, vt aliquis esset Rex, qui tamen nõ erit Rex, qui si existeret Rex, faceret alia & alia decreta, & leges decerneret, quæ alius Rex, non decreuisset; certũ est autem quod potest Deus hęc omnia cognoscere, & tamen non pertinent ad scientiam visionis, quia non sunt futura; ergo pertinent ad eius scientiam simplicis intelligentiæ, quia continetur in potentia creaturæ, & ipsius Dei. Solemus etiam dicere Deum nolle quod talis sit diues, quia præuidet quod diuitijs abuteretur; hoc est futurum conditionatum, quod non erit, & tamen eius scientia communiter tribuitur Deo, neque tribuitur quia Deus adimpleta illa conditione, quod sit diues, etiam decernat quod diuitijs abutatur; sed hoc scit Deus, quia præuidet ex infinitate sui intellectus, quod voluntas illius, stante suo diuino concursu generali, & nullo posito impedimento se determinabit ad abutendum diuitijs, absque eo, quod Deus nouo decreto determinet, quod si habet diuitias illis abutatur, quia ad hoc, vt abusus diuitiarum certò sequatur, sufficit concursus generalis Dei, quo ad omnes actus concurrit; illo enim posito, & cæteris requisitis communibus ad actus humanos eliciendos, effectus ille infallibiliter ponetur in esse, ideo est scibilis.

25 Scotus etiã in 3. dist. 14. quæst. 2. §. *Contra rationem huius positionis*, &c. probans contra D. Thomam. Animam Christi in Verbo habuisse cognitionem omnium pertinentium non solum ad scientiam visionis, sed etiam ad scientiam simplicis intelligentiæ, apertè docet sub scientia simplicis intelligentiæ contineri co- Scientia conditionata probatur ex Scoto.

gnitionem

gnitionem futurorū sub conditione, inquit enim, quod intellectus animæ Christi posset cognoscere in verbo aliquod possibile futurum nunquam faciendum; & subiungit esse verisimile etiam alias animas visuras in verbo ipsum posse creare aliquid, quod nō creat etiam distinctè; nunc sic argumentor. At futura illa sub conditione sunt possibilia facienda, quæ nunquam tamen fient; posset enim Sortes si esset Pontifex facere hunc, & illum Cardinalem; hunc, & illum Episcopum, quos tamen non faciet, quia nunquam erit Pontifex; ergo futura contingentia possibilia sub conditione sunt scibilia, & pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ, & hanc doctrinam videtur supponere quoque in 1. dist. 39. vt supra diximus.

Euasio. Quod si quis respondeat: aliud est dicere creatura, vel Deus potest hoc, vel illud facere, & aliud est dicere Deus, & creatura existente tali, & tali circunstantia faciet hoc non illud: quia primo modo significatur eos posse facere hoc, vel illud, non autem facere de facto. In secundo modo verò significantur eos facere res de facto, siue facturos esse de facto. Scientia illa conditionata respicit res hoc secundo modo, ideo non potest contineri sub scientia simplicis intelligentiæ secundum eum sensum, in quo D. Thom. & Scotus intelligont hunc terminum scientiam simplicis intelligentię. Intelligunt enim per scientiam simplicis intelligentiæ scientiam illam, qua Deus cognoscit, quid Deus, siue creatura possit facere, non quid sit factura existente hac, vel illa cōditione qualis est scientia conditionata.

Reiectio. 26 Contra. Futurum sub conditione, quod nunquā aderit non est verè futurum, ideo non potest poni inter futura, quæ pertinent ad scientiam visionis, quia illa sequuntur decretum diuinæ voluntatis positum in esse; ista verò futura sub conditione, quę nunquam erit non sunt verè futura, quia solum sunt futura posita in esse conditione: illa verò conditio nunquam ponetur in esse, ideo non sunt verè futura, sunt ergo propriè possibilia, istud enim *Si Petrus erit cras Pontifex faciet hoc non illud*, nihil aliud innuit nisi potentiam proximam Petri esse talem, vt hoc faceret, nō illud, posita tali conditione, quod esset Pontifex. Ideo pertinent ad scientiam, quæ cognoscit res in esse possibili, siue per comprębensionem potentiarum, quæ est scientia simplicis intelligentiæ secundum D. Thom. & quando D. Thomas, Scotus, & alij antiquiores diuiserunt scientiam Dei in scientiam possibilium, & futurorum, quarum prima est simplicis intelligentiæ; secunda est visionis, per futura intellexerunt verè futura, non futura possibilia, quæ tamen nunquam habebunt esse; futura autem illa sub conditione sunt futura possibilia, non verè, nec certò futura; ideo pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ. Præterea si cōcedimus, quod Deus cognoscit quid vnaquæque creatura, & quid ipse possit facere, non est difficile concedere ipsum posse quoque cognoscere, quid creatura omnis sit factura, non solum absolutè, sed posita hac, vel illa conditione, quia hoc prouenit ex perfectissima, & comprehensiua cognitione potentiæ proximæ liberæ eiusdem creaturæ, nam voluntas & si sit libera, tamen præsentata tali conditione inducitur ad hoc, & non illud faciendum. Ideo ad eandem scientiam, quæ cognoscit possibilia iure reducitur, quæ est scientia simplicis intelligentiæ.

Scientia conditionata quomodo possit dici scientia visionis. Quod si quis velit, istam scientiam conditionatam pertinere ad scientiam visionis, eo quia videtur hæc sciētia respicere res liberas quoquo pacto futuras, scilicet posita illa conditione in esse, vt volunt quidam recētiores, non inficior. Quod enim si Sortes cras esset Papa faceret hoc non illud, est res futura verè posita illa conditione in esse; vnde videtur participare quodammodo de sciētia simplicis intelligentiæ, quatenus scilicet nihil certò ponit in esse futurum, sed solum sub conditione, quæ nunquam adimplebitur. Videtur autem participare de scientia visionis, quia posita illa conditione, certò res est futura; res autem futuræ certò pertinent ad scientiam visionis. Et hæc est ratio propter quam ab aliquibus dicitur scientia media; tamen re vera potest poni sub scientia simplicis intelligentiæ; quia scientia visionis solum se extendit ad res quæ pro aliqua differentia temporis habent esse verè, & infallibiliter; ideo res possibiles omnes, & quæ aliqua conditione posita essent de facto, quæ tamen nunquā erunt, quia conditio non adimpletur pertinere habent ad scientiam simplicis intelligētiæ: huiusmodi autem sunt ista futura conditionata, ideo ad eam pertinent.

27 Et quia puto hanc esse veram sententiam, eam confirmo, & ex hac confirmatione magis patebit dari hanc scientiam, & primò sic. Duplex est possibile, aliud est absolutum, aliud conditionatum: possibile absolutum est, quod non dependet ab aliqua conditione, vt possibile est Deum creare alium mundum, alias species angelorum, & similia: possibile conditionatum est quod pendet ab aliqua conditione posita in esse, vt si Deus crearet alios angelos innocentes cum habitibus bonis inclinantibus ad bonum, & daret eis legem quam tenerentur obseruare, possibile esset eos obseruare illam legem. Inter possibilia autem vnum est magis possibile altero, & proximius existentiæ actuali: Vnde in proposito licet angeli illi possent etiam non obseruare legem illam, quia maneret eorum voluntas libera, tamen esset magis possibile eos legem obseruare, quam non obseruare propter habitus bonos inclinantes ad bonum, & propter alias circunstantias si adessent, quæ inclinarent, & mouerent voluntatem ad bonum, & ad obseruationem, & quanto causæ, & circunstantiæ magis impellunt voluntatem ad aliquod possibile, tanto magis illud est possibile, & est proximius actuali existentię, quam possibile sibi oppositum. Ad propositum ergo obseruatio legis in illis angelis est possibile conditionatum proxime futurum posita illa conditione, quod habeant habitos illos inclinantes voluntatem ad actum illum, & alia ad idem facientia; & licet hoc futurum non sit omnino, & infallibiliter futurum, quia voluntas creata cum sit libera potest semper in alteram partem tendere; tamen est magis certum quod ipsa tēdet in actum prædictum quam in oppositum; & rationabiliter elicitur ex prædictis conditionibus iudicium valde certum, quod ipsa inclinabit in illā partem; quia etsi sit libera eorum voluntas, tamen est quoque potentia naturalis, quæ habet suam inclinationem naturalem quam videmus regulariter eas sequi. Si modo extrinsecus addatur decretum Dei concurrendi ad hunc actum obseruationis legis, tunc deinde certissimum, & infallibile erit, actum illum obseruationis legis esse futurum; quia decretum Dei est infallibile, licet non ita certò sicut post decretum. Tunc sic arguo. Scientia simplicis intelligentiæ se extendit ad omnia possibilia; ergo cognoscit tàm possibile quod est magis possibile, & magis futurum, quàm possibile quod est minus possibile, & minus futurum; cognoscit etiam illud magis possibile peruenturum esse ad actualem existentiam, si causæ illæ non impediantur, & nihil eis deficiat, & Deus præstet suum consensum; quia illa futuritio est fluxus effectus illius à suis causis, qui est ens, & consequenter in se scibile, non autem tantum in suis causis; ergo cognitio illius possibilis, & effectus futurus cognoscitur ab intellectu diuino ante decretum quodcunque diuinæ voluntatis, licet certitudo infallibilis nondum habeatur, si autem decernat diuina voluntas, habita cognitione istius possibilis futuri, ad illud concurrere, tunc deinde certissimè, & infallibiliter cognoscit illud futurum, esse in actu. Hoc tamen possibile futurum conditionatum, de quo dictum est, non erit; ergo possibile futurum sub conditione quod non erit, est scibile à Deo; licet non

fit scibile certissimè, nisi post decretum sequens (decretum enim ponitur non vt faciat scire, sed vt faciat scire certitudinaliter, vt aliàs dictũ est) & hæc scientia pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ; vnde sicut intellectus diuinus cum essentia diuina faciunt res possibiles esse in se intelligibiles, & entia vera scibilia, sic faciunt etiam hæc possibilia magis possibilia, & proximè futura, intelligibilia, & per se scibilia, non autem tantum in suis causis.

28 Confirmatur. Certũ est Deum cognoscere, quod si crearet cras ignem, quem tamen non creabit, (cognoscit enim Deus omnia possibilia, tàm futura quàm non futura secundum omnes) & ei apponeretur lignũ, ignis ille combureret lignum, ergo à pari cognoscere potest quod si voluntas sit affecta talibus, & talibus circunstantijs, producet talem effectum, licet postea illę circunstantiæ non ponantur in esse, & proinde nec ille effectus ponatur in esse. Antecedens est clarũ, & consessum. consequẽtia probatur, quia est eadem ratio de vtroque, solum adsunt duæ differentiæ, quæ intentum nostrum non prohibent. Prima differentia est, quod ignis est causa naturalis naturaliter determinata ad agendum; voluntas autem non est determinata naturaliter nec ab alio, sed se ipsam ex motione ab illis circunstantijs, & habitibus se determinat ad illum effectum producendum (quia, vt dixi, licet sit potentia libera, est tamen etiam naturalis, & habet pro obiecto bonum delectabile, vtile, & honestum; ideo eo ostenso illud sequitur, & ab illo sinit se determinare, vt in dispu. de voluntatis nobilitate dictum est. Quis enim ignorat quod si ego esuriam, & mihi conuenientes cibus sit appositus, quod etsi possim comedere, & non comedere, tamen certò comedam, nisi adsit aliquod impedimentum?) Secunda est, quod non est ita certò futurus effectus, qui pendet à voluntate positis illis circunstantijs, sicut combustio, quæ pendet ab igne; sed tamen deinde per subsequẽs decretum si aduenerit, redditur certissimum, & infallibile. Hæ autem duæ differentię non faciunt quin sciri possit effectum illum conditionatum nunquam futurum, sed solum faciunt quòd nõ ita certò sciatur; tamen vt dixi addito postea decreto diuinæ voluntatis sequente de concurrendo cum illis causis, habetur certissima cognitio.

29 Præterea possibile non futurum cognoscitur à Deo non solum secundũ esse possibile, & in causis suis, sed in illo esse quod haberet si poneretur in esse; sed illud esse est esse futurum; ergo futurum cognoscitur à Deo per cognitionem simplicis intelligentiæ. Maior probatur, quia alioquin sequeretur, quod Deus posset proficere in cognitione. Nam si Deus non cognosceret possibile nõ futurum in illo esse, quod esset habiturum si poneretur in esse, sequeretur quod si Deus deinde poneret illud in esse, de nouo cognosceret illud esse productum, quod prius nõ cognoscebat; & sic proficeret, quod est absurdum. Min. est euidens; esse enim quod possibile non futurum posset habere, est esse futurum actualis existentiæ in se, quod est diuersum ab esse possibile, vt possibile est; ergo dicendum est quod intellectus diuinus virtute essentiæ diuinæ in æternitate in se producit in esse intelligibili omnia possibilia quo ad omne esse, quod habere possunt pro quacunque differentia temporis, & omnia eodem modo cognoscit, siue sint præsentia, siue futura, siue præterita, ac si in se essent præsentia; quia intellectus diuinus non proficit, nec aliter intelligit facienda, quam facta.

Scotus admittit scientiam conditionatam.

30 Præterea apertissimè admittit Scotus in quolibetis quæst. 16. in responsione ad principale hanc scientiam conditionatam ex D. Augustino lib. 5. de ciuitate Dei cap. 9. vbi D. Augustinus apertè eandem scientiam in re admittit, licet non sub his verbis. Nam D. Augustinus ibi disputat aduersus Ciceronem, qui, vt vitaret omnia euenire certò, & necessariò, vt dicebant Stoici, negauit præscientiam in Deo; putabat enim hæc duo non posse stare simul, quod Deus habeat præscientiam certam futurorum, & quod res liberè eueniant. Arguebat enim sic Cicero, vt ibi refert D. Augustinus. Si omnia futura sunt præscita hoc ordine euenient, quo ventura esse præscita sunt; & si hoc ordine euenient, certus est ordo rerum præscienti Deo; & si certus est ordo rerum, certus est ordo causarum; si autem ordo causarum est certus, omnia necessariò eueniunt, quia nulla erit causa libera, & indifferens, quæ possit operari, & non operari, sed omnis causa erit certa. Respondet D. Augustinus ad hoc argumentum concedendo, quod Deus præscit certò ordinem causarum, negando tamen sequi quod nihil eueniat liberè, & contingenter, quoniam ipsę voluntates nostræ continentur in ordine rerum, & causarum, & sic qui cognoscit omnes causas, cognoscit etiam quid voluntates nostræ essent causaturæ, & volituræ, quia ipsę etiam sunt causæ; ideo præscientia Dei non aufert contingentiam, sed ipsam supponit, & præscit. Et superius eodem capite dixerat. *Nec timemus ne ideo voluntate nos faciamus, quod voluntate facimus, quia id non facturos ille præsciuit cuius præscientia falli non potest.* Ex hoc arguo ex D. Augustino & Scoto Deus cognoscit ordinem rerum, & in eo cognoscit quid voluntates nostræ sint volituræ; sed circunstantiæ, & conditiones illę, quibus positis voluntas hoc efficit, & non positis voluntas hoc non efficit, pertinent ad ordinem rerum, & causarum; ergo necesse est, quod Deus præsciat quid voluntas creata sit factura posita hac circunstantia, & conditione rerum, & quid non posita illa conditione; & consequenter necesse est vt cognoscat futurum sub conditione, quę non ponetur in esse; alioquin Deus ordinem causarum, & rerum non cognosceret perfectè, sed imperfectè, & diminutè. Et certè manifestum est intentionem D. Augustini esse, quod posita quacunque variatione rerum, & causarum, ac voluntatum, quod non potest fieri nisi per appositionem variarum circunstantiarũ, & conditionum, secundum quarum aliquas vnum eueniat, secundũ alias aliquid aliud, præscientia Dei non tollitur. Et certè supponendo modum loquendi communẽ, & imaginationem, quod actiones Dei transeant in præteritum, siue mensurando actiones Dei tempore, & ad modum actionum humanarum, hæc scientia conditionata est necessaria, & accomodatissima ad conciliandum præscientiam, prouidentiam, & prædestinationem cum libertate nostra.

Obiectio quorũdam recentiorũ.

Sed audio quosdam hic obijcere, Scotum non posse esse huius sententiæ, vt admittat præscientiam futurorum sub conditione, quæ non adimplebitur, ante decretum suæ voluntatis: quia ipsemet Scotus in 1. sent. dist. 39. omnino docet intellectum diuinum ante decretum diuinæ voluntatis non cognoscere futura aliqua; quia ante decretum diuinum res futuræ obijciuntur intellectui diuino vt neutræ, non autem determinatæ in alteram partẽ, sed per decretum diuinæ voluntatis in alteram partem determinantur.

Solutio.

Respondeo non posse mirari satis quod professores doctrinæ Scoti hanc obiectionem adducant, cum Scotus eo loco adeò sit clarus, vt nulla possit esse occasio verã eius mentem non assequendi. Dico igitur aliud esse Deum non posse cognoscere futura, & aliud non posse cognoscere futura certò. Scotus ibi nõ dicit, quod intellectus diuinus ante decretum diuinæ voluntatis non possit cognoscere futura, sed dicit, quod nõ potest cognoscere futura certò. Aliud autem est dicere Deum non posse cognoscere futura sine decreto, & aliud non posse cognoscere futura certò sine decreto; Scotus ponit decretum esse necessarium ad certò cognoscẽdum futura, non ad cognoscendum præcisè. Verba Scoti in citato loco in resolut. Quæstionum lin. M. §. *viso de contingentia rerum.* sunt hæc. *Viso de contingentia rerum*

quan-

quantum ad existentiam, & hoc considerando respectu voluntatis diuinæ, restat videre, secundum principale qualiter cum hoc stat certitudo scientia eius. hoc potest poni dupliciter. vno modo per hoc, quod intellectus diuinus videt determinationem voluntatis diuinæ, &c. Apertè ergo Scotus dicit intellectum diuinum scire certò futurum aliquod pro tali tempore esse futurum, quia voluntas diuina determinat, quod illud futurum, pro tali tempore sit: at non ob hoc sequitur secundum Scotum, quod Deus non præuideat prius voluntatem creatam, stante tali circunstantia, & tali esse volituram hoc, vel illud; & quod si ipse decreto suæ voluntatis diuinæ secum concurrere voluerit, illud certò volet, & ponetur in esse actu. Sentit ergo Scotus quod Deus præsciat quid voluntas mea sit volitura pro tali tempore, sed ex inspectione simplici meæ voluntatis, non scit certò voluntatem meam, illud certò esse volituram, pro eo tempore, quia cum sit libera, & mutabilis, posset mutari; ideo necesse est, quod voluntas diuina addat suum decretum, quo posito illud erit futurum certò, & erit ens verum futurum, quia voluntas diuina est immutabilis, & intellectus diuinus videns voluntatem diuinam esse immutabilem, scit certò voluntatem creatam esse volituram illud. Vel si hic modus dicendi non placet, quia videtur ponere in Deo quendam discursum, assignat Scotus alium modum, qui in re est idem, scilicet, quod offerente intellectu diuino res in esse neutro ipsi voluntati diuinæ, voluntas diuina facit hoc, vel illud esse verum pro tali nunc suo decreto. Disertè ergo Scotus ponit decretum diuinæ voluntatis ad certò sciendum, non ad sciendum simpliciter, & ideo supponit quod intellectus diuinus præuideat quid voluntas creata, cum sit libera, sit volitura, vnde ibi est sermo de futuris absolutis, quæ certò erunt, & pertinent ad scientiam visionis, non de futuris conditionatis, quæ pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ, licet quoquo pacto participent conditionem scientiæ visionis.

Et quod hæc sit mens Scoti euidenter confirmatur ex hoc quodlib. 16. quod facilè patet consideranti totam solutionem illius argumenti, & ponderationem verborum D. Augustini, quam facit Scotus, præsertim in illis verbis. *Etiam in sequenti capitulo, non propterea nihil in nostra voluntate est, quia Deus præsciuit, quid futurum esset in nostra voluntate. non enim nihil præsciuit, sed aliquid, & illo præsciente, est aliquid in nostra voluntate.* Illa verba sunt ponderanda, vt ponderat Scotus. *Non enim nihil præsciuit, sed aliquid.* Ergo volunt Scotus, & D. Augustinus intellectum diuinum præscire aliquid in nostra voluntate antequam diuina voluntas faciat decretum; illud autem est volitio voluntatis creatæ, quæ præuidetur à Deo. Nec potest dici, vt Aduersarij volunt, quod Scotus, & D. August. intelligant Deum præscire illud post decretum diuinæ voluntatis; hoc enim directè repugnat sint. ipsi D. Aug. & Scoti, qui volunt quod præscientia Dei præcedat decretum diuinæ voluntatis; & ideo decretum illud non tollat contingentiam rerum, & libertatem arbitrij: nam si intelligerent, quod præscientia sequatur decretum diuinæ voluntatis, tunc nihil haberet D. Augustinus cōtra Ciceronem, quia Cicero diceret, iam Deum decreuisse illud futurum esse, quod creata voluntas vult, & proinde non esse liberam, sed determinatam. Ponderanda etiam sunt illa verba Scoti, quæ deinde subdit: *Quia ista necessitas præscientiæ, & præsciti, vt præsciti, & si sit necessitas immutabilitatis, non tamen simpliciter est necessitas ineuitabilitatis, siue omnimodæ determinationis, sed tantum ineuitabile ex suppositione ista: quia illud est iam præscriptum.* Pondera illa verba, *non est tamen simpliciter necessitas ineuitabilitatis, siue omnimodæ determinationis.* His enim omnino euertit prędeterminationem omnem, quam aduersarij ponunt fieri per illud decretum, siue illa sit physica, siue moralis.

31 Præterea dari scientiam futurorum sub conditione ante omne decretum, & simul ipsa bona opera præuisa esse causam prædestinationis, disertè docet D. August. lib. de Prædestinatione Dei. Nam cap. 2. ponit duplicem prædestinationem, alteram alligationis & potentiæ, alterā conditionis, & iustitiæ. Prima prædestinatio est absoluta qua Deus nulla habita ratione alicuius conditionis quæ adimpleatur, vel non adimpleatur aliquid decernit, & prædestinat futurum, vt cum Deus prædestinauit quod Cœlum semper volueretur, & similia. Prædestinatio conditionis est qua Deus prædestinauit aliquid non absolutè; sed si talis conditio adimpleatur, & hoc modo prædestinauit hominem ad mori; non enim prædestinauit absolutè Adam mori, sed solum sub hac conditione, si inobediens esset, & sic dicit se habere quoque prædestinationem ad gloriam. Verba D. August. sunt cap. 2. *Prędestinationum aliæ sunt alligationis, aliæ conditionis, ista sunt iustitiæ, illæ potentiæ. Vt lucidius fiat quod dicitur quæ sunt alligationis & potentiæ, quæ conditionis & iustitiæ demonstretur. Creauit Deus cœlum & terram, solem & lunam, diem & noctem, prędestinauit insuper, vt cœlum semper volueretur; terra immobilis, circumuoluenti cęlo loco centri haberetur; sol & luna diei noctique pręessent; dies & noctes certis temporibus vicissim succederent. Hæ prædestinationes potentiæ sunt, & alligationis. Vnumquodque enim eorum quæ prædiximus sic alligatum est suo operi per prædestinationem Dei vt ab eo dimoueri non possit. Creauit Deus hominem & prædestinauit, vt si obediens esset, ac à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret; sin autem inobediens esset, sententiam mortis subiret. Hæc prædestinatio conditionis est & iustitiæ. Non enim Deus ante casum hominis sic eum per potentiam alligationis prædestinauit mori, vt necesse esset eum mori, sed sub ea conditione si peccaret. Quia igitur peccauit homo, iustum erat, vt moreretur. Si nō peccaret nullo vinculo prædestinationis diuinæ morti alligaretur.* Hæc D. August. In fine autem capitis quinti & vltimi eiusdem libri de prædestinatione Dei dicit, tàm prædestinationem ad pęnam quàm ad gloriam esse prædestinationem conditionis, & iustitiæ, non alligationis & potentiæ, & habet hæc verba. *Iam quæ sint prædestinationes alligationis, quæ conditionis, satis vt reor dictum est. Sed earum quæ conditionis sunt, aliæ ad gloriam, aliæ ad pęnam. Quos enim Deus suos fidei opere futuros esse præuouit, hos prædestinauit ad gloriam quos absque correctione diabolicæ persuasioni militaturos esse præsciuit hos pro certò prædestinauit ad pęnam.* Hæc D. Augustinus. Vbi habes præscientiam rerum futurarum sub cōditione ante vllum decretum absolutum, vel conditionatum; habes etiam prædestinationem ad gloriam esse ex meritis præuisis; habes etiam prædestinationem esse actum voluntatis non intellectus.

32 Probatur etiam à recentioribus hanc scientiam dari, & auctoritate, & ratione, quæ sanè apud me concludunt efficaciter. Efficax autem præsertim mihi videtur auctoritas ex Matth. 11. *Veh tibi Corozaim, veh tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ in te factæ sunt olim in cinere, & cilicio pænitentiam egissent.* Item Ezechielis cap. 3. *Non ad Populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, & si ad illos mittereris, audirent te.* Ex his enim auctoritatibus explicitè patet Deum cognouisse, quid Tyrij, & Sydonij fecissent, si apud illos factà fuissent miracula, quæ fecit Dominus Iesus in Corozaim, & Bethsaida, hoc autem est futurū conditionatum, quod nunquam erat adimplendum.

1. Ratio pro sciētia conditionata.

33 Respondere autem quod Christus hoc dixit nō quia scierit, quid re vera Tyrij, & Sydonij essent facturi

Euasio quorundā reiicitur.

ctum

ecturi si miracula ea facta fuissent apud illos, quia hoc scire non potuit, quoniam non erat rè vera futurum, sed loquutum fuisse more humano per exagerationẽ quandam, sicut quando amicus rogat amicum, vt aliquid ei concedat, nec concedere vult, solet dicere, si petijssem ab inimico dedisset; sic inquam respondere videtur mihi multum derogare veritati sacræ scripturæ, & prædicationi Christi; Christus enim tunc dixisset mendacium, & falsum, non enim tunc loquebatur per modum exagerationis, sed increpabat, & conuincere volebat eorum incredulitatem nullam habere causam excusationis, quod si exẽplum adductum esset falsum, non rectè conuincisset eos.

34 Accedit quod Sancti Patres, & præsertim D. August. lib. 2. de bono perseuerantiæ, cap. 9. tractans eum locum ait, Christum Dominum vera prædixisse in illis verbis nimirum. quod Tyrij & Sydonij pœnitentiam egissent, si facta fuissent illa miracula apud eos. Vnde habet hæc verba. *Ipse Dominus attestatur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum.*

Alia euasio reijcitur. 35 Alia est quoque responsio in huiusmodi prædictionibus non prædici effectum infallibiliter futurum, etiam posita conditione, sed solum verisimilius esse huiusmodi effectum futurum esse, quia ad illum causæ videntur propensæ; quod confirmatur, quia sæpe in his reuelationibus in scriptura apponitur illa particula, fortè, vt fit in sequenti prædictione de Sodomis, subiungit enim eodem cap. Christus. *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in tè, forte mansissent vsque in hodiernum diem.* Illa autem particula, fortè, significat incertitudinem prædictionis. Insuper quia loquuntur aliqui in prophetijs cominatorijs sæpe necesse est subintelligere hanc conditionem, si causæ nõ mutentur, sed maneant, eo modo, quo tunc manent, cum res prædicitur; sed quia causæ sunt liberę, & mutari possunt, ideo prædictio non est certa.

36 At hæc responsio eadem ratione reijcitur, quia multum derogat veritati Sacræ scripturę & prophetię; vnde si talis licentia interpretandi scripturam, & prophetias daretur, omnis veritas scripturæ, & prophetiæ tolleretur, quia vnusquisque posset pro arbitrio dicere subintelligi debere aliquam conditionem. Insuper possemus dicere, hoc prædixisse futurum, non quia re vera esset futurum, sed quia tunc erat verisimile esse futurum.

37 Præterea licet illa particula, forsan, quandoque apponatur, non tamen significat dubitationem, & incertitudinem esse in scientia Dei, quia talis incertitudo nimis vilificat scientiam Dei, vt Sancti Patres, expresse vbique asserunt, præsertim Hieron. Ezech. 2. & Ier. 26. vbi habet hæc verba, *verbum ambiguum, forsan, Maiestati Dei non potest conuenire, sed nostro loquitur affectu, vt liberum hominis seruetur arbitrium.* Pręterea hoc nõ potest accomodari illi auctoritati ex Ioan. 6. *Cum sciret, quia venturi essent, vt facerent eum Regem.* Sciebat ergo certò, quod erant facturi eum Regem si voluisset. Hoc est futurum conditionatum, non adimpletum, neque adimplendum, & tamen erat scitum certò à Christo, neque enim apposuit particulam fortè; sed absolutè dixit. *Cum sciret quia venturi erant, vt eum facerent Regem fugit in montem ipse solus*; ergo si non fugisset, fecissent illum regem, & hoc certò sciebat esse futurum, ne autem eueniret fugit in montem.

Responsio recentiorũ. 38 Ceterum recentiores ad has auctoritates, & similes, & ad rationes probantes dari in Deo scientiam istam futurorum sub conditione, vt Aluarez, & alij aliter respondent; concedunt enim Deum scire ista futura sub conditione & scientia infallibili; sed dicunt illa non cognosci, nec esse cognoscibilia vt futura antecedenter ad decretum conditionatum diuinæ voluntatis, sed subsequenter ad illud, & ideo cognoscuntur per decretum illud subsequens adimpletionẽ conditionis. Dicunt enim Deũ fecisse decretum, quod adimpleta illa conditione, quod miracula facta fuissent in Tyro, & Sydone, Tyrij, & Sydonij conuerterentur; & ideo Deũ certò scire illos conuersuros fore in fidem Christi per intuitionem istius decreti, non autem quia illa conuersio esset futura ante decretum illud, vt sustinemus nos, ponendo scientiam futurorum sub conditione præcedere illud decretum; sed hanc responsionem infra confutabimus postquã auctoritatibus, & rationibus probauerimus Deum certò scire futura sub conditione, quod à multis negatur.

39 Secũdò ergo loco est auctoritas vulgata primo Regum cap. 23. vbi Dauid rogat Dominum, vt ei reuelet, an si ipse Dauid maneret in ciuitate Ceilæ, venturus esset Saul ad eum occidendum, & si maneret Ceilæ, Ceilitæ essent tradituri Dauidem in manus Saul, qui eum persequebatur: respondit Deus, ibi, *& Saul veniet, & Ceilitæ tradent te.* Quo audito aufugit Dauid cum socijs suis, & saluauit se. Ex hoc loco conspicuè habetur, quod Deus verè cognouit, quod si Dauid mansisset Ceilæ, Saul venisset, & Ceilitę eum tradidissent, & propter hoc reuelauit ipsi Dauidi vt se saluaret. Illud autem erat futurum sub conditione, quod non erat adimplendum. 2. Ratio principalis

40 Respondent aliqui, quod quando Deus prædixit hoc Dauidi, Saul, & Ceilitæ erant in tali dispositione, vt Saul Dauid persequeretur, & Ceilitæ eum traderent: & ideo Deus videns talem dispositionem, quasi coniecturans talem dispositionem duraturam esse, prædixit Dauid Saulem venturum, & Ceilitas eum tradituros. Responsio quorundã.

41 Contra, hæc responsio nimis vilificat cognitionem diuinam tribuens ei nimirum cognitionem coniecturalem, & dubiam. Præterea illa prædictio non esset certa, & infallibilis, sed valde dubia: vnde non esset differentia inter prædictiones Dei, & Demonis; eius enim oracula ex aliqua coniectura, & aliqua causa præsenti educuntur. Ad veritatem ergo Sacræ scripturæ saluandam, & prędictionum Dei necesse est dicere Deum non solum vidisse dispositionem actualem, in qua erant Saul, & Ceilitę quando Dauid orauit Dominum: sed etiam præuidere qualis, & quę erat futura dispositio ipsius Saul, & Ceilitarum si Dauid non fugisset, & mansisset Ceilæ, & hanc dispositionem certò pręnouisse, & ideo etiam certò prędixisse Saul eũ persequuturum, & Ceilitas eum tradituros fuisse. Plura congerunt recentiores, quæ nè acta agam omitto. Reijcitur.

42 Tertiò ex Sanctis Patribus confirmatur, quorũ auctoritates multas congregant recentiores. Sufficiat mihi vnus August. qui sæpius hanc scientiam conditionatam admittit apertè, sed præsertim libro 2. de bono perseuerantiæ, cap 9. & 10. vbi probat contra Pelagianos Deum neminem iudicare de illis peccatis, quæ prę sciuit esse facturum; vbi non negat Deum præscire, quæ peccata vnusquisque infans esset facturus si vixisset, sed fatetur, ea præsciuisse, & ideo nonnullos eorum abstulisse, ne illa facerent, iuxta illud Sapient. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Et in cap. 9. circa medium, vbi commemorat quæstionem illam, quã in lib. de sex quæstionibus contra Paganos tractauit, quæ erat cur Christus non venerit in principio mundi, sed post tam longa tempora; & respondisse se ait, & eandem responsionem approbat, quia Christus præsciebat illis prioribus temporibus plenum esse mundum hominibus tam infidelibus, vt noluerit eis prædicare, quia præsciebat eos nec suis miraculis, nec verbis esse credituros. Verba autem D. August. sunt hæc, item pauló post in eodem libro, atque eadẽ quæstione, *quid mirum inquam si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus seculis nouerat, vt eis prædicare meritò nollet, quos nec verbis nec miraculis* 3. Ratio ex Sanctis Patribus.

suis

suis credituros esse præsciebat . Et denique apertè eodē capite,& sequenti,& in omnibus illis libris hanc scientiam apertè concedit,& supponit competere Deo.

4. Ratio. 43 Ratione etiam probatur facilè, quia ad perfectissimam scientiam Dei spectat cognoscere nō solum res, quæ futuræ sunt,sed etiam eas,quæ sunt possibiles, licet nunquam actu sint futuræ. Vnde dicimus scientiam simplicis intelligentiæ Dei esse de rebus possibilibus,non tamen futuris,at futura ista conditionata sunt possibilia,quod enim si Sortes cras Papa esset, faceret hunc Episcopum, est res possibilis, quia conditio est possibilis,& posita conditione,& cęteris requisitis non defficientibus præsertim cōcursu generali Dei effectus ille erit; ergo tale futurum est obiectum scientiæ Dei, & consequenter eius scientia datur.

5. Ratio. 44 Præterea supposito, quod Deus velit seruare liberum arbitrium creatum, & tamen velit hominem, vel angelum inducere ad aliquid agendum,necesse est quod præuideat, quod si adhibeat tale medium illius arbitrium assentiet: si autem aliud nequaquam, aliquin vel Deus faciendo illum hominem efficere illud coget eum,atque libertati violentiam inferret,vel non faciet,vt illum effectum efficiat. Hæc ratio est efficax, & non potest negari ab aduersarijs. Nam si Deus decreuit absolutè voluntatem creatam facere aliquid,necesse est, vt cognoscat media, quæ adhibere debet ad hoc,vt faciat eam facere illud absque coactione; ergo necesse est,quod præsciat, quod si adhibebit talia media voluntas creata faciet talem actum. Hæc est scientia conditionata; ergo.

6. Ratio. 45 Præterea homines modo suo habent huiusmodi cognitionem de futuris contingentibus condinonatis, vt mercatores sciunt, quod si hoc, & hoc faciant, negotium suum, & mercatura periclitabitur, sin autem hoc, & hoc res bene habebit; verbi gratia sciunt, quod si tali tempore vendant suas merces,vili vendēt, quia adest multa copia,si verò expectent ad duos menses, vel ad annum carius vendent,quia non adesit tanta copia. Ecce hoc est futurum conditionatum liberum,quod non erit,& tamen illud sciunt coniecturaliter. Denique Principes & omnes prudentes in agendis suis negotijs,quæ versantur in comertijs humanis,& sunt libera habent hanc cognitionem de futuris sub conditione, & illa est secundum quam se prudenter gerunt; ergo hæc scientia non est neganda Deo, sed illi est assignanda cum maiori perfectione: hæc enim scientia apud homines, & angelos est coniecturalis, at scientia Dei superat in infinitum scientiam creatam, & insuper omnem causam creatam etiam liberam comprehendit totaliter; ergo scientia, quæ apud creaturam est coniecturalis, apud Deum erit certissima,& infallibilissima.

Deum habere cognitionē futurorum sub conditione ante decretum. Ex his hucusque patet Deum cognoscere futura sub conditione,quæ tamen nunquam erunt,certò,& infallibiliter: reliquum est vt ostendamus, Deum ea cognoscere antecedenter ad decretum quodcunque conditionatum contra recentiores eos, quos supra adduximus.

1. Ratio. 46 Res tunc verè scitur quando scitur per causam, à qua habet verum esse,sed sic est quod futura sub conditione,quæ tamen non erunt verè sciuntur à Deo;ergo debent sciri per causam, à qua habent esse. Maior est euidens, minor est iam probata per rationes superius factas, & est concessa ab his aduersarijs: subsumo; sed futura conditionata contingentia habent esse solum à conditione posita in esse tanquam à causa sine qua non, à volontate creata tanquam à causa proxima, & à concursu generali Dei tanquam à causa prima, & non ab alio aliquo decreto conditionato diuinæ voluntatis; ergo Deus scit illa futura conditionata, non dependenter ab aliquo decreto conditionato,sed antecedenter ad illud. Assumptum probatur. Ad hoc vt voluntas creata ponat in esse futurum, quod pendet ex aliqua conditione, non est necesse, quod Deus decernat,quod adimpleta illa conditione,voluntas illud futurum ponat in esse; vt puta, quod si Tyrij, & Sydonij viderint miracula facta Iudeis consentiant in fidem Christi, sed voluntas ipsa posita conditione in esse, & stante concursu generali Dei potest se determinare ad actum consentiendi, & si se determinat ad consentiēdum,hoc facit ex sua liberalitate, non ex aliquo decreto Dei determinante voluntatem ad actum illum,vt putant aduersarij, quia tunc voluntas non liberè, & contingenter poneret in esse futurum illud, sed necessariò,& ita illud futurum non esset futurum contingens, sed futurum necessarium. Hoc argumentum certè est efficax,& conuincit aduersarios, & simul detegit causam erroris ipsorum: putant enim ipsi iuxta sua principia, quod voluntas creata adimpleta conditione non possit se determinare ad actum aliquem faciendum, sed necessarium esse decretum diuinæ voluntatis determinans ipsam ad talem actum; hoc autem est quod nos reijcimus, & contendimus esse falsum, quia dicimus voluntatem à nullo principio extrinseco determinari ad actum aliquem, quia tunc nō esset libera, vt ostendimus in disput. An voluntas sit nobilior intellectu cap. 12.& sequentibus. Cum ergo res cognoscatur per causas à quibus dependet, non autem per causas à quibus non dependet,& futurum sub conditione cognoscatur à Deo, vt fatentur aduersarij, debet cognosci per causas, à quibus dependet: at non dependet ab aliquo decreto conditionato,sed a conditione posita in esse tanquam à causa sine qua non,à voluntate, & à concursu generali Dei sufficienti, qui est præstò omnibus,sequitur,quod à Deo cognoscatur dependenter à conditione adimpleta, & à voluntate Dei,& à voluntate creata se determinante medio concursu generali ad actum illum non ab aliquo decreto conditionato Dei.

47 Confirmatur. Eo modo cognoscit Deus res possibiles, quæ tamen nunquam erunt, quomodo essent, si in aliqua differentia temporis ponerētur in esse; sed futurum sub conditione, quæ nunquam erit,est possibile, licet nunquam futurum sit; ergo cognoscitur à Deo eo modo, quo se haberet si in aliqua differentia temporis poneretur in esse: sed si futurum sub conditione,vt puta conuersio Tyriorum,& Sydoniorum poneretur in esse per miracula facta sibi, quæ facta sunt Iudeis non poneretur in esse per decretum conditionatum, quo Deus decreuisset factis illis miraculis Tyrios, & Sydonios debere conuerti, sed quia voluntates eorum excitatæ illis miraculis, cum adiutorio Dei se determinarent ad consensum in fidem Christi; ergo Deus cognoscit futurum illud sub conditione, vt est possibile tantum, & non positum in esse,nō dependenter ab aliquo decreto conditionato,sed quia præuidet ex infinitate sui intellectus, quod posita tali conditione in esse, & ipso Deo non denegante suum auxilium necessarium, voluntas se determinaret ad ponendum illud futurum in esse actu. Totum ergo fundamentum aduersariorum est, quod voluntas ex se non se determinet,sed determinetur à Deo: è conuerso nostrum fundamentum est,quod voluntas non determinetur ab exteriori principio, sed à semetipsa; quod ostendimus in disput. vtrum voluntas sit nobilior intellectu cap. 11. & inde; ideo hic non oportet ad hoc confirmandum aliud adducere: rationes enim probantes illud nostrum fundamentum destruunt fundamentum aduersariorum, quo euerso ruit hæc eorum assertio. Confirmatur.

48 Secundo cōfirmatur. Fatentur aduersarij,quod si voluntas creata posset se determinare ad aliquid faciendum sine decreto diuinæ voluntatis, vt puta si Tyrij factis miraculis apud eos, quæ facta sunt apud Iu- 2. Confirmatio.

deos

deos possent se cõuertere ad fidem Christi sine aliquo decreto Dei, quo factis miraculis prædictis de facto conuerterentur, quod illa eorum conuersio futura, adimpleta illa conditione, esset ens verè futurum, & scibile à Deo certò, quia haberet causam certam, à qua dependeret. Tunc sic arguo, at re vera posita illa conditione voluntas se potest determinare absque decreto nouo Dei, quo statuat, quod se determinet, quia si adsit concursus ordinarius Dei, regulariter ipsa semper se determinat in omnibus actionibus suis, quia est libera; ergo in isto quoque se determinare potest, & se determinaret, quia id prædixit Christus Dominus; ergo effectus proueniens ab illa nimirum cõuersio Tyriorum, & Sydoniorum est verè ens, & scibile Deo.

Obiectio. 49 Sed dicet aliquis determinatio voluntatis creatæ est impedibilis; ergo licet Deus præuideat voluntatem stante adimpletione conditionis decreuisse ponere in esse aliquod consequens: attamen non certò sciet illud esse futurum, quia poterit impediri; ergo requiritur decretum certum Dei statuens illud consequens infallibiliter futurum esse.

Solutio. Respondetur vt infra cap. sequenti ad primum argumentum aduersariorum dicam. In hac obiectione esse maximam deceptionem, sed pro nunc dico, quod iam diximus nos supponere, quod decretum diuinum sequatur, vel concomitetur determinationem voluntatis creatæ; stante autem concomitantia decreti diuini de volendo concurrere ad determinationem illam voluntatis creatæ, actus voluntatis creatæ non est impedibilis. Ideo præuidendo, quod voluntas creata posita tali conditione se determinabit ad hoc, si ipse Deus concurrat: & videns, quod vult concurrere cum illa; certò scit illud consequens fore futurum, quod ipsa decreuit ponere in esse; & hoc decretum subsequitur, vel saltem concomitatur, non præcedit, vt volebant aduersarij.

Rationes in oppositum soluuntur. Cap. III.

50 EX dictis facile est soluere rationes aduersariorum: Ideo pro intelligentia est notandũ, quod primum suppositum aduersariorum est diminutum: nã aliquod consequens certò, & infallibiliter potest ex aliquo antecedente tripliciter prouenire. Primo quando consequens prouenit ex antecedente consequentia necessaria. Secundo quando prouenit ex antecedente non ratione sui, neque necessaria consequentia, sed ratione alicuius concomitantis illud antecedens, vt in proposito est decretum voluntatis, sicut supra exponendo primum suppositũ primi argumẽti aduersariorum dictum est, & hucusque conuenimus cum aduersarijs. Tertio modo aliquod consequens potest prouenire ex antecedenti non naturali illatione, sed ratione alicuius concomitantis illud antecedens, sed illud cõcomitans non est voluntatis diuinæ decretum speciale conditionatum, quod aduersarij ponunt, sed decretum voluntatis creatæ cum omnibus requisitis generalibus ad hoc, vt possit agere, determinantis se, posito antecedente conditionato in esse, ad ponendum quoque consequens in esse; & hoc est in quo differimus ab aduersarijs, & est fundamentum positionis nostræ. Nam dicimus, quod voluntas creata cum concursu generali Dei requisito ad quamcunque actionem causæ secundæ potest se determinare, posito aliquo antecedente in esse ad ponendum consequens: & ita facto illo decreto, & concurrente adiutorio necessario Dei, illud consequens habebit esse infallibiliter, licet contingenter. Et hoc modo habent esse certum omnia futura contingentia. Exemplum in hac propositione, si rogabis pro me Regem dabo tibi equum, hoc consequens, dabo tibi equum, non deducitur ex antecedenti illatione naturali, neque necessaria, neque ex decreto Dei conditionato, quod adimpleta conditione ego dem equum; sed ex decreto meæ voluntatis se determinantis ad ponendum hoc consequens in esse posito antecedente. Facta ergo illa determinatione à mea voluntate, & posito illo antecedente conditinato in esse, sequitur illud consequens infallibiliter, & certò, licet contingenter.

51 Sed dices, non potest sciri certò illud consequẽs futurum, quia voluntas creata potest impediri ab executione, & positione in esse illius consequentis, ideo requiritur decretum Dei, ne impediatur ab executione suæ determinationis, & possit ponere in esse illud consequens. Obiectio notanda.

52 Respondetur primo, hoc argumentum supponere, quod operationes, & determinationes voluntatis nostræ, vt sunt in conspectu Dei, habeant futurum, & præteritum, vt habent apud nos; quod tamen est falsum, quia vt sunt præsentes Deo sunt in nunc æternitatis, quod semper est præsens; ideo Deus videt voluntatem quatenus actu determinat se ad ponendum in esse illud consequens, non quatenus præcedit illũ tempore aliquo, in quo posita possit impediri ab exequutione: & hoc est causa deceptionis magnę in hac materia de concordia, vt sequenti disputatione videbimus. Solutio notanda.

Secundo dico, quod voluntas creata non potest impediri, quia supponimus, quod decretum diuinũ concurrendi cum ipsa voluntate ad ponendum illud consequens in esse concomitetur determinationẽ voluntatis creatæ (non autem præcedat, nec determinet ipsam voluntatẽ, vt aduersarij dicebant) stante autem concomitantia talis decreti, actus voluntatis est inimpedibilis, & consequenter est certò scibilis, sicut actus futurorum absolutorum vigore decreti diuini est certò, & infallibiliter scibile à Deo. Secunda responsio.

53 Hinc ad primum argumentum negatur minor, ad probationem dicitur falsum esse illud futurum sub conditione habere esse à decreto diuino antecedente determinationem voluntatis creatæ, & concomitante illud antecedens; sed dicimus illud consequens habere esse ab antecedente tanquam à causa sine qua non, à voluntate creata verò tanquam à causa proxima se determinante, & à concursu diuino, sine à decreto Dei de concurrendo suo auxilio ad illam determinationẽ, & causationem consequentis, concomitanter, vel subsequenter, non antecedenter ad determinationem voluntatis creatæ. Peccat ergo minor ab insufficienti enumeratione causarum à quibus aliquod consequens pendet in esse. Ad primũ argum.

54 Ad secundum argumentum, quod est, vt diximus, principale fundamentum aduersariorum, facillima est solutio, quam Scotus iam ante adduxit in 2. sentent. dist. 25. in responsione ad vltimum argumentum principale, quod est argumẽtum istud aduersariorum in propria forma, & quod etiam soluimus in disput. an voluntas sit nobilior intellectu cap. 13. ad primum. Respondetur ergo ad argumentum ex Scoto, quod forma, quæ est in potentia contradictionis ad opposita, & indeterminata, est duplex. Alia est diminuta, & imperfecta quantum ad hoc, quod non potest se determinare ad alterum contrariorum, & oppositorum, sed vtrumque equaliter respicit; vt scientia intellectus, & huiusmodi. Vnde Arist. 9. Meth. tex. 10. vult quod si huiusmodi potentia procederet ad producendum actum ex se, & à nullo alio determinante, determinaretur ad alterum oppositum, simul produceret opposita; quod quia est impossibile, necesse est ponere aliud principium quod illam determinet. Alia verò est forma indeterminata, quæ est potentia ad opposita, & ad contraria, sed perfecta, & non diminuta, præsentato sibi obiecto, cuiusmodi est voluntas; & ista potest se determinare ad alterum oppositorum, & etiam potest determinare alia. Vnde Aristot. 9. Meth. loco citato Ad 2. arg. qđ est principale fundamentum aduersariorum.

dixit

dixit voluntatem, quam ibi pro hæresim appellat, esse principium determinatiuum potentiarum indeterminatarum. Ratio ergo Auerois, & D. Tho. currit de potentia indeterminata imperfecta, non de potentia indeterminata perfecta, cuiusmodi est voluntas creata. Imò Scotus in eadem dist. 25. §. *Contra conclusionem*, versiculo, *Quod etiam dixerunt, quod libertas attenditur in voluntate*, &c. (quod est extra quoddam additum) multis rationibus probat voluntatis libertatem non posse saluari, dicendo, quod ipsa præcisè se determinet quo ad actus sequentes ad primum, & quia determinet intellectum ad hoc aut illud cõsiderandum, nisi etiam dicamus eam esse liberam, & omnino determinare se in omnibus actibus etiam primis, quæ non adduco, quia in littera Scoti elata sunt.

Ad tertiũ. 55 Ad tertium argumentum dimissis aliorum varijs responsionibus. Ego puto, argumentũ multipliciter posse solui. Primo negatur antecedens, scilicet quod data hipotesi, quod Deus vellet creare alium mundum, non sciret quot numero Angelos esset creaturus ante decretum de creando eos tot numero: ratio est, quia data illa hipotesi quod Deus vellet creare alium mundum, necessariò consequitur, vt etiam certũ numerum angelorum esset creaturus, vt puta mille; ergo ista propositio in se esset vera, data illa hipotesi, quod Deus esset creaturus alium mundum, Deus crearet mille angelos. Consequentia probatur, quia re vera data illa hipotesi Deus creabit mille angelos; ergo illa propositio in se est vera, licet non sit determinata, quia voluntas diuina ante decretum factum de creando mille angelos posset determinare creare alium numerum angelorum; verum autem in se est semper verum circumscripta differentia temporis, sicut falsum in se est semper falsum circumscripta differentia temporis; verum autem omne est scibile à Deo in se propter infinitatem sui intellectus, quia est ens verum; ergo numerus determinatus angelorum, data hipotesi, quod alium mundum crearet, esset certus intellectui diuino, antequam voluntas diuina decerneret creare illum numerum præfixum. Dices ergo Deus sciet certò numerum angelorum creandum, antequam voluntas diuina decernat illum numerum certum: hoc autem est falsum, quia effectus esset determinatus, antequam causa, à qua dependet, esset determinata ad illum producendum, quod repugnat rationi formali causæ & effectus. Respondetur quod data hipotesi quod Deus esset creaturus alium mundum, ad illum sequitur hoc, quod etiã esset creaturus certum numerum angelorum ex decreto diuinæ voluntatis, vnde præuidens Deus illum certum numerum angelorum, vt puta mille, futurum, prçuidet etiam voluntatem suam diuinam se fore determinaturam creare talem numerum. Vnde licet in diuino intellectu, & voluntate non sint ista instantia diuersa temporis: tamen ex quo ponimus hæc instantia rationis per nostrum modum intelligẽdi cogimur intelligere diuinam voluntatem, & intellectum circa illa se habere, ac si re vera illa instantia essent ibi in tempore; & ideo possumus imaginari intellectum præuidere decretum diuinæ voluntatis, antequam actu ponatur in actu, & vt est futurũ, sicut imaginamur, quod in vno instanti Deus decernat mundum creare: deinde decernat certum numerũ angelorum creare. Ideo hoc argumentum nihil officit scientię futurorum contingentium prçcedenti decretum Dei conditionatum. Præterea possumus dicere, quod cognosceret numerum angelorum creandorũ certò, quia diximus supra Deum ita cognoscere possibilia non futura, quo ad esse possibile, quam quo ad esse futurum, quia nõ proficit in cognitione sua, vt dictum est capite præcedenti.

2. Responsio. 56 Secundo possumus respondere negando consequentiã. Ad probationem respondetur, quod futurũ illud conditionatum, de quo est sermo in antecedente alio modo habet esse, quam futurum conditionatum, de quo nos statuimus esse scientiã conditionatam: nã futurũ illud, quis nam esset certus numerus angelorũ, si Deus crearet alium mundum, totaliter pendet à solo decreto diuinę voluntatis, quod nullum est, in illo priori signo, in quo ponitur Deus decernere velle creare alium mundum: ideo illud futurum non est ens verè futurum, neque ideo est scibile in illo signo à Deo, scilicet ante illud decretum diuinæ voluntatis. At futurum conditionatum, de quo nos ponimus dari scientiam in Deo pendet à determinatione voluntatis creatæ, concurrente etiam decreto Dei, sequente ipsam determinationem voluntatis creatæ, præuisam: non autem à decreto aliquo subsequente conditionem positam in esse, sed præcedente determinationem voluntatis creatæ, vt volunt aduersarij, vt supra ostendimus: hæc autem determinatio voluntatis creatę, vt præuisa, præcedit ipsum futurum, & propter hoc potest cognosci à Deo, vt supra diximus: Ideo Deus potest præscire certò hoc futurum conditionatum, quod pendet à voluntate creata, de quo nos loquimur, non illud quod pendet à solo decreto Dei, de quo est sermo in antecedente. Et confirmatur, quia nos dicimus, quod Deus potest præuidere, quod voluntas Tyriorum, & Sydoniorum factis miraculis apud eos, quæ facta fuerunt apud Iudeos, se determinabit ad conuertendum se ad fidem Christi: dummodo ipse Deus non defficiat suo auxilio; cognita autem hac futura determinatione, & decreto diuino, quod concurret suo auxilio, cognoscit certò futuram esse conuersionem Iudeorum, quia conuersio pendet ab illa determinatione, & decreto sequente vt a causa; cognita autem causa cognoscitur effectus. At data hac hipotesi, quod Deus in vno signo æternitatis decerneret creare alium mundum, & nihil de numero angelorum decerneret, in illo signo priori non posset Deus cognoscere numerum illum determinatum; quia causa illius, quæ est determinatio, siue decretum diuinæ voluntatis, quod tot numero creentur non est posita in esse, neque præuidetur vt futura: ideo non potest cognosci effectus proueniens ab illa: ita decretum, quod ponunt aduersarij est diuersum à decreto, quod nos ponimus, vt declarauimus. Cæterum hæc argumenta procedunt ex falsa imaginatione, quod actiones Dei habeant præteritum, & futurum, quæ est omnino falsa, vt infra explicando opinionem Scoti circa concordiam; ideo pro nunc hæ responsiones sufficiant.

57 Ad quartum. Respondetur proculdubio hanc scientiam esse vtilem ad concordiam diuinę prædestinationis prouidentiæ Dei, & efficaciæ gratiæ cum voluntatis creatæ libertate; non tñ esse necessariam; quia modus dicẽdi Scoti est planior, & verior, vt infra dicemus, q̃ modus dicendi aduersariorum, (& ẽt aliorum, qui hac sola scientia cõditionata putant saluare omnia saluanda in hac materia; vt ostendam disp. sequenti,) quia aufert contingentiam vt supra diximus. Ad probationem respondetur, quod determinatio libertatis tandem reducitur ad obiectum motiuum tanquam à causa sine qua non, & ad ipsam voluntatem partialiter, & minus principaliter seipsam determinantem, & ad Deum ipsum adiuuantem, & principaliter non totaliter ipsam determinantem sua gratia, & adiutorio, vt superiori disputatione diximus; neque hoc est inconueniens, sed maximè consonum doctrinę Patrum, & D. Augustini. Ad quartũ.

58 Ad quintam respondetur negando falsitatem consequentis, nã vt ostendemus infra in disputatione de prædestinatione, verissimũ est merita gratiæ præuisa esse causam prædestinationis ad gloriam. Ad quintã.

59 Ad sextum pro nunc respondetur, quod & si determinatio voluntatis creatæ nuda sit impedibilis, & non sit certò futura; tamen stante decreto sequente Ad sextũ.

diuinæ

diuinæ voluntatis cōcurrendi cum voluntate creata ad illum effectum, illa determinatio est certa, & infallibilis, licet sit contingens, quia scilicet ipsa se determinauit ad illum efficiendū, & nō ab alio fuit determinata.

Ad primā confirmationem.

60 Ad primam cōfirmationem respondetur ad minorem, quod decretum diuinæ voluntatis est prima causa vt omnia sint, at non eodem modo. Vnde respondetur, quod hoc decretum esse causam rerum potest duobus modis intelligi, vno modo quod sit causa antecedens, & determinans voluntatem ad aliquid agendum, vt aduersarij tenent: & hoc modo est verum respectu omnium rerum, quæ non pendent à voluntate creata: at de his, quæ pendent à volontate creata, est falsum. Alio modo, vt sit subsequēs determinationem voluntatis creatæ: & hoc modo dicimus, quod est causa vniuersalis rerum contingentium, & quod res futuræ cognosci non possunt, nisi cognito hoc decreto, & sic nobis nihil obest.

Ad secundā confir.

61 Ad secundam confirmationem respōdetur per idem: nam futurum contingens, tam absolutū, quam conditionatum pendere à decreto Dei potest intelligi duobus modis: vno modo quod pēdeat à decreto Dei antecedente determinationem voluntatis creatæ, & de hoc decreto procedit argumentum, & hoc modo negatur vtrumque futurum pendere à decreto Dei: alio modo quod pendeat à decreto diuinę voluntatis, non antecedente, sed sequente determinationem voluntatis creatæ præuisam, & hoc modo concedimus; & hoc non tollit scientiam conditionatam, sed eam confirmat, vt patet ex dictis supra. Exemplum de futuro contingenti absoluto. Non ideo cras legā, quia Deus decreuit, ac determinauit meam voluntatem ad legendū cras; sed pręuidit Deus, quod ego sum cras lecturus, si ipse præbeat suum concursum; & Deus decreuit concurre cū mea voluntate suo concursu ad legendū cras: ideo cras legā certò. Et Deus hoc scit certò, quia videt decretum suæ voluntatis de concurrendo mecum cras ad legendum. Cum autem hoc decretum non antecedat determinationem meæ voluntatis, non aufert libertatem eius. Exemplum in futuro contingenti conditionato. Non ideo Tyrij, & Sydonij factis miraculis apud eos, quæ facta sunt Iudeis, credidissent in Christum, quia Deus decreuisset, quod factis illis miraculis ipsi conuerterentur, vt aiunt aduersarij: sed quia præuidit Deus, quod si fierent miracula illa apud eos, voluntates eorum se conuertissent, si Deus dedisset auxilium, & concursum suum necessarium: positis enim miraculis, & præuisione, quod voluntates Tyriorum, & Sydoniorum factis miraculis conuerterentur, & posito decreto Dei, quod positis illis miraculis vellet concurrere cum eorum voluntatibus ad conuersionem, sequitur illud futurum conditionatum habiturum fore esse infallibiliter. Licet postea actu non ponatur in esse, quia conditio non ponitur in esse. Pendet ergo hoc futurum contingens cōditionatum à decreto Dei, non antecedente, & prædeterminante voluntatē creatam, vt posita conditione hoc faciat, sed sequitur determinationem præuisam voluntatis creatæ, quam suo auxilio, posita illa conditione, decreuit adiuuare vt habeat effectum.

Ad tertiam confir.

62 Ad tertiam confirmationē respondetur per idē; nam concedimus, quod futurum conditionatū adimpleta conditione transit in futurum absolutū, sed nego consequentiā, & dico quod pendebit à decreto diuinæ voluntatis, non antecedente, sed subsequente præuisionem determinationis voluntatis createę, vt dictum est.

Ad septimā rationem.

63 Ad septimam rationem negatur consequentia. Ad primam probationem respondeo, Deum quidem non efficere actus liberos se solo, sed præuidere, quid ipsa voluntas creata libera sit volitura, & tunc cum ea concurrere, vt dicemus infra disputatione de concursu causæ primæ cum secunda; immo hoc est necessarium, data hac hipotesi, quod Deus velit arbitrium humanum, & angelicum esse liberum: non tamen propter hoc sequitur, quin Deus sit prima causa: quia ipse præuiso quod voluntas sit volitura in actuali effectione, postea præsto est ad illum effectum producendum simul cum voluntate ipsa, & prius natura, & perfectione; licet non tempore cum illa operetur in suo genere, & in operibus gratiæ ipse præuenit, & vocat; concurrente autem causa secunda libera sequitur effectus, sin minus non sequitur effectus, vt ibi dictum est, & sic patet non auferri à Deo primam causalitatem, quoniam in actuali productione rei semper vt prima causa agit, vt expositum est. Cum autem arguitur, quia tunc verę essent illæ propositiones, quia facturus erat homo, facit Deus, &c. concedo illas ꝓpositiones esse veras de actionibus liberis, quia facturus erat homo, facit Deus &c. seruata enim libertate hominis, aliter fieri non potest, & sic illud consequens non est falsum, sed verum. Ad primam rationem probantem consequens illud esse falsum desumptum ex auctoritate D. August. primo de Prædestinatione Sanctorum, concedo verum esse D. Aug. reprobare illas propositiones, quia facit homo, ideo facit Deus &c. sed eas reprobat in alio sensu, ac nos illas intelligamus; reprobat enim illas in sensu Pelagianorum: dicebant enim Pelagiani homines suis viribus facere bonum, & ideo Deum illis dare præmiū, & alia dona, quia prius homines operabātur bonum; at contra ait D. August. res se habet: si enim homines faciunt bonum, hoc euenit quia Deus facit, vt illi hoc faciant. Et verba D. August. hæc sunt: *Quia & si faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illa faciant quæ præcepit; non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit*. Intendit ergo ibi D. August. aduersus Pelagianos probare gratiam Dei esse priorē, & ipsam esse causam operationis bonæ, at nos non loquimur in sensu Pelagianorum; concedimus enim esse necessariam gratiam, & illam esse priorem, sed dicimus Deum concurrere, & operari nobiscum, quia pręuidit, quod nos gratia, & auxilio eius pręueniente adiuti sumus, hoc & illud bonū operaturi; & in alijs actionibus naturalibus liberis ideo cōcurrere, quia pręuidet liberam nostram voluntatem hoc, & illud esse volituram, & in tempore actualiter concurrere cum nostra voluntate, quia illa vult hoc agere nō illud, quod non repugnat D. August.

64 Ad aliam probationem ex eodem libro cap. 14. notandum est textum D. August. impressum Venetijs 1570. legere sic. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius; dictum est enim secundum pericula vitæ huius, non secundum præscientiam Dei, qui hoc præsciuit, quod futurum non erat, idest quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraheretur incerto, non quod peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset*. Si autem hæc est legitima lectio textus, non habetur ex hoc loco Deum præscire solū id, quod futurum est, nō autem id quod non est futurum. Sed sensus est hic. Hoc assertum. *Raptus est ne malitia mutaret illum*. Dictum est secundum pericula huius vitæ, secundum quæ poterat peccare: non autem secundum præscientiam Dei, secundum quam præsciebat non esse peccatum (quia præsciebat se mortē immaturam ei largiturum, vt tētationum subtraheretur incertò) non autem præsciebat, quod esset peccaturus, quia mansurus in tentationibus non erat. Vult ergo dicere D. Augustinus, quod Deus per præscientiam suam præsciuit quod non erat futurum, idest quod non erat peccaturus: nō autem præsciuit quod esset peccaturus, quia hoc non erat futurum, siquidem non erat permansurus in tentationibus. Vnde cum hic sensus sit valdè consonus literæ non est ambigendū hanc esse lectionem veram textus D. Augustini; ergo hæc auctoritas facit pro nobis, quia ex illa habemus Deum præscire non futura. Hæc auctoritas facit pro nobis.

tura. Imò ex hoc loco, & ex dictis ibi à D. August. in capitibus superioribus, & inferioribus habemus argumentum validum pro nobis. Nam ibi disputat contra Semipelagianos, qui dicebant, quod pueri, qui decedunt sine baptismo, ideo sic decedunt, quia præuidit quod si vixissent peccauissent. D. August. autem hanc opinionem confutat hac ratione: quia nemo punitur propter peccata, quæ non fecit, sed esset facturus. Tunc sic arguo: at si D. August. nō admitteret scientiam istam mediam debuisset negare, quod Deus præuideret, quod si pueri illi superuixissent, peccassent, at non negat; illa autem est scientia, de qua disputamus; ergo secundum D. August. hæc scientia datur. Et confirmatur, quia D. August. non potest dicere, Deum præscire tantum futura, non autem ea, quæ non sunt futura, quia sic negaret Deum præscire possibilia nunquam futura, quod esset negare scientiam simplicis intelligentiæ in Deo, quod est contra omnes Theologos, & contra eundem D. August. qui insuper concedit in Deo cognitionem futurorum sub conditione, quæ nunquam erunt, vt ex eo supra ostendimus. Vnde dato, quod textus meus sit corruptus, & vera lectio sit ea, quam adducit Vasquez disput. 67. cap. 1. quæ est: *Qui hoc præsciuit, quod futurum erat, non quod futurum non erat. Idest quod ei mortem* &c. Omnino est exponendus D. August. vt intelligat, Deum secundum suam præscientiam nouisse, quod futurum erat scilicet ei mortem immaturam se illaturum, non autem quod non erat futurum: idest ei hanc mortē illaturum, ne peccaret; quia causa, propter quam mortem immaturam ei intulit, nō est, ne peccaret, sed ne subijceretur periculis huius vitæ: ideo causa mortis non fuit præscientia, quod peccaret, quia non erat peccaturus, & consequenter hoc non potuit præsciri à Deo, quia præsciuisset falsum. Non tamen propter hoc D. August. vult negare, quod Deus præsciuerit, an si mortuus non fuisset, peccasset, vel non peccasset; sed solum vult negare, quod de facto non præsciuit eum peccaturum fore, quia re vera non erat peccaturus, & ideo non intulit ei immaturam mortem propter hoc, quia præuidit eum peccaturum, si vixisset, vt dicebant aduersarij, sed intulit ei mortem immaturam, vt subtraheretur periculis huius vitæ. Alij alias responsiones afferunt, quæ apud eos videri possunt.

65 Ad aliam probationem ex vera Philosophia, quę illas propositiones damnat ex nomine primæ causæ, secundæ causæ &c. patet ex dictis nunc supra ad primam probationem illius consequentiæ, non tolli propter hoc Deum esse causam primam, & creaturam esse causam secundam.

Ad octauā. 66 Ad octauam respondetur non esse inconueniens ponere in Deo aliquam scientiam pendere à rebus modo exposito: stāte enim hypotesi, quod Deus velit seruare liberam volūtatem creatam, necesse est dicere, quod in liberis rebus decernendis sequatur voluntatem creatam eo modo, quo sępius expositum est. Hæc tamen scientia quoque potest dici absoluta, & independens, quatenus eam non acquirit Deus ex rebus ipsis in se existentibus, vt obiectis diuinę voluntatis, sed eas nosc it virtute diuinæ essentię, sicut omnia alia: & sic est absoluta, & independens à rebus.

Ad nonam rationem. 67 Ad primam auctoritatem respondetur, auctoritatem illam, Deus operatur omnia secundum cōsilium voluntatis suæ, non debere sic intelligi, vt Deus operetur omnia secundum voluntatem suam, exclusa diuina sapientia, operatur enim omnia Deus secundum suam infinitam sapientiam: neque est intelligenda, vt Deus operetur omnia secundum scientiam, & sapientiam, exclusa libertate diuinæ voluntatis, quia Deus ad extra operatur omnia liberè, & contingenter; sed est intelligenda, vt Deus operetur omnia secundum consilium sibi beneplacitum, & à se acceptum: nihil enim fit ad extra, quod non fiat, quia Deo placuit, & bonum esse secundum suam sapiētiam iudicauit; etiam permissio malorum: at ex hoc nō colligitur, quod Deus operetur ea, quæ pertinent ad liberum arbitrium nostrum absque eo, quod præuideat illud illa esse voliturum, sed potius confirmatur sententia nostra: quia enim Deus secundū consilium suum, & æternam suam sapientiam cognouit bonum esse, hominem liberum operari, volūtas diuina sibi complacuit cooperari cum voluntate libera ad illas operationes, quas præuidit esse volituram, etiam malas permittendo: quia ex malo elicit deinde bonum. Quando ergo aliquis operatur libere aliquod bonū, & Deus cum eo concurrit, etiam Deus operatur secundum consilium voluntatis suæ, quia nisi iudicaret illud esse bonum, & illud nō placeret diuinæ voluntati suæ, non concurreret cum libero arbitrio, neque illud fieret: at quia sibi placet, illud fit. Hæc ergo auctoritas non est contra nos, sed est pro nobis.

68 Ad aliam respondetur pro tanto Deū preparasse nobis bona opera, quia gratia sua nos pręuenit, & adiuuat, vt bona opera efficiamus, vt diximus in materia de prædestinatione: at non ob hoc sequitur, quin detur hęc scientia conditionata, vt patet: neque enim certò decernit Deus nos facturos hoc, vel illud opus bonum absolutè sine consensu nostro; sed quia præuidet nos eius auxilio, & vocationi consensuros: ideo decernit certò, & efficacter ista opera bona esse futura.

69 Ad aliam respondetur, sensum illius auctoritatis esse, quicquid fit ad extra fieri ex beneplacito diuinę voluntatis, quod nos concedimus: at ex hoc non sequitur, Deum non cognoscere futura, quæ cadunt sub conditione, quæ tamen non erunt, neque sequitur Deum non operari, & concurrere cum voluntate nostra ad actiones liberas, quas præscit ipsam esse volituram, quia etiā illa opera fiunt, quia adest beneplacitum Dei.

70 Ad aliam auctoritatem respondent, hanc auctoritatem asserere Deum non inferre vim libero arbitrio, sed suauiter illum mouere, & fortiter. Ex hoc autem corroboratur opinio nostra: nam sequitur Deum necessariò debere præscire, quæ media sint apta ad ipsum eliciendum, vt liberè faciat id, quod Deus vult: & sic datur scientia cōditionata. Deinde possumus dicere, quod Deus attingit omnia à fine vsque ad finem fortiter, & suauiter, quia absque eo, quod vim inferat libero arbitrio creato, sed illi se accomodans, nihilominus omnia perducit in finem suum fortiter, quia facto decreto nulla virtus est, quæ ei resistere possit: suauiter verò, quia in faciendo decreto de actibus liberis creatis, non infert vim, nec aufert libertatem creatam, sed illam seruans; quia videt quid volitura sit, vniuersa omnia ad suum finem perducit.

71 Ad decimam negatur, hanc scientiam conditionatam esse nouam, est enim antiqua, quia continetur sub scientia simplicis intelligentiæ, vt diximus, vel vt alij volunt sub scientia visionis: neque est incognita Sanctis Patribus, sed præsertim D. Augustino optimè nota, vt supra secundo cap. probauimus, & est ea vsus D. Augustinus quando tractabat quæstionem, quam tractamus nos, scilicet quomodo præscientia Dei, & eius prędestinatio stet simul cum libero arbitrio nostro, vt ostendemus in disputatione de prædestinatione. In libris etiam contra Pelagianos eadem vsus est, quando opus fuit, neque enim ea vti ibi semper debebat, quia non disputabat cū Pelagianis de concordia liberi arbitrij cum diuinæ voluntatis infallibilitate; sed an gratia præueniens esset necessaria ad operandum bonum, quæ est alia disputatio. Ad decimā.

72 Ad vndecimam respondetur, hęc futura sub conditione, quæ nunquam existent cognosci in se ipsis, sicut futura contingentia absoluta cognoscuntur antequam fiunt: sicut enim Deus altissimo suo intellectu, & essentia sua cognoscit, quid voluntas mea sit volitura tali die, ita etiam cognoscit, quid esset volitura si haberet talem, & talem cōditionem eo tempore, licet illud de facto non Ad vndecimam.

voluerit, quia non reducetur ad actum: & hoc cognoscit in seipso, quia essentia diuina repræsentat illud eo modo, quo esset, quia repręsentat ordinem actualem, quem tunc baberet ad causas suas, & sic actualis existenna quā haberet tepręsentatur Deo, atque per inde illam cognoscit in se. Sed contra futura absoluta ideo repræsentantur ab essentia diuina, quia per decretum diuinæ voluntatis babent esse; at nos excludimus decretum diuinę voluntatis ab his futuris sub conditione; ergo. Respondetur, nos excludere decretum absolutum præcedens, sed admittemus decretum conditionatum Dei sequens, vt dictum est. Nam sicut essentia diuina cum intellectu habito decreto diuinæ voluntatis absoluto, repræsentat res futuras in esse: ita babito decreto diuinæ voluntatis sequente conditionato, quod explicatur per hæc verba; si concurrerit diuina voluntas hoc erit: essentia diuina cum intellectu diuino facit illud futurum conditionatum habere esse nedum verè, & scibile eo modo, quo possibilia non futura ab intellectu diuino cognoscuntur scientia naturali, seu simplicis intelligentiæ, vt dictum est; sed æquè certum, & scibile sicut sunt illa, quæ sciuntur à Deo scientia visionis, & pendent à sola voluntate diuina. Et ratio est, quia in scientia diuina non est discursus, neque vnum est magis notum altero, sed omnia sunt equè nota propter infinitatem illius scientiæ.

Ad duodecimam.

73 Ad duodecimam aliqui negant Deum posse cognoscere illas conditionales, quæ inter se nexum non habent, cuiusmodi sunt duæ illæ adductæ in argumento, quia antecedēs nullo modo conducit ad esse consequentis, & proinde non potest esse causa cognitionis illius, quia vna ad alteram nullum habet ordinem, vel relationem: tamen melius est dicendum Deum omnes illas cognoscere, quia illas non cognoscit eo, quia vna pendet ab alia; sed illas cognoscit in se ipsis, quia simul coexisterent sicut modo cognoscit, quod eo die, quo Petrus peccabit, Ioannes pęnitentiam aget, & tamen istæ non habent inter se connexionem, nec relationem.

Ad decimā tertiam.

74 Ad decimamtertiam. Hoc argumentū magis valet contra aduersarios, quam contra nos, vt videbimus in disputatione de prædestinatione, quia volunt Deum dare gratiam efficacem quibus placet, alijs verò nequaquam, illa autem ablata nullus saluus fieri potest, sed damnatur infallibiliter: at secundum nos hoc non sequitur, quia tenemus Deum dare omnibus sufficientia auxilia, & velle omnes saluos fieri: vnde si cum auxilijs limitatis, tamen sufficientibus non saluantur, culpa est eorū, non Dei: cur autem Deus creauerit eos, quos præsciuit damnandos fore, est quæstio communis omnibus, ad quam D. Thom. respondet, vt iustitia, & misericordia Dei appareat. D. Bonauent. in 2. dist. 32. art. 3. quæst. 2. in responsione ad vltimum ait in creatione mundi, & creaturarum plus auendi ordinem diuinæ sapientiæ quam ordinem pietatis, vel iustitiæ. Diuina autem sapientia nouit bonum esse sic creare creaturas, vt aliquæ essent beatæ, & aliquæ damnatæ; quæ tamen non damnarentur ex culpa Dei, sed propria. Et aliæ multæ rationes, & congruentiæ adduci possunt, quas omitto: quia hoc pertinet ad illud. *O altitudo sapientiæ, & scientiæ Dei* &c.

Ad decimā quartam.

75 Ad decimamquartam respondetur, quod sunt vera. Ad rationem cōtra hoc dico, quod non solum illud, quod est futurum est verum, sed etiam illud quod est possibile licet nunquam sit habiturum existentiam actualem, alioquin possibilia quæ pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ non essent vera, sed falsa, quia nunquam erunt. Quod enim est possibile non fugit rationem entis; ens enim aliud est possibile, siue in potentia, aliud in actu; & vtrumque est ens, & consequenter est verum, & intelligibile vt patet.

DISTINCTIO XL.

Quæstio Prima.

DISPVTATIO LVI.

An prędestinatus possit damnari, & quomodo concordare possimus prædestinationem, prouidentiam, & præscientiam cum libero arbitrio, & respondere valeamus argumentis hęreticorum.

Argumenta quæ probare videntur prædestinationem, prouidentiam, & præscientiam auferre libertatem, & contingentiam adducuntur, & aliorum responsiones reijciuntur. Caput Primum.

1 INter omnes quæstiones, quas Scotus tractat, hæc quanto est breuior, tanto est profundior, & excellentior omnibus alijs. In hac enim clarissimè aperit quomodo pędestinatio Dei concordetur cum libero arbitrio, neque eius libertatem ledat. Ex quo consequenter elicere possumus concordiam diuinæ prouidentiæ, & præscientiæ cum eadem libertate liberi arbitrij, quæ res est adeo difficilis, vt semper omnes & perspicacissimos intellectus perturbauerit. Vt autem ordinatè procedamus; primo proponam obiectiones, & argumenta, quę probare videntur prędestinationem, prouidentiam, & præscientiam auferre libertatem, & contingentiam rerum. Et responsiones aliorum, quæ minimè satisfaciunt; deinde opinionem Scoti aperiam & confirmabo. Tandem obiectiones quasdam recentiorum contra Scotum adducam, & soluam, ex quibus apparebit quid sit dicendum de alijs opinionibus.

a Quantum ad primum difficillima semper fuit etiā apud Phylosophos quæstio hæc quomodo simul manere possit diuina prouidentia circa res humanas, & contingētes, & contingentia in ipsis rebus, ac libertas in hominis voluntate circa actiones humanas, atque adeo vt ea superati aliqui dixerint fato omnia euenire, & nullam contingentiā in rebus dari, vt Stoici de quibus meminet D. August. lib. 5. de ciuitate Dei cap. 8. quos postea secuti sunt varij hęretici de quibus Alphonsus de Castro aduersus hæreses verbo, fatum, & inter alios Ioannes Vvicleph, Luterus, Caluinus, vt patet ex scribentibus aduersus eos: omnes enim isti dicunt voluntatem humanam necessariò agere quæcunque agit necessitate prouenientе ex principio extrinseco, quod fatum appellabant, licet postea inter se diuisi fuerint intelligentes alij per fatum seriem causarum omnium, & concursum stellarum, à quibus omnia necessariò euenire dicebant; alij per fatum intelligentes voluntatem diuinam determinantem omnes causas secundas necessariò efficere quoscunque effectus, quos faciunt, vt diximus in primo disput. 53. alij in alio extremo concesserunt dari contingentiam in rebus; sed negauerunt Dei prouidentiā circa res particulares, quantumuis minimas: & hæc opinio fuit primum Ciceronis, vt habet D. August. 5. de ciuitate Dei cap. 9. & Aristot. qui præsertim 12. Metheor. tex. 37. asserit Deum mouere primum Mobile, & alia per illum; & eodem lib. tex. 51. asserit inconueniens esse Deum omnia videre, & intelligere, quia inquit quædā melius est scire, quam ignorare: vnde vilesceret intellectus Dei si illa cognosceret. Scio aliquos vt Picum Mirandulanum lib. 4. contra Astrologos cap. 3. (de qua re aliàs) velle deffendere Aristotelem; sed re vera ipse fuit huius opinionis. Ratio omnium istorum videtur esse, quoniam non potuerunt intelligere quomodo Deus determinet omnia ab æterno ad suos fines, & tamen hæc fiant contingenter à voluntate nostra: ideo noluerunt vtrumque simul ponere; sed in alteram partem declinabant.

nabant. Vtrumque tamen assertum est erroneum, & damnatum secundum fidem catholicam, vt diximus in 1 disput. 53. & alibi. Cum ergo vtrumque istorum sit de fide, s. Deum habere prouidentiam omnium rerum, ne dum in vniuersali sed etiam in particulari, & insuper habere scientiam infallibilem omnium rerum, ac homines omnes angelosque prædestinare ad gloriam æternam, vel reprobare, & damnare in æternum; & ex altera parte sit etiam de fide, dari contingentiam in rebus, & hominem esse liberum in suis actionibus, Theologi laborant quomodo declarent, hæc stare simul. Hoc autem faciunt soluendo argumenta ex præscientia, prouidentia, & prædestinatione ducta quæ videntur tollere contingentiam, quæ si nos rectè soluere valebimus, & solutione quietante intellectum, & auferente omnē ambiguitatem, & veram cōcordiam adinuenerimus, nō parum fecisse videbimur. Hoc autem ex doctrina Scoti dante Deo me præstaturum puto.

Argumēta quę faciunt difficultatē in hac materia.

3 Argumenta ergo, quæ faciunt difficultatem in hac re, & quæ hæretici nostrorum temporum, & ante eos Vviclephus libenter amplectuntur, vt sternant libertatem peccato; & quæ iā diù à Scolasticis adducta fuerunt sunt præsertim tria. Primum adducitur à D. Thom. p. p. q. 14. art. 13. & est secundum principale. A Scoto primo sententiarum, dist. 39. quæst. 5. & ab alijs Theologis in eodem 1. d. 38. & est illud: omne quod est scitū à Deo esse futurum necessariò erit; sed Deus sciuit Petrum peccaturū; ergo Petrus necessariò peccabit: maior, in qua est tota difficultas, probatur, quia ad oppositū sequitur quod Deus sciret falsum, vel falleretur; ergo quod scitur à Deo necessariò est futurum. Communior responsio, quæ est Thomistarum loco citato, vt diximus in 1. disp. 54. cap. 6. est, quod illud, quod scitur à Deo, vt quod Petrus peccabit, esse necessarium: potest intelligi duobus modis, vno modo in se, alio modo vt subest scientiæ Dei. Primo modo est contingens. Secundo modo est necessarium. Contra hanc solutionem est argumentum Gregorij, & aliorum efficax: quando aliquid verè scitur, eo modo illud se habet in re, quomodo subest illi scientiæ; ergo si hoc, quod scitur à Deo vt subest scientiæ Dei, est necessarium, etiam erit necessarium in se. Respōsio autem Caietani, vbi supra est reiecta, ideo non locam hic repetere.

Primū argumentū.

Responsio cōmunior Thomistarum.

Reijcitur.

Alia respō sio.

4 Assignatur ergo alia responsio communiter à Scoto in primo dist. 39. quæst. 5. ad primum pro tertia opinione, quam multi alij Scolastici quoq; amplectuntur, vt D. Bonau. dist 38. art. 2. quæst. 3. Albertus, & alij, quę quidem est vera, & soluit argumentum quantū ad principalem difficultatem, vt videbimus, sed tamen dubiū, quod pertinet ad præsentem difficultatem, non soluit; & proinde Scotus alibi latentem difficultatem pertinentē ad hanc materiam soluit. Solutio verò est hæc. Cū dicitur in maiori, omne scitū à Deo necessariò erit. Prædicatum illud, necessariò erit, potest intelligi dupliciter: vno modo de necessitate consequentis, & hoc modo est falsa: alio modo de necessitate consequentię, & hoc modo est vera. Necessitas consequentis est, quando antecedens est causa necessaria consequentis necessitate causæ: vt si dicam. Ignis agit in lignum calidum; ergo lignum necessariò calefit. Hoc enim consequens sequitur ex antecedenti necessitate consequentis, quia necessariò causatur ab antecedente: causa enim illa necessariò infert illum effectum. Necessitas consequentiæ est necessitas ex suppositione; posito enim antecedenti ponitur consequens, non quia antecedens sit causa necessariò inducens consequens, sed quia est incompossibile vnum esse sine alio; vt si dicam. Sortes currit; ergo necessariò mouetur; nam illud antecedens Sortes currit nō est causa effectiua motus, vt ignis calidiatis; ideo illud consequens non est necessarium necessitate consequentis, sed quia posito, Sortem currere, est impossibile, quod Sortes non moueatur, quia hæc non sunt separabilia ab inuicem, ideo consequens est necessarium necessitate consequentiæ. Ad propositum ergo ad argumentum respondetur, quod illud prædicatum, omne quod est scitum à Deo futurum *necessario erit*. Est necessarium necessitate consequentiæ, non consequentis, idest scientia Dei non est causa, vt illud futurum contingens, necessariò sit futurum; quia scientia Dei non est causa rerum; saltem non est causa necessario causans rem futuram contingentem vitam; quia illa res futura contingens vi sa contingenter fiet, quando fiet. Vtrunque ergo est contingens, scilicet subiectum, & prędicatum; sicut in illa propositione Sortes currit; ergo mouetur, vtrūque est contingens, & tamen consequens necessariò necessitate consequentiæ ex illo antecedente deducitur, quia est impossibile, quod stet scientia Dei de illa re futura contingenti, & res illa non sit, quia tunc Deus falleretur: manet enim oppositum cum illo, quod scit, & sic Deus deciperetur, quod est impossibile. Ideo hæc solutio optimè soluit argumentum, quia in argumento inferrebatur, quod scientia Dei sit causa necessaria rerum contingentium, quod ex argumento non deducitur.

5 Ferè eodem modo se habet illa alia respōsio, quod maior est vera in sensu composito, falsa in sensu diuiso: quia sensus est quod posita scientia Dei de aliqua re futura est incompossibile non poni rem illam futuram in esse, & hic est sensus compositus, quia alioquin sequeretur Deum falli, quod est impossibile. Sed vtrunque in se consideratum est contingens, nullum est necessarium, et hic est sensus diuisus.

6 Tamen remanet difficultas alia in argumēto, quia qui assert scientiam Dei auferre contingentiam à nostra voluntate, diceret sufficere sib quod illud prędicatum sit necessarium necessitate consequentiæ, & quod posita scientia Dei de illo futuro, illud futurum infallibiliter, & ineuitabiliter sit habiturum esse, quia scientia Dei est æterna, & immutabilis; ergo illud quod Deus præsciuit ab æterno esse, futurum erit quia Deus mutari non potest; ergo voluntas nostra faciet illud, quod Deus præuidit esse facturam, & quod preordinauit per suam prouidentiam, & per suam prædestinationem ergo pro illo tempore quo voluntas mea faciet illud futurum ineuitabiliter, non contingenter faciet.

Argumentum in quo sita est difficultas principalis.

7 Adfertur alia responsio ad hoc idem argumētum à Scoto dist. 39. quæst. 5. ad secundum principale, quam multi alij quoque sequuntur, vt D. Bonau. in 1. dist. 38. art. 2. q. 2. Ricardus q. 6. ad septimum, Albertus, Okam, & alij, quod in illa propositione maiori, omne scitum à Deo futurum necessariò erit, tam subiectum, quam prędicatum est contingens: nam Deus posset non scire contingens illud, Petrus peccabit, quia posset euenire, quod Petrus non peccaret, vt si à Deo pręueniretur gratia sua; ergo tunc non sciretur à Deo: illud ergo antecedens nō est necessarium, quando autem subiectum, siue, antecedens non est necessarium simpliciter, sed contingens, neque consequens est necessarium, sed contingens. Ideo non valet consequentia. Deus scit Petrum cras peccaturum; ergo Petrus necessariò cras peccabit.

Alia respō sio Scoti ad primum argumentū.

8 Verum hæc solutio patitur eandem difficultatem, quia adhuc hereticus diceret parum sibi referre, quod Deus necessariò sciat futurum contingens, vel contingenter; sufficit sibi quod ponatur scientia Dei de futuro contingenti in esse: illa enim posita sequitur necessariò necessitate infallibilitatis, & ineuitabilitatis, quod illud futurum contingens erit, vt quod Petrus peccabit; ergo quando Petrus peccabit, non peccabit contingenter, sed necessariò necessitate extrinseca, prouenientre à scientia Dei, à prouidentia, & à prædeterminatione diuina.

Hæc respō sio patitur eandē difficultatem.

9 Est ergo vltima responsio Vasquez p. p. disp. 68. ca. 4. & disp. 99. cap. 6. Molinæ p. p. q. 14. art. 13. disp. 16. Suarez in opusculis lib. 1. & multorum aliorum qui ponunt scientiam futurorum sub conditione, quam etiam

Responsio Vasquez, Suarez, Molinæ, & aliorum.

nos, vt verum supposuimus semper vbicunq. venit occasio explicandi concordiam diuinæ præscientiæ, prædestinationis, & prouidentiæ, cum libertate arbitrij creati, quia est facilis, & valde quietat animum, tamen non vndequaque satisfacit; vnde vltimò recurendum est ad solutionem aliam allatam à Scoto, vt videbimus. Dicũt ergo ad argumentum, quod necessitas in prædicato illius maioris, cum dicitur omne scitum à Deo esse futurũ necessariò erit, potest intelligi de necessitate antecedente, vel de necessitate consequente; verum est illud prædicatum esse necessarium necessitate consequente, non necessitate antecedente. Præuidet enim Deus quod Petrus est peccaturus, & decernit permittere eum peccare, ideo his positis verum est quod Petrus necessariò, idest infallibiliter peccabit: tamen hæc infallibilitas, quod Petrus peccabit non aufert libertatem à voluntate Petri in peccando, quia non præcedit determinationem futuram voluntatis Petri ad peccandum, sed illam supponit in præscientia sua, quia enim præuidit Petrum voliturum peccare determinat permittere eum peccare. Et hoc modo satis apertè patet, quod infallibilitas scientiæ Dei, & infallibilitas euentus rerum futurarum, quæ communiter dicitur necessitas, non tollit libertatem voluntatis nec contingentiam, vt diximus etiam disput. 54 capit. 6.

Reijcitur. 10 Verum neque hæc solutio tollit omnem difficultatem in hoc argumento, vt ibidem diximus, quia hæretici, qui dicunt omnia in tempore necessariò euenire, concederent verum esse, quod Deus ab æterno non determinauit voluntates nostras facere hoc, vel illud, antequam præuiderit quid ipsæ voluntates essent electuræ; sed post quam uidit, quid vnaquæq. voluntas est volitura decreuit cum illa cooperari per suam prouidentiam, & ponere in esse illud, quod tunc præuidit illam esse volituram. At facta prædeterminatione illa à diuina voluntate, non potest voluntas amplius aliud velle nisi, id quod Deus præuidit illam esse volituram pro tali nunc, & id, ad quod decreuit cum illa concurrere: at illa determinatio & præscientia est ab eterno, & est immutabilis; ergo in tempore cum voluntas creata facit illud, facit illud necessariò necessitate ineuitabilitatis, quia non est in potestate eius pro illo tempore facere oppositum; ergo actio illa humana non est in potestate voluntatis creatæ, neque est contingens. Exemplum. Præuidit Deus ab eterno, quod crastina die hora tertia ego eligam legere, Deus decreuit concurrere cum mea voluntate ad illum actum illa hora, & intellectus diuinus videns illam determinationem, scit certò, me crastina die hora tertia lecturum; ergo ego crastina die hora tertia infallibiliter, & necessariò legam: nec potero non legere, quia sequeretur, Deum posse falli, & voluntatem meam posse vincere voluntatem Dei, quod est impossibile. Hoc argumentum est quod facit difficultatem, & quod Caietanus p. p. q. 22. art. 4. in responsione ad primum, putat esse insolubile: nam D. Tho. ibi probat, quod prouidentia imponat necessitatem rebus positis sic. Omnis effectus, qui habet aliquam causam per se, quę iam est, vel fuit, ad quam de necessitate sequitur, prouenit ex necessitate, ea Aristot. 6. Metb. Sed prouidentia (cum sit æterna) præexistit, & ad eam sequitur effectus de necessitate, non enim potest diuina prouidentia frustrari; ergo diuina prouidentia rebus prouisis necessitatem imponit. Hoc argumentum, quod integrum desumptum est ea D. Tho. in virtute est argumentum factum supra. D. Tho. respondens ei habet hæc verba. *Ad primum ergo dicendum, quod effectus diuinæ prouidentiæ non solum est aliquid euenire quocunque modo; sed est aliquid euenire, vel contingenter, vel necessariò, & ideo euenit infallibiliter, & necessariò. quod diuina prouidentia disponit euenire infallibiliter, & necessariò. Et euenit contingenter, quod diuinæ prouidentiæ ratio habet vt contingenter eueniat.* Ex hac solutione D. Tho. vt bene ibi notauit Caietanus, habetur quidem, quod causa contingenter causans, vt est voluntas nostra, non causat effectum suum necessitate naturali, vt ignis causat calorem, & calefacit lignum; quia voluntas est causa libera non naturalis, & necessariò operans: at non saluatur, quod effectus ille non eueniat infallibiliter, & ineuitabiliter, & necessariò. (Accipiendo euenire necessariò pro euenire ineuitabiliter; & accipiẽdo infallibiliter, & ineuitabiliter pro eodem; licet Suarez li. 2. de cõcursu Dei, ca. 7. nu. 16. dicat esse diuersa: nam licet re vera habeant aliquam differentiam, tamen patet, quod effectum ineuitabiliter euenire, & infallibiliter euenire, pro eodem accipiuntur.) Nã stat adhuc argumentum, quo ad hoc, in suo robore; quia prouidẽtia Dei est infallibilis, & illa est æterna, ideo determinauit, quod effectus talis, vt quod crastina die ego legam, proueniat à volũtate mea; ergo ille effectus est ineuitabilis, & necessarius, vt nunc accipimus necessarium.

Caietanus putat hoc argumentũ esse insolubile.

11 Et nota, quod hæc solutio D. Tho. coincidit cum solutione Scoti, & aliorum, quam adduxi supra ex eo in 1. dist. 39. quæst. 5. ad primum pro opinione tertia, quæ est, quod futura contingentia sunt necessaria necessitate consequentiæ non consequentis. Soluitur enim argumentum in quantum argumentum intendit probare, quod prouidentia Dei, vel præscientia sint causa necessaria, idest efficiens, vt voluntas necessariò efficiat suum effectum: hoc enim non concludit argumentum; & solutio quo ad hoc est bona, & ad hoc ab his auctoribus præsertim à Scoto est adducta. At in quantum argumentum intendit probare, quod prouidentia, & sciẽtia Dei est causa, vt effectus contingens necessariò, idest infallibiliter, & ineuitabiliter eueniat non soluitur per hanc responsionem: ideo bene Caietanus dixit, quod quo ad primam solutio argumenti quietat intellectum (vnde ego audiui aliquando responderi ad hoc argumẽtum eum concludere effectum contingẽter euenire infallibiliter, non tamen necessariò; vbi necessariò accipiebant propriè pro causalitate necessaria necessitate intrinseca) non autem quietat intellectum, quomodo cum hac responsione stet contingentia, quæ aufert ineuitabilitatem, & infallibilitatem effectus, quæ repugnat contingentiæ formaliter. Notãdum necessariò.

12 Subiũxit deinde Caietanus, quod sicut Deus propriè (vt ipse tenet) nec agit contingenter, nec necessariò; sed modo eminentiori, ita actio eius qua prouidet res euenire, nec ponit necessitatem, nec contingentiam in rebus, sed quid altius, quam sit contingentia, & necessitas, quod tamen est inefabile; & sic cum prouidentia Dei prædestinatione, & præscientia stat libertas nostra. Responsio Caietani.

Cæterum hæc responsio iure reijcitur à Bannes ibidem, & ab alijs, quia non datur medium inter necessarium, & contingens, siue inter euitabile, & non euitabile: ideo istud, quid altius, positum à Caietano non potest dari. Tamen immeritò Vasquez p. p. disp. 99. ca. 2. & Bãnes, vbi supra eum irrident: quoniam neque Caietanus dixit hanc solutionem quietare, sed nos debere captiuare intellectum nostrũ in fide. Ipsi tamen, qui gloriantur se modum clarum adinuenisse, non melius sapiunt, vt patet per ea quæ diximus aduersus solutionem Vasquez per distinctionem de necessitate sequenti, & antecedenti. Raijcitur.

13 Bannes verò, & alij Thomistæ eum sequentes in difficiliorem opinionem inciderunt. Dicunt enim optimè esse intelligibile, effectus contingentes esse simpliciter euitabilis, quamuis supposita diuina prouidentia nõ euitabuntur. Imò quod est minus intelligibile asserit iste vir, & qui eum sequuntur, vt elicitur ex eodem p. p. q. 19. art. 8. præsertim conct. 2. & 4. & in responsione ad primum, & quest. 23. art. 3. d. 3. concl. 10. non solum diuinam voluntatem præfinire, & determinare actus cõtingentes futuros; sed mordicus sustinet voluntatem diuinam prædeterminare physicè voluntatem creatam Opinio Bãnes, & sequaciũ est difficilior.

ad actus

ad actus ſuos futuros producendum, ita quod eſt impoſſibile eam alios actus quam iſtos prædeterminatos producere; & tamen ait deinde ſibi videri valde intelligibile, hanc prędeterminationem non auferre contingentiam, & euitabilitatem, quia inquit Deum determinare voluntatem ad producendum illos actus ſuo modo ſibi competenti, ſcilicet contingenter: attamen Aluarez, & alij, vt dicemus diſput. 1. an ex duobus inequali auxilio conſtitutis vnus poſſit ſaluari, alius non, licet ſequatur opinionem Bannes, aſſerit concordiam hanc non eſſe naturaliter intelligibilem; non tamen propter hoc opinionem iſtam de prædeterminatione Phyſica eſſe derelinquendam, quia eſt D.Th.& D. Aug.

Reijcitur. 14 Cæterum ibi oſtendemus hanc opinionē eſſe falſam. Quantum verò pertinet ad præſentem quæſtionem hæc opinio habet difficultatem, ne dum quia actus prouidentiæ eſt æternus, & ideo ex hac parte effectus prouiſus voluntatis noſtræ habet ineuitabilitatem, vt ſupra diximus, ſed habet aliam rationem ineuitabilitatis maioris, quia dicit illam prouidentiam diuinam prędeterminare voluntatem creatam, & facere, vt faciat determinatos actus. Quare hac ratione omnino tollit libertatem, quæ quoquo pacto ſaluabatur auferendo illā prædeterminationē, & ponendo decretum diuinæ prouidentiæ ſequi electionem voluntatis creatæ præmiſſam non præcedere. Ego autem puto non ſolum illam opinionem eſſe falſam, ſed contra mentem D.Tho. quem puto exponendum iuxta ea quę dicit ipſemet D.Thom. 1.2.quæſt. 10. art. 4. de qua in prædicta diſput. 1. agam, & infra expoſita opinione Scoti dicam. Exiſtimo enim Scotum, & D.Th. in hac re conuenire licet (vt ait Caiet.) D.Th. de hac difficultate nihil dixerit expreſsè.

Opinio Bānes, Aluarez, & aliorum ſequaciū eſt contra D.Th.

15 Dimiſſa ergo hac opinione, & redeundo ad argumentum, reſtat difficultas ſoluenda, quia nō videtur intelligibile quomodo ſtent ſimul, quod diuina prouidentia, prædeſtinatio, & præſcientia ſtare poſſint, & tamen cum ipſis maneat libertas, & contingentia, ſiue euitabilitas in actibus noſtræ voluntatis. Cum iam prouidentia, prædeſtinatio, & præſcientia ſint æterna, & Deus ſit immutabilis, & omnipotens, cui voluntas creata reſiſtere non poteſt.

Secundum arg. principale contra contingentiam, & libertatē noſtram. 16 Confirmatur ergo difficultas hæc, quod prouidentia Dei &c. tollant contingentiam rerum alio argumēto, quod eſt ſecundum ſupra propoſitum, quo etiam vtebatur Vviclephus, & alij hæretici maximè faciunt, & eſt adductum à D.Tho. eadem quæſt. 14. art. 13. tertio loco, & à Scoto primo, diſt. 39. quæſt. 5. argum. 1. principali, & eſt hoc. Quod innititur eodē ferè medio, licet à D.Thom. & ab alijs vario modo formetur, quia illud formabatur in tempore præterito, hoc formatur in tempore præſenti ſic.

17 Scientia Dei eſt neceſſaria; ergo quicquid ſcit Deus neceſſariò erit: ſed ſcit Petrum peccaturū; ergo Petrus neceſſariò, ſiue infallibiliter peccabit. Antecedens in prima propoſitione eſt euidens, quia ſcientia Dei eſt immutabilis. Conſequentia probatur, quia actus intellectus non diſtrahitur, ſiue non diminuitur, nec variatur propter materiam ſuper quam tranſit, quia ſemper eſt actus intelligendi quodcunque ſit obiectum, quod illi ad intelligendum offertur. Ideo ſiue reſpiciat obiectum neceſſarium, ſiue contingens, ſemper actus ille eſt idem; ergo cum actus intelligendi Dei ſit actus neceſſarius, quia ſcientia Dei eſt neceſſaria, quodcunque, quod ſcitur à Deo, erit neceſſarium; alioquin ſcientia Dei poſſet falli, & variari, & diſtrahi, quod eſt impoſſibile.

Reſponſio aliorum. 18 Ad hoc argumētum afferuntur reſponſiones eædem quæ ad prius, & ideo patiuntur eandem difficultatem: ideo non ſunt repetendæ, ſed vera ſolutio eſt inueſtiganda.

Tertiū arg. ex Scoto. 19 Tertium argumentum, quod propriè tangit difficultatem præſentem, & latentem, in argumentis adductis propter quam reſponſiones allatæ ad illa penitus non ſatisfaciunt, conficitur à Scoto in 1. diſt. iſta 40. vbi quærit vtrum prædeſtinatus poſſit damnari: & eſt primum argumentum principale, quo probat prædeſtinatum non poſſe damnari. Eſt autem iſtud. Omne præteritum eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed prædeſtinatio huius prædeſtinati tranſit in præteritum; ergo hæc prædeſtinatio eſt ſimpliciter neceſſaria; ergo non pōt Deus non prædeſtinare eum; & per conſequens nō poteſt iſte damnari. Maior propoſitio probatur per Phyloſophū 6. Ethicorum, hoc ſolo priuatur Deus ingenita facere quæ facta ſunt. Minor probatur, quia Deus prædeſtinauit iſtum ab æterno; quod autem ab æterno fuit iam tranſiuit, & factum eſt. Altera conſequentia probatur, quia ſi Deus poſſet nunc, vel tempore futuro mortis ſuæ eum non prædeſtinare, cum iam ab æterno eum prædeſtinauerit, ſequeretur Deum mutari poſſe, quod eſt impoſſibile. Vltima conſequentia eſt euidens, quia prædeſtinatio alicuius ad gloriā finaliter, & damnatio eiuſdem ad infernum finaliter non manent ſimul, quia implicant repugnantiam.

20 Huic argumento (licet ab alijs non formetur ſic) reſpondetur communiter per reſponſiones datas primo argumento. De maiori, & minori, quas non aduerterunt, nihil dicunt neque de prima conſequentia, ſed ſolum ad vltimam conſequentiam, quæ eſt. Ergo iſte ſuple prædeſtinatus non poteſt damnari, ſiue neceſſariò ſaluabitur (idem enim ſunt.) Reſpōdent vt ſupra, quod eſt vera neceſſitate conſequentiæ non conſequentis; vel in ſenſu compoſito, non diuiſo; vel quod illud conſequens quatenus in ſe conſideratur eſt contingens; ſed quatenus eſt ſubſcientia Dei eſt neceſſarium. Sed omnes iſtæ reſponſiones reiectæ ſunt, quia ſaluant quidem prædeſtinationem, non cogere, nec neceſſitare voluntatem prædeſtinati ad operandum bonum: quia licet Deus prædeſtinet aliquem, tamē relinquit voluntatem illam in ſuo modo agendi, ſibi competenti, qui eſt, vt liberè agat quicquid agit: non tamen ſaluat effectum eſſe contingentem, & euitabilem, quia cum ſit præfinitus à Deo, & præfinitio tranſiuerit in pręteritum, quia facta eſt ab æterno, infallibiliter, & ineuitabiliter ponetur in eſſe.

21 Neque valet reſponſio Vaſquez, & recentiorum aſſerentium prædeſtinationem imponere neceſſitatem effectui prędeſtinato, ſed illā non antecedere; ſed ſequi, vel concomitari effectum illum, & proinde non ledere contingentiam effectus, neque libertatem. Quoniam falſum eſt prędeſtinationem non ponere neceſſitatem antecedentem, ſtante eorum opinione: nam prædeſtinatio eſt æterna, & præterijt, & Deus eſt immutabilis: effectus verò prędeſtinationis eſt futurus; ergo neceſſitas prædeſtinationis præcedit non ſequitur, nec concomitatur. Quod ſi dicas præſcientia boni vſus liberi arbitrij ex gratia præceſſit prædeſtinationem. Contra ſaltem ſequitur ex hoc, quod in illo tempore, quo effectus prędeſtinationis ponetur in eſſe, ſcilicet finalis pœnitentia ineuitabiliter, & neceſſariò ponetur in eſſe à voluntate prædeſtinati; quia decretum Dei non poteſt non adimpleri; ergo licet Deus prędeſtinauerit aliquē, quia prępuidit illum ex gratia bene vſurum libero arbitrio in vltimo articulo mortis, & ſic non ledit eius libertatem faciēdo illud decretum; tamen facto decreto remanet determinata voluntas ad faciendum illum effectum decretatum à Deo; ergo dum in tempore voluntas facit opus bonum illud meritorium vitæ ęternæ, qui eſt effectus prędeſtinationis, facit illum actum ineuitabiliter; neque reſpectu illius eſt in potentia cōtradictionis, vel contrarietatis verè, & realiter, ita quod ſit in optione voluntatis illum efficere, vel non efficere; quia extrinſecus à decreto diuinæ determinationis impeditur; ſequeretur enim eſſe poſſibile Deum falli, & voluntatem Dei efficacem nō adimpleri, vel Deum poſſe mutari, quæ omnia ſunt impoſſibilia: hoc autē conſequens

est erroneum. quia homo in vita præsenti vsque ad articulum mortis potest mereri, & demereri. Opus est ergo assignare aliam responsionem, quam cap. sequenti ex Scoto adducemus, quam ego re vera puto omnem dubitationem è medio tollere, & intellectum plenissimè quietare.

Prædestinatum posse damnari efficaci ratione probatur. Argumenta allata clarè soluuntur, & concordia diuinæ prædestinationis, prouidentiæ, & præscientiæ cum contingentia rerum, & libertate nostra explicatur. Caput Secundum.

22 ANtequam argumenta allata soluamus, efficaci ratione oportet probare prædestinatum posse verè damnari, & reprobatum posse verè & propriè saluari; atque prædestinationē diuinam, prouidentiam, atque æternam præscientiam non ita determinare hominem ad gloriam, vel ad damnationem, vt non sit possibile oppositum prædestinato, & præscito euenire. Hęc autem breuiter & efficacissimè probatur argumento Scoti in eadem quæstione ad oppositum, quod est istud. Si prędestinatus non potest damnari, nec reprobus saluari; sequitur non esse solicitãdum alicui de obseruantia pręceptorum, & consiliorum Dei: consequens est omnino falsũm; ergo. Consequentia probatur, quia qualitercunque quis operetur si est prędestinatus saluabitur, si est reprobatus quantumcunque benè viuat, damnabitur finaliter. Hoc patet, quia prædestinatio non potest falli; eius ergo effectus infallibiliter, & ineuitabiliter eueniet, neque à causa creata impediri potest. Falsitas autem consequentis est euidens: quia tunc tota lex Dei, & pręcepta frustra data essent.

Argum. efficax quod prædestinatus potest damnari.

23 Hoc argumẽtum certè efficaciter conuincit prædestinatum in vltimo articulo mortis posse peccare, & finaliter damnari, & reprobum in articulo mortis posse saluari; quia prædestinatus non est confirmatus in bono per ipsam prędestinationem; nec reprobus in malo per ipsam reprobationem, vt habet ibidem Scotus soluendo quęstionem; ergo pro quocunque instanti vitæ potest mereri, & demereri, & sic saluari, & damnari.

24 Quod etiam confirmatur ex Conc. Trid. sess. 6. Can. 17. vbi damnantur ij, qui asserebant *iustificationis gratiam non nisi prædestinatis ad vitam contingere, reliquos verò omnes, qui vocantur vocari quidem, sed gratiam non accipere, vtpotè diuina potestate prædestinatos ad malum*. Nam sic arguo; ergo etiam non prædestinatus datur gratia iustificationis; ergo potest dari in articulo mortis; ergo non prædestinatus saluabitur. Si ergo reprobatus potest finaliter saluari, pari ratione prædestinatus potest damnari, quia & pręedestinatio, & reprobatio sunt decreta æqualiter immutabilia Dei.

Confirmatur ex Cõc. Trid.

25 Confirmatur auctoritate Apostoli 2. ad Thim. 2. vbi habet *in magna autem domo non solum sunt vasa aurea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliã; si quis ergo emundauerit, se ab istis, erit vas sanctificatum vtile domino ad omne opus bonũ paratum*. Hæc auctoritas est valde considerandа quia etiam secundũ aduersarios loquitur hic Apostolus de prędestinatione. Dixerat enim superius *firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc cognouit Dominus qui sui sunt*, ex quo loco aduersarij sumunt fundamentum principale, quod prędestinatio sit immutabilis, & quod necessariò effectum suum ponat in esse absolutè. Hoc enim esse falsum conijcitur ex his verbis *si quis ergo emundauerit, &c.* quæ ferrè immediatè sequuntur ad illa, quibus tamen apertè asserit vnumquemque habere in se potestatem emundandi se, & posse facere se ex vase in contumeliam vas in honorem; ergo effectus prædestinationis est in potestate liberi arbitrij donec est in hac vita.

Alia confirmatio.

26 Pro eadem sententia faciunt omnes auctoritates, quas adducemus in disput. de efficacia gratiæ edenda, ad reprobandum gratiam illam efficacem prędeterminantem liberum arbitrium physicè, vel moraliter, & ostendentes Deum velle omnes homines saluos facere, & esse in potestate nostra adhęrere gratię vocanti, & nosmetipsos saluare. Et infra in hoc capite præsertim auctoritas Ecclesiæ in illa oratione. *Deus cui soli cognitus est numerus electorũ in æterna felicitate locandus* &c. In qua in fine cõcludit suam depręcationem his verbis, *vt omnium fidelium nomina beatę prædestinationis liber adscripta retineat*. Ergo signum est eos, qui in libro vitę, qui est liber prædestinationis scripti sunt posse cadere: quod nõ potest intelligi nisi pro hoc statu vię. Ergo ille, qui est prędestinatus potest damnari, & consequenter, qui est reprobatus potest prędestinari, & saluari, & potentia reducibili ad actum, alioquin hæc oratio Ecclesiæ esset frustra, & innanis.

Aliæ auctoritates ad idem.

27 Verũ quia hæc propositio est vera, prędestinatio Dei est infallibilis, & hic modus loquendi cõiter admittitur, & vt inquit Scotus pertinet ad Logicam, oportet videre quomodo intelligatur, & in quo sensu sit vera, & declaratam veritatem, quod prædestinatus potest re vera, & potentia reducibili ad actum damnari, non destruat. Latet enim æquiuocatio in hac propositione, quæ allatam veritatem destruere videtur: ideo opus est eam declarare. Declarant autem omnes distinguendo eam, quod est vera in sensu composito, falsa in sensu diuiso, & sic allatam veritatem non impedit, quia ex eo, quod est vera hæc propositio in sensu composito, nõ destruit hanc veritatẽ, quod prædestinatus verè, & propriè potentia reducibili ad actũ in vltimo articulo mortis possit damnari, & reprobatus saluari. Cæterum nisi hæc distinctio benè declaretur adhuc res est obscura. Declarat ergo eam Scotus in hoc 1. dist. 40. dicens quod hæc propositio prædestinatus potest damnari in sensu composito, est vnica propositio modalis, cuius extremũ vnum, scilicet subiectum, vt homo siue persona prædestinata, sub ista determinatione, seu forma. *prædestinatus*, vt sensus sit *homo prædestinatus, vt prædestinatus* potest damnari; & in hoc sensu est falsa, non quia prædestinatio, vt causa imponat necessitatem, & infallibilitatem illi personę, vt non damnetur, sed saluetur, quia prędestinatio, vt dictum est, non confirmat prędestinatum in gratia, sed quia istę duę formę sunt incompossibiles, in eodem subiecto simol, scilicet quod sit sub prędestinatione, & sub damnatione simul. Repugnat enim diuinæ voluntati, quod decernat efficaciter aliquid esse, & illud non sit; sicut repugnat diuinę scientię, quod Deus sciat aliquid esse tale, & tamen illud non sit tale; & tamen scientia diuina non est causa, vt res scita sit talis. Et ideo disputatione: an qui conuertitur semper habeat maiorem gratiam quam qui nõ conuertitur. Cap. 3. argumento primo versus finem dicemus, quod necessitas sensus compositi est necessitas secundum quid, & ex suppositione non necessitas simpliciter, & causę; sicut cum dicemus Sortes currens, necessariò currit; hęc enim est necessitas secundum quid, quia dum currit est impossibile, quod non currat: at non adest necessitas simpliciter; quia dum Sortes currit, liberè currit: currit enim quia vult, & in potestate eius est currere, & non currere, licet non simul possit vtrumque, quia implicat contradictionem. Et propter hoc dicimus, quod dum currit necessariò currit, sed hæc necessitas non est necessitas simpliciter, sed secundum quid, secundum quam dicimus omne quod est, quando est, necesse est esse: ita cum prædestinatus saluatur, non saluetur. quia prædestinatio imponat necessitatem illi personę, vt saluetur, sed quia illi, vt est sub prædestinatione, est incompossibilis damnatio; ideo posita prędestinatione in illa persona non potest simul poni damnatio.

Quomodo intelligatur hæc propositio prædestinatio Dei est infallibilis.

Quid sit sensus compositus, & sensus diuisus.

28 In sensu diuiso verò, illa propositio prędestinatus potest damnari, non est vna, sed duæ cathegoricæ in

quarum

quarum vna enunciatur de persona beatificabili esse prædestinatum; & in altera enunciatur posse damnari potentia vera reducibili ad actum, & vtraque sic accepta diuisim, & separata ab altera est vera de eodem subiecto. Est enim verum, v. g. quod Sortes est prędestinatus, & quod Sortes potest damnari, sed non sunt ita verę istæ duæ propositiones, quod ambo illa prædicata opposita, & repugnantia possint simul inesse illi subiecto, quia sic sunt in eo impossibilia illa prædicata, vt dictum est; neque enim sunt verę, ita quod vnum prædicatum possit succedere alteri, ita quod Sortes ex prędestinato possit fieri reprobus, & damnari, quia hic non est successio, nec mutatio, quia vtraque est in ęternitatę vera, sed vtraque est vera in quantum volitio diuina prędestinans Sortem est prior naturaliter transitu sui ipsius super illud obiectum, quod est gloria Sorti: nam in illo prior naturaliter non repugnat ei esse oppositi, scilicet velle illum damnare, siue reprobare: immò posset equaliter esse oppositi, licet non simul amborum. Cum ergo actus ille diuinæ ordinationis sit in ęternitate, nec transeat in præteritum, sicut ab ęterno cum prędestinabat potuit prædestinare, & non prædestinare: ita nunc, & semper, & in articulo mortis, potest prædestinare, & non prædestinare; & sic fit, quod ille, qui finaliter est saluandus donec est in hac vita possit damnari, & qui est reprobandus donec est in hac vita possit saluari, & prædestinari. Quod magis patebit ex solutione argumentorum capite pręcedenti adductorum, dum ostenderimus quomodo prędestinatio Dei non transeat in præteritum.

Solutio argumentorum quæ præcedenti ca. facta sunt.

Nunc ad argumenta cap. præcedenti facta probantia prædestinationem, prouidentiam & pręscientiam ponere necessitatem infallibilitatis, & ineuitabilitatis, in effectibus præuisis prędestinatis, & prouisis. Omnia autem illa reducuntur ad vnum illud medium vltimũ, quod prædestinatio est æterna, & præterit, & Deus est immutabilis; ergo prædestinatus non potest damnari, & sic de alijs.

29 Respondet Scotus in ead. dist. 40. quæst. vnica in responsione ad vltimum principale, ꝙ hoc argumentũ, & similia procedunt ex quadam falsa imaginatione, cuius imaginationis intellectus iuuat ad intelligẽdũ propositæ quæstionis veritatem. Falsa autẽ imaginatio est, quia imaginamur, quod actiones Dei transeant in præteritum, sicut actiones nostræ temporales, quæ sic se habent, quod quælibet posita in esse statim præterit, & veterascit, & alia noua succedit. Sicut ergo e. g. deliberatio, quam ego feci anno elapso de aliqua re facienda, vt de emendo anno sequenti tali mense ęquum, pręterijt, nec potest non esse pręterita; & si mea voluntas esset immutabilis, & omnipotens ineuitabiliter, sequeretur emptio ęqui tempore futuro determinato. Ita cum loquimur de prouidentia, pręscientia, & prędestinatione, recurrimus ad actum Diuinę volũtatis, quasi pręteritum; ideo quasi non concipimus libertatem in illa diuina voluntate ad ponendum actum illum prædestinationis in esse, vel ad non ponendum in esse, pro tẽpore pręsenti nostro, vel futuro; cum enim dicimus Deus ab ęterno prędestinauit Petrum, imaginamur actum diuinę voluntatis, quo Petrum prędestinauit, quasi absolutè positum esse in esse, & transiuisse: ideo dicimus Deum non esse amplius liberum ad damnandum Petrum, quia mutaretur; at hęc imaginatio est falsa, quia illud nunc ęternitatis in quo est iste actus prędestinationis Petri semper pręsens est, & actus ille diuinę voluntatis ita se habet ab ęterno, & semper, & in futurũ, ac si inciperet habere illum actum, in hoc nunc pręsentis temporis. Si autem imaginaremur Deum nondum determinasse voluntatem suam ad prędestinandum Petrum, sed quasi nunc deliberaret vtrum vellet Petrum prędestinare, vel non prędestinare, non esset difficile intelligere Deum prędestinare contingenter Petrum, & euenire posse, vt Petrus prędestinetur, & non prędestinetur saluetur, & non saluetur, quocũq; tempore vitę suę, vsque ad instans vltimum vitę suę.

30 Pro cuius rei intelligentia notandum est vt diximus ex Scoto in 1. sent. disp. 55. cap. 3. nu. 25. & 33. quod voluntas creata, & voluntas diuina aliqua ex parte sunt similes, & aliqua ex parte dissimiles circa effectus contingenter prouenientes. Vnde Scotus declarat, quomodo contingentia sit in voluntate diuina, per comparationem ad voluntatem nostram, quæ est nobis notior. Inquit ergo Scotus, quod in voluntate nostra est triplex libertas. Prima est ad oppositos actus. Secunda est quia voluntas mediantibus actibus diuersis est libera ad opposita obiecta. Tertia est libera ad oppositos effectus, quos producit. Notandum est præterea, quod hanc triplicem libertatem concomitatur duplex potentia in voluntate. Prima est ad oppositos actus, & oppositos effectus, non simul, sed successiuè, quia non potest simul habere actus oppositos, &c. sed solum successiuè. Altera potentia est, quod in eo instanti, quo voluntas elicit vnum actum, potest elicere actum oppositum: in illo enim instanti, quo volo Petro bonum, possum velle Petro malum, vel non velle bonum. Vnde licet in voluntate nostra non sit potẽtia ad simul velle Petro bonum, & velle Petro malum, vel ad velle Petru bonum, & non velle Petro malum, quia sunt actus contrarij, vel contradictorij, & ad contradictoria non est vlla potentia: tamen in ea est potentia, quod dum elicit actum, posset non elicere illum, vel posset elicere actum oppositum. Hæc autem potentia est fundamentum contingentiæ, & penes hanc differt agens necessarium ab agente contingẽter, quia agens necessarium determinatur ad vnũ actum, ita quod dum illum elicit, non potest non illum elicere, vel elicere oppositum.

31 Voluntas autem diuina habet tantum duas libertates; caret enim prima, quæ erat libertas ad actus oppositos, quia hæc dicit imperfectionem; voluntas enim quæ habet diuersos actus necessariò mutatur; voluntas autem Dei est immutabilis, ideo habet vnicum actum tantum. Habet tamen duas alias libertates, scilicet quia est ad opposita obiecta, & ad oppositos effectus; adeo quod voluntas diuina vnico actu potest tendere in diuersa obiecta, & producere diuersos, & oppositos effectus in diuersis obiectis, vel in eodem absque sui mutatione, & hoc prouenit propter illimitationem, & perfectionem infinitam illius actus diuinæ voluntatis. Rursus hanc libertatem diuinæ voluntatis concomitatur tãtum vnica potentia, scilicet secunda, quam posuimus in voluntate nostra, scilicet quod in eo instanti, in quo tendit in vnum obiectum, & producit vnum effectum, potest non tendere in illud obiectum, neque producere illum effectum: sed potentia, prima nostræ voluntatis, quæ erat ad obiecta diuersa, & effectus diuersos successiuè, non competit Deo, quia dicit imperfectionem. Cum ergo actus diuinæ volũtatis sit infinitus, idem manens, potest tendere in diuersa obiecta, & producere oppositos effectus, non successiuè, sed simul; non quia simul possit producere effectus cõtradictorios, sed quia dum producit vnum effectum, potest illum non producere, vel producere oppositum.

32 Ad propositum hoc vnico actu Deus non solum potest efficere effectus oppositos, sed actu oppositos facit: nam eodem actu prædestinat Petrum, & reprobat Iudam, ideo eodem actu potest prædestinare Petrum, & eundem reprobare, non simul, idest non pro eodem tempore, sed pro diuersis temporibus, vt eum prædestinare pro hodie, pro cras reprobare absque sui mutatione; ex quo sequitur, quod Petrus possit modo esse prędestinatus, modo reprobatus absque mutatione actus diuinæ voluntatis. Modo quod facit ad propositum argumenti actus iste diuinus est idem ab ęterno, & pro quocunque tempore, vnde licet verba diuersorum

tem-

temporum verè dicantur de illo actu. Dicimus enim Deus prædestinauit, Deus prædestinat, & Deus prædestinabit, omnes enim istæ propositiones sunt veræ: tamē non significāt actum illum præterijsse, vel futurum esse; nec denique significant partes temporis mensurantis illum actum; sed consignificant nunc æternitatis (in quo actus ille est, & a quo secundum se mensuratum) in quātum coexistit pluribus illis partibus temporis. Vnde idem est Deum prædestinasse, prædestinare, prædestinaturum fore; & ita contingens est vnum, sicut aliud, quia nihil est, nisi nunc æternitatis mensurans actum illum, qui nec est præsens, nec præteritus, nec futurus, sed coexistens omnibus istis.

Exemplō generationis Verbi declaratur propositū.

33 Declarat Scotus hoc, exemplo generationis filij in diuinis, de qua breuiter, & dilucidè agit, in 1. dist. 9. quod ego ibi omisi, quia est clarus Scotus? quod tamen spectat ad declarandum propositam solutionem. Notandum est ex eodem Scoto ibidem, quod generatio verbi in diuinis ideo est æterna, quia generatio in diuinis est productio sine mutatione, & est naturalis, & à perfecto principio, quod à nullo dependet; quando autem hęc concurrūt in aliqua productione illa est coæua producenti; & si producens est ęternum, generatio est æterna, & sine principio: huiusmodi est generatio Verbi in diuinis. Dat exemplum de igne, & splendore, quod si ignis esset ab æterno, splendor esset quoque ab ęterno, dato, quod non producatur ab igne per motū, sed solum per simplicem emanationem.

Declaratur etiam perfectio huius generationis accipiendo illud, quod est perfectionis in creaturis, & relinquendi illud, quod est imperfectionis. In generationibus successiuorum hoc est perfectionis in eis, quod dum fiunt sunt: imperfectionis quod non manent, sed habent esse tantum in fluxu partis post partem. In generationibus permanentium, hoc est perfectionis quod manent: Imperfectionis, quod non sunt dum fiunt; quod euenit propter imperfectionem facientis. In generatione indiuisibilium successiuorum hoc est perfectionis, quod dum fiunt sunt, & tota simul sunt; sed imperfectionis, quod raptim transeūt. Aggregando igitur perfectiones istas simul, & relinquēdo imperfectiones, habebimus genitum, quod simul generabitur, & erit, & permanenter erit. Hoc autem est genitum, cuius generatio est ęterna, siue in nunc æternitatis. Non est ergo inconueniens, quod actus generationis diuinę sit vnicus, & idem, & fiat in æternitate, & tamen sit actus perfectissimus, & ponat effectum suum in actu pro nunc æternitatis perfectissimè.

Dubiū quod facit ad propositum.

34 Sed mouet Scotus difficultatem, quæ propius facit ad rem nostram. Cum generatio filij fiat in nunc æternitatis, quibus verbis est explicanda? De hac re est contentio inter Patres. Aliqui dicunt debere dici. Filius in diuinis semper nascitur. vt D. Aug. ibi citatus à Scoto, & à Magistro. Alij per hanc loquutionem. Filius in diuinis semper est natus, vt D. Greg. citatus ibi à Scoto. Scotus hanc litem dirimit statuendo ex D. Aug. super Ioannem Hom. 99. quod verba cuiuscunque temporis verè dicuntur de Deo, siue significent actus personales, siue essentiales; ideo omnes illæ loquutiones verificari possunt de generatione verbi, vt quod semper nascitur, semper est natus, & huiusmodi, & hoc modo concordantur Patres.

Cur verba omnium tēporum verificātur de Deo.

Sed quæ est ratio propter quam verba omnium temporum verè possunt dici de Deo, & Patres possunt sic concordari? Respondet Scotus quia verba diuersorum temporum, cum dicuntur de Deo, magis propriè consignificant nunc æternitatis, quam differentias temporis: non significant tamen illud nūc æternitatis absolutè, quia non esset variatio tunc diuersorum modorum significandi, sed consignificant illud nunc æternitatis prout coexistit partibus temporis; vt cum dicitur Deus Pater genuit Filium, consignificatur nunc æternitatis, vt coexistit tempori præterito, vt sit sensus: Deus habet actum generationis in nunc æternitatis, in quantum illud nunc coexistebat præterito tempori. Cum dicimus, Deus generat; sensus est, Deus habet actū generationis in nunc æternitatis, vt coexistit tēpori præsenti. Idem de futuro. Et ex hoc patet, quod cum illud nunc æternitatis verè coexistat cuilibet differentię temporis, verè dicimus de Deo differentias temporis.

35 Ad propositum. Sicut ergo generatio verbi est actus æternus, & tamen est perfectus semper, & totus simul, & nunquam transit in præteritum, & omnes differentię temporis verificantur de eo absque eo quod intelligamus actum illum transisse in præteritum: ita actus essentialis Dei ad extra, vt est prædestinatio, prouidentia, præscientia rerum præuisarum, & prædestinatarum, non habet in se prætermotionem, licet verè de eo dicantur verba omnium temporum modo prædicto. Adest hæc differentia, quod actus generationis diuinæ est actus naturalis, & necessarius; & ideo habet terminū, scilicet filium semper, & pro quacunque differentia temporis, cui coexistit: at actus essentialis Dei ad extra, vt prædestinationis, & prouidentiæ est contingens, ideo effectus, quos producit, producit contingenter, & ideo pro quacunque differentia temporis, cui coexistit, semper contingenter agit, & habet potentiam efficiendi, & non efficiendi, vel efficiendi oppositum: ideo effectus isti prouenientes ab actu isto, possunt variari pro differentijs temporum absque mutatione Dei, & actus illius, vt dictum est. Ideo Petrus prædestinatus pro aliqua differētia temporis potest esse prædestinatus, & pro alia reprobatus, & ita potest pro aliquo tempore vitę suę esse prædestinatus, pro alio reprobatus, & consequenter: pro vltimo instanti vitæ suæ potest reprobari, & damnari potentia reducibili ad actum.

Prędestinationem, & reprobationem nostrā variari pro meritis, & demeritis.

36 Ex quo elicimus argumētū efficax prędestinationem nostram, & reprobationem variari pro meritis, & demeritis nostris: nam certum est, quod prędestinatio Petri ad gloriam, & damnatio eiusdem sunt incompatibilia; ergo dum in hac vita Petrus peccat, clarum est, quod pro illo tunc Petrus non est prędestinatus, quia cū sit in peccato mortale, est ordinatus ad pœnam ęternā, & est reprobatus: dum verò Petrus meretur, & est in gratia, pro illo tunc non est ordinatus ad pœnam ęternam, sed ad gloriam ęternam; ergo pro illo tunc Petrus est prædestinatus. At in potestate cuiuscunque est mereri, & demereri pro quolibet instanti huius vitę, etiam extremo; ergo pro quacunque parte tēporis vitę etiam vltima vitę in potestate hominis est facere se de numero prędestinatorum, & de numero reprobatorum absque vlla mutatione, & imperfectione diuinę prędestinationis. Et secundum hoc potest verificari illud dictum, quod D. August. ascribitur, licet ego apud illum non reperiam, & aliqui dicant non reperiri. Si non es prędestinatus fac vt prędestineris.

Quomodo vera sit illa propositio, Si nō es prędestinatus, fac vt prædestineris.

37 Elicitur tamen ex D. Aug. lib. 6. Hypognosticon cap. vltimo in vltimis verbis quę sunt hęc. *Hinc nemo glorietur, nemo desperet*, & paulo infra. *Pro inuicem orémus in conspectu Dei nos humiliemus dicentes, fiat volūtas tua, ipsius erit potestatis iudicium in nobis debitū mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare*. Pro eadem sententia facit illud D. Ambrosij in cap. 1. Lucę relatum de pœnitentia dist. 1. cap. *nouit*. Vbi inquit, *nouit Dominus mutare sententiam, si tu noueris emendare delictum*. Et causa 22. quæst. 4. ca. *incommutabilis*. Dicitur quod Deus incommutabilis quandoque sua mutat statuta. Et D. Hier. in Amos ad cap. 9. relatus de pœnitentia cap. *Si agamus*. Inquit. *Si agamus pænitentiam ipsum quoque suæ pænitebit sententiæ*. Et alia similia ibidem. Hoc expresè significat quoque ecclesia in quadam oratione secreta quę incipit. *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in æterna felicitate locandus*: concludit enim eam in his verbis. *Et omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis*

tionis

tionis liber adscripta retineat. Vbi cum ecclesia roget Deum, vt omnium fidelium nomina non deleantur de libro æternæ prædestinationis, manifestè supponit omnes fideles esse prædestinatos, & scriptos in libro vitæ: quod non potest intelligi, nisi quãtum est ex parte Dei, iuxta illud, *Deus vult omnes homines saluos fieri*; posse tamen ab illa prędestinatione excidere, & ideo rogat Deum ne excidant; ergo prędestinatus potest damnari, & prędestinatio est mutabilis. Et ratio est, quia prædestinatio non transit in præteritũ, & ad eam concurrit bonus vsus liberi arbitrij, quem, mediante gratia, potest quisque adultus habere etiam in articulo mortis potentia reali reducibili ad actum. Vnde Scotus in prædicta dist. 40. in corpore quæstionis, post quã probauit quod prædestinatus potest finaliter peccare, & damnari; subiunxit hæc verba. *Sed sicut potest damnari, ita potest non prædestinari*. Hoc ergo fundamento, quod prædestinatio, & reprobatio non transeunt in præteritum hic comprobato, & ex alio fundamento, quod voluntas non determinatur ad actus suos ab vllo exterìori principio, neque etiam à Deo, vt patet ex dictis supra, sed ex professo ostensum est disput. An voluntas sit nobilior intellectu, cap. 11. & sequentibus, sed Deus tantum mediante intellectu ei proponit obiectum, quod ipsam excitat, & mouet semper relinquendo ipsam liberam ad assentiendũ, vt semper sit verum quod ipsa dissentire potest potentia reali reducibili ad actum, vt habet Sacrum Conc. Trid. sess. 6. elicitur, quod voluntas est libera, & contingenter operatur, atque indifferenter opera pertinentia ad salutem ab ipsa ponuntur in esse. Et sic patet optime constare cum præfinitionibus diuinis euitabilitatem effectuum prouisorum, & prędefinitorum. Et hoc est verum de quibuscunque prędestinatis etiam maioribus in ecclesia (exceptis confirmatis in gratia, vt sunt Beata Virgo, Ioan. Baptista, & huiusmodi.) Nam neque prædestinatio istorum transit in præteritum, neque cum Deus gratia sua illos pręuenit determinat ita eorum voluntates ad actus pios, vt non possint verè efficere oppositum potẽtia reducibili ad actum; sed solum differt eorum vocatio, quia gratia superabundanti, & plusquam sufficienti eos præuenit, cui & si resistere valeant, tamen non resistunt: quia obiectum propositum voluntati ab intellectu, proponitur, sub tanta ratione boni, & alijs conditionibus conuenientibus voluntati, vt voluntas ipsorum nesciat resistere, sed libenter consentit in obiectũ propositum, vt infra dicemus in disput. de concursu Dei cum causis secundis, cap. pen. Hic modus dicendi adeo quietat mentem meam, ac naturæ rei adeo innititur, vt etiam vnumquemque alium quietare posse mihi videatur: quod si sic non euenit confiteor tarditatem mei intellectus, nullum meliorem inuenire valere.

D. Bonau. D. Bonauent. 1. sentent. dist. 40. artic. 2. quæst. 1. hanc eandem sententiam sequitur, licet in explicatione quoquo pacto variet.

D. Tho. & Scotus in hoc concordes. 38 Nec puto D. Thom. ab hoc modo dicendi dissentire, licet, vt notauit Caiet. vbi supra de hac difficultate in particulari nihil forsam dixerit. Tamen dum p. p. q. 22. art. 4. ad primum ait prouidentiam diuinam ordinare, vt effectus eueniãt *non quocunque modo, sed aliquid euenire vel contingẽter, vel necessariò, & ideo euenit infallibiliter, & necessariò, quod diuina prouidẽtia disponit euenire infallibiliter, & necessariò; et euenit contingẽter, quod diuinæ prouidentiæ ratio habet, vt cõtingenter eueniat*. Videtur tenere, quod effectus cõtingentes possint vitari, & non infallibiliter euenire, ad quod sequitur, quod prouidentia illorum non transiuerit in præteritum: quia si esset præterita ratione immutabilitatis Dei, ineuitabiliter euenirent, vt superiori capite in argumento dicebamus. Pretera 1. 2. quæst. 10. art. 4. apertè dicit voluntatem diuinam per suam prouidentiam non determinare voluntatem creatam: quia prouidentia diuina nõ corrumpit naturam rerum, sed omnino mouet secundum earum conditionem; & quia *voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferens*, sic eam mouet, vt remaneat indeterminata, & indifferens, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur; ex quo euidenter sequitur, quod effectus contingentes voluntatis non eueniunt ineuitabiliter; ergo prouidentia Dei non transit in præteritum: quia tunc ex tali præteritione, & præfinitione remaneret voluntas creata determinata ad effectus præuisos.

Responsio quorũdam Thomistarum reijcitur. Nec valet responsio Thomistarum aliquorum dicentium, quod D. Tho. vult prouidentiam Dei determinare voluntatem ad actum; sed ita determinare voluntatem, vt faciat eam facere actum contingenter. Hæc enim responsio destruit textum, quia D. Tho. ait, quod diuina prouidentia non prædeterminat voluntatem ad vnum; sed relinquit eam indifferentem. Isti verò dicunt diuinam prouidẽtiam determinare voluntatem ad vnũ actum: pręterea hęc responsio implicat repugnantiam, vt disput. illa 1. An ex duobus in equali gratia constitutis vnus saluari possit, alter nequaquam dixi.

Obiectiones Molinæ adducuntur, & soluuntur; & magis confirmatur opinio Scoti. Cap. III.

Obiectiones Molinę contra Scotum. 39 Molina p. p. quæst. 14. ar. 13. disput. 16. citat multos auctores conuenientes cum Scoto in hoc, quod prædestinatio diuina non transit in pręteritum, tamen in ea explicanda postea differunt. Recitat deinde modum dicendi Scoti cum quo ait cõuenire D. Bonau. in 1. dist. 40. p. 2. art. 1. q. 1. & alios, & eum acriter impugnare nititur. Deinde suã opinionem ponit, quã Vasquez, Suarez, & alij supra citati sequũtur; quam opinionẽ ego in 1. sent. disp. 53. c. 6. tetigi, & insinuaui non satisfacere dubitationibus allatis cap. antecedenti. Nihilominus dixi satis quietare intellectum ponendo imaginationem illam, quod actiones Dei transeant in præteritum, animo eam exactè hic explicandi: nam cum hæc imaginatio sit falsa, & causa multorum errorum, vt ostendimus cap. 1. & sequenti, nunc breuiter obiectiones eius contra Scotum sunt reijciendę, ex quarũ reiectione magis aperta manebit sententia Scoti; & opinionis Molinæ, & sectatorum infirmitas apparebit.

Prima Ratio Molinę. 40 Primo ergo arguit Molina sic. Stante opinione Scoti, quod prędestinationis, & pręscientię diuinę actus non transeat in pręterium, sed semper sit pręsens, ita vt actus ille semper egrediatur à diuina voluntate, & diuino intellectu sequitur dari potentiam ad pręteritum, etiam comparatione effectuũ, qui sunt iam in tempore extra suas causas: consequens est falsum; ergo. Consequentis falsitas patet: quia hoc solo priuatur Deus, vt facta infacta esse facere nequeat. Consequentia probatur, Certum est Deum in nunc æternitatis voluisse creare mundum pro eo nunc temporis, pro quo Deus de facto illũ creauit. Tunc sic si illa volitio non transiuit in pręteritum, sed ita hodie est in libero egressu à voluntate Dei sicut ab ęterno fuit, poterit Deus determinare oppositũ, scilicet non creare mundum: hoc autem admisso sequitur Deum posse facere, vt mundus factus non sit factus, & sic datur potentia ad pręteritum. Prima consequentia probatur, quia Deus ab ęterno antequam crearet mundum potuit velle, & non velle creare mundum; ergo si illa volitio non transiuit in pręteritum, sed voluntas respectu illius volitionis est indeterminata, & indifferens; ergo sicuti tunc cum voluit mundum creare, potuit non velle creare, ita in nunc præsenti poterit ponenere in esse ita volitionẽ creandi mundum, sicut volitionem non creandi mundum. Secunda consequentia est euidens: nam admisso, quod Deus determinet voluntatẽ suam ad nolle mundũ creare, aufertur causa totalis, & immediata creationis mundi, quę fuit volitio Dei creandi mundum: ablata autem causa aufertur effectus; ergo Deus posset facere, quod mundus non esset factus.

Secun-

2. Ratio. 41 Secundo licet voluntas diuina in nunc æternitatis antequam elegerit facere alteram partem contradictionis, vt creare mundum sit libera, & indifferens: tamen in eodem nūc cum se in alteram partem determinauit; vt cum determinauit creare mundum pro tali nunc temporis, non est amplius libera, nec indifferens ad creandum, vel non creandum mundum, sed est determinata ad alteram partem: at in nunc æternitatis non solum voluntas fuit libera, & indifferens ad creandum mundum; sed etiam actu determinauit creare mundum pro nunc tali; ergo voluntas diuina in nūc æternitatis, vt coexistit tēpori præsenti non est ita libera, & indifferens, vt ab ea egrediatur actus creationis mundi, sicut erat in nunc æternitatis, vt coexistit tempori præterito, in quo mundum creauit. Et sic est falsa opinio Scoti. Maior patet: quia si iam est determinata ad illum actum implicat contradictionem, quod sit indifferens ad illum actum; minor verò probatur. Deus creauit de facto mundum in illo nunc temporis præterito; ergo voluntas Dei se determinauit ad creandum mundum pro illo nunc; quia nō potuisset creari à Deo mundus, nisi Deus se determinasset creare mūdum: quia illa determinatio diuina est causa totalis, & immediata creandi mundum. Deus autem non incipit determinare facere aliquid in tempore; sed omnia determinauit ab æterno licet non pro æterno; ergo falsum est determinationem diuinæ voluntatis non transire in præteritum.

3. Ratio. 42 Tertio vel Deus in æternitate ex altitudine, & perfectione suæ scientiæ penetrat certò in quam partem liberum arbitrium Petri se inflecter crastina die, vel nō. Secundum dici non potest, quia tunc Deus non præcognosceret futura contingentia, quod est hæreticum; ergo primum, tunc sic; ergo Petrus pro sua libertate se inflectet in illam partem, in quam præcognouit Deus, Petrum se inflexurum; ergo nunquam est futurum, quod se Petrus inflectat in oppositam partem, esto quod possit; ergo Deus semper scuit id quod nunc scit, non autē illa scientia Dei est flexibilis modo in vnam partem, modo in aliam, quod tamen sequitur ex positione Scoti, quod illa scientia non transeat in præteritum, sed semper se habeat velut si nunc egrederetur ab intellectu diuino, qui possit hunc actum, vel oppositum scientiæ illius ponere in esse.

4. Ratio. Quarto si scientia Dei non transit in præteritum, sed semper est præsens, ac se habeat vt semper egrediens ab intellectu cum optione, vt possit scire hoc vel oppositū, sequitur, Deum circa cognitionem rerum futurarū contingentium, semper pendulum, atque hærentem se habere, neque Christum Dominum certò potuisse prædicere futura, quæ contingenter erant euentura per liberum arbitrium humanum, quale fuit peccatum Petri, quo erat Christum negaturus, & similia, quod tamen est hæreticum. Consequentia est euidens, quia stante opinione ista euētus omnis contingens esset incertus, & posset esse & non esse: posset enim liberū arbitrium creatum se vertere in vtramque partem; & proinde de illo non posset haberi vlla certitudo: & ita Apostoli non magis certi fuissent post prædictionem Christi, quod Petrus erat eum ter negaturus, quam ante prædictionem; quoniā ita erat diuina voluntas indeterminata ad permittēdum peccati Petri post prædictionem sicut prius. Similiter liberum arbitriū Petri eodem modo erat indeterminatum, ideo poterat peccare, & non peccare; ergo prædictio non fuisset certa. Atque hoc loco ita excandescit Molina contra hanc opinionem Scoti, vt eam appellet errorem.

5. Ratio. 43 Quinto admissa opinione ista Scoti sequitur tolli diuinam prouidentiam circa futura contingentia prouenientia à libero arbitrio, ac tolli prædestinationem, & reprobationem, consequens est manifestum absurdum; ergo. Consequentia probatur, quia præscientia Dei non præcederet esse rerum contingentium pendentium à libero arbitrio nostro, sed subsequeretur; tunc enim diuina voluntas decerneret facere res, quando liberum arbitrium se determinaret facere res; ergo præscientia penderet à libero arbitrio, & subsequeretur non præcederet. Hoc autem admisso prouidentiam tolli patet; quia Deus in æternitate non esset præscius, quid positis talibus, & talibus circunstantijs esset euenturum, & propterea nō posset prouidere de medijs opportunis ad ponendum in esse hoc, vel illud. Similiter si omnia adhuc in futurum sunt incerta nulla datur prædestinatio, nec reprobatio. Erit quoque adhuc incertus numerus prædestinatorum, & reproborum, quia iam nihil de futuro est determinatum, & scitum certò: quæ omnia sunt absurda aperta.

6. Ratio. 44 Sexto sunt auctoritates Sacræ scripturæ, quæ ponunt in Deo determinatam scientiam, & præteritam. Paulus 2. Thimot. 2. cap. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, cognouit Dominus qui sunt eius.* Præterea Paulus ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Item Actor. 13. *Crediderunt quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Item Rom. 8. *Quos prædestinauit hos & vocauit.* Ergo ex his habetur actum prædestinationis transijsse, & sententiam pro electis & contra reprobos esse prolatam. Et Ioan. epist. 1. *Ex nobis prodierunt sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis permansissent vtique,* & alia similia habentur, ex quibus idem argumentum colligitur.

Aliud arg. Possumus addere si prædestinatio mutatur secūdum opera nostra bona vel mala, redit sententia Semipelagianorum, quod gratia prædestinationis datur secundum merita nostra: nam prædestinatio est præparatio donorum gratiæ &c. D. August. 3. de lib. arbitrio cap. 5. inquit. *Cum sit præscius Deus voluntatis nostræ cuius est præscius ipsa erit.* Et paulò infra. *Non ergo per eius præscientiam potestas mihi admititur, quæ propterea mihi certior aderit, quia ille cuius est præscientia, non fallitur, affuturam mihi esse præsciuit.* Tandem asserit, hoc idem D. Th. p. p. q. 14. artic. 13. in responsione ad primum, atque eius sectatores sustinere.

Opinio Molinæ, Vasquez, & Suarez. 45 Propter has rationes tenet ipse Molina, qđ Deus altitudine, & perfectione sui intellectus, atque suæ scientiæ certissimè cognoscit in se ipso, & in causis liberis, qđ pro illa tum libertate sit futurum, licet oppositum posset euenire; atque hanc cognitionem certam esse in Deo ab æterno, & proinde transijsse ac certam, & immutabilem esse, nec proinde libertatem nostram tollere, quia certò præscit, quid liberum arbitrium sit voliturum, & ipse Deus decernit cum illo concurrere ad eos effectus quos voluerit, vt diximus 1. cap. qua in re Vasquez, Suarez, & multi ex recentioribus habet consortes.

Reijcitur. 46 Hæc est disputatio Molinæ contra Scotum. Verum hæc eius argumenta nullius sunt momenti, neque eius opinio de concordia præscientiæ, prædestinationis, & prouidentiæ cum liberi arbitrij nostri contingentia, & libertate stare potest: si eo modo nudè accipiatur, quo modo ab ipso ponitur, & nō suppleatur per opinionem Scoti. Nam in primis nihil dicit ad argumentum Scoti factum, & à nobis inculcatum 1. cap. huius disputationis: attamen illud est efficacissimum. Nam admissa opinione Molinæ, quod Deus altissimo suo intellectu præcognoscat futura, quæ liberè prouenient à libero arbitrio, non potest præcognoscere nisi secundum illam partem contradictionis, secundum quam euenient, vt puta, si ego cras sum lecturus Deus præcognoscit, quod cras ego legam. Si ergo hæc præcognitio transit in præteritum, non poterit fieri, vt ego cras non legam; quia admisso, quod non legam Deus falleretur, vel Dei scientia mutaretur; quæ omnia sunt absurda, vt latè ibi prosequuti sumus. Similiter nihil dicit ad illud, quod est efficacissimum argumentum, nimirum quod prædestinatus viator in toto vitæ suæ cursu vsque ad vltimū instans potest mereri, & demereri, & finaliter damnari; quia ex præde-

prædestinatione nemo confirmatur in gratia; ergo prędestinatio Dei non transit in præteritum: alioquin sine mutatione Dei non posset euenire, vt ille prædestinatus damnaretur. Quæ autem dicuntur de sensu composito, & diuiso ibi explicata sunt; neque enim ex eo quod vera est hæc propositio in sensu composito prædestinatus non potest damnari, quę est loquutio logica, tollitur, quia re vera ille homo viator, qui est prædestinatus, verè & realiter potentia reducibili ad actum non possit damnari, vt ibi explicauimus, quæ nō oportet repetere.

Argumenta Molinæ soluuntur.

47 Superest solum vt ostendamus vanitatem suorū argumentorum, & illa diluamus; ex quo magis confirmabimus opinionem Scoti. Principale incommodum quod adducit contra opinionem Scoti est, quod ea stante, sequeretur dari potentiam ad præteritum, quod in se est falsum, & nos asserimus esse falsum, quia implicat contradictionem: ad contradictionem autem nulla est potentia. At hoc incōmodum non sequitur ad opinionem Scoti, quod probo in simili. Certum est, vt pręcedenti capite diximus, generationem verbi in diuinis esse æternam, perfectam, totam simul, & tamen semper est, neque transit in præteritum, sed semper se habet Pater in illa generatione, ac si verbum semper egrediatur ab ipso perfectum tamen, vt radius à Sole, & tamen cū hoc stat, vt verba omnium temporum, scilicet præteriti, præsentis, & futuri dicantur de illo actu generationis secundum D. Aug. ibidem citatum: vnde veræ sunt omnes istæ propositiones, Deus Pater genuit verbum. Deus Pater generat verbum. Deus Pater generabit verbum. Quia, vt dicebat Scotus, ista verba consignificant non differentias temporis, sed nunc æternitatis non absolutè, sed vt coexistit diuersis istis partibus temporis: modo hoc stante, quod non puto, negaretur à Molina, si quis inferat ex hac positione sequi dari potentiam ad præteritum in generatione diuina, puto Molinam, & quemuis alium certè negaturum esse consequentiam: at consequentia probatur argumento simili argumento Molinæ, facto contra opinionem Scoti, sic. Pater in nunc æternitatis, vt coexistit tempori præterito genuit filium; tamen in eodem nunc vt coexistit tempori præsenti se habet veluti si actus generationis nunc egrediatur à se ipso, & verum est dicere Pater, generat verbum, & in nunc æternitatis, vt coexistit tempori futuro se habet veluti si actus generationis egrediatur à se ipso Patre; & vera est ista propositio Pater in tempore futuro, vt anno sequenti generabit Filium; ergo si Pater in nūc æternitatis, vt coexistit tempori præsenti, se habet, ac si nūc generatio verbi egrediatur ab eo, sequitur possibile esse vt verbum non fuerit genitum tempore præterito: hoc autem admisso sequitur dari potentiam ad præteritum, idest ad faciendum præteritum non fuisse. Consequentia est euidens, quia non stant simul, quod aliquid sit genitum prius, & nunc generetur, quia generatio pręsens includit negationem præteritæ generationis, vt patet: si enim Sortes nunc generat Filium, sequitur eum non genuisse prius eum Filium, nisi idem bis generetur, quod non potest dici de verbo Dei. Similiter si Pater in nunc æternitatis, vt coexistit tempori futuro se habet veluti si in illo futuro generatio ab illo egrediatur, sequitur dari potentiam ad præteritum, scilicet fieri posse, vt Filius non sit genitus à Patre tempore præterito; & ita fieri poterit, vt effectus, qui est positus in esse extra causas suas non sit positus in esse, quod implicat contradictionem. Cum ergo consequentia hæc non valeat in hoc argumento; neque valet in argumento Molinę aduersus Scotum, ideo solutionem, quam ipse daret huic argumento, damus nos eius obiectionibus.

48 Quod autem obiectio Molinæ sit similis huic argumento patet: quia Molina sic argumentabatur. Creauit Deus mundum tempore præterito, vt patet; & tamen in nunc ęternitatis, vt coexistit tempori præsenti secundum Scotum se habet ac si egrediatur à voluntate diuina; ergo cum sit actus contingens poterit voluntas Dei se determinare ad partem oppositam, & velle non creare Mundum, hoc autem posito datur potentia ad factē dum Deum non creasse Mundum, postquam Deus creauit Mundum. Simile est ergo argumentum Molinę argumento facto; solum differentia est in hoc, quod generatio verbi est actus naturalis: creatio mūdi est actus contingens; sed hoc parum refert, quia ambo sunt actus ęterni, & immutabiles, ideo quantum ad coexistentiam cum tempore nostro se habent eodem modo. Sicut ergo si Sortes genuit Filium anno elapso, & in præsenti generare posset eundem Filium, sequeretur posse facere, quod anno elapso non fuisset genitus (dato quod idem bis non posset gigni, vt est verum, & nunc supponimus) ita si elegisset ducere vxorem anno elapso, & de facto duxisset, & tamen in tempore præsenti se haberet, ac si non duxisset vxorem; sed eodem modo prorsus esset dispositus, vt erat dispositus anno elapso, quando duxit vxorem, sequeretur, eum posse ducere vxorem, & habere eundem actum: ad hoc autem sequitur eum posse facere quod anno elapso nō duxisset vxorem; posset enim facere quod actus ducendi vxorem, quem babuit anno elapso tunc non habuerit esse; sed in tempore pręsenti habeat esse, & sic daretur potentia ad preteritum, scilicet ad faciendum præteritum actum ducendi vxorem non fuisse.

49 Est ergo respondendum, quod in argumentis Molinæ est fallacia prouenienis ex eadem imaginatione falsa, quæ est, quod ponit in actione diuina præteritionem, & futuritionem, quæ tamen in illa non sunt; dum enim comparat nunc æternitatis ad differentias temporis præteriti, præsentis, & futuri, partitur nunc ęternitatis ad partitionem differentiarum temporis, ac si vna pars nunc æternitatis coexistat tempori præterito, altera pars illius nunc tempori præsenti, altera pars tempori futuro: & ideo hinc deducit, quod sicut est inconueniens, quod idem actus omnino permaneat in tempore preterito, pręsenti, & futuro, ita est inconueniens quod idem actus permaneat idem in nunc æternitatis, vt coexistit varijs differentijs temporis. Distinguendum est ergo quod aliud est considerare actum diuinæ voluntatis in ordine ad effectus productos à se ipso in nunc æternitatis, & vt mensuratur nunc æternitatis; & aliud est considerare eum in ordine ad suos effectus, vt coexistit partibus temporis ac ille actus, & effectus illius, illis mensuratur. Si cōsiderentur primo modo actus ille volitionis diuinæ, & effectus, qui ab ipso prouenīunt non transeunt in preteritum, sed actus ille est semper idem, & eodem modo se habens in ordine ad suos effectus: neque in effectibus illis est preteritio, vel futuritio in ordine ad illū, sed quicquid facit Deus actu illo vnico fit voluntatis sit in illo nunc ęternitatis.

Solutio argumētorū.

Solet dari exemplum, sicut Sol manens idem producit diuersos effectus, nam lutum desicat, & ceram liquefacit; sic actus ille diuinę volitionis omnino manens idē, prędestinat Petrum, & Iudam reprobat, & circa idem obiectum producit diuersos effectus, secundum diuersam dispositionem subiecti: modo enim Petrum prędestinat, modo reprobat secundum pręsentia merita, & dementia, & tamen illi effectus, vt in ęternitate sunt, non habent preteritionem, neque futuritionem, quia ibi nulla mutabilitas est, sed omnes semper pręsentes sunt. Quatenus verò actus diuinę volitionis in ordine ad suos effectus coexistit partibus temporis, tempore mensurantur; & hoc modo in eo cadit mutatio in ordine ad effectus, & inter effectus ipsos, quia supponuntur mensurę mutabili, & ideo participant conditionem ipsius mensurę, scilicet temporis, quę est mutatio, futuritio, & preteritio. Quare cum dicitur in argumento, effectus illi actus diuini inter se habent ordinem. Resp. eos non habere ordinem temporis inter se, nisi cum mensurantur tempore: cum verò mensurātur nunc æternitatis,

tis non habent ordinem temporis, nec successionis inter se, sed omnes sunt simul; quia in ordine ad intellectum diuinum non est præteritio, nec futuritio, neque vnum est secundum se ex alio, sed quia Deus vult vnum esse ex alio. Intellectus enim diuinus non discurrit, licet inter eos sit ordo repræsentationis secundum modum nostrũ intelligendi. Vnde cum volitio diuina ponit in esse actualis existentiæ creationem mundi, Incarnationem verbi, & alias res ad extra, est mutatio quidem, sed non in actu diuinæ voluntatis, neque in effectibus diuinæ voluntatis, vt sunt in nunc æternitatis; sed est mutatio ex parte rerum quatenus accipiunt esse temporale, & differentijs temporis mensurantur. Vnde Theologi communiter dicũt in huiusmodi actionibus nullam in Deo esse mutationem, sed totam esse ex parte creaturę.

50 Potest etiam hæc difficultas adhuc declarari ex propositione vulgata Theologorum, nimirum, quod Deus ab æterno vult res temporales: at non pro æterno, sed pro illa parte temporis, qua illas producit, exẽpli gratia. Deus ab æterno voluit creare mundum, at non pro æterno, sed pro illa parte temporis, qua illum creauit, & sic de alijs. Hinc ad propositum, Volitio Dei creandi mundum quatenus ab æterno Deus illa vult creare mũdum, non habet præteritum, nec futurum: quatenus verò vult illa creare mundum pro tali differentia temporis, hoc modo habet præteritum, & futurum. Accipiendo hanc volitionem Dei hoc secundo modo, Deus non potest facere, quin mundus, qui creatus fuit in principio temporis, non sit creatus: & hoc modo verificatur, quod non datur in Deo potentia ad præteritum. At si consideretur primo modo, non sequitur, quod mundus sit factus, & quod Deus non possit facere quin sit factus: quia etsi in volitione Dei quatenus vult aliquid ab æterno, sed pro aliquo tempore, vt creare mundum, detur pręteritio, & futuritio, nõ tamen sequitur ex hoc, quod etiam pręteritio, & futuritio, detur in eadem volitione, quatenus Deus ea vult verè illud idem ab ęterno absolutè: quia fit transitus in actione illa, à quatenus mensuratur tempore, ad quatenus mensuratur ęternitate: & quia quatenus mensuratur tempore cadit sub differentijs temporis, sic imaginantur aduersarij, quod etiam quatenus mensuratur ęternitate cadat sub differentijs temporis. Quę est imaginatio euidenter falsissima. Quatenus ergo Deus vult creare mundum in ęternitate absolutè, & absque comparatione ad tempus, nulla est pręteritio, nec futuritio, nec sequitur eum non posse facere non esse factum; sed quatenus Deus vult ab ęterno creare mundum pro tali tempore, sic in ea volitione cadit pręteritio, & futuritio, nec potest facere pro hoc nunc temporis, quin mundus sit creatus: quia tunc volitio Dei non consideratur, vt mensuratur propria mensura, quę est ęternitas, sed quatenus mensuratur tempore nostro, quę est mensura eius per accidens, & non propria.

Est ergo verissimum, quod licet actus diuinę voluntatis sit vnicus, & immutabilis, & simul absque sui mutatione producat varios effectus: qui in nunc ęternitatis non habent futuritionem, neque pręteritionem, tamen quatenus actus ille comparatur ad suos effectus in ordine, & mensura temporis, sic habet rationem mutabilis: diuersa enim efficit, & successiuè, & effectus illi habent pręteritionem, & futuritionem. Secundum primam considerationem Deus est immutabilis, actiones eius sunt firmę, & infallibiles. Secundum aliam considerationem possumus dicere, Deum esse mutabilem, quia multa successiuè facit, & circa idem obiectum successiuè producit effectus oppositos. Secundum primam cõsiderationem dicit Deus. *Ego Deus, & non mutor*. Et similia, iuxta aliam considerationem. Hier. 18. *Si pęnitentiam egerit gens illa à malo suo, agam & ego penitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei, si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pęnitentiam agam super bono, quod loquutus sum, vt facerem ei*. Et hoc modo possumus dicere mutari Deum, & modo prædestinare, & modo reprobare Petrum iuxta illud D. Damasceni libro contra Manicheos pag. 361. *Adnitamur ergo facere quod bonum est, vt quæ boni fiamus, vt simus ex numero bonorum, qui præcogniti, & prædestinati sunt ad vitam æternam*. Quod consonat dicto D. Aug. 6. Hypognosticon, cap. vltimo supra adducto in hoc cap. & D. Ambr. & Hyer. Non oportet ergo cõfundere vnam considerationem cum altera, & quod Deo tribuimus, prout eum, & actiones eius mensuramus tempore, tribuere ei, vt eum mensuramus propria mensura ęternitatis.

Ex hoc etiam elicitur, distinctionem illam communem ex Petro de Alliaco in 1. q. 9. & Almaino 3. d. 10. sumptam prędestinationem posse cõsiderari, vel secundum Dei æternum propositum, vel secundum præsentem iustitiam. Et primo modo semper manere, & esse immutabilem. Secundo verò modo mutabilem esse, & de facto mutari posse benè, & malè intelligi. Si intelligatur sic, quod prædestinatio secundum propositum Dei sit decretum de aliquibus finaliter saluandis ab ęterno factum, idest iam præteritum; & hac ratione sit immutabile, quia Deus non mutatur; prædestinatio verò secundum præsentem Iustitiam sit decretum de dando gratiam certis temporibus reprobis, vt faciant aliqua opera bona pro illo tempore, & ita eos prædestinare ad gloriam pro illo tempore, non autem finaliter; in quo sensu à multis intelligitur: hic sensus est falsus, quia talis prædestinatio non reperitur in Deo, vt ex dictis patet. Si verò intelligatur sic, quod prædestinatio secundum æternum propositum est immutabilis, idest Prædestinatio Dei in se, vt mensuratur æternitate, non tempore nostro, est immutabilis: quatenus verò mensuratur tempore nostro, vel quatenus varijs partibus temporis nostri coexistit est mutabilis, & de facto mutatur, est sensus verus, vt ex supra dictis patet.

51 Ad primum ergo argumentum negatur consequentia prima, scilicet ad positionem Scoti sequi dari potentiam ad præteritum. Ad probationem respondetur, quod in assumpto supponitur imaginatio falsa, scilicet quod sicut actiones diuinæ, vt mensurantur tempore, ac illi coexistere intelliguntur, habent pręteritionem, & futuritionem, ita vt sunt in ipsa æternitate, habeant preteritionem, & futuritionem: ac nunc ęternitatis diuidatur ad diuisionem partium temporis cui coexistit. Hæc autem imaginatio est falsa, quia in Deo à parte rei non sunt plures actiones, sed vnicus actus tantum, & infinitus: nos autem per nostram imaginationem apprehendimus in Deo plures, & diuersas actiones, secundum diuersos effectus: quia mensuramus operationes Dei tempore, non nunc æternitatis. Et ideo consequentia illa, quod ad præteritum sit potentia, quæ innititur illi imaginationi falsæ, non valet. Quod autem hęc imaginatio supponatur in illo assumpto, patet, quia supponit Deum decreuisse creare mundum pro tali nunc, atque in æternitate de facto creasse: supponit ergo præteritum esse in æternitate. Supponit deinde in nunc æternitatis, vt coexistit tempori nostro præsenti Deum habere actionem præsentem; ergo supponit in Deo in æternitatè actionem præteritam, & præsentem; & æternitatem esse diuisam in partem præteritam, & in partem presentem, sicut tempus. Ad primũ argumẽtũ.

52 Ex eodem fundamento patet solutio ad secundũ, supponit enim quod voluntas diuina in nunc æternitatis se determinauerit ad creandum mundum pro tali nunc temporis, ita vt illa determinatio, vt est in æternitate, transiuerit in præteritum; hoc autem est falsum: quia bene verum est, quod volũtas diuina in nunc ęternitatis determinauit creare mundum pro illo nunc, in quo actu illum creauit; sed actus ille, licet apprehendatur à nobis vt præteritus, & verè coexistat tempori præterito: Ad secundam.

tērito: tamen in ſe, & in æternitate non eſt præteritus; ſicut nec generatio filij in diuinis eſt præterita, licet illa perfecta fuerit pro illo nunc æternitatis, vt coexiſtit tempori præterito, ſicut pro eodem nunc vt coexiſtit præſenti, & futuro tempori. Ideo vana eſt fictio quam Scoto imponit, quod prius illa voluntas ſe determinauerit ad creandum, & poſtea ſe habeat indifferenter ad illam determinationem. Dicimus enim in nunc æternitatis ſemper eodē modo ſe habere abſque vlla prorſus differentia præteriti vel futuri, vel præſentis; ſed iſtæ differentiæ competunt illi, & ſuis effectibus, vt menſurantur tempore noſtro.

Ad tertiū. 53 Ad tertium etiam hoc argumentum procedit ex eadē falſa imaginatione, ſcilicet quod actus futuri contingentes, qui proueniunt à libero arbitrio humano ſint futuri, vt obijciūtur intellectui diuino in nūc æternitatis. Quod autem illa imaginatio ſupponatur in argumento patet, quia in illa maiori diſiunctiua inquit. Vel Deus penetrat in quam partem liberum arbitriū Petri ſe inflectet &c. vtitur verbo futuri temporis. Supponit etiam ſcientiam Dei eſſe præteritam, & præcedere actum illū contingentem Petri: at falſum eſt actiones futuras eſſe futuras, vt ſunt in nunc æternitatis, & illo menſurantur, ſed omnia præterita, præſentia, & futura ſunt præſentia in æternitate, non ſecundum exiſtentiam realem extra ſuas cauſas; ſed in eſſe cognito. (& ſi hoc modo intelligeret D. Tho. cum ait Deum certò ſcire futura, quia ſunt illi præſentia, eius ſententia eſſet veriſſima, & coincideret cum opinione Scoti: & ego audiui viros doctos aſſerentes, & publicè ſuſtinentes eum debere hoc modo interpretari,) Ideo argumentum procedit ex falſo fundamento. Ad illud formaliter tamen ſic reſpondeo. Et concedo Deum cognoſcere, & penetrare certò in quam partem liberum arbitriū Petri ſe inflectet craſtina die. Cum ſubiungit ergo Petrus ſe inflectet in illam partē, in quam penetrauit Deus illum ſe inflexurum. Reſpondeo hanc propoſitionem ſupponere, quod actus contingens Petri quo craſtina die ſe inflectet ſua voluntate libera in id, in quod penetrauit Deus eum ſe inflexurum, ſit etiam futurus, vt obijcitur intellectui diuino in æternitatis nunc, atque prout menſuratur nunc æternitatis: hoc autem eſt falſum, quia ſemper eſt præſens, ſicut omnia alia futura: & hac ratione Deus omnia futura cognoſcit, quia ſunt ſibi ſemper præſentia. Si autem conſideretur actus ille, vt eſt in tempore, & in ſua exiſtētia, ſic eſt futurus, & hac ratione poſſumus explicare cognitionem Dei reſpectu illius actus futuri per verbum de futuro, quia conſignificat Deum in nunc æternitatis cognoſcere in quam partē ſe inflectet Petrus craſtina die, prout illud nunc coexiſtit tempori futuro craſtinæ diei: tamen abſolutè in ſe, & vt menſuratur nunc æternitatis non eſt futurus: ideo ex hac certitudine cognitionis futurorum contingentium nō elicitur, quod actus illi ſint futuri apud Deum; ſed oppoſitum.

Cum ſubiungitur ergo nunquam eſt futurum, quod ſe Petrus inflectat in aliam partem, quam in eam, in quam penetrauit Deus Petrum pro libertate ſua ſe inflexurum. Reſpondeo etiam in hac conſequutione ſupponi, quod præſcientia Dei illius actus cōtingentis tranſierit in præteritum, & quod actus ille contingens futurus, ſit etiam futurus in æternitate, quod eſt abſurdum. Dico ergo quod actus ille Petri contingens, vt menſuratur nunc æternitatis ſe habet ſemper ac veluti ſi egrediatur tunc à libera voluntate Petri, & a Deo: & actus ſcientiæ Dei ſe habet ac ſi tunc egrediatur ab intellectu Dei reſpectu illius actus Petri, & quorumcunque aliorum futurorū: & hoc modo Deus illū cognoſcit certò, & cognitio Dei reſpectu illius actus nō præterijt, ſed ſemper eodē modo ſe habet, & perfectiſſimè cognoſcit illū actum tàm in præterito, quàm præſenti, & futuro, quia apud eum nihil eſt præteritum, neque futurum. Quatenus tamen menſuratur temporis differentijs, habet præteritum, & futurum, vt dictum eſt; & hac ratione poſſumus dicere actum diuinæ præſcientiæ præterijſſe, & effectus contingentes eſſe futuros: at poſita hac imaginatione falſa, non debemus ponere in Deo immutabilitatem reſpectu actionū ab eo prouenientium: quia actiones illæ tunc ex hipoteſi ſubijciuntur menſuræ variabili, & ideo non poſſunt apprehendi niſi vt variabiles; & ſic non eſt incōueniens dicere, Deum modo prædeſtinare Petrum, modo eum reprobare pro diuerſo ſtatu, & operationibus Petri, ad quas Deus concurrit cū ſit prima cauſa. Ad peccatum enim Petri concurrit permiſſiuè, ad bonum per ſe; ergo data hac hipoteſi poſſumus dicere Deum mutari, imò habere diuerſos actus; & tamen certiſſimū eſt Deum vnico actu ad extra omnia facere.

Ad quartū. 54 Ad quartum patet ſolutio ex exemplo generationis verbi in diuinis, nam generatio illa eſt æterna, non tranſit in præteritum, ſed ſemper ſe habet ita, vt filius ſemper generetur, & exeat eodem modo à Patre, & tamen non ob id ſequitur, quod ille generationis actus ſit imperfectus, & quod filius Dei ſit ſemper in fieri, & nunquam factus, ſed ſemper eſt natus, vt dicebat D. Gregorius recitatus à Scoto in 1. diſt. 9. in reſponſione ad tertium principale. Ita actus ille diuinæ voluntatis ad extra eſt vnicus, & ſemper idem manens infinitus, & illimitatus: ideo ſemper eſt perfectiſſimus, & ea omnia tam præterita, quàm præſentia, & futura perfectiſſimè cognoſcit. Et miror Molinā virum alioqui acutum hæc non aduertiſſe, quæ continuo præ manibus Theologi habent. Ad argumentum ergo nego ex opinione Scoti Deum circa futura contingentia ſemper pendulum, atque hærentem ſe habere, neque aliquid certò poſſe ſcire: quia actus ille ſcientiæ diuinæ, & ſi ſemper egrediatur à diuino intellectu, neque tranſeat in præteritum, neque habeat futurum, tamen eſt perfectiſſimus, & determinatiſſimus; ſed tamen propter ſuam infinitatem & illimitationē certiſſimè cognoſcit ſimul omnia, quæ apud nos præterita, vel futura ſunt, & ita poteſt prædicere quæ in tempore poſtea futura ſint certò, quia illa certò cognoſcit, non vt ſibi futura, ſed futura in ordine ad exiſtentiam illorum in tempore, non in ordine ad ſe, & ad nunc æternitatis, vt dictum eſt.

Ad quintū. 55 Ad quintum. Ex dictis patet falſiſſimas eſſe omnes illas conſequentias: quia ex eo quod Deus vnico actu perfectiſſimo efficit omnia, & omnia cognoſcit, & non tranſit in præteritum, ſequitur, quod Deus habeat perfectiſſimam ſcientiam omnium futurorum, & conſequenter habeat prouidentiam, & prædeſtinationem immutabilem, & infallibiliſſimam, & perfectiſſimam. Argumentum autem ſupponit, præſcientiam Dei, & res vt illi obijciuntur in æternitate habere præteritum, & futurum, & actum illum præſcientiæ, & prædeſtinationis, & prouidentiæ eſſe imperfectū, niſi tranſeat in præteritum, ſed ſemper ſe habeat vt præſens: quæ omnia iam reiecta ſunt, & eorum falſitas eſt oſtenſa.

56 Quod verò ait ex opinione Scoti ſequi, quod ſciētia Dei, & prouidentia, ac prædeſtinatio eiuſdem penderet à rebus, eſt alia quæſtio, de qua diximus aliqua ſuperius; ſed multa inferius dicemus loquentes de prædeſtinatione, & in diſput. edenda de concurſu cauſæ primæ, cum cauſis liberis. Pro nunc dico hoc non eſſe inconueniens, & hoc idem etiam ſequi ex opinione Molinæ. Dicit enim, quod Deus altitudine ſcientiæ ſuæ præcognoſcit omnia futura in cauſis ſuis, ita quod præſcit, quid liberum arbitrium meum craſtina die ſit facturum, ergo præſcientia Dei ex ipſo Molina pendet ex rebus: & cum ſuſtineat, vt nos quoque, & omnes Catholici ſuſtinemus, liberum arbitrium partialiter concurrere ad actus contingentes noſtros, ſequitur præſcientiam, & prædeſtinationem, ac prouidentiam aliqua ex parte pendere à rebus; ſed hoc non dicit in eis imperfectionem: hoc enim modo Deus voluit diſponere res, vt ad actus concurrāt, ideo neceſſe eſt, vt Deus ſciat illas res, quia cognoſcit cau-

sas illas producturas res esse, & sic præscientia Dei &c. pendere à rebus non est absurdum.

Ad sextum.

57 Ad sextum respondetur ad omnes auctoritates, quod scientiam, prouidentiam, prædestinationem, & omnes actiones Dei transire in præteritum potest intelligi duobus modis: vno modo vt mensurantur nunc æternitatis absque vlla relatione ad tempus: alio modo quatenus mensurantur nunc æternitatis nõ absolutè, sed quatenus coexistit differentijs temporis. Auctoritates scripturæ, & Sanctorum Patrum ponentes præteritum, & futurum in actionibus diuinis loquuntur secũdo modo non primo: nos loquimur primo modo, vt supra explicatum est. Loquuntur enim scriptura, & Sancti de Deo more humano, & secundum imaginationẽ illam, quod Dei operationes se habeant vt humanæ: qui mos est frequens Sacræ scripturæ; sicut etiam ponit in Deo oculos, manus, pedes, & similia, quæ tamen Deum non habere est res certa. Vnde ad illud ex secunda ad Thimoteum cap. 2. & similia, quæ dicunt Deum determinasse numerum electorum, & eos non casuros de manu sua, & similia patet ex eodẽ: non. n. volunt dicere, quod actus prædestinationis respectu differentiarum temporis, & obiectorum nõ mutetur, sed volunt astruere quod quia omnia sunt præsentia Deo, etiam futura, Deus certò scit qui pro vltima differentia temporis benè operabuntur & iustificabuntur, ac saluabuntur: & ideo Deus firmissimè scit, scilicet ratione certitudinis suæ scientiæ, qui sint eius: & hæc scientia, & decretum est immutabile, non quia decretum iam præterierit, sed quia omnia ei sunt præsentia in esse cognito. Ad illud quod si prædestinatio mutaretur vera esset sententia Semipelagianorum, negatur consequentia; Semipelagiani enim loquebantur de meritis liberi arbitrij puri, non de meritis gratiæ, vt aliàs sæpius dictum est, ideo valde ab illis differimus: hoc autem sustinendo de meritis gratiæ nullum est inconueniens.

Ad illud ex 2. ad Thi.

Ad aliud argum.

58 Ad confirmationem ex D. Tho. respondeo (quicquid sit de illius opinione ac Sectatorum, à quibus in multis discrepamus) certum esse ex eo loco D. Tho. non haberi, quod actiones Dei, scientia, &c. transeant in præteritum: concedit enim in causis secundis esse contingentiam; modo si præscientia Dei, prouidentia &c. transissent in præteritum, nõ possent oppositum eorum, quæ præscita sunt, efficere absque mutabilitate Dei: at Deus est immotabilis; ergo scio quid sui sectatores respondeat; sed de mente D. Tho. ibi, hęc sufficiant, superius enim & disput. 1. edenda reiecti sunt.

Quę sit opinio D. Th. secundũ auctorem.

59 Hęc ergo est perfectissima ratio concordię. Scientia Dei futurorum contingentium est infallibilis, & certissima: quia omnia futura contingentia pręterita, & pręsentia ab ęterno sunt pręsentia in conspectu intellectus diuini, non in suo esse reali existentię, sed in esse cognito Dei, nempè per actum illũ vnicum infinitum suę cognitionis, prouidẽtia, & prędestinatio Dei sunt certę, & infallibiles, quia cum eis non potest stare oppositum; quoniam nihil vincit voluntatem eius; tamen neque pręscientia Dei futurorum contingentium, neque prouidentia, neque prędestinatio tollunt contingentiam à rebus, neque ponunt ineuitabilitatem, neque infallibilitatem ex parte effectuum contingentium: quia non transeunt in pręteritum, sed actus diuinę volũtatis, quo prouidet, & prędestinat, ac reprobat idem perfectissimus, & determinatissimus in nũc ęternitatis, semper eodem modo se habet, & absque sui mutatione diuersos effectus contingentes in tempore, liberè producit cum causis creatis liberis pro illo nunc temporis, pro quo illę res createę producuntur, & sic prędestinat Petrum dum operatur bonum, eundem reprobat dum operatur malum, & sic de alijs. Vnde nullam patiuntur res createę vim, vel necessitatem; Deus enim illo actu infinito suę voluntatis cum liberis arbitrijs creatis virorum, qui tempore præterito perierunt in nunc ęternitatis, vt coexistit tempori præterito, concurrit ad effectus eorum contingentes. Cum liberis arbitrijs nunc operantibus concurrit Deus in nunc ęternitatis, vt coexistit tempori præsenti. Cum liberis arbitrijs futuris concurrit in nunc æternitatis, vt coexistet tempori futuro. Et sic nunquam est præterita actio Dei, in quantum est causa rerum futurarum contingẽtium respectu causę secundę contingenter operantis; sed semper pręsens cum causa secunda operatur: & facit quod causa secunda libera vult absque mutatione actus diuinę voluntatis: quia in se semper est eadem sine præteritione, & futuritione, licet, vt coexistit differentijs temporis, possit dici pręterita, pręsens, & futura.

Epilogus concordiæ.

Obiectiones nonnullæ ex prouidentia Dei, & præfinitione actuum bonorum, & malorum, dissoluuntur, & opinio Scoti magis explicatur, & confirmatur. *Cap. IIII.*

60 AD perfectam intelligentiam concordiæ assignatæ à Scoto, oportet adhuc soluere nõnullas obiectiones, quæ faciunt difficultatem, & tactę sunt ratione quinta a Molina superiori cap. adducta. Principalis aũt oritur ex prouidentia Dei. Nam licet opinio Scoti quietet animum quo ad prouidẽtiam, & pręd estinationem, tamen quo ad prouidentiam remanet dubitatio. Certissimum enim est, Deum habere prouidentiam omnium rerum, etiam minimarum: at ratio prouidentiæ est ordinare omnes res in fines suos, & disponere omnia media ad illos consequendos. Prouidentia enim est ratio ordinandorum omnia in finem; vnde ad eam pertinet cognitio rerum omnium, qua cognoscat quid agẽdum, & qua res ipsas ad fines suos ducat per media sua, vt elicitur ex D. Thn. p. p. q. 22. art. 1. & ex Scoto quodlib. 21. in fine, & alijs Theologis communiter: est enim de fide. Pręfinit ergo Deus per suam prouidentiam omnes actus tàm naturales quàm liberos, priusquam sint actu. Ex hoc autem sequitur, quod licet actus diuinæ prouidentię circa res humanas non transeat in præteritum, sed in eodem momento cum rebus ipsis, & causis liberis sit, & concurrat, tamen prius natura saltem est pręfinitio illa diuinæ prouidentię, quam causa creata efficiat; ergo licet actio Dei non transeat in pręteritum, tamen prioritate naturæ in causalitate præcedit causalitatem causæ secundæ. 1. Obiectio

Quod si quis respõdeat, vt supra diximus, quod Deus non præfinit actum voluntatis creatę, priusquam voluntas creata exeat in actum, sed expectat (vt ita dicam) voluntatis creatæ determinationem, ad cuius consensum sit paratus simul natura concurrere cum ea. Contra hoc vilificat diuinam prouidentiam, immo ipsam omnino tollit de medio; quia actus contingentes euenirent casu respectu Dei, non autem quia à Deo essent præuisi, & præordinati, quod repugnat fidei, & Sacræ scripturæ, quæ vult, quod Deus omnia gubernet, & disponat prouidentia sua. Vnde Sapient. 14. dicitur. *Tu autem Pater gubernans omnia prouidentia.* Et iterum de sapientia Dei dicitur. *Attingens à fine ad finem fortiter, disponens omnia suauiter.* Consequentia verò probatur, quia tunc diuina voluntas non determinaret res, & actus futuros, sed voluntas creata esset, quæ prius determinaret velle hunc, vel illum actum elicere, & Deus sequeretur voluntatis creatæ determinationẽ. Et quia voluntas creata semper est libera, & contingenter eligit, Deus nunquam certò sciret quid illa esset volitura, nisi dum actu ipsa eliceret actum. Non ergo actum illum ordinaret & pręfiniret; ergo tollitur prouidentia Dei.

61 Præterea, secundum loquutiones Sacrę scripturę Deus aliquos actus liberos videtur pręd efinire, & facere, vt omnino in tempore à voluntate ponantur in esse antequam pręcognoscatur quid volũtas circa illos actus sit electura; vt fuit consensus B. Mariæ Virginis in Conceptione filij sui, & similia. Et hoc importare videntur 2. Obiectio

deritur illæ loquutiones sacræ scripturæ. Sapient. 14. *At tingens à fine, vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter*. Et illud prouerbiorum cap. 21. *Cor Regis in manu Domini quocunque voluerit vertet illud*. Continuò etiam rogamus Deum, vt dirigat volũtates nostras, & gressus nostros; ergo Deus non expectat voluntatem nostram, sed ipse primus eam mouet, & determinat ad opus illud, quod sibi placet, & in hoc videtur præsertim prouidentia Dei consistere.

Tertio posset quis sic arguere: Omnes admittunt, quod prędestinatus in sensu composito non potest damnari; ergo stante prædestinatione Petri, est impossibile, Petrum damnari; ergo prædestinatio imponit necessitatem. Hæc obiectio facta est superius capitul. 2. & declarata, sed eam adhuc adduco, vt magis explicetur.

62 Quarto aliqui sic arguunt. Vera est ista propositio. *Prædestinatus potest damnari, tamen non damnabitur*; ergo signum est, quod prædestinatio transit in præteritum.

63 Quinto alij sic. Cum propositione de inesse vera, stat veritas propositionis oppositæ de possibili. Exempli gratia; vera est hæc. *Sortes volens A. potest non velle A.* ecce cũ illa de inesse vera *Sortes volens A.* stat veritas oppositæ de possibili; *potest non velle A.* ergo ita in proposito hæc stant simul, quod voluntas Petri prædestinata, & determinata sit ad faciendum opus bonum, à gratia efficaci, & tamen stet simul possibilitas ad oppositum; ergo licet prædestinatio, & prouidentia prætereãt, & determinent actum, non tamen tollunt libertatem.

64 Sexto, istæ propositiones sunt veræ. Prædestinatio Dei est infallibilis; prouidentia Dei est infallibilis; ergo quidquid est Prædestinatum, & prouisum à Deo est infallibile; ergo prædestinatus infallibiliter saluabitur; ergo prædestinatio transit in præteritum.

Resp. Thomistarũ reijcitur.

65 Propter has rationes Thomistę recentiores tenẽt præsertim, Deum prædeterminare physicè, & realiter omnes actus futuros voluntatis creatę; sed hanc opinionem reijciemus in materia de auxilijs, disp. 1. edenda.

Responsio Suarez Vasquez, & aliorum.

66 Suarez verò lib. 3. de Auxilijs cap. 17. & lib. 1. ca. 16. & alibi in eiusdem opusculis. Vasquez p. p. disp. 87. cap. 1. & disp. 99. cap. 5. & alij respondent, vt supra dixi, quod aliud est prefinire actus liberi arbitrij, & aliud est prædeterminare physicè voluntatem ad actus tales futuros: quia hęc prędeterminatio physica aufert libertatẽ, vt disputatione prędicta ostendemus; at prędefinitio nõ aufert libertatem voluntatis, nec contingentiam à rebus, quod declarant: quia Deus per scientiam conditionatam optimè cognoscit quid voluntas creata B. Marię Virginis sit volitura tali tempore si ei tale obiectum cũ tali circunstantia offeratur; & eadem scientia cognoscit quod si offeratur tale obiectum illi cum tali circunstantia consentiet, vt si Deus per Angelum nunciet ei, quod vult, ipsam concipere filium Dei si ei placet, & sit præuenta Spiritu sancto, & tali gratia ipsa dabit assensum infallibiliter. Cum ergo hoc optimè cognoscat Deus potest in se ipso decernere, & definire, quod B. Virgo tali tempore prębeat assensum suum nuntiationi Angelicę de concipiendo filium Dei; & deinde ad extra dum cõcurrit cum Virgine ad illum actum non determinare voluntatem Virginis ad hunc actum; sed solum potest vti medijs illis, quibus adhibitis, ipse scit, quod B. Virgo infallibiliter, liberè tamen, dabit consensum suum. Ecce quod ista prędefinitio actus liberi non ponit necessitatem, nec aufert libertatem Virginis, quia prędefinitio Dei actus illius Virginis est immanens tantum intra Deum, & nihil ponit extra Deum in voluntate Virginis, quo eius voluntatem prędeterminet ad actum illum, sed eam liberum relinquit: id autem, quod extra se efficit, vt inducat Virginem ad hunc actum est vti medijs, quibus ipse pręscit, quod si illa adhibeat, ipsa liberè eliciet actum illum. Hęc ergo Prędefinitio non aufert libertatem actus nostrę voluntatis, & hoc modo dicunt, Deum mouere omnes electos ad opera bona: Deus enim ab ęterno scientia conditionata cognoscit, quę sint media congrua ad faciendum, vt hic vel ille efficiat actus bonos, & conuertatur: ideo ijs, qui sibi placent, Deus pręfinit, vt habeant actus bonos, & vt habeant actus illos, pręfinit adhibere illa media congrua, quib. pręscit, quod adhibitis illis operabuntur illos actus bonos, ijs verò, quos non prędestinauit ad gloriam, non dat media congrua quibus pręscit illos elicituros fore actus bonos, & conuersionem; sed dat media quidem incongrua: ideo non consequuntur finem suum, scilicet vt illi operentur bonum, & de facto conuertantur. Differunt verò, quia Suarez lib. 2. cap. 7. & sequentibus tenet, Deum non prefinire omnes res creatas, vt minimas res, quemadmodũ est numerus muscarum, & motum vniuscuiusque illarum in hãc, vel illam partem, & similia. Vasquez verò p. p. disp. 87. cap. 1. tenet, Deum necessariò prefinire omnia, etiam minutissima, quia sicut concurrit cum causis secundis ad effectum quemcunque etiam minimum, necesse est etiam, quod per suam prouidentiam illũ definiat: vnde cum concurrat ad causalitatem cuiuscunque muscæ, & motum einsdem, necesse est quod numerum illarum, & motum prædefinierit. Quod etiam est clarum in Sacra scriptura, vt patet Matt. 6. Lucæ. 12. vbi ait Christus Dominus, quod Passer prouidentia Dei gubernatur. Ex quo sequitur, quod cum Deus concurrat ad omnes actus liberos voluntatis creatę, etiam ad actũ peccati, quo ad materiale, quod etiam omnes illos Deus prædefiniat, & quo ad hoc mihi probatur opinio Vasquez magis quam opinio Suarez propter rationem adductam.

Censura responsionis allatæ.

67 Hæc solutio, vt dixi supra, est bona, sequendo illam imaginationem, attamen non plenè quietat intellectum: quia duo sunt, quæ reddunt eam difficilem. Primum est, quia vt supra dixi, si sustineamus, hanc prædefinitionem esse ęternam, & præterijsse, iam debet impleri in tempore propter immutabilitatem Dei; ergo in se simpliciter est ineuitabilis, licet voluntas ad illam liberè eliciendam se determinet ex medijs sibi congruis nota: hoc autem videtur esse inconueniens, quia sustinendum est, secundum fidem, quod actus liber voluntatis nostræ pro illo tunc temporis, quo elicitur, simpliciter fieri possit, vt non eliciatur, ac omnino non sit: posita autem hac prædefinitione, actus ille ineuitabiliter pro illo tunc temporis erit.

Aliud, quod facit hanc opinionem mihi improbabilem est, quod ipsa posita, sequitur, quod peccatum in reprobis habeat excusationem: consequentia probatur, quia Deus præfinit Petrum habere actus bonos, eo quia decreuit dare illa media, quæ per scientiam conditionatam prænouit esse congrua, vt liberè efficiat actus bonos, Iudæ verò non præfinit dare actus bonos, quia decreuit non dare illi media congrua, vt bene operaretur, sed decreuit dare quædam media, quæ non erant congrua ad inducendum voluntatem ad liberè eliciendum illos actus; ergo posset Iudas excusari si peccauit: quia licet Deus dederit illi media ad operandum bonum, non tamen dedit ei media congrua, sed incongrua; congrua autem sunt necessaria ad eliciendum bonum; ergo non potuit facere bonum, vt Petrus. Falsitas autem consequentis est euidens. Hanc rationem contra hanc opinionem latè prosequuti sumus supra disputatione 3. Capite 6.

Vera solutio ex Scoto.

68 Melius ergo satisfacere possumus omni dubitationi, sustinendo cum Scoto, quod prædefinitio actuum bonorum non transit in præteritum. Est ergo dicendum, quod diuina voluntas definit, mouet, regit, & dirigit voluntatem nostram, concurrendo secum simultate naturæ, & temporis, licet sit prior dignitate. Hæc autem definitio, gubernatio, directio, & huiusmodi, nihil aliud

sunt in re ipsa, nisi actualis motio, qua Deus mouet voluntatem creatam ad operandum; motio autem ipsa nihil aliud est nisi volitio Dei, Deus enim omnia efficit per actum voluntatis suæ.

Quomodo Deus præfinit actus liberos. Vt ergo intelligamus quomodo Deus præfinit, mouet, &c. actus nostros, præsertim liberos, videndum est, quomodo velit actus nostros liberos: hoc autem ex ipsis Theologis est facile declarare præsertim ex Scoto in 1. sent. d. 47. & 46. Notandum est ergo quod vt habet ipsemet Scotus in 1. dist. 47. vbi disputat, An permissio diuina sit actus voluntatis diuinæ. In nobis potest intelligi duplex actus voluntatis, velle scilicet & nolle. Vtrumq; aũt põt distingui in velle efficax, & in velle remissum; vt dicatur velle efficax, quo voluntati non tantum complacet esse voliti, sed si posset statim ponere volitum in esse, statim poneret: velle autem remissum est quo ita volitũ placet voluntati, quod tamen voluntas non ponit illud in esse, licet possit ponere in esse: ita nolitio efficax est, qua non tantum nolens impedit aliquid fieri, sed si possit omnino destruit illud. Nolitio verò remissa est, qua ita displicet nolitum, quod non prohibet illud esse, licet possit.

69 Ad propositum, licet in Deo sit tantum vnicus actus, tamen quia ille per suam infinitatem, vt supra diximus, respicit simul diuersa obiecta, & producit oppositos effectus, vt trãsit super obiecta, potest respectu vnius habere velle efficax, respectu alterius velle remissum: respectu vnius nolle efficax, respectu alterius nolle remissum: dimitendo modo membrum illud nolitionis, de quo egimus tractando, An Deus sit causa actus materialis peccati, & accipiendo membrum primum de volitione; certum est, in Deo esse volitionem efficacem, & volitionem remissam. Voluntas efficax est voluntas beneplaciti Dei, & voluntas remissa est voluntas antecedens, de quibus agit Scotus in eodem 1. d. 46. Voluntas beneplaciti est, qua Deus vult vltimata voluntate, & vltimata determinatione aliquid esse; voluntas antecedens est, qua, quantum est ex se, vellet aliquid, & illud sibi placet, tamen illud vltimata voluntate non vult esse, licet posset velle, & facere illud esse.

Nõ est certũ, Deũ volũtate beneplaciti velle omnes actus bonos. 70 Ad propositum, non est certum, an Deus definierit de facto, omnes actus supernaturales, & bonos in particulari, & cum omnibus circunstantijs, quas habẽt, idest non est certum, Deum voluntate beneplaciti, & vltimata voluntate velle omnes actus bonos supernaturales, qui fiunt: fiunt enim forsam multi actus boni supernaturales, quos Deus vult, tantum voluntate antecedenti. Quod autem non sit certum, Deum non prædefiniuisse de facto omnes actus bonos, sustinet, & optimè tuetur Suarez lib. 3. de Auxilijs cap. 17. quia de hac re nihil habetur definitum in Concilijs. In Patribus res est dubia: saltem nullus est, qui apertè dicat, Deum præfiniuisse omnes actus bonos. Auctoritas autem principalis, quæ adduci solet ab ijs, qui tenent, Deum præfiniuisse, siuè velle omnia opera bona voluntate beneplaciti, est illa ad Ephesios 2. *Creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* At vt optimè ibidem notauit Suarez, illa non loquitur de voluntate efficaci, & beneplaciti, sed de voluntate sufficienti, siuè de voluntate antecedenti, & remissa, & quantum est ex se. Et re vera valde probabile est, quod multa opera bona fiant ab hominibus, ad quæ Deus non concurrat voluntate omnino efficaci, & vltimata determinatione, sed tantum concurret voluntate antecedenti, idest quantum est ex se, dando voluntati auxilia, & adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus potest sufficienter efficere bonum; & quia ipsa voluntas assentit ipsis adiutorijs fit opus bonum, & sic auxilium sufficiens fit efficax. Et hoc ex Scoto elicitur in illa disput. 46. ad Primum, vt nunc patebit.

Deus vult efficaciter 71 Puto ergo dicendum de facto Deum præfiniuisse, idest efficaciter, & vltimata determinatione velle aliquos actus bonos excellentes, qui sunt necessarij ad rectam gubernationem ecclesiæ, & ad salutem totius generis humani; necesse est enim in Ecclesia esse maiores, qui ipsam gubernent. Huiusmodi sunt actus omnes meritorij Christi. Consensus B. Mariæ Virginis in conceptionem Christi. Idem dicendum de prædicatione Apostolorum, & Prophetarum, & quibusdam alijs actibus excellentibus aliorum Sanctorum, quos Deus præfecit varijs modis Ecclesiæ suæ, vt illis mediantibus alios homines ad fidem, & vitam æternam duceret. Quod optimè docet quoque Suarez eodem 3. lib. de auxilijs cap. 17. licet teneat probabile esse hoc etiam de omnibus alijs actibus bonis Electorum; qua in re ego secum non sentio: alios enim actus bonos particulares saltem pertinentes ad personas priuatas, si non omnes, saltem plurimos teneo esse volitos à Deo voluntate antecedenti, & remissa, & ex suppositione, non efficaci, & beneplaciti. quosdam actus bonos principales non omnes actus priuatos.

72 Et quod quidem Deus prædefinierit, & efficaciter velit actus illos excellentes, probatur per illud Pauli. *Cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suum*, &c. Vbi per plenitudinem temporis omnes Sancti intelligunt tempus præfinitum à Deo, quo Christus nasceretur. Et potest confirmari, quia communiter Theologi ponunt in Deo voluntatem beneplaciti, & signi. Necesse est ergo quod Deus velit aliquid voluntate beneplaciti: hoc autem debet esse obiectum bonum; ergo est verisimile, quod maximum bonum hac voluntate velit Deus: eiusmodi actus sunt optimi; ergo.

73 Quo autem ad secundam partem, scilicet quod non omnes actus bonos Deus velit voluntate efficaci, & beneplaciti, sed antecedenti, & remissa, qui tamen actus sint & fiant, probo in primis ex Scoto: nam in dist. illa 46. ad primum, exponens illam auctoritatem. *Deus vult omnes homines saluos fieri*. inquit, quod intelligitur de voluntate antecedenti sic: idest vult saluos fieri quantum est ex se, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia, sufficientia ad salutem. Et dat exemplum de Rege statuente leges bonas, & præfigente Ministros ad custodiam istarum legum. De hoc enim Rege posset dici, quod vult omnes subditos suos pacificè viuere, & quietè; & tamen si videret aliquem tribulari iniustè, non statim oporteret, quod Rex intromitteret se ad faciendum illum quietè viuere, nisi deuolueretur causa ad ipsum per querimoniam. De facto ergo vult quidem Rex, quemlibet pacificè viuere antecedenter, non tamen vult quemcunque immediatè, & efficaciter ita viuere: ita, inquit, dicendum esse de Deo, quod, etsi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad illum, & illum saluandum, tamen vult illi, & illi, illa adiutoria communia antecedentia ad salutem omnium, quibus iste, & ille etiam potest sufficienter benè viuere, & saluari.

74 Tunc sic arguo. Sicut ergo actus, quo vnusquisque particularis pacificè, & quietè viuit, potest dici volitus à Rege, quia licet illum non voluerit immediatè, & efficaciter, tamen illum voluit, & vult mediatè, scilicet mediantibus auxilijs illis communibus, & voluntate remissa, & antecedenti; ita actus omnes boni, quos efficit voluntas creata mediantibus adiutorijs sufficientibus communibus, & antecedentibus ipsius Dei, possunt dici esse voliti à Deo: quia licet illos non velit immediatè, & efficaciter, vult tamen illos voluntate remissa, & antecedenti, & quantum est ex se, & mediatè, scilicet mediantibus auxilijs, & adiutorijs illis communibus sufficientibus, & antecedentibus; & ita possumus dicere Deum præfinire, & velle omnes actus bonos, sed differenter, quosdam enim vt quosdam excellentes, qui sunt ordinati tanquam principia quædam ad commune bonum, & forsan aliquos alios particulares prout diuinę sapientię bonum videtur, vult voluntate beneplaciti, & eos definit absolutè futuros: quosdam verò vt actus

bonos

bonos communes vult, & definit tantum voluntate antecedenti, vt dictum est.

75 Confirmatur hæc assertio, quoniam est impossibile aliter velle, & prædefinire actus bonos, stante hac dispositione, & decreto diuinæ voluntatis, quod homines sint liberi, & quod in potestate hominum sit acquirere sibi gloriam æternã, vel damnationem: hoc enim supposito, non potest Deus velle, & difinire, quod actus boni hominũ efficaciter, & ineuitabiliter sint: sic enim non mererentur homines illis, quia in necessarijs non meremur, nec demeremur. Hi actus autem essent necessarij saltem extrinsecè, vt supra diximus; & ij, qui non habent actus bonos, essent excusandi: quia Deus actus illorum non præfinit, nec vult voluntate efficaci, & immediata. Stante ergo hac conditione diuina, quod homines sint liberi, & liberè consequantur gloriam, quam illis vt brauium proposuit, vel damnationem, debuit in primis eos liberos creare, & legem, ac præcepta eis tradere, vt scirent quid agere deberent: deinde, quia viribus naturalibus non possunt efficere actus supernaturales meritorios vitæ æternæ, vt est adimplere legem, & mandata debuit præparare eis auxilia supernaturalia, quibus actus supernaturales efficere possent. Et quia multitudo hominum, & Ecclesia debuit esse ordinata, erat necessarium, vt in ea constitueret caput, & membra principalia, siue maiores, qui totam multitudinem regerent, & inducerent via, quæ ducit ad gloriam, cuiusmodi sunt Christus Dominus, B. Virgo, Apostoli, & alij Sancti, ac maiores in Ecclesia, & istis maiora auxilia præbere debuit, quam priuatis hominibus. Ideo Christus Dominus cum esset Caput, habuit plenitudinē gratiæ, de qua accipimus oēs. Cæteri verò, Apostoli, Prophetę & Sancti superabundantē, & plusquam sufficientem habuerunt, vt efficerent actus bonos: quia illi sunt quędam conditiones, & principia ad totius generis humani remedium, & salutem; & ita fuit cōgruum, vt hos actus excellentes absolutè, & efficaciter vellet. Alijs verò particularibus, & priuatis dedit auxilia sufficientia communia, quibus possunt saluari, si velint, immo quibus excitentur, & trahantur ad operandum bonum, licet non efficaciter, & vltimata determinatione, sed quãtum est ex se. Et ita actus eorũ, qui operantur bonum, non sunt præter intentionem, & voluntatem Dei, sed sunt voliti, & intenti, & placent Deo, licet non sint intenti, vt dictũ est, efficaciter, sed remissè. Vnde si aliquis priuatus non efficit bonum opus, non est necesse, vt Deus statim se intromittat, & faciat voluntate sua efficaci illum facere bonum opus, sed sufficit, quod det ei auxilia sufficientia communia. Exemplum Scoti est pulchrum, & clarè hoc manifestat. Cum Rex statuit leges rectas populo suo, ac præfixit Ministros ad custodiã illarum legum, vt subditi rectè viuant, satisfecit debito suo, & ad nihil amplius tenetur. Vnde si videret aliquem tributari iniustè, non statim oporteret quod Rex intromitteret se ad faciendum illum quietè viuere, nisi deuolueretur causa ad ipsum per quęrimoniam. Ita Deus benedictus dedit legem rectam, pręfixit ministros ad custodiam legũ, & dedit adiutoria supernaturalia communia, sufficientia, antecedentia, & concomitantia ad seruandã legem, & faciendũ opus bonum. Si ergo aliquis non vult operari bonũ quod posset, & ad quod inducitur à Deo per adiutoria, non est necesse, quod Deus statim auxilio plusquã sufficienti, & voluntate efficaci faciat illum operari bonum: quia iam Deus satisfecit, vt ita dicam, debito suo. Si tamen causa deuoluatur ad ipsum per quęrimoniam, idest ille peccator illo auxilio sufficienti non contentus per orationem, quasi per quærimoniam deuoluat causam ad Deum orãdo, vt suum auxilium augeat, & plusquam sufficiens ei tribuat, vt continuò in orationibus petere debemus, tunc Deus auxilium suum multiplicat; & si oratio sit perseuerans, non solum antecedenter, sed efficaciter efficit, & vult actus bonos, præbendo auxilia plusquam sufficientia: quia Deus est fidelis, nec patitur nos tribulari supra id quod possumus, iuxta illud Apostuli 1. ad Corint. 10.

Exemplum Scoti pulchrum.

76 Hoc ergo modo prouidentia sua diuina præfinit Deus actus bonos. Ex hoc eodem fundamento possumus declarare quomodo Deus præfiniat, & velit actum peccati absque vllo inconuenienti. Quod enim Deus definiat actum peccati pro materiali, & illud velit, est certum: quia quoad materiale concurrit effectiuè ad illud, vt omnes Theologi docent. Tamen alio modo Deus vult actũ peccati, & alio modo actus bonos: quoniam iuxta Sacrum Concil. Trident. Sess. 6. Can. 6. Deus operatur, & concurrit ad peccatum permissiuè tantum, non per se, & propriè; verum ad opera bona concurrit per se, & propriè. Quomodo autem velit aliquid propriè, & per se, & aliquid permissiuè, pulchrè explicat Scotus in 1. dist. 47. in corpore. Distinguit enim ibi, vt supra diximus, duplicem actum voluntatis nostræ, velle, & nolle; deinde vtrumque diuidit in efficax, & remissum, quæ membra supra declarauimus. Inquit ergo quod nolitio efficax est, qua non tantum nolens impedit aliquid, sed si possit, omnino destruit illud: nolitio verò remissa est, qua ita displicet nolitum, quod tamen non prohibet illud esse, licet possit. Ex hoc declarat quid sit permissio propriè dicta in nobis, dicens. *Permissio, est nolitio remissa alicuius mali, quod scio.* Adiungit illam particulam, *quod scio*: quia non dicor propriè permittere illud malum quod non scio; propriè permittere dicor illud malum, quod scio ab alio fieri, & displicet, & tamen non prohibeo, licet possem prohibere. Ad propositum si ista distinctio posset poni in Deo, ita quod licèt habet vnum actum purum, & infinitũ, tamen eo Deus respicit obiecta diuersa, & diuersos effectus producit, ita quod actus ille, vt fertur super obiecta diuersa respectu vnius potest habere nolitionem efficacem, respectu alterius nolitionem remissam, posset dici quod permissio peccati pro materiali est nolitio remissa illius actus peccati, ita quod sibi displicet, & eum non vult: non tamen ita non vult eum, vt velit illum prohibere esse, cum possit. Et sic permissio est actus positiuus, scilicet nolitio remissa. Quod si hoc non placet (inquit Scotus) quia nolitio cuiuscunque positi in esse videtur esse cum aliqua tristitia, & cum aliqua imperfectione ipsius voluntatis, quod non est ponendum in Deo, potest dici, quod permissio non sit actus positiuus, sed negatiuus; & sic dicimus, quod permissio in voluntate diuina, est non velle prohibere actum peccati fieri. Non velle autem prohibere, non est actus positiuus, nolle, sed negatiuus, scilicet non velle prohibere. Et cum dicitur secundum D. August. in Enchyridion cap. 100. *permittere est Deum velle sinere peccatorem facere malum.* Ibi, velle, potest exponi, nõ quod Deus habeat velle rectum circa illud, quod permittit: quia Deus non potest velle peccatum (& hoc nota diligenter,) sed quod habeat actum reflexum, idest vult se nõ velle impedire actũ peccati. Vnde velle sinere peccatũ fieri, est velle se non nolle peccatum illud fieri. Et sic permissio est actus positiuus actus negationis circa peccatum; est enim volitio nõ nolitionis peccati, & hoc modo non sequitur ex eo esse tristitiam, vel aliquam imperfectionem in Deo.

Quomodo Deus præfinit actum peccati quoad materiale, ex Scoto

Differentia inter velle aliquid permissiuè, & velle propriè, & per se.

77 Ex hoc ergo patet quomodo Deus definiat, & velit omnes actus positiuos contingentes etiam peccati, differenter tamen. Nam actus bonos excellentes, & primi generis vult voluntate efficaci, & beneplaciti: actus bonos, secundi generis vult voluntate remissa, & antecedenti: actum materialē peccati vult permissiuè, idest non vult nec efficaci voluntate, nec voluntate remissa; sed circa illud habet nolitionem remissam: quia sibi displicet, & quantum est ex se nollet illud esse. Vult tamen, quia vult se non nolle actũ illum impedire peccati, quia decreuit voluntatem liberam relinquere, atque ad actus quoscunque illam vult concurrere, licet sint contra vo-

Deus definit omnes actus positiuos, sed differenter.

Quomodo Deus vult materiale peccati nō formale.

luntatem suam. Licet autem concurrat ad actum materialem peccati; nullo tamen modo concurrit ad formale, & ad deformitatem peccati, quia illud formale in actu peccati est actum illum non esse conformem voluntati diuinæ. Hæc autem non conformitas non potest esse volita à Deo, quia tunc actus ille non esset peccatū; quia esset conformis diuinæ voluntati, non contra voluntatem diuinam. Vult ergo Deus actum peccati pro materiali voluntate permissiua, vt dictum est; & ex hoc sequitur eum non velle deformitatem in actu illo, quia nollet voluntatem creatam actum eum elicere, quatenus est contra voluntaté suam, & propterea Deus, quatenus concurrit ad actum illum materialem peccati, dat quantum est ex se rectitudinem debitam, quia etsi eam rectitudinem actu in eo non ponat positiuè; dat tamen eam aliquo modo, scilicet non consentiendo in deformitatem; quod alias appellaui dare rectitudinem negatiuè. Vel dicamus vt in propria disputatione fusè ostendimus, quod Deus nō vult, neque efficit deformitatem peccati, nec per se, nec per accidens: quia in quantum actus materialis prouenit à Deo, non habet deformitatem annexam, sed solum in quantum procedit à voluntate creata: quia in tantum actus positiuus est peccatum, & malum in quantum est nolitum à Deo, & solum permissum. Hæc autem non conformitas actus positiui ad voluntatem diuinam inest ei tantum à voluntate creata; ideo est peccatum præcisè, vt prouenit à voluntate creata non vt prouenit à Deo: quod in proprio quæsito explicatum est.

Ex hoc patet malè, Bannes, Aluarez & alios asserere, Deum prædefiniuisse voluntate efficaci, & vltimata actus omnes peccati, contra quos disputant recentiores, & ego in disp. de reprobatione aliquid dicam.

Quomodo præfinitio actuum supernaturaliū non aufert libertatem.

78 Verum adhuc est dubium, quomodo Deus definiendo efficaciter, & voluntate beneplaciti actus eos supernaturales, quos sic efficaciter vult, non impediat libertatem voluntatis creatæ; si enim definitio hæc non transit in præteritum, non videtur habere locum præscientia cōditionata futurorum, per quam Molina, Suarez, & Vasquez saluant præfinitionem non tollere libertatem. At secundum positionē nostram hæc definitio non transit in præteritum; ergo videtur tollere libertatem voluntatis creatæ, quia non ponimus præscientiam istam futurorum sub conditione præcedere, per quam isti saluant libertatem voluntatis creatæ. Præterea manent in suo robore obiectiones factæ in principio huius capitis, quod Deus cæco modo se habeat in prouidentia sua circa res contingentes, &c.

79 Respondetur breuiter ex Scoto quodlib. 21. litt. M. versiculo, *Sed si quæras* &c. Quod voluntas nostra, & si non determinetur ab extrinseco principio ad actum aliquem eliciendum, tamen excitatur, & mouetur ab obiecto proposito sibi ab intellectu, qua motione, & excitatione habita, se ipsam determinat, vt diximus disp. 6. an voluntas sit nobilior intellectu à cap. 11. (& hæc est motio congrua, quam ponunt Suarez, Vasquez, & alij huius opinionis, in qua ab illis non dissentimus, sed conuenimus, & in hac differimus à Thomistis: in quo autem ab vtraque differamus infra manifestabimus.) Primæ autem intellectiones eueniunt ab his obiectis, quæ fortius mouent, & ideo primæ intellectiones non sunt in potestate nostra, tamen primę determinationes sunt in potestate nostra: quia habita motione ab obiecto intellecto, voluntas se determinat per se ad actum, qui sibi placet. Notandum est insuper, quod Deus optimè nouit, quæ sint obiecta apta nata mouere voluntatem ad aliquid faciendum, & quæ circunstantiæ possint eam inducere suauiter ad aliquē actum eliciendum: quia & si voluntas sit libera, est tamen etiam potentia naturalis, quæ inclinatur ad bonum: potest ergo aliquid sibi proponi sub ratione ita boni, quod proculdubio assentiet, & determinabit se ad actū illum, ad quem tale obiectum inclinat, quod est idem quod congrua motio, quam asserunt recentiores. (differo enim ab illis in hoc tantum, quod ipsi dicunt hanc motionem prædefiniri respectu omnium actuum, & prædefinitionem eius transire in præteritum: ego autem pono eam solum esse præsentē, & quorundam actuum excellentium solum.) Deus ergo potest mouere voluntatem hoc modo congruo ad actus excellentes ita vehemēter, & ita congruè, quod voluntas se ipsam proculdubio ad illos actus determinabit: hoc ergo modo Deus qui habet prouidentiam nedum vniuersalem secundum quam regit res secundum quod sunt natæ regi, (& hic est concursus generalis, quo cum causis secundis concurrit) sed habet etiam prouidentiam particularem secundum Scotum ibidem, secundum quam ex electione quadam prouidet vnicuique hominum secundum merita præsentia, vel futura, & occulta nobis, tamen sibi præsentia, qua per se aliquid facit sine causis secundis; & secundū hanc disponit causas secundas, vt obiecta, & voluntates, vt efficiant actus illos, qui conducunt pro salute hominum absque eo, quod voluntas ipsa aliquam vim patiatur in libertate sua, & definit, & efficit actus illos excellentes. Actus verò secundi ordinis, scilicet priuatos & communes sic etiam disponit, & definit; sed non vtitur medijs ita efficacibus, sed sufficientibus solum: quia, vt dixi, illos non definit, neque vult voluntate efficaci, sed remissa tantum, & antecedenti.

80 Vbi est notandum, quod cū Scotus asserit, Deum habere prouidentiam specialem ex quadam electione, secundum quam prouidet vnicuique hominum secundum merita præsentia vel futura, & occulta nobis, non vult dicere quod Deus hæc auxilia suę prouidentię conferat hominibus propter merita ipsorum, ita quod merita hominum præuisa sint causa motiua voluntatis diuinæ ad conferendum illis hæc auxilia, quia gratia gratis datur; si enim daretur ex meritis, iam non esset gratia, sed vult dicere, quod Deus ex se prouidet illis de remedijs oportunis, vt homines efficiant merita præsentia, vel futura; ad hoc enim dantur auxilia Dei, & ideo dicit, quod Deus habet prouidentiam ex quadam electione sua; non ergo ex meritis mouetur. Et subiungit ex Boetio 4. de consolatione prosa 4. quod aliquando aduersitas plus proficit, quàm prosperitas. Aduersitas autem non potest proficere, nisi ad merendum in præsenti, vel in futuro. Loquitur ergo de meritis faciendis in præsenti, vel in futuro & donec vita mortali fungimur. Subiungit tamen Deum per hanc suam prouidentiam prouidere hominibus ex electione non quacunque, sed iusta: quia iudicia Dei semper sunt iusta, licet occulta nobis. Ex quo infert quod etsi Deus auxilia sua diuina secundum beneplacitum suum largiatur hominibus secundum magis, & minus, tamen non facit hoc casu, sed magna ratione: quia secundum D. Paulum Roman. 9. *Apud Deum iniquitas non est*. Et secundum D. August. tractat. 53. in Ioannem, hoc facere potest *occulto iudicio non iniusto*; quia apud Deum iniquitas non est, vt dicam in disput. de auxilijs. Licet ergo nulla sit causa ex parte illius, cui maiorem gratiam dat Deus, q̄ alteri, tamen in mēte diuina adest causa, & ratio occultissima, & propter hoc exclamauit D. Paulus. *O quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. & inuestigabiles viæ eius.*

Ad obiectiones in pricipio huius capitis adductas.

81 Ex dictis hucusque patet solutio obiectionū nunc supra, & in principio huius capitis propositarum, & præsertim primæ quæ pertinet ad prouidentiam, & est difficilior. Dicimus enim, quod prouidentia Dei se extendit ad omnes actus liberos voluntatis creatæ, & illos ordinat, & vult, sed differenter. Nam actus bonos excel-

Ad primā ductam ex prouidentia.

lentes vult voluntate efficaci, & beneplaciti ex se antecedenter ad consensum voluntatis creatæ, nihil operando in ipsa voluntate creata, sed habita illa præfinitione efficaci, mouet deinde voluntatem ad illius actus eliciendos suauiter medijs, quibus cognoscit eam consensurum fore,

fore, & quibus ipsa finit se mouere, & nescit resistere, licet possit. Actus verò communes viatorum omnium vult solum voluntate antecedente ex se, non autem præfinit eos efficaciter, nisi præuiso consensu liberi arbitrij; & ideò isti non semper ponuntur in esse, nec consequuntur finem suum debitum, neque prouidentia Dei, quantum ad hos semper adimpletur, vt infrà videbimus. Actus verò peccatorum Deus non vult, nec voluntate beneplaciti, nec antecedenti, sed nollet quantum est ex se; permittit tamen illos, quia non vult auferre libertatem à voluntate creata, quæ illos vult.

Differētia inter actus prædictos quo ad rationem meritorij.

82 Vbi est obseruandum actus primi generis, scilicet excellentes, nō tollere rationem meriti, neque actus, secundi generis, scilicet præfinitos tantum ex consensu voluntatis creatæ, tollere prouidentiam. Primum declaratur, quia actus illi, & si sint præfiniti à Deo antecedenter ad consensum liberi arbitrij, & consequenter non sint contingentes, sed sint infallibiliter futuri; tamen, quia voluntas creata illos elicit liberè, quantum est ex se, quia Deus mouet illam congruo modo, ita vt se ipsam ad illos determinet, hinc habent rationem meritorij, & insuper, quia eorū voluntas non est coniuncta Deo quo ad affectionem cōmodi. Non sunt tamen meritorij eo modo, quo sunt meritorij actus secundū legē Dei ordinatā: nā secundū legē Dei ordinatā ille solum pōt mereri, qui pōt operari, & non operari actus bonos, nedum intrinsecè, sed ēt extrinsecè: isti autem actus excellentes extrinsecè sunt necessarij, quia sunt præfiniti efficaciter ante cōsensum liberi arbitrij. Sunt ergo Meritorij ex speciali acceptatione Dei, quia vt dixi in 3. d. 18. agendo de merito Christi, ratio meriti consistit in acceptatione diuina, & proinde actiones Christi pro meritorijs acceptatę fuerunt, licet Christus non posset peccare, & esset Beatus. Et hoc modo sunt meritorij quoque actus eorum, qui confirmati sunt in gratia. Adest quoque ratio congrua, propter quam pro meritorijs acceptari debeant, quæ est; quia elicientes huiusmodi actus non sunt coniuncti Deo perfectè, vt Beati, scilicet quo ad affectionem iustitiæ, et affectionem commodi, sed solum quo ad affectionē iustitię quo ad hos actus; vnde possunt pati, & de facto patiuntur, vt ex dictis eodem 3. lib. dist. 18. agendo de merito Christi, elici potest.

83 Actus verò secundi generis non tollunt prouidētiam, quia illi pendent ab actibus illis excellentibus tanquā à primis principijs, & radicibus suis; & sic Deus disponendo ex se actus excellentes, consequenter disponit, & ordinat etiam omnes communes actus qui ab illis pēdent; & sic saluatur prouidētia Dei. Accedit, quod Deus actus communes bonos promouet auxilijs sufficientib. & vult illos quantum est ex se, licet semper, quò ad hos actus prouidentia eius non adimpleatur. Quò ad actus peccati etiam habet prouidentiam, quia illos nollet, & proinde dat auxilia sufficientia, vt illos impediat, & pręfinit actus excellentes bonos, ne peccata præualeant; licet non semper quò ad hoc, prouidentia Dei adimpleatur propter libertatem voluntatis, quam Deus non vult ledere. Necessarium est autem concedere, Deum pręfinire ex se actus illos excellentes, vt saluemus, Deum habere prouidentiam actuum humanorum; alioquin si omnia ex consensu libertatis creatæ veliet, potius regularetur à voluntate creata, quàm ipse eam regularet.

In Deo nō est prouidētia cæca.

Ex his patet quomodo Deus non habeat prouidentiā & concursū cęcum: quia omnia sunt illi præsentia in esse cognito. Patet etiam quomodo voluntas diuina non dependet à voluntate creata, nec determinatur ab illa, sed ipsa determinat, & dirigit voluntatem creatam, licet sinat voluntatem creatam communiter determinare se ad suos actus. Et ratio est, quia ipse sic se complacuit, & voluit ei proponere vitam æternam, vt brauium.

Ad auctoritatis ex Sacra scriptura.

Patet etiam ex dictis ad obiectionem ex Sacra scriptura asserente Deū præfinire ex se aliquos actus: hoc enim verum est de actibus excellentibus, vt dictum est. Nec mirum est, nec vllam indignitatem ponit in voluntate diuina, quod nolit actus liberos ex se præfinire, quia hoc non procedit ex impotentia Dei, sed quia sic se complacuit.

84 Ex his etiam patet, quodnam discrimen sit inter hanc nostram opinionem, & opiniones aliorum. Respōdetur enim triplex esse discrimen. Primum, quia illi dicunt, quod illa præfinitio transiuit in præteritum, & sic est immutabilis: hoc autem est falsum, quia hac ratione extrinsecè tollitur libertas. Nos autem dicimus, hanc definitionem esse præsentem, & non præcedere voluntatem creatam, sed concomitari. Secundum discrimē est, quia Thomistæ dicunt, quod Deus non solum præfinit, & prædeterminat in se antecedenter ad consensum liberi arbitrij actus bonos primi generis, scilicet excellentes sed omnes, nedum secundi generis, idest actus bonos communes, verum etiam tertij, scilicet actus materiales peccati; & quod postea mouet physicè voluntatem creatam ad bonos actus. Nos autem dicimus quod præfinit hoc modo solum actus primi generis, & quod hæc motio postea est motio congrua, quę non aufert libertatem.

Discrimen opin auctoris ab alijs opinionib.

Secundum discrimen.

Neque propter hoc cōuenimus cum opinione Catherini: quia (vt videbimus in disp. an prædestinationis detur aliqua causa ex parte prædestinati) ille sustinet multa falsa, & contraria nobis, quæ in eadē disputatione reijcientur, præsertim verò, quod facit ad hoc propositum, ponit tres gradus prædestinatorum, & in primo ponit aliquos esse eximiè prædestinatos ad gloriam, & vult hos non posse peccare, & prædestinatos esse ad gloriam absque præuisione meritorum; quæ duo sunt falsa, quia omnes prædestinati, nisi sint confirmati in gratia, donec sint in via, possunt peccare, & damnari, vt primo cap. ostendemus. Nos autem, etsi concedamus in ecclesia esse aliquos Maiores, qui gubernant ecclesiam, & asseramus aliquos eorum actus excellentes bonos esse pręfinitos efficaciter ante præuisionem boni vsus liberi arbitrij, & proinde illos esse infallibiliter futuros, & hoc modo esse necessarios; tamen non dicimus omnes eorum actus sic esse præfinitos, atque eos non posse peccare: nam præter actus illos excelientes possunt habere alios actus non sic præfinitos, sed omnino liberos, & contingentes, sicut alij viatores, & isti possunt esse boni, & mali, & proindè possunt illis peccare, & damnari, nisi confirmati sint, vt dixi.

Discrimen opin auctoris ab opinione Catherini.

Alterum etiam quod ait, illos prædestinatos esse absque præuisione meritorum bonorum, esse falsum, ostendemus in prædicta disp. sustinemus enim eandem esse rationem de omnibus prædestinatis.

Asserit etiam idem Catherinus, actus diuinæ prædestinationis præscientiæ, & prouidentiæ transire in præteritum, quod esse falsum hac disputatione in præcedentibus capitulis ostendimus. Alia ommitto, quæ prædicta disp. confutabimus.

Tertiū discrimen.

85 Tertium discrimen est, quia tàm Thomistę, quā Suarez, Vasquez, & alij conueniunt in hoc, quod Deus vniuersaliter omnibus electis prædifiniuerit dare auxilium efficax talis conditionis, quod faciat illos assentire, secundum primos physicè, secundum alios moraliter; reprobis verò non dare tale auxilium efficax, sed sufficiens tantum, quod est incompletum: hoc autem nos dicimus esse falsum, quia tunc isti viderentur habere excusationem, & in hoc ab vtrisque differimus. Sed hoc in disp. edenda, de auxilijs patebit.

An diuina prouidētia semper impleatur.

86 Ex his patet solutio alterius difficultatis, de qua est magna lis inter Recentiores, scilicet an prouidentia Dei semper impleatur. De qua Caietanus p. p. quæst. 22. artic. 1. Bannes ibidem, & aliqui recentiores Thomistæ tenent partem affirmatiuam: quia prouidentia Dei est perfectissima, ad perfectissimam autem prouidentiam non solum spectat ordinatio mediorum in finem, sed etiam assequutio finis. Præterea sequeretur, quod voluntas diuina superaretur à voluntate creata,

quod

quod est absurdum. Ex altera parte Vasquez p. p. disp, 87. Suarez lib. 2. de auxilijs, cap. 7. cum antiquioribus Thomistis, Ferrariensi 3. contra Gent. cap. 94. Capreolo dist. 40. q. 1. Durando dist. 39. q. 3. & alijs sustinent partem negatiuam, eo maximè, quia certum est Deum diuina sua prouidentia ordinasse omnes reprobos ad gloriam, & tamen illam non consequuntur, & idem de multis alijs.

Respondendum est ergo quod cum prouidentia non transeat in futurum, sed tunc Deus prouideat media ad finem consequendum, quando adhibet media, quibus voluntas se determinat ad operandum, & videamus, quod voluntas non semper mouetur à medijs ad assequendum finem ad quem media disponant, certum est, quod non semper prouidentia, & motio diuina assequitur finem suum. Distinguendum est ergo, quod actus prouidentiæ diuinæ est duplex, sicut & volitio eius est duplex, alter est efficax, & beneplaciti, & hic semper impletur, alter est actus remissus, & voluntatis antecedentis, quo quidem efficaciter vult media, sed finem non nisi remissè; & hic non semper impletur, quo ad assecutionem finis, sed tunc solum, quando voluntas creata cooperatur medijs propositis sibi à Deo.

87 Ad Rationem pro Thomistis contrarijs respondetur, quod concludit de actu prouidentię efficaci, & beneplaciti: ille enim semper adimpletur, vt optimè probat Scotus in 1. dist. 46. non concludit autem de actu remisso, & antecedenti prouidentiæ Dei, vt dictum est.

Ad tertiũ. 88 Nunc ad alia argumenta, quæ sunt faciliora. Ad tertium respondetur, quod necessitas, quam ponit sensus compositus, non est necessitas simpliciter, sed secundum quid, vt disputatione, An necessarium sit, eum qui conuertitur semper maiori gratia moueri, quam illum qui non conuertitur, ratione prima diximus idest non est necessitas causæ, ita quod (vt stetimus in exemplo, & in proposito nostro) cum dicitur prædestinatus, vt prædestinatus, seu prædestinatus in sensu composito necessariò saluatur, prædestinatio sit causa necessariò inducens saluationem; sed est necessitas secundum quid, idest est necessitas proueniens ex eo, quod duo contradictoria non possunt simul verificari: ideo stante prædestinatione Petri, non potest Petrus non esse prædestinatus, & consequenter non potest damnari, quia tunc non esset prædestinatus, nam damnatio est incompossibilis simul & semel in eodem subiecto, cum prædestinatione; sicut stare, & currere simul, & semel sunt incompossibilia in eodem subiecto: vnde vno posito, necessariò aliud excluditur. Vbi est notandum, quod sensus compositus regulariter habet locum solum in propositionibus de causis contingentibus, non necessarijs, ad ostendendum, quòd aliquando, etsi illæ causæ sint contingentes, tamen habent aliquam necessitatem; vt patet in hac propositione, Sortes currens, necessariò currit: licet enim Sortes liberè currat, & antequam actu currat sit in potestate eius currere, & non currere, tamen in potestate eius nõ est simul currere, & non currere, quia implicat contradictionem: ideo dum currit non potest non currere; & propter hoc dicimus, quod dum Sortes currit, necessariò currit, & sic hæc est vera in sensu composito, Sortes currens, necessariò currit. In propositionibus verò necessarijs, quando adest sensus compositus, est duplex necessitas. Prima est causæ, quæ est necessitas simpliciter. Secunda est necessitas sensus compositi, quæ est necessitas, secundum quid. Vt in hac propositione ignis calefaciens, necessariò calefacit: hic enim est necessitas causæ, quia ignis naturaliter, & necessariò calefacit. Adest etiam necessitas sensus compositi: quia ignis dum calefacit, non potest non calefacere, quia implicat contradictionem. Et sic patet, quod etsi vera sit hæc propositio in sensu composito. Pędestinatus non potest damnari: tamen non sequitur, quòd prædestinatio imponat necessitatem, & prætereunt.

99 Ad quartum Respondetur, quod illa propositio est vera, supponendo, imaginationem falsam, quod prędestinationis actus sit præteritus. Supponit etiam præscientiam Dei qua cognoscat quid vnusquisque in fine vitæ sit acturus, & in qua dispositione sit transiturus ad aliam vitam; & hoc pacto scit quod ij, quos pręsciuit benè vsuros libero arbitrio in fine vitæ suæ; & proinde prędestinauit ad gloriam, etsi possint damnari, non damnabuntur; quia præsciuit, quod sunt volituri facere bonum in illo tunc. Secundum nostram viam autem non ponimus, aliquem iam prædestinatum esse, ita quod actus ille sit præteritus, sed ponimus eum tunc prædestinari, cum operatur bonum, & reprobari cum operatur malum. Ad quartũ.

90 Ad quintum in hoc argumento est ingens deceptio aduersariorum: nam vt ait Scotus in 1. sent. d. 39. §. *Quantum ad primum*, &c. versic. *Ex isto secundo patet tertium*, &c. cũ propositione vera de inesse, stat veritas oppositæ de possibili quidem, in sensu diuiso, non in sensu composito, idest cum veritate huius propositionis. Sortes volens. A. stat potentia ad non volendum. A. sed non simul, & pro eodem instanti, ita quod significetur voluntatem pro eo instanti, quo vult. A. posse simul non velle. A. hic enim est sensus compositus. Est tamen vera in sensu diuiso, idest Sortes volens. A. dum vult. A. habet potentiam non volendi. A. dum enim vult. A. posset non velle. A. seu in illo instanti, quo se accingit, ad eliciendum actum volitionis, posset se non accingere, nec elicere, quia liberè non necessariò vult. A. ideo sicut vult. A. posset non velle. A. & habere actum oppositum, vt diximus in primo sent. d. 39. declarãdo illum locum Scoti. Et hic est sensus diuisus. Illa autem propositio intellecta hoc modo non facit pro aduersarijs, quia ad hoc, vt valeret pro eis, deberet esse vera in sensu composito; ipsi enim eam accipiunt in sensu composito: dicunt enim, voluntas creata mota efficaciter à Deo ad opus bonum potest non moueri, & non assentire, idest pro eo instanti, quo actu mouetur ad opus bonum, potest dissentire, & non moueri; & sic sequitur, eos concedere hãc possibilitatem esse admittendam, quod pro illo instanti, quo mouetur à Deo, non moueatur; quod est admittere duo contradictoria esse possibilia simul in eodem subiecto. Si verò ipsi eam intelligãt in sensu diuiso, idest quod voluntas mota efficaciter pro hoc instanti in eodẽ potuerit non moueri, est vera sed non facit pro eis, nec ad propositum, quia disputatio est de hac motione in sensu composito, vt patet. Ad quintũ.

91 Ad sextum, quod spectat ad prouidentiam, iam dictum est supra in calce solutionis secundi argumenti, quòd prouidentia Dei non semper adimpletur, ideò potest dici, quod aliquando fallatur eodem modo, quo ibi dictum est. Tamen loquendo vniuersaliter de prædestinatione, pręscientia, & prouidentia, dico, quod istæ propositiones sunt verę supposita imaginatione, quod actiones Dei transeant in præteritum; & supposita præscientia Dei certa, & omnipotentia eius; propriè autem loquendo, sunt veræ in sensu composito secludendo quãcumque differentiam temporis, vt sit sensus. Actus prędestinationis est infallibilis, idest consequitur effectum suum. Actus præscientiæ est certus; quia Deus scit res eo modo, quo sunt, nec decipitur. Prouidentia eorum, quę efficaciter, & absolutè vult, est certa, idest consequitur finem suum, & nobis nihil obsunt. Ad sextũ.

Ex dictis iudicium fertur de aliorum opinionibus, an prædestinatus possit damnari, & consensu aliorum Doctorum confirmatur opinio Scoti.

Caput Quintum.

92 EX dictis patet quid sit dicendum de aliorum opinionibus, & in quibus conueniant, & in quibus differant. Et quidem omnes Theologi sustinẽt prædestinatio-

ſtinationem eſſe infallibilem, ſiuè effectum ſuum conſequi. Omnes etiam retinent prædeſtinatum ſaluari contingenter. ſed in explicandu quomodo ſit infallibilis prædeſtinatio, & quomodo prædeſtinatus ſaluatur contingenter, diuerſificantur. Thomiſtæ enim plurimi, & maximè recentiores Aluarez lib. 5. de auxilijs diſput. 41. cum Caietano p.p. quęſt. 23. art. 7. Bannes, & Zumel ibidem art. & alij, tenent, quod prædeſtinatio ſit infallibilis non ratione præſcientiæ mediæ, qua Deus cognoſcit qui ſint operaturi bonum finaliter, & conſequenter qui ſint propter illa merita ordinati efficaciter ad gloriam; hanc enim ſcientiam mediam negant, ſed ratione cauſæ, & ordinationis efficacis diuinæ voluntatis, & ſcientiæ abſolutæ, quæ ſubſequitur decretum illud efficax. Ex eo enim quod tenent, Deũ abſolutè ab ęterno ante præuiſionem operum bonorum cuiuſcunque elegiſſe eos, qui ei placuerunt, efficaciter ad gloriam & gratiam; eos verò, quos noluit, reprobaſſe, conſequenter etiam tenent, quod hac efficaci ordinatione, & decreto omnipotenti, & immutabili deducit eos ad gloriam dando illis in tempore gratiam, qua verè, & efficaciter ſaluentur, & conſequantur gloriam ſibi præparatam ab æterno. Et ſic volunt, quod prædeſtinatio ſit cauſa neceſſaria ſui effectus ex ſe ipſa, neque à libero arbitrio poſſit impediri: quod decretum efficax deinde cognoſcens intellectus diuinus eſt certus, qui ſint prædeſtinati, & qui infallibiliter ſint ſaluandi. Quod verò prædeſtinatus liberè, & contingenter nihilominus ſaluetur, explicant: quia dicunt cum illo efficaci decreto, & gratia ſtare libertatem arbitrij; vt videbimus in diſputatione de auxilijs edenda. Et conſtat ex dictis hac diſput. cap. 1. & vt patet ex Aluarez lib. 5. de auxilijs diſput. 41. nu. 4. in fine, & diſput. 22. nu. 3. & ſequentibus.

93 Pro hac opinione adducunt D. Thom. p.p. q. 23. art. 7. vbi ait quod *numerus prædeſtinatorum eſt certus Deo non ſolum ratione cognitionis, quia ſcilicet ſcit quot ſint ſaluandi, ſed etiam ratione electionis & præfinitionis cuiuſdam*. Et clarius 1. ſent. diſt. 40. quæſt. vnica, art. 3. ad ſecundum vbi ait, quod prædeſtinatio reſpectu gratiæ, & gloriæ habet certitudinem præſcientiæ, & cauſæ.

94 Fundamenta huius opinionis ſunt: quia ſuſtinent quod prædeſtinatio nullã habeat cauſam ex parte prædeſtinati, nimirum quod non fiat ex meritis gratię præuiſis, ſed abſolutè, & independenter à meritis præuiſis; & quod Deus in tempore electis, & prædeſtinatis tantũ det gratiam illam efficacem, quæ prædeterminet liberum arbitrium Phyſicè, ita quod ſit impoſſibilis diſſenſus. Innituntur etiam auctoritatibus Ioan. 10. *Ego cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, & do illis vitam æternam, & nemo rapiet eas de manu mea*; & ſimilibus varijs auctoritatibus D. Auguſt.

95 Ceterum opinionis huius fundamenta reiecta ſunt partim in diſput. An prædeſtinationis detur aliqua cauſa ex parte prædeſtinati, & partim reijcientur diſputatione de auxilijs edenda, quæ eſt An qui conuertitur ſemper maiori gratia adiuuetur, quam illi, qui non conuertuntur: ideo non eſt hic immurandum. Quod verò aiunt D. Tho. ſentire cum eis, non eſt ita clarum. Nam licet p.p. quæſt. 23. art. 6. qui eſt proprius locus, videatur dicere, quod prædeſtinatio, vt cauſa, efficiat certum id quod prædeſtinatur idest ſuum effectum; tamen dum dicit ibidem in corpore, in hac re eſſe conſideranda ea quæ ſupra de ſcientia, & voluntate Dei dixit, videtur coincidere cum noſtra ſententia, licet præ difficultate rei ſit obſcurus. Et Thomiſtæ ibi ſe referunt ad ea, quę de prouidentia, certitudine, & infallibilitate voluntatis diuinæ, & cõtingentia rerum dixerunt in ſuperioribus; de quorum opinionibus, & opinione D. Thom. cap. 1. huius diſputationis dictum eſt.

Opinio D. Th. eſt obſcura.

96 Ideo hac opinione dimiſſa cæteri omnes Theologi, præſertim veteres, qui ſequentes falſam imaginationem, quod actiones Dei tranſeunt in præteritum, & loquentes de Deo more humano, ac ſi Deus ab æterno omnia prædeſtinauerit, & prædeſtinatio illa iam tranſiuerit; & hanc prædeſtinationem eſſe immutabilem, & infallibilem ſuſtinentes, quia Deus non mutatur, nec fallitur, dicunt, prædeſtinationem eſſe infallibilem, & certam, & prædeſtinatum non poſſe damnari; non quia prædeſtinatio ſit cauſa abſoluta includens neceſſariò, & infallibiliter effectum ſuum, ſcilicet hominem ordinari ad gloriam independenter à libero arbitrio, ſed eſſe infallibilẽ ratione præſcientiæ diuinæ, qua Deus præuidit hominem bene vſurum libero arbitrio finaliter, quo fiet vas in honorem, & ſanctificatum; dicunt verò poſſe damnari, quia nec prædeſtinatio, nec ſcientia deſtruunt liberum arbitrium, ſed illud ſupponunt, & includunt. Ex qua opinione ſequitur, & ẽt explicatur à prædictis Auctoribus vt videbimus, licet non ab omnibus ita clarè, quod prædeſtinatio dependet particulariter à libero arbitrio, & quod qui eſt prædeſtinatus poteſt dãnari, & quod eſt in manu prædeſtinati ſe ſaluare, & non ſaluare propter libertatẽ arbitrij ſui: nam ad hoc quod prædeſtinatio habeat effectum, requiritur cooperatio liberi arbitrij; ſinè illa enim gratia, & prædeſtinatio nõ ſit efficax, neque homo ſaluatur. Hanc opinionem diſertè tradit D. Bonau. in 1. ſent. diſt. 40. art. 2. q. 1. in corpore, vbi habet hæc verba. *Dicendum, quod prædeſtinatio non infert neceſſitatem ſaluti, nec infert neceſſitatem libero arbitrio, quoniam prædeſtinatio nõ eſt cauſa ſalutis niſi includendo merita, & ita ſaluandum liberum arbitrium*. Quod fusè deinde declarat, & infra inquit. *Ad illud quod quæritur, Vtrum prædeſtinatus poſſit damnari dicendum quod ſic, ſine deſtinctione*. Et illud poſtea declarat, & probat præſertim hac ratione: quia fides, & ratio daret, quod ille, qui eſt prædeſtinatus, contingenter ſaluatur; & qui oppoſitum diceret, inquit D. Bonauent. ſecundum iudicium certum omnium eſſet reſpuendus. Cum autem conſequens eſt cõtingens, neceſſarium eſt, quod antecedens quoque ſit contingens, ſcilicet iſtum eſſe prędeſtinatum; ergo poterit non prædeſtinari: & ſubiungit infra, quod ſicut potuit ab æterno non prædeſtinari, ita nunc: quia propter hoc non ponitur aliqua mutatio in Deo, quia prædeſtinatus, & præſcitus quantum ad principale ſignificatum important diuinam eſſentiam; quæ eſt immutabilis. quantum ad connotatum, dicunt futura contingentia, quæ variari poſſunt. Opinio ergo D. Bonauenturæ eſt, quod prædeſtinatus poſſit damnari, & præſcitus ſaluari abſolutè: quia iſti actus ſunt contingentes, neque in Deo tranſeunt in præteritum. Vnde coincidit omnino cum opinione Scoti, ſed Scotus clarius, & facilius rem explicat, vt vidimus oſtendendo, quod fallacia, & cauſa deceptionis conſiſtit in illa falſa imaginatione, quod actiones Dei tranſeant in præteritum.

Opinio aliorũ Theologorum.

Quomodo alij Theologi dicãt, prædeſtinationẽ eſſe infallibilẽ, & certam.

97 Magiſter Sent. idem ſentit: nam in 1. diſt. 40. dicit, eandem eſſe rationem de præſcientia, & prædeſtinatione; manifeſtum eſt autem quod præſcientia non ponit neceſſitatem cauſæ in præcognita re; ergo neque prædeſtinatio. Præterea diſtinguit, quod iſta propoſitio, Prędeſtinatus poteſt damnari, intellecta in ſenſu cõpoſito, eſt falſa, in ſenſu diuiſo eſt vera: quæ diſtinctio poſtea acceptata eſt ab omnibus, licet in explicatione aliqui varient. Magiſter autem eam explicat ſic. In ſenſu compoſito facit hunc ſenſum. Ille, qui eſt prædeſtinatus, poteſt ſimul damnari. Qui ſenſus, vt patet, eſt falſus, quia prędeſtinatio, & damnatio in eodem ſubiecto ſunt incompoſſibiles ſimul. Vel facit hunc ſenſum. Ille, qui ab æterno fuit prædeſtinatus, poteſt nunc non eſſe prædeſtinatus; qui ſenſus etiam eſt falſus, inquit Magiſter; & ratio videtur eſſe quia admittit mutabilitatẽ in Deo. Senſus diuiſus verò eſt. Qui eſt prædeſtinatus, potuit ab æterno non eſſe prædeſtinatus; & ſi potuit ab æterno non eſſe prędeſtinatus, etiam nunc poteſt non eſſe prædeſtinatus. Et probat hanc propoſitionem, quia, inquit,

Magiſter ſent.

aliud

aliud est loqui de operationibus, & dictis Dei, & hominum, & aliud de præscientia, & prædestinatione Dei: nā quod dictum, vel factum est à Deo, vel ab hominibus, non potest non esse dictum, vel factum; refertur enim possibilitas, vel impossibilitas ad naturam rei existentis; cū verò est sermo de præscientia, vel prædestinatione, possibilitas, vel impossibilitas refertur ad potentiā Dei, quæ semper eadem fuit. Ex quo videtur velle, quod potentia Dei nō transeat in præteritum, & sic semper possit prædestinare, & præscire absque ulla mutatione.

Alensis. 98 Alensis p.p.q.28. in 4.art. vltimo, licet sit obscurus, ait, quod licet accipiendo suppositum cum forma, tam composita, quam diuisa sit falsa, tamen accipiendo suppositum tantum, vera est hæc: Prædestinatus potest damnari. Dat exemplum dicens: vt hæc, illum possibile est damnari, qui est prædestinatus. Et in responsione ad vltimum argumentum in fine illius articuli ait, quod si necessitas referatur ad præscientiam est vera ista. Iste est necessariò prædestinatus; si ad saluationem, est falsa.

Richard. 99 Richardus in 1.sentent.dist.40.art.2.quæst.2. respondens ad quæstionem, inquit, quod *prædestinati non de necessitate saluantur*. Durand. Durandus in 1.dist.40. quæst.1. tenet, quod prædestinatio est certa ratione præscientiæ tantum, & inquit, quod hæc non est necessitas simpliciter, sed secundum quid, & consequentiæ, non consequentis. Omnes ergo concedunt, quod prædestinatio sola, exclusa præscientia concursus liberi arbitrij, non est causa certitudinis, & infallibilitatis saluationis prædestinati; & quod prædestinatus contingenter saluatur, & consequenter quod potest damnari. Hoc autem probat Scotus efficacius quam quiuis alius, & rem magis declarat, vt vidimus: nam auctores citati, etsi aliquomodo innuant, quod prædestinatio Dei &c. non transit in præteritum, tamen illud expressè non dicunt, sed videntur admittere, prædestinationem factam fuisse ab æterno, & esse immutabilem, ac pertransiisse, admittendo autem hanc præteritionem non possunt saluare contingentiam, & libertatem nostram perfectè, vt dictum est in cap. 1. Oportet ergo rem declarare eo modo, quo Scotus, & nos cum ipso declarauimus. Et certè hic est facilior, ex certior modus, qui in hac re difficillima excogitari possit, qui clarius elucebit cum disputationes de auxilijs, si Deus dabit, edemus.

DISPVTATIO LVII.

Quomodo causa prima concurrat cum causis secundis naturalibus, & liberis.

Opiniones aliorum. *Caput Primum.*

1 VT magis pateat, an aliquod auxilium speciale requiratur ad iustificationem, necesse est prius videre, quomodo causa prima concurrat cum causis secundis. Et quia actiones prouenientes à causis secundis sunt duplicis generis, aliæ enim sunt naturales, aliæ supernaturales, prius tractabimus de modo, quo causa prima concurrit ad actus naturales, secundo quomodo concurrat ad actus supernaturales. Quo ad primum ergo, supponendum est, causas essentialiter ordinatas eas esse, quæ secundum essentiam sic sunt constitutæ, quod vna non potest operari sine altera. Causæ verò accidentaliter ordinatæ sunt quæ secundum essentiam sic sunt constitutæ, vt vna non egeat altera in operatione, licet quo ad esse quandoque vna pendeat ab altera; vt indiuidua successiua eiusdem speciei: vnum enim operatur sine alio; vt filius mortuo patre generat alium filium, & facit alia opera sine concursu patris. His visis, in hac disputatione duę sunt opiniones extremę, & omnino falsę.

Causæ essentialiter ordinatæ, quæ sint.

Duæ opin. falsæ.

Prima opi. Altera est, causas secundas nihil omnino operari, sed Deum in illis, atque ad earum præsentiam se solo producere omnes effectus, ita vt ignis non calefaciat, nec Sol illuminet, sed Deus. Quam opinionem D.Tho. adducit p. p. quæst. 105. & tribuitur etiam Petro Aliaco, & alijs, & reijcitur à D.Thom. & alijs communiter, quia experientia est in oppositum; & præterea, si causæ secundæ nihil agerent frustra essent in rerum natura, causa enim, quæ non habet operationem suam, est frustra. Et licet D.Paulus 1. ad Corint. 12. dicat, Deum esse, qui operatur omnia in omnibus; non tamen vult negare concursum causarum secundarum, sed solum vult inferre Deum esse primā causam, quæ simul cum causis secundis omnia operatur.

Altera opinio in altero extremo est Durādi in 2.dist. 1.quest.5. quę asserit, Deum nullum alium influxum, vel concursum habere cum causis secundis ad effectus earum, nisi quia conseruat causas secundas in esse & in viribus suis naturalibus, quas eis contulit in productione earundem. Negat ergo Durandus, Deum agere in effectus causarum secundarum immediatè immediatione virtutis, & immediatione (vt aiunt) suppositi: nam secundum eum Deus per suam virtutem propriam non agit immediatè in effectum causarum secundarum, sed mediatè, scilicet mediante virtute creata collata causis secundis, neque agit immediatè per se ipsum, idest per suam substantiam, siue per suum suppositum; (licet hic modus loquēdi non sit admodum congruus, quia Deus ad extra non agit immediatè per supposita diuina, sed per indiuiduum illud, Deus: Deus enim vt Deus, non vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, agit ad extra tamen loquendo de Deo more agentium naturalium, quia homo mouens immediatè per se ipsum nauim, & huiusmodi, dicitur agere immediatè immediatione suppositi; sic quia Deus ad extra cum causis secundis agit immediatè per suam substantiā, dicitur agere immediatè immediatione suppositi) sed vult, quod agat mediante supposito creato. Asserit enim Durand. Deū non posse concurrere cum causa secunda, quia vel eadē actione numero creaturæ concurreret, vel non eadem, sed diuersa. Non eadem. Primo quia actio creaturę non excedit vires creaturæ; ergo illam per semetipsam solam habere potest. Secundo quia necesse esset, quod Deus, & creatura haberent eandem formam, per quam operarentur, quod tamen est falsum. Assumptum probatur, quia tribus modis potest idē effectus prouenire à pluribus causis. Vno modo, quia ab vna causa immediatè procedit, vt causa proxima, ab altera mediatè, vt à causa remota, quæ dando, & conseruando esse causæ secundæ, dicitur esse causa quoque illius effectus. Secundo modo, quia idem effectus est à duobus, sed imperfectè, vt duo trahentes nauim, nam vterque influit partialem influxum, & tractum, & nemo perfectè. Tertio modo quod sit ab vtraque causa, perfectè totus effectus; & hoc non potest esse nisi in vtroque sit eadē virtus numero propter quod in diuinis Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum duobus posterioribus modis, non potest Deus concurrere cum causis secundis, non secundo modo, quia Deus imperfectè causaret; nec tertio modo, quia non est eadem forma, & principium agendi in Deo, & creatura. Non actione diuersa, quia aut vna illarum prius attingeret effectum altera; vt puta prius Deus, quàm creatura, & tunc superflueret actio creaturæ: quia nihil ageret cum iam effectus esset productus à Deo; vel vtraque simul, sed ita, quod vna pars effectus producatur à Deo, alia à creatura, & hoc non: quia hoc est illud, quod quærimus, scilicet an illud idem, quod producit creatura producatur immediatè à Deo. Neque vtraque totum perfectè attingit, quia tunc altera superflueret.

Secūda opinio, quę est Durandi.

Fundamēta Duran.

2 Secunda ratio est. Vnicus est finis vnius rei immediatus, & perfectus; ergo vnius rei est vnicum agens, nisi plura agentia gerant vicem vnius agentis.

3 Cæterum hæc opinio ab omnibus quoque dereliqui-

Opinio Durandi reffellitur,

linquitur, immò aliqui putant esse errorem in fide, repugnat enim apertè dictis Sacræ scripturæ Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis domine.* Et Sap. cap. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Ex quibus colligitur apertè, Deū immediatè immediatione virtutis, & suppositi agere. Tolleretur etiā prouidentia, & gubernatio, & conseruatio Dei, quę omnia sunt absurda.

Ad rationes Durādi

4 Fundamentum eius nullum est, quia sicut pater, & mater vnica actione numero dicuntur producere filium, licet diuersis modis concurrant, ita Deus, & causę secundę licet diuersimodè pro modo suo agendi concurrant ad vnum effectum numero dicuntur vnica actione agere.

Ad primā.

Ad primam rationem contra hoc resp. Deum concurrere eadem actione numero secundum substantiam, non eadem secundum modum: quia vnumquodque concurrit in suo genere actionis. Ad primam probationem resp. aliud esse loqui de actione quę competit creaturæ in suo genere, & aliud, loqui de termino, & effectu ad quem absolutè terminatur actio creaturę. Verum est quod primo modo nō excedit vires creaturę: at falsum est, terminum, & effectum eius eos non excedere: videmus enim causas secundas ægere causa prima ad producendum suos effectus.

Ad secūdā.

5 Ad secundā rationem negatur assumptum ad probationē resp. dari, quartum membrū ommissum à Durādo, quod est quotiescunq; aliquis effectus pēdet à duabus causis totalibus in diuersis generibus, vt dictum est de generatione, quæ pendet totaliter à patre in suo genere, & totaliter à matre in suo genere, quæ duæ totales causæ tamen faciunt vnam integram causam respectu illius effectus, qui est generatio: hoc enim modo vnus effectus potest prouenire à pluribus causis simul. Ex hoc autem non sequitur, quod Deus imperfecto modo concurrat, neque quod debeat habere eandem causam, quia non est causa partialis in eodem ordine cum causis secūdis, sed in diuerso ordine; neque est causa partialis, quia non possit, si uellet producere totum suum effectum, sed quia sic placuit sibi disponere causas secūdas, vt cum eis concurrat ad earum operationes, quemadmodum per Sacram scripturam docemur, quæ ei creationem, & conseruationem omnium rerum tribuit.

Ad secūdā rationē principalē Durandi.

6 Ad aliam rationem principalem respondeo vnius rei esse vnicum agēs vltimatum, & primum: nam causa, secunda etsi per se ipsam immediate concurrat ad effectum cum Deo, qui est causa prima, tamen etiam ipsa causa secunda reducitur ad Deum, tanquam ad primū efficiens, à quo pendet in esse, & operari; & ita operatio omnis reducitur ad primum agens, vt ad vltimum finē. Præterea vnius rei est vnicum agens: vera est de agente proximo, & immediato, & in suo genere, non autem de remoto, & in diuersis generibus.

Scotus.

7 Pro opinione hac quam sequitur Durandus, Scotus adducit multas rationes in 2. d. 34. & eandem opinionem confutat, quas videmus in disputatione, An Deus sit causa peccati.

Tertia opinio vera, q̄ est Scoti.

8 Est ergo tertia opinio vera, quod causa prima concurrit simul cum causis secundis ad earum operationes, & quidem, quod causæ secundæ pendeant à prima non solum in esse, sed etiam in operari apud Scotum vbique reperitur, & supponitur, & pręsertim in 1. d. 2. q. 1. §. *Quātum ad primum articulum*, &c. vbi probat dari vnum, primum in causalitate, & eminentia: statim enim in principio solutionis quæstionis ponit ordinem earū essentaliter ordinatarum, & earum conditiones assignat, quarum tertia est, quod causæ secundę in causando pendent à prima, & 2. d. 37. §. *Si hac via esset vera*, quærens, an volūtas sit omnino domina sui actus, postquā adduxit rationes probantes partem affirmatiuam, eam reijcit præsertim hac ratione, quia illa opinio tollit ordinem essentialem earum. Vnde tenet, & putat, quod voluntas creata pendet in sua causalitate à Deo, quod si hoc tenet de causa libera, multò magis de causis necessarijs.

Concursus Dei est determinatus

9 Notandum est autem concursum hunc Dei non esse concursum indeterminatum Dei, neque prouidentiā indeterminatam quæ postea determinetur à causis secūdis, & modificetur ab illis, vt volunt Molina p. p. q. 14. art. 13. disp. 11. & alij, quos reiecimus in 1. disp. 53. sed est concursus ad effectus quoscunque particulares, & definitos, ad quos causæ particulares concurrunt. Quod facilè probatur, quia Deus cuncta creauit, & creat, atque conseruat; ergo concursus eius est ex propria intentione ad effectus particulares, & eos attingit ex intentione.

10 Præterea, quicquid facit Deus facit volens, & intelligens; ergo cum concurrat ad omnes effectus particulares, vt causa prima, necesse est quod omnes illos intelligat, & velit, alioquin esset agens à casu, & sine ratione, ac duceretur à voluntate, & causis creatis non duceret; quod etiam patet ex auctoritatibus Sacræ scripturę quibus significantr Deum habere prouidentiam particularem de omnibus rebus, & eas gubernare, & regere, vt est illud Sap. 14. *Tua autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernas.* Et 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et Lucæ. 12. *Considerate Coruos quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, & Deus pascit illos*, &c. Hoc idē est quod habet Scotus, quol. 21. in vltimis verbis, vbi ex D. Aug. ait in Deo esse prouidentiam generalē, qua omnes res regit secundum quod natæ sunt regi. Habet deinde prouidentiam specialem circa merita hominum, adeo quod Deus nedum habet prouidentiam omnium actionum in particulari etiam minimarum, sed præsertim actionum liberarum, quæ a voluntate nostra proueniunt, & cum vnaquaque illarum concurrit. Quomodo autem Deus concurrat ad actum materialem peccati in propria disp. diximus.

Quomodo Deus concurrat.

11 Sed dubium principale est, quomodo Deus concurrat cum causis secundis ad earum operationes, An scilicet concurrat influendo vim, & qualitatem aliquam in causam secundam, an præcisè influendo in effectum causæ secundæ. Et denique quomodo Deus se habeat in concursu cum causa secunda, & quid sit influxus eius in eam. De qua re copiosè disserunt Franc. Suarez in opusculis lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, Molina p. p. q. 14. art. 13. disp. 6. Aluarez lib. 3. de Auxilijs, Vasquez p. p. disp. 88. & alij ex recentioribus, nos breuiter agemus. In proposita ergo difficultate notandum est, Doctores antiquos, vt D. Thomam p. p. q. 105. art. 5. de hac re agere; sed hic breuiter, & obscurè rem hanc tetigit, vnde omnes in suas opiniones eum trahere nituntur. Scotus tamen, etsi aliquibus euideatur obscurus, melius tamen quàm alij rem declarat, quid tamen ille asseruerit verè, postea dicam.

Opinio D. Th. & antiquorū obscura in pręsenti materia.

Prima opinio Thomistarum.

12 Interim inter recentiores de hac re sunt duo modi dicendi. Primus est quorundam recentiorum, qui tenent, quod vniuersaliter ad hoc vt causa secunda, quęcūque illa sit siuè naturalis, siuè libera vt est voluntas creata, producat suos effectus, sit necessariū produci aliquid præuium à causa prima, mediante quo postea causa secūda exeat in actum, & in operationem, siuè per quod causa secunda determinetur ad talem actionem. Et hęc opinio pōt habere duplicem sensum. Primus est, vt hoc præuium, quod causatur à causa prima, sit aliqua qualitas, vel aliquid aliud productum in causa secunda, quo ipsa causa secunda determinetur ad producendum hunc effectum, vel illum actione vera, & reali. Secundus modus est, quod istud præuium causatum à causa prima ipsam determinans, non sit aliqua qualitas, vel aliquid huiusmodi præuium inhærens voluntati, siuè causæ secundæ, sed sit solum quid extrinsecum, scilicet præuia determinatio diuinæ voluntatis, qua determinat ponere in esse talem effectum, qua posita, causa secunda, non potest non cooperari ad talem effectum, propter subordi-

Secunda opin Thomistarum.

nationem

nationem illius, vt causa secunda ad primã; sicut ad motum nostræ voluntatis mouetur brachium, & manus: nã hic motus fit à virtute motiua manus, non propter aliquid causatum in ipsa à voluntate, per motionem illam, sed propter subordinationem, & naturalem sympatiam illius ad voluntatem. Iuxta primum modum, illud præuium est quid intrinsecum productum in voluntate. Iuxta secundum modum, præuium illud est quid extrinsecum, scilicet prædeterminatio diuina.

Opinio Bãnes, Aluarez, & aliorum.

13 Dominicus Bannes p.p. summ. q. 23. art. 3. conclusione vltima, & eadem p.p.q. 14. art. 13. ferè in fine tenet quod Deus determinat voluntatem creatam ad operandum; tamen non se declarat de modo, an scilicet primo vel secundo. Ex recentioribus verò Aluarez lib. 3. de auxilijs disp. 19. & Ripa p.p.q. 19. art. 8. dubio 1. cap. 3. eam declarat sic. Dicit hoc præuium esse quoddam ens incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis nõ permanens in causa secunda, sed transiens cum ipsa operatione, causatum à solo Deo, quo sufficienter causa secunda, cõstituitur in actu primo. Insuper præter hoc ens incompletum inhęrens causæ secundæ, inquit, Deum aliud præuium efficere, scilicet mouere, & applicare causas secundas ad operandum, quæ applicatio est virtuosa operatio, & motio, quam Deus efficit, vt causæ secundæ actualiter operentur vnaquæque iuxta modum sibi proportionatum, & hæc motio præuia est realiter distincta ab operatione causæ secundæ. Vnde isti videntur vtrumque modum simul coniungere, & amplecti.

Hæc est opinio Gre. de Arimino in 2. d. 28. ar. 3. ad 12. quo ad opera super naturalia.

2. Opinio principalis quæ est vera.

14 Alter modus principalis dicendi, quem puto verum, est, quod causa prima concurrit cum causa secunda influendo non in causam secundam, sed præcisè influendo in effectum simul cum ipsamet causa secunda, quem modum postea declarabimus. Nunc versabimur circa primã opinionem, quæ, vt diximus, duobus modis explicatur.

Ration. pro 1. opinion.

15 Rationes pro priori modo in communi sumpto, quatenus dicit Deum concurrere cum causa secunda, producendo aliquid præuium in causa secunda, præsertim sunt istæ ex varijs eorum dictis collectæ.

1. Ratio pro 1. opinione

Prima ratio pro primo modo est hæc: Causa secunda (hoc ipso quod creata est) non est completa in suo ordine causæ secundæ, sed semper ei deficit aliquid; ergo eget semper complemento aliquo actuali, quod recipit à Deo per hanc præuiam actionem, & virtutem inditam, quam vocant qualitatem fluentem, vel intentionalem, vel quid simile. Antecedens probatur: nam securi per artem in sua formatione dari potuit acumen in ea permanens ad scindendum lignum, at nõ potuit dari quod absque motione artificis scinderet lignum; ergo necesse est, vt in actuali operatione hoc complementum transiens à prima causetur in ea.

2. Ratio.

16 Secundo. Causa secunda non agit nisi, vt instrumentum causæ primæ, sed instrumentum non agit, nisi vt motum a principali agente, & ab illo recipiente complementum principale virtutis agendi per virtutem trãseuntem, vt in artificialibus videre licet, ergo. Maior probatur, quia causalitas causæ secundæ terminatur ad esse; efficit enim aliquod ens habens esse; at esse est effectus vniuersalissimus Dei; ergo causa secunda non potest attingere esse, nisi vt instrumentum Dei.

3. Ratio.

17 Tertio. Causæ secundæ sunt indeterminatæ, & egent determinatione præuia causæ primæ ad producẽdum effectum in indiuiduo: sunt enim causæ secundę determinatæ ad producendum effectum in indiuiduo in specie, non autem in numero, vt ignis est determinatus ad producendum calorem, non tamen hunc, vel illum, sed ad hunc, vel illum calorem indiuiduum determinatur à prima causa; & hoc locum habet quoque in causa secunda libera.

4. Ratio.

18 Quarto. In speciali de voluntate creata ostenditur necessariã esse hanc prędeterminationem sic. A causa indifferente, & indeterminata nõ potest diffinitus prodire affectus; sed voluntas creata (positis omnibus requisitis ex parte obiecti, & intellectus, ac suarum virium) est indifferens ad hunc, vel illum actum eliciendum; ergo prius saltem natura quàm eliciat aliquem effectum definitè oportet, vt ab aliquo determinetur; ergo à Deo non ab alia causa potest determinari, quia nulla alia causa habet efficaciam in voluntatem, neque à se, quia semper in se est indifferens ante determinationem ab alio acceptam, & proinde est insufficiens ad determinationem faciendam. Prima propositio, in qua tota vis sita est, probatur primo, quia repugnat eandem facultatem esse indifferentem, & se ipsã determinare, quia determinatum, & indifferens contradictionem inuoluunt; secundo, quia causa indifferens est quasi incompleta, vt in vnum effectum potius exeat, quàm in aliũ; ergo oportet, vt aliunde accipiat complementum, vt illius effectus causa esse possit. Et confirmatur hæc ratio, quia si volũtas seipsam determinaret, esset quoddam præuium, liberum, nec subderetur Deo, quod est contra excellentiam singularem Dei.

Confirmatur.

19 Quinto. Voluntas de se indifferens est ad volendum, & nolendum; ergo non potest determinare se ex se ad hoc, vel illud, quia vult. Consequentia probatur, quia si vult, iam est determinata; ergo non potest ipsum velle esse causa, & radix determinationis; ergo necesse est, quod detur aliquid præcedens determinans voluntatem ad velle, & non ad nolle.

5. Ratio.

20 Sexto. Quod est proprium voluntatis diuinæ nõ potest competere humanæ: sed diuinæ proprium est per se ipsam determinare se absque eo, quod actus eius exeat extra ipsam; ergo voluntas creata non potest determinare se, sed sẽper determinatur ab aliquo extrinseco.

6. Ratio.

21 Septimo. Auctoritate D. Th. p. 2. q. 9. ar. 2. vbi ait, potentiã, quę interdum agit, & interdum non agit, egere aliquo mouente, & determinante ipsam quo ad exercitium actus sed voluntas interdum agit, interdum non agit in actibus liberis; ergo æget aliquo determinante ipsam.

7. Ratio.

22 Octauo. Obijcitur auctor lib. de causis propositione 16. qua dicitur, virtutem diuinam esse virtutem omnium causarũ, quo videtur velle, quod virtus diuina applicet omnes virtutes ad operationes suas.

8. Ratio.

23 Nono. Argumentum efficacissimum sumitur ex natura, & conditione interna causæ primæ, & secundæ, quod adeò magnifacit Ripa p. p. q. 19. art. 8. dub. 1. ca. 3. vt dicat, illud esse loco omnium, quæ adduci possent; argumentum autem est hoc. Secunda causa illa est, quæ nihil potest agere ad quod non concurrat prima, & hic concursus est internus, & essentialis, vel ergo hoc concursu prima causa mouet secundam, vel secunda primam, hoc secũdum nullus dicit, ergo primum, quod est intentum. Confirmatur auct. Arist. 8. Phys. tex. 33. vbi, post multa, habet hæc verba. *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum*, (idest causam primam, & secundam) *sed magis primum: illud enim mouet vltimum*. Ex quibus verbis elicitur, causam primam duplicem habere motionem circa causam secundam. Prima qua mouet ipsam causam secundam per se ipsam, ad quẽ motum non concurrit causa secunda, sed merè passiuè se habet. Altera motio est, qua prima, & secunda simul coeunt, & mouent, siuè producunt effectum, & hac secũda motione ait Arist. primam causam magis intimius, firmius, & independentius mouere, quam secundam.

9. Ratio.

1. Confirmatio.

Confirmatur illa vulgata propositione Philosophica. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, adeò vt causa prima prius moueat secundam, deinde prima & secunda agant, & producant effectum. Ex his apparet clarissimè primam causam habere actionem in secundam, antequam causa secunda agat.

Decimo. Quia aliàs nõ esset ordo essentialis inter causam primam, & secundam, sed tantũ ordo perfectionis.

10. Ratio.

Pro

Eadem opinio secundo modo explicata probatur. 24 Pro eadem opinione secundo modo explicata, scilicet quod causa prima prævium influxum habeat in causam secundam, absque impressione alicuius qualitatis, valent quinque rationes posteriores. Sed vlterius arguitur duabus rationibus principalibus, quæ tamen sententiam explicatam non impugnant, sed absolutè probant, Deum promouere voluntatem creatam.

11. Ratio. 25 Vndecimo. Si diuina voluntas non determinat voluntatem humanā ad actum, & ad exercitium actus; ergo diuinus cōcursus vilificatur multū. Primò enim est concursus confusus, & generalis, qui videtur satis imperfectus. Secundò, quia sic videtur Deus cęcus, & ignorās esse, modo cęco influere in actum voluntatis nostrę, & in incertum tendere, nimirum in id, quod voluntas humana elegerit, quod Deus nescit, quid, vel quale futurū sit. Tertiò, quia tunc causa secūda determinaret primā causam ad influendum in hunc actum, potius quàm illud, quod est absurdum. Sequela patet.

12. Ratio. 26 Duodecimo. Altera ratio principalis sumitur ex prouidentia diuina, quam habet de rebus creatis liberis, quæ talis est. Si dicamus, Deum non prædeterminare voluntatem nostram ad actiones, sequitur, Deum non habere perfectam prouidentiam nostrorū actuum liberorum, neque, Deum illos prędefinire absoluto, & efficaci decreto suę voluntatis, priusquam videat illos fieri à nostra voluntate cum suo generali concursu. Sequela est clara; consequens verò videtur falsum, & omnino alienum à modo loquendi Sacræ scripturæ, & à perfectione diuinę prouidentiæ, quia sic multa casu euenirent respectu Dei, & non quia essent ab illo ordinata, quod fidei repugnat.

13. Ratio. 27 Tertiodecimo. Est auctoritas Catechismi Romani p. p. de 1. art. Symboli, num. 22. qui docet, Deum non solum simultaneo concursu, sed etiam præuio influxu mouere causas secundas ad operandum: verba autem eius sunt. *Quamuis secundarum causarum efficientiam non impediat, præuenit tamen &c.*

Allata opinio reijcitur. Caput Secundum.

28 OPinio in precedenti cap. explicata, & probata, est bipartita. Aliqui enim dicunt, cōcursum causę primę cum secunda consistere in hoc, quod prima producit in secunda qualitatem aliquam, vel quid simile intrinsecum, quo causa secunda determinatur. Alij aiunt consistere in hoc, quod prima determinat secundam ad sic operandum decreto suo diuino absque eo quod aliquid producat intrinsecum in secunda causa. Aliqui vtrumque asserunt, & cōtra hos eędem rationes factę contra duas priores opiniones valebunt.

Opinio allata impugnatur quo ad primum modum. 29 Primum assertum. Primò impugnatur à Scoto 4. sent. dist. 43. quæst. 3. confutando tertiam opinionem hac ratione. Si influentia causæ primæ in causam secundam esset aliquid absolutum receptum in causa secunda, tunc causa secunda per illud receptum in se posset agere sine causa prima. Consequens est absurdum, quia nemo concedit, quod cum causa secunda operatur, causa prima nihil agat, cum enim sint essentialiter ordinatæ, necesse est, quod simul causent. Consequentia verò probatur, quia tunc causa secunda haberet in se totum illud, propter quod indiget actione causæ superioris.

1. Ratio ex Scoto.

2. Ratio ex eodem. 30 Secundò arguo ex dictis ab eodē Scoto in 4. dist. 6. quæst. 5. in corpore q. §. *ad primum dico, quod aliud est loqui de causa secunda*, & dist. 13. quæst. 1. art. 3. causa secunda propriè dicta differt à causa instrumētali, præsertim in hoc, quia causa secunda habet formam propriā in esse quieto, quæ est sibi ratio agendi in ordine suo respectu eiusdem effectus, respectu cuius agit causa principalis in suo ordine. Instrumentum verò si est actiuum, quando attingit terminum principalis agentis, non habet in esse quieto, sed solum in fieri formā, quæ est principiū agendi in ordine suo, sed tm̄ in actuali motione; & recipit eā, dum actualiter mouetur à principali agente. (Differt enim causa secunda à causa instrumentali dupliciter. Primò, quia causa secunda agit propria virtute, causa instrumentalis agit solum virtute principalis agentis. Secundò, quia etsi instrumētum semper agat propria forma, tamen forma quam habent in esse quieto, agit solum dispositiuè ad terminum principalis agentis; cum verò agit ad terminum principalis agentis, & illum attingit, non agit forma, quā habet in esse quieto, sed forma, quam tunc in actuali motione recipit à principali agente, & manet solū in fieri; vt patet ex his, quę probata sunt in secūdo disputatione 4. An creatura possit creare principaliter, vel instrumentaliter.) Tunc sic argum. Si causa secunda ideo causaret, quia à causa prima in causando reciperet aliquam qualitatem, vel formam, per quam ageret, causa secunda non esset propriè causa, sed instrumentum; ergo causa secunda non recipit aliquam præuiam formam à prima, dum causat.

Responsio aduersariorum. 31 Respondent auctores oppositæ sentētiæ his duobus argumentis, quod omnes causæ secundæ, quatenus dant esse rei, sunt instrumētum Dei. Hoc modo respondit apertè Aluarez lib. 3. de auxilijs, disput. 18. argum. 4. & in responsione ad primum, & secundum. Ripa etiam hanc eandem respōsionem, licet sit obscurus, affert p. p. quæst. 19. art. 8. dubitatione prima, cap. 11. & loquuntur de instrumento propriè dicto: quia Aluarez hoc confirmat ea ratione: quia esse, est effectus vniuersalissimus, & proprius Dei solius, ideo causæ secundæ non possunt attingere illud nisi quatenus sunt instrumenta Dei. Et Ripa explicans quid sit hęc virtus præuia causata à Deo in causis secundis, citat Ferrariensem tertio contra Gentiles cap. 70. & Caiet. 3. p. quæst. 13. art. 2. In his autem locis explicant isti auctores, quid sit virtus instrumentalis, qua instrumentum, vt instrumentum, operatur, & mouetur à principali agente. Volunt ergo, quod hęc motio, & virtus pręuia in causis secundis, qua à Deo mouentur, sit virtus instrumentalis, qua primum mouens mouet instrumentum ad agēdum; & ab hoc fundamento, tanquàm à radice pendent omnia alia, quæ dicunt in hac materia de auxilijs.

Reijcitur. 32 Cæterum, hæc responsio est omnino falsa, contra eorum principia, & forsan contra ipsum D. Thom. Est falsa in se, quia si causæ secundæ sunt causæ instrumentales propriè loquendo, tollitur de medio distinctio illa vniuersalis communiter recepta, quod causa per se est duplex, scilicet principalis, & instrumentalis; principalis est, quæ agit per se, & per propriam formam; instrumentalis est, quæ agit virtute alterius. Causa autem principalis, & per se est duplex, alia est, quæ in agendo non habet causam superiorem, & independenter agit, vt Motor primi mobilis secundum Arist. & hæc dicitur causa prima: alia est, quæ agit quidem per propriam formam, & intrinsecam agentis, tamen in agendo est subordinata causæ superiori, vt motus Solis in Zodiaco, quæ est doctrina Aristot. 12. Metheor. tex. 34. Causa verò instrumentalis est, quæ agit dispositiuè ad terminum principalis agentis, vel si attingit terminum principalis agentis, hoc non efficit virtute propriæ formæ, sed in virtute principalis agentis,

33 Quæ doctrina nedum est Scoti in 4. dist. 1. q. 1. §. *ad quæstionem*, sed D. Tho. p. p. quæst. 104 art. 2. in corpore, vbi distinguit causam conseruantem rem in esse in causam indirectè, & per accidens conseruantem, cuiusmodi est, quæ remouet impedimentum; & in causam directè, & per se conseruantem effectum, quam deinde diuidit in primam, & principalem, quæ est Deus, ac in causam mediam, & secundā, quæ sunt creaturę aliquæ; & ab his, ait, pendere etiam esse creaturarum, tamen minus principaliter; & adducit auctoritatem Arist. ex 12. Meth. tex. 34. quam supra adduxi.

34 Præterea. Hęc responsio ex eorum principijs refellitur, quia secundum D. Tho. p. p. quæst. 45. art. 5. nul-

lum instrumentum attingit terminum principalis agentis; sed dispositionem præuiam ad illum, & secundum Caiet. & alios sectatores eius, si attingit terminum principalis agentis, hoc facit, quia eleuatur à virtute principalis agentis vltra vires suas ad efficiendum terminum à principali agente intentum, vt vidimus 2. sent. dist. 4. tunc sic arguo. Si ergo causæ secundæ, sunt causæ instrumentales, nunquam attingent propria operatione, & virtute terminum principalem, ad quem concurrunt, sed aliquem terminum præuium, & dispositiuum ad illum: & ita bos non attinget generationes bouis, sed aliquid præuium: nec ignis attinget productionem caliditatis, sed aliquam dispositionem præuiam: nec voluntas mea attinget productionem volitionis meæ, sed aliquam dispositionem præuiam quæ, quàm sint absurda, patet.

35 Præterea. Nullus effectus productus à causa secunda erit productus ex virtute propria, & viribus suis, sed quatenus est eleuata supra vires suas à superiori agente, & sic cum bos producit bouem, quia est causa secunda, & producit vt instrumentum Dei, producet quatenus est eleuatus supra vires suas à virtute superioris agentis; & sic de alijs. Et ita nulla creatura proprijs viribus attinget terminum vltimum, ad quem concurrit, sed solum virtute superioris agentis Dei. Quod quàm sit absurdum est euidens. Hæc sola ratio est mihi sufficientissima.

36 Confirmatur, quia per aduersarios, causa secunda quatenus tribuit effectui esse, & vltimam actualitatem, est instrumentum Dei: at causa secunda tunc solum est verè causa cum causat actu; ergo causa secunda, vt est vera causa, est instrumentum Dei, ergo causa secunda est præcisè causa instrumentalis, quia non habet aliam causalitatem nisi illam, in qua secum concurrit causa prima.

3. Ratio principalis

37 Tertiò arguitur ratione eiusdem Scoti in 4. dist. 1. quæst. 1. §. *ad quæstionem* sic. Omnis causa per se habens aliquam propriam operationẽ in genere suo, habet formam actiuam aliquam intrinsecam completam, si est permanens, & in esse quieto; si est in fieri, in fieri; per quam efficere potest illam actionem (stante concursu Dei ad effectum, absque eo quod aliquid aliud influat in illã causam, qui semper intelligitur;) sed omnis causa secunda est causa per se habens propriam actionem; ergo debet habere propriam formam actiuam intrinsecam completam, per quam efficit illam operationem. Subsumo, sed causa habens talem formam completam non eget aliquo alio complemento externo ad efficiendam propriam operationem; ergo frustra ponitur illud complementum præuium, & perfectio ista transiens in actuali operatione eius. Maior probatur, quia omnis actus secundus supponit actum primum, actus enim primus est principium actus secundi. Quod etiam hæc forma debeat in esse causę intrinsecę, & in esse quieto, probatur: quia quicquid operatur formaliter aliqua forma, etiam per illam formaliter constituitur in esse; & si illud est permanens, illa forma inest illi in esse quieto: homo enim formaliter operatur per animã, & est permanens, ideo anima est forma hominis intrinseca in esse quieto: si etiã causa sit causa alicuius operationis transeunter, & in fieri tantum, necesse est quod habeat formam, quę est illius operationis principium in fieri: quia semper actus secundus supponit actum primum. Minor probatur, quia nisi causa secunda haberet propriã operationem quodlibet ageret in quodlibet, & ita musca cum causa prima posset generare hominẽ, sicut homo cum causa prima generat hominem, nõ equum. Assumptum in subsillogismo probatur, & à multis confirmatur à Suarez in Opusculis lib. 5. cap. 6. & 7. à Molina p. p. q. 19. art. 8. disput. 6. & alijs: quia cum causa habet esse perfectum in suo genere, & habet requisita omnia alia, vt quod obiectum sit in debita distantia, & nullum sit impedimentum, non requirit aliquod aliud cõplementum ad hoc, vt possit operari; quodcunque illud complementum sit: quia si aliquod aliud complementum absolutum requireretur, sequeretur, quod non haberet actum primum perfectum, & completum. Implicat ergo repugnantiam, ponere causam secundam esse perfectam in actu primo in suo genere, & deinde dicere, quod requiritur aliquid absolutum præuium incompletum habens esse intentionale per modum, quo colores habent esse in aere, & virtus artis in instrumento, quod ab ipsis appellatur, vel applicatio actualis secundarum causarum ad actionem, vel excitatio, vel motio, vel determinatio, vel quocunque alio modo nominetur, & certè hæc ratio est euidentissima: quis enim non videt, quod si ignis, habita forma sua, qua in esse perfecto ignis constituitur, & præsentato ligno in debita approximatione, & ablato impedimento, non potest comburere lignum, neque exire in operationem, quia deficit sibi aliquod absolutum, quod est complementum virtutis necessariæ ad hoc, vt exeat in actum secundum, quod ignis non habet actum primum completum in genere suo?

38 At respondent aduersarij, quod causa secunda per suam formam habet virtutem operãdi per modum habitus, & potentiæ, non autem habet actualitatem, & complementum ad operandum actu eiusdem virtutis, sed eam in actu operationis accipit à Deo. Responsio aduersariorum.

39 Contrà. Dicere quod causa secunda in suo ordine habeat formam, & virtutem operandi per modum habitus completam, sed tamen non habere vltimam actualitatem & complementum in ordine ad actum, est dicere, quod habeat virtutem, & formam absolutè incompletam in suo ordine, & genere; quia virtus, & forma, quæ actualiter non potest habere operationem ex defectu alicuius absoluti sibi intrinsecè requisiti, intrinsecè in suo genere, est incompleta. Hæc ergo opinio dicit pugnantia; hoc ergo complementum præuium absolutum pertinens ad actum primum positum ab his auctoribus est superfluum: sequitur enim ad hanc positionẽ, quod vnaquęque causa secunda tunc perficiatur in actu primo in suo genere, quando mouetur à Deo ad operandum; quod est omnino contra suppositum, quod causæ secundæ sint perfectæ in suo genere, vt est omnis creatura: quod enim animal cum mouetur ad actum generationis, in actu generationis accipiat actuale complementum virtutis generatiuæ, est noua doctrina contra communem conceptionem essentiæ secundarum causarum. Reijcitur.

40 Præterea arguunt recentiores. Istud ens habens esse incompletum quod datur per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento quocunque nomine nominetur, siuè excitationis, siuè motionis, vel applicationis causarum secũdarum ad operationem, vel determinationis, vel complementum virtutis, aut significant aliquem terminum diuinæ actionis, & tunc rationes factæ contra illos militant, & adhoc impugnatur, quia illud est ens absolutum creatum, & est forma inhærens alicui subiecto, & consequenter est causa secunda; ergo illa intentio eget alia intentione complente eius actualitatem; & sic dabitur processus in infinitum: qui cum non sit admittendus, standum est in causa ipsa secunda. Vel non significat aliquem terminum realem diuinæ actionis; & tunc contra nos nihil valent, quia per hanc motionem nihil nouum in causa secunda producetur à prima. 4. Ratio principalis

41 Respondent Ripa, & Aluarez vbi supra, quod terminus actionis diuinæ est esse illud incompletum, & simul causam secundam esse applicatam operationi à causa prima: negant autem hoc ens esse causam secundam, sed dicunt esse rationem, & conditionem, vt efficiat operationem; vnde non sequitur ipsum quoque alio concursu causari; sicut albedo est ratio subiecto, vt sit album, neque tamen ipsa est alba. Responsio aduersariorum.

Contrà.

42 Contrà. Implicat repugnãtiam, vt aliquid ſit terminus actionis realis primæ cauſæ efficientis, & illud nõ efficienter cauſetur. Sed illud complementum virtutis eſt terminus actionis diuinæ, ſcilicet illius applicationis, & motionis diuinæ; ergo implicat repugnantiam dicere, quod non ſit cauſatum. Et certè hic nodus eſt indiſſolubilis. Præterea illud, cauſam ſecundam eſſe applicatam à prima ad operationem, quod ſimiliter ponitur terminus motionis diuinæ, debet explicari, quid ſit; non eſt quid de nouo realiter productum in cauſa ſecunda, quod prius in ipſa non erat, vel ergo eſt aliqua relatio, vt puta approximatio cauſæ ad obiectum, vel effectio ipſa effectus, vel determinatio ipſa, vt cauſa agat in paſſum, vel ipſum complementum virtutis cauſæ ſecundæ; vel ſi eſt aliud, explicandum eſt quid ſit: non primum, quia ſupponimus ipſam cauſam ſecundam eſſe approximatã paſſo: non ſecundum, quia illa effectio eſt à cauſa ſecunda, alioquin cauſa ſecunda nullam haberet actualẽ cauſalitatem: non determinatio, quia cauſa ſecunda ex propria eſſentia, ſi eſt cauſa naturalis, eſt determinata ad operationem præſentato obiecto, cauſa verò libera ſe ipſam determinat, vt infra dicemus. Si autem eſt complementum virtutis, iam contra hoc factum eſt argumentũ præcedens, quia etiã illud debet effici, & ſic dabitur proceſſus in infinitum.

Reijcitur.

Exẽplũ aduerſariorũ refellitur.

43 Exemplũ autem Ripæ de albedine, & albo, quod eſt magnum fundamentum aduerſariorum, licet videatur rem declarare, tamen non eſt ad propoſitum; quia ideò hæc propoſitio, albedo eſt alba, non eſt vera abſolutè, quia hoc prædicatum, album, ſupponit pro concreto conſtante ex ſubiecto, & forma ipſum actuante: album enim eſt ſubiectum informatum forma albedinis; vnde cum dicimus, albedo eſt alba de rigore ſermonis ſignificatur albedinem eſſe ſubiectum informatum albedine, quod eſt abſurdum. Attamen ſi prædicatum illud, album, non acciperetur pro concreto, ſed nudè pro ipſa forma in abſtracto, propoſitio eſſet veriſſima, eſſet enim identica. Verum eſt enim quod albedo eſt alba, quia eſt ipſa albedo. Aliud eſt ergo quærere, An denominatio apta nata competere concreto poſſit competere abſtracto; & aliud quærere, An id, quod eſt per ſe terminus actionis realis, poſſit dici, & denominari realiter, & propriè factum, & cauſatum. Primum enim non poteſt dici, propter rationẽ adductã, quia ſignificaretur, ſirmum eſſe ſubiectum ſui ipſius, quod eſt abſurdũ. Secũdum verò põt dici, & verè eſt neceſſariũ. Exemplum. Si albedo, qua ſubiectum fit de nouo albũ, eſſet de nouo facta à Deo, licet non poſſet dici alba, poſſet tamen dici effecta, & cauſata realiter de nouo; quia talis denominatio ei competit, eo quia realiter, & propriè eſt effecta.

44 Præterea in 2. ſent. diſp. An creatura poſſit creare, cap. 2. oſtendi, eſſe, non eſſe effectum ſolius Dei, ſed etiam cauſæ ſecundæ, & opinionem Caietani ibi confutaui. Ex hoc autem ſequitur, quod ad hoc, vt cauſa ſecunda efficiat eſſe, non eſt opus quod à ſuperiori agente recipiat aliquod cõplementũ virtutis, ſed ſe ipſa eſt in actu primo ſufficienter ad producendum effectũ partialiter.

45 Præterea. Ex hac opinione ſequitur quod nulla cauſa ſecunda ſit perfecta in ſuo eſſe; neque valet dicere, hoc non eſſe inconueniens, quia Deus non poteſt dare cauſæ ſecundæ complementum virtutis actualis, quoniam Deus hoc optimè facit, vt infrà dicemus explicãdo opinionẽ Scoti, ſufficit enim, quod concurrat ad effectũ.

46 Tandem non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: at nos explicando opinionem Scoti oſtendemus nõ adeſſe vllam neceſſitatem ponendi aliquod prǽuium prædeterminans cauſam ad agendum, ſed ſufficere concurſum Dei ad effectum ipſum; ergo hæc opinio non eſt admittenda.

Secũdus ſẽſus opinionis prędictę refellitur.

47 Quod neque etiam concurſus primæ cauſæ cum ſecunda conſiſtat in aliquo extrinſeco nimirum in decreto diuinæ voluntatis facile probatur. Et quidem quo ad cauſas ſecundas naturales nulla eſt difficultas, quia non videtur requiri aliud decretum diuinæ voluntatis circa illarum operationes, præter decretum illud primũ, quo Deus eas naturales eſſe, & naturaliter agere decreuit: nã ex decreto diuinæ voluntatis, quo eas creauit receperunt formas, quæ ſunt determinatæ ad agendum, & quo ad ſpecificationem, & quo ad exercitium. Ignis enim non poteſt habere aliam actionem, quàm ignire, ſeù calefacere; & pręſentato obiecto non poteſt non ignire; & ignire ita intensè, vel remiſsè, ſicut eius forma eſt intenſior, vel minus intenſa. Vnde ridiculum videtur dicere, quod cum Deus concurrit cum igne ad calefaciendum, concurſus hic cõſiſtat in nouo decreto, quod ignis producat talem, & talem effectum cum talibus, & talibus conditionibus, ſi quidem ignis iam neceſſitatur ex ſua natura, quam obtinuit ex primo Dei decreto cum talibus, & talibus conditionibus ad agendũ ſic, & ſic. Et licet Deus ſua prouidentia determinet omnes effectus neceſſarios particulares, vt pluuiam hanc tali tempore, talem calefactionem, &c. Hoc non facit de nouo determinando cauſas ſecundas, producere hos effectus: quia hoc decretum eſſet ſuperfluum, ſi tales effectus eſſent naturaliter producibiles ab ipſis: Si verò non eſſent naturaliter producibiles. eſſent violenti; Deus autem nõ vim infert cauſis ſecundis, ſed eas ita gubernat, vt ſuos motus ſinere queat ſecundum D. Aug. Determinat ergo effectus particulares neceſſarios neceſſariò euenire, vt clarius infra explicando opinionem Scoti de prouidentia dicemus: quia actione, qua ſe ſolo, agit, diſponit, & ordinat cauſas ſecundas naturales in ſua productione cum talib. conditionibus, vt non poſſint alios effectus producere; illæ enim naturaliter agunt; ideò præſentato tali obiecto cum tali circunſtantia non poſſunt non producere talem effectum. Actio enim quæ pertinet ad prouidentiam, non eſt actio, qua Deus concurrit cum cauſis ſecundis naturalibus, ſed eſt actio propria, & ſolius Dei: præter enim actionem prouidentiæ diuinæ eſt deinde concurſus cum cauſis ſecundis ad operandum, qui eſt ſimultaneus, & terminatur ad effectum cauſarum ſecundarum non ad ipſas cauſas ſecũdas, & per iſtum optimè habetur, & declaratur quo modo cauſæ ſecundæ ęgeant motione Dei, vt patebit explicando opinionem Scoti; & ideò reſponſio, quam ſemper afferũt, quod cauſæ ſecundæ ſunt quidem determinatæ naturaliter ad vnum per modum potentiæ actiuæ, ſed non ſunt determinatæ per modum actualis influxus, ſed per motionem Dei determinantur, & complentur in virtute operatiua, vt actualiter operentur, ex quo dicunt, quod ignis fornacis Babilonis non combuſſit tres pueros intus exiſtentes, quia Deus non applicuit illum ad eos comburendos, hęc inquã reſpõſio admittit cauſas ſecundas eſſe imperfectas in actu primo, & eſſe propriè inſtrumẽta nõ cauſas principales per ſe, & tamen cauſæ ſecundæ ſunt quoque cauſę principales, non quidem primæ, ſed ſecundæ, quod eſt deſtruere totam Phyloſophiam, & admittere pugnantia: neque enim eſt intelligibile, quod aliqua cauſa per ſe ſit completa quo ad actum primum per modum potentię, & ſit determinata ad vnum, & tamen non ſit determinata, & completa ad vnum complemento actuali, vt immediatè poſſit exire in actu in ſuo genere. Hoc enim eſt dicere, eam habere actum primum perfectum, non tamen perfectum; & quod detur potentia perfecta actiua, & tamen non poſſit exire in actum.

48 Quod autem aiunt de igne fornacis Babilonis reſpondeo, eum non combuſſiſſe pueros, non quia non eſſet applicatus illis, & non haberet omnia requiſita ad illos comburendum, ſed quia Deus non influxit in illum effectum combuſtionis ex parte ſua. Vnde effectus ille combuſtionis non potuit inſurgere: quando enim effectus dependet à duabus cauſis, quarum vna eſt principalis, altera minus principalis, ſi altera deficiat, & maximè principalis, effectus non ſequetur.

Exẽplũ de igne fornacis Babilonis refellitur.

Responsio tacita refellitur.

Nec valet dicere, Deus,& causæ secundæ sunt in diuersis ordinibus; ergo non sunt causę partiales illius effectus,sed vnaquęque est causa totalis in suo genere: Respondetur enim quod si etiam sint totales in suo genere, non tamen propter hoc aufertur quin sint partiales respectu illius effectus;vt Pater,& Mater in generatione prolis sunt vnaquęque totalis in suo genere, quia vnus pater solus,& vna mater sola sufficit ad producendam prolem: at non sequitur ex hoc quin respectu prolis sint causę partiales,quoniam vna sine altera efficere non potest prolem: ita ergo combustio est effectus Dei,& ignis, ignis prębuit suum influxum, at defecit Deus suo influxu,ideò combustio effici non potuit.

Eadem opinio reijcitur quo ad causas liberas. Cap. III.

Quid dicēdū de causa secunda libera, vt est volūtas creata.

49 TOta ergo difficultas in hac re consistit in voluntate nostra, quę est causa libera,ideo dicunt Auctores contrarij eam determinari decreto diuinę voluntatis ad hoc,& illud volendum. Quod autem sit falsum voluntatem creatam determinari ab aliquo principio externo, quodcunque illud sit ostendimus ex Scoto in disp. An voluntas sit nobilior intellectu cap. 12.& sequētibus; & disp. An ex duobus inęquali gratia constitutis, vnus possit saluari, & alius damnari cap. 3. fusius ostendam, ideo lectorem illuc remitto, vbi responsiones aduersariorum fusè reijciontur, tamen adhuc breuiter probatur.

1. Ratio.

50 Si voluntas determinatur Physicè, idest verè, & realiter à causa prima ad eliciendum hunc, vel illum actum (quodcunque sit illud determinans siuè internū, siuè externum) sequitur quod voluntas nostra non sit libera, neque quod contingenter operetur id, quod operatur. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Falsitas consequentis patet, quia communiter Phylosophi statuunt hominem liberum esse, & agens ad vtrunque, quod potest agere,& non agere,& libertas,& indifferētia hominis non est passiua, vt est indifferentia materię ad formas diuersas,sed est indifferentia actiua,ita quod voluntas nō est determinata ad agendum hoc vel illud; sed potest agere,& ponere in esse id, quod magis libet. Sed dimissis Phylosophis, communiter Theologi, & Sācti Patres, & Concilia, cum prędicant hominem esse liberum,intelligunt,eum ita esse liberum,quod possit ponere in esse,vel non ponere in esse suam volitionem; & quando elicit illam possit non elicere. Quod denique confirmatum est in Concilio Tridentino sess.6.cap.5.in illis verbis. *Neque homo ipse nihil agat inspirationem illam recipiens, quippè qui illam abijcere potest.* Et licet distinguatur libertas à contingentia,vt in disp. An Spiritus sanctus producatur liberè, & necessariò, diximus: tamen certum est, quod libertas voluntatis nostrę pro hoc statu vię in actibus humanis,& actibus supernaturalibus,& peccatis habet annexam contingentiā, ita quod voluntas non est libera si non sit contingenter operans, (licèt aliàs possit stare necessitas cum libertate) & in hoc consistit ratio meriti,& demeriti, quia homo potest elicere,& non elicere actus bonos, & malos. Consequentia verò est euidens,nam posita hac determinatione physica,ac reali,& propria à causa prima in voluntate,volūtas non est amplius indifferens ad volendum hoc,vel illud,sed est determinata ad hunc effectum, ita quod non potest non producere illum; ergo voluntas humana nō est libera,nec contingenter operans,sed necessariò. Hęc ratio est ita euidens,vt nihil magis, & vniuersaliter probat contra quancunque determinationem, siuè fiat per aliquid intrinsecum inhęrens ipsi voluntati, siuè per determinationem extrinsecam voluntatis diuinę.

2. Ratio.

51 Secundò. Vsus libertatis humanæ continet duas partes. Vna est ad omittendum actionem, non ex impotentia,sed ex vi interna,& placito voluntatis,quia posset,si vellet illam actionem non exercere. Altera est exercendi actionem cum facultate suspendendi illam: at si requiritur necessariò hæc prædeterminatio à diuina voluntate, vt voluntas velit,voluntas nunquam poterit omittere actum volendi ex interna vi, & placito,sed ex impotentia; & consequenter nūquam poterit voluntati culpa tribui, quod non velit; si quidem velle non potest quidquam eorum, quæ de facto non vult. Similiter cum voluntas aliquid vult, non potest non velle illud, nec posset suspendere actum; ergo non esset culpanda, dum illud vult, quia non potest non velle, cum determinetur extrinsecè à prima causa ad illud volendum. Sed si quis dicat quod se sinit moueri,& in hoc est libera: hoc nihil est, quia ad illud sinere se moueri, vel est determinata, vel non. Si secundum; ergo pari passu potest dici non esse determinata ad eliciendum actum. Si primum; ergo non potest non sinere se moueri qui decreto efficaci primæ causæ resistere non potest; & sic non est libera, neque contingenter operatur.

3. Ratio.

52 Tertiò. Denique duplex est libertas, & contingētia,siuè indifferentia in voluntate nostra, scilicet quo ad specificationem actus,& quo ad exercitium, & libertas quo ad exercitium est maior: at hæc prædeterminatio tollit vtrunque; ergo. Minor patet,quia posita determinatione à causa prima, quod voluntas velit A. voluntas non potest suspendere actum hunc volendi A. sed fertur ineuitabiliter in A. quia voluntas non vult A. liberè,& contingenter,sed necessariò; & consequenter hæc determinatio tollit libertatem à voluntate nostra.

Respōsiones Aduersariorū ad argumenta allata.

53 His argumentis variè respondent Bannes, Ripa, & alij vbi supra citati. Primò aiunt,non valere consequētiam illam: Deus prędeterminat physicè voluntatem ad aliquid agendum; ergo tollitur libertas, & contingentia actus voluntatis creatę: quia inquiunt,ita determinatur voluntas creata à Deo,vt ipsa quoque se determinet; nec Deus prius tempore illam determinat, sed simul cū ipsa. Et cum dicitur implicat, quod ipsa determinetur à Deo & simul se determinet. Respondent, quod implicaret,si importaretur idem genus causæ,sed non importatur quia determinatur à Deo,vt à causa prima; determinat verò se,vt causa secunda, & in hoc consistit libertas causæ secundæ,scilicet vt in suo ordine se determinet, nō autem in hoc, vt à causa prima,non determinetur in suo genere; est enim subdita primæ causæ, & ideo necesse est ab illa determinari in suo ordine.

Responsio allata refellitur.

54 Sed contrà. Istæ duæ determinationes, scilicet quod voluntas creata se determinet liberè, & quod diuina voluntas eam determinet, pugnāt simul; ergo determinatio diuina tollit determinationem liberam voluntatis creatæ. Consequentia est euidens. Antecedens probatur. Pono casum, quod Deus determinauerit voluntatem meam cras sedere; vel ergo volūtas mea creata stante determinatione diuina poterit non sedere, vel non: si poterit non sedere; ergo non est determinata physicè: si non poterit non sedere, eam non liberè,& contingenter se determinabit ad sedendum,sed necessariò, & sic aufertur libertas eius. Respondent,quod potest non sedere, tamen omnino,& infallibiliter sedebit, quia (inquit Ripa) ista est simultas potentiæ, nō potentia simultatis,idest in ipsa voluntate est potentia actiua ad sedendum,& non sedendum,sed non est potētia, vt simul stet prædeterminatio diuina ad actum, & ipsa non sedeat; & vt inquit Caietanus quæst. 83.art. 1. voluntas considerata in se ipsa est indifferens; at vt exit in actum, est iam determinata, nec potest velle opposita,sed vnum.

Reijcitur.

55 Contrà. Ista prædeterminatio physica non solū aufert potentiam simultatis,sed etiam simultatem potētiæ, idest non solum facit, quod non possint stare simul determinatio voluntatis diuinæ, vt voluntas creata velit sedere,& quod voluntas creata velit non sedere; sed aufert à voluntate creata potentiam liberam sedendi; quia hæc prædeterminatio diuina determinat verè, & realiter voluntatem creatam ad actum sedendi; ergo illā

aufert

aufert suam potentiam & indifferentiam; ita quod ipsa nullam habet amplius indifferentiam ad producendum actum, sedere si enim maneret potentia, & indifferentia in voluntate creata, ipsa esset indifferens, & contingenter se haberet, & posset cessare ab illo actu quantum est ex se: at non potest, quia trahitur extrinsecè, & verè efficienter determinatè mouetur à Deo ad illum actum agendum; ergo hæc prædeterminatio tollit omnem potentiam ad oppositum, ac indifferentiam, & voluntariam determinationem à causa secunda in suo ordine; ita vt voluntas creata in se ipsa in ordine ad illũ actum non sit libera, nec indifferens, sed ab extrinseco est determinata.

Alia responsio.

56 Alia est responsio communior Bannes, Ripæ, & aliorum, quod voluntas creata (stante prædicta prædeterminatione physica) est libera in sensu diuiso, non in sensu composito, ita vt in proposito caso verum sit dicere, stante determinatione diuina, quod voluntas mea cras velit sedere, voluntas mea in sensu composito non poterit non sedere, sed in sensu diuiso poterit non sedere. Hæc responsio est difficilis intellectu; verum hanc distinctionem Ripa, quæst. 19. art. 8. cap. 9. ex Ferrariẽsi sic explicat. Sensus compositus est, quo duæ formæ in eodem subiecto simul componuntur, & modus determinat totum dictum, vt si dicam, prædestinatus necessariò saluatur, hæc est propositio modalis, vt patet; necesse, est modus dictum, homo prædestinatus saluatur, in quo dicto est subiectum, scilicet homo & duæ formæ, scilicet prædestinatus, & saluatur, & modus determinat totum dictum: vnde hæc propositio prædestinatus saluatur necessariò, in sensu composito facit hunc sensum; necessarium est istas duas formas prædestinatum, & saluatur, esse in eodem subiecto; & in hoc sensu est vera, vt patet. Aliud exemplum. Possibile est, prædestinatum damnari, in sensu composito, significat esse possibile illas duas formas prædestinatum, & damnatum, esse simul in eodem subiecto, & tunc est falsa. Sensus diuisus est, quo non componuntur duæ formæ simul in eodem subiecto, neque modus determinat totum dictum, sed subiectum tantum, & altera forma tantũ tribuitur subiecto. Exemplum. Hæc propositio, prædestinatus necessariò saluatur in sensu diuiso, facit hunc sensum. Homo quod ponitur esse subiectum prędestinatum, necessariò saluatur; & tunc est falsa, quia subiectum, quod est prædestinatum, liberè, non necessariò saluatur. In sensu ergo diuiso non cõponuntur duæ formę simul, sed modus determinat subiectum in ordine ad alteram formam. Aliud exemplum. Hæc propositio; Possibile est, prædestinatum damnari in sensu diuiso, facit hunc sensum: Possibile est, vt illi subiecto, quod est prædestinatum, insit damnatio; & tunc est vera, quia liberè, & contingenter illud subiectum saluatur, ideo ita posset damnari: in sensu composito verò est falsa, vt patet ex dictis. Ita ad propositum (inquiũt) ista propositio. Voluntas determinata à Deo ad actum potest non agere ad illum actum: in sensu composito est falsa, quia illæ duæ formæ non stant simul in eodem, quia sunt contrariæ, & repugnantes, sed in sensu diuiso est vera; significat enim modum illum, possibile, qui innuitur per verbum, potest determinare subiectum in ordine ad alteram formam, scilicet ad non agere, vt sensus sit. Voluntas in se, non vt est sub determinatione diuina, potest non agere, & in hoc sensu est vera.

Quid sit sẽsus compositus, & diuisus secundum Thomistas.

Allata responsio reijcitur.

57 Contra hanc responsionem plura dixi in locis supra citatis, tamen pro nunc sic breuiter ipsam reijcio. Ex responsione, & declaratione habita sensus compositi, & diuisi, habetur, q̃d prædeterminatio physica voluntatis creatæ à Deo ad aliquem actum, & potentia producendi actum oppositum eiusdem voluntatis creatæ, non possunt componi simul in eodem subiecto, nimirũ in eadem voluntate: quia hæ formæ pugnant simul, & ideo earum compositio facit propositionem falsam in sensu composito: potentia tamen ad actum oppositum prædeterminationi Dei manere potest in ipsa voluntate in se, non tamen vt est sub prædeterminatione diuina, qui est sensus diuisus. Tunc subsumo: sed sic est, quod pro nulla differentia temporis potest esse in voluntate productio actus oppositi ad prædeterminationem Dei; ergo hæc prædeterminatio tollit libertatem, & contingentiam. Maior est cõcessa. Minor probatur, quia iam aduersarij asserunt Deum ab æterno prædeterminasse voluntatem creatam ad omnes suos actus; ergo nunquã dabitur instans, in quo possit ponere actum oppositum in esse; ergo nunquam poterit agere liberè, neque dabitur instans, in quo sensus diuisus possit habere locum.

58 Quod si intelligant (vt re vera intelligunt) cum prædeterminatione Dei simul pro eodem nunc posse stare potentiam ad actum oppositum, ita quod sensus diuisus secundum eos sit, quod ille modus, possibilis determinet subiectum, scilicet volũtatem ad actum oppositum, quantum est ex se, etiam stante prædeterminatione Dei, hic modus dicendi implicat repugnantiam; quia licet quantum est ex se, & intrinsecè voluntas sit libera; tamen posita illa prædeterminatione in ipsa voluntate, non est capax formæ oppositæ simul; non ratione impotentiæ internæ voluntatis, sed ratione contradictionis, & implicãtiæ earundem formarum in eadem voluntate simul, propter quam in sensu composito propositio est falsa. Stante autem implicantia formarum earum ad inuicem in eadem voluntate, stat implicantia, quòd in eadem voluntate posita vna forma sit potentia ad oppositam: quia potentia non est ad contradictoria simul, & ad impossibile; est autem impossibile quod in eadem voluntate illæ duæ formę maneant simul actu; ergo etiam implicat contradictionem, quod posita prædeterminatione diuina in volũtate ad vnum actum pro vno nunc, voluntas creata habeat in se potentiam ad actum oppositũ pro illo nunc: quia etsi volũtas habeat potentiam ad vtramque formam, tamen non habet illam ad vtramque simul, sed diuisim tantum: propter quod fit, quod propositio sit falsa in sensu composito, vera in sẽsu diuiso.

Confirmatur ex Cõc. Trid.

59 Confirmatur ex Concil. Trid. quia sess. 6. cap. 5. & can. 4. definitur, etiam in supernaturalibus actibus, posse liberum arbitrium à Deo motum consentire, & resistere, si velit; ergo hæc prædeterminatio non datur. Respondetur à Ripa eadem quæst. 23. art. 5. dub. 1. c. 7. Concilium loqui in sensu diuiso, non in sensu composito: quam responsionem locis prædictis reieci, sed nunc breuiter sic eam impugno.

Responsio aduersariorum.

Reijcitur.

60 Certum est Concilium non loqui in sensu diuiso, sed in sensu cõposito, dum enim ait, liberum arbitrium posse dissentire, loquitur de potentia, quæ sit reducibilis ad actum verè, & realiter, ita vt posita in actu motione diuina, adhuc simul cum ea possit stare dissensus in voluntate, ita quod motio diuina, & dissensus secundum Concilium non sunt formæ repugnantes in eodem subiecto, & voluntate pro eodem instanti, sed compossibiles. Aduersarij verò volunt, esse incompossibiles, & semper istam esse falsam in sensu composito, mouente Deo, voluntas dissentit, & tamen secundum Concilium, quandoque est vera, alioquin illa potentia esset inanis, & frustra, quia nunquam reducetur ad actum. Sed aliquis dicet, quare ista est vera in sensu composito: prædestinatus non potest damnari, neque ob hoc dicimus lædi libertatem voluntatis; non admittimus autem istam, voluntas mota à gratia Dei non potest non assentire; & dicimus eam auferre libertatem? Respondetur hoc euenire, quia lata est differentia inter prædestinationem, & motionem factam à gratia: nam cum prædestinatione alicuius ad gloriam non potest stare oppositum, quia tunc voluntas diuina non esset omnipotens: at cum motione gratiæ potest stare dissensus voluntatis, quia Deus secundũ legem cõmunem eum mouet per gratiam, non

mouet secundum omnipotentiam suam, & voluntatem beneplaciti, cui resisti non potest, sed voluntate antecedenti, idest quasi effectus, & desiderij vt voluntas creata cooperatur præbendo adiutorium sufficiens, & ideo potest non impleri. Aduersarij verò putant eos qui conuertuntur moueri voluntate beneplaciti, & vltimata, cui resisti non potest, & ideo appellant illam gratiam, & motionem efficacem: hoc autem est falsum, vt in disput. de auxilijs dicemus 3. latius.

4. Ratio. 61 Quarto. Si voluntas requirit necessariò determinationem physicam, sequitur non solum impediri liber tatis vsum, sed etiam potentiam ipsam liberam radicaliter, & funditus euerti. Consequens est falsum, consequentia probatur. Voluntas non potest ex natura sua postulare duas conditiones repugnantes, sed determinari ab aliquo alio ad actum, & liberè determinare se ex se ipsa, ad actum sunt conditiones repugnantes; ergo voluntas non potest vtramque postulare ex propria natura: subinfero, sed sic est, quod per aduersarios voluntas ex natura propria postulat determinari ab alio; ergo ipsa non postulat per se ipsam determinare se: at essentia, & radix libertatis consistit in determinare se ex se ipsa; ergo voluntas essentialiter, & radicaliter, stante hac opinione, non est libera. Et per hoc argumentum reijcitur responsio eorum, quæ est, quod ita voluntas creata determinatur à Deo, vt quoque eodem temporis momento se determinet efficienter, & liberè: hæc enim responsio dicit pugnantia, vel enim voluntas creata determinatur à Deo ita ad actum aliquem, vt ipsa exeundo in actum, ita sit alligata ad illum actum, vt nullum alium elicere possit, vel non: si non; ergo non est determinata physicè: si sic; ergo non est libera. Præterea ista pugnant, quod ipsa determinetur à Deo ad aliquem actum, & quod ipsa se determinet, sicut repugnat, quod ignis calefaciat lignum, & calefiat à ligno; vel quod Sortes liberè eat in plateam, & quod ducatur ab alio.

5. Ratio. 62 Quinto. Stante hac prædeterminatione non est in nostra potestate velle actu, nisi id, quod vult Deus nos velle actu; quod si hoc ita est, sequitur vlterius nos non liberè, sed ex necessitate simpliciter omittere quicquid omittimus, & ex necessitate velle quicquid volumus, & consequenter hinc fit, nullam carentiam actus, vel volitionem actus alicuius nobis imputari posse ad culpam. Hęc vltima consequentia est certissima, quia in necessarijs nec meremur, nec demeremur. Secunda consequētia est euidens. Prima verò probatur, quia nos nihil possumus velle sine hac determinatione: at hæc determinatio non est in nostra potestate, quia non est à nobis, sed à Deo; ergo si Deus adhibet suam determinationem ad vnum actum, non ad alium, nō est in nostra potestate habere illum alium, & non elicere illum, ad quem voluntas à Deo determinatur.

Ripa q. 19. art. 5. dub. 9. cap. 10. 63 Respondent vbi supra, non omnem necessitatem antecedentem auferre libertatem nostram, sed eam solum, quæ facit rem esse necessariam absolutè, & simpliciter, & quæ cogit, & est necessitas naturalis. In proposito necessitas præcedens actum voluntatis, non est necessitas absoluta, & simpliciter, nec cogit, quia Deus vult actum voluntatis creatæ euenire liberè, & determinat, vt voluntas creata liberè velit talem actum. Ideo licet necessariò velit talem actum necessitate antecedente, non aufert libertatem, nec contingentiam.

Refellitur. 64 Ego fateor meam tarditatem, nec possum percipere, quomodo concursus Dei antecedentem determinet physicè, & quo ad specificationem, & quo ad exercitium voluntatem creatam ad aliquid volendum, ita vt non expectet, quod ipsa sit volitura, sed ipse efficaciter prædeterminet eam, vt actum illum velit, ac efficacia talis concursus consistat in vi quadam determinandi voluntatem, & tamen hæc necessitas non tollat libertatem humanam, quæ est contingentia (alias enim in materia de Spiritu sancto dixi, quæ differentia sit inter agere liberè, & agere contingenter. Spiritus sanctus enim secundum Scotum producitur liberè, & non contingenter, sed necessariò, vnde non sunt idem) in proposito autem libertas humana, & contingenter operari, sunt idē: & necesse est saluare contingentiam ad saluandum verè, & realiter libertatem humanam. Ego autem non video, quomodo cum prædeterminatione illa physica maneat talis contingentia in actu voluntatis, neque video, quæ sit maior coactio, quam ita determinare verè, & realiter voluntatem, vt non possit aliud velle, quā id, quod est determinatum. Quod autem dicunt in sensu diuiso posse ad oppositum, non in sensu composito, reiectum est supra. Immò addo, eos etiā ponere necessitatem in sensu diuiso, quia ipsi volunt, quod necessitas prouenieus ex determinatione diuinæ voluntatis cadat super voluntatem creatam, non autem præcisè super incompossibilitatem actuum in eadem volūtate, propter quam incompossibilitatem in sensu composito esset vera ista propositio. Voluntas prædeterminata à Deo ad aliquem actum necessariò elicit illum: volunt enim Deum determinare voluntatem creatam ad eliciēdum illum actum. Etenim secundum eos voluntas est, quæ determinatur sic agere, non autem præfinitur solum actus, & ideo destruit sensum diuisum, & sequitur voluntatem illum actum velle necessariò, non solum necessitate consequentię, sed consequentis. Et confirmatur, quia dicunt, hoc auxilium prædeterminans requiri ex parte voluntatis creatæ, vt possit agere, quia dicunt, illam motionem esse complementum vltimum virtutis necessariæ ad agendum. Ita Ripa loco citato, cap. 11. §. *Secundo terminum huius applicationis*, &c. vbi etiā vult, illam applicationem non terminari ad actum productum à voluntate, & à Deo; & in hoc reprehendit Suarez, sed ait terminari ad aliquid requisitum in natura ad illos actus efficiendum; ergo prædeterminatio cadit super ipsam potentiam voluntatis, sicut qualitas determinās ipsam ad agendum, vt caliditas determinat ignē ad comburendum, & sic tollit libertatem in sensu diuiso, non solum in sensu composito. Dicunt etiam, illam determinationem esse necessariam, vt voluntas non solum velit, sed vt possit velle, quoniā inquiunt, quod causa secunda quantuncumque perfecta nunquam prodiret in actum, nisi à Deo per hanc prædeterminationem moueretur: negant ergo potentiam proximam ad operandum in ipsa voluntate, & consequenter nunquam in sensu diuiso potest esse libera.

65 Ex his omnibus rationibus dilucidè patet, falsam esse sententiam eorundem auctorum de auxilio efficaci, si enim auxilium efficax esset auxilium, & concursus talis conditionis, quæ determinaret physicè, vt aiunt, voluntatem nostram ad volendum, sequeretur tolli libertatem nostram, vt nunc supra ostensum est, & aliæ rationes superius adductę eandē efficaciter impugnant. De auxilio efficaci.

Explicatur vera opinio Scoti, quomodo causa prima concurrat cum causis secundis, tàm in actibus naturalibus, quàm liberis, & supernaturalibus; & rationes in oppositum soluuntur. Caput IIII.

66 EX rationibus adductis cap. præcedenti apertè patet de mente Scoti, causam primam, dum concurrit ad agendum cum causa secunda, non imprimere aliquid quod recipiatur in causa secunda tanquam ratio complens, & perficiens causam secundā in actu primo, & hoc vniuersaliter est verum, tàm de causis secundis necessarijs, quàm de causis secundis liberis.

67 Remanet ergo, vt vera sit posterior opinio, quę asserit, Deum suo concursu generali non influere aliquid præuium internum, vel externum in causas secundas, sed solum influere in effectum earundem causarum secūdarum eadem actione particulariter, ita vt effectus idem numero

numero omnino eadem actione proueniat partialiter à causa secunda,& simul à prima;hoc tamen discrimine, quod causa prima prius natura, & prius perfectione cõcurrat,quam causa secunda, non autem prius tempore, sed simul. Et hæc procul dubio est opinio Scoti, quæ ex ipso colligitur pluribus in locis, sed præsertim in 4. d. 1. q. 1.in responsione ad vltimum argumentum principale, §. *Ad argumenta principalia*, &c. ibi enim habet hæc verba. *Ex hoc patet,quod causæ primæ in causam secundã propriè dictam,quando simul agunt, non est influentia noua,quę sit creatio alicuius inhærentis causæ secundæ,sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem*. Ecce Scotus ait apertè, influentiam causæ primæ in secundam consistere, *in agendo effectum communem*. Si effectus est communis; ergo partialiter concurrunt. Et eodem lib.4.d.13. q. 1.art. 3.§.*De tertio articulo*, &c. circa medium habet hæc verba.*Non credo semper causam secundam quæ vocatur quãdoque instrumentum,recipere motionem specialem à causa prima,sed tantum habere subordinationem aliquam formæ suæ actiuæ ad formam actiuam alterius,per quam subordinationem causa priore exeunte in actum in suo ordine causandi, secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi, & sic secunda dicitur mouens mota, non quia recipiat motionem à prima per quam moueat, sed quia in motione sua dependet ab alia prius naturaliter actu mouente*. Hoc idem habet eodem 4.dist.6. quæst.5. in corpore,vbi apertè ait,causam secundam propriè dictã differe ab instrumento, quia secundum propriam formã, quam habet in esse quieto,attingit effectum principalis agentis,vt supra cap.2. ostendimus, argumento secundo ex Scoto confecto, cõtra aduersarios, & eadem 4. d.43. q.3.§.*Tertia opinio est*, versus finem, vbi habet hæc verba. *Ergo influentia causæ superioris respectu inferioris nõ est aliquid receptum in causa inferiori,vnde est tantummodo ordo eius in causando ad causam superiorem continuè, quantum est de se coagentem*. Quod etiam asserat,voluntatem creatam non prædeterminari à diuina,neque cõcursum causæ primæ cum causa secunda libera consistere in prædeterminatione aliqua efficaci vera,& vt aiunt, physica,ad agendum,hoc non illud, etiam ex alijs locis eius manifestatur (satis est haberi ex dictis,quod ex hac ratione generali,in quantum est causa secunda non cõpetit ei hæc prædeterminatio;) nam in 2.d.37.q.vnica, §. *Ad solutionem istorum*, &c. docet quod actus bonus est effectus communis voluntatis diuinæ, & creatæ, ad quem ambę concurrunt tanquam causę partiales;& ait, voluntatem diuinam, quantum est ex se,dare semper rectitudinem actui, & proindè semper fore euenturum actum bonum, si voluntas creata semper cooperaretur diuinæ voluntati; sed quia voluntas creata deficit, hinc non sequi actum bonum: verba autẽ eius sunt hæc, post multa alia. *Ita igitur si ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, scilicet voluntas creata, & diuina, potest esse defectus in ipso velle ex defectu alterius causæ, & hoc quia ista causa posset dare rectitudinem actui, quã tenetur dare, & tamen non dat; alia autem,licet nõ teneatur eam dare,tamen quantum est ex se daret, si voluntas creata cooperaretur*. Et paulo inferius habet hæc verba. *Propter defectum causæ secundæ,quæ in potestate sua habet concausare causæ primæ, vel non concausare; & si non concausat illi,vt tenetur,non est rectitudo in effectu communi ambarum*. Ex his, & alijs verbis sequentibus apertè conspicitur ex mente Scoti, Deum concurrere cum voluntate nostra,non influendo aliquid præuium in voluntate, sed influendo partialiter in actũ voluntatis creatæ,qui est effectus eius,simul & diuinæ. Et habetur vlterius diuinam voluntatem non prædeterminare voluntatem creatam,sed eam liberam relinquere.

Scotus.

Voluntas creata non prędeterminatã à Deo.

68 Præterea in 2.d.25.q. 1. ex professo Scotus sustinet,voluntatem esse principium liberum, & à nullo determinari,& ex eius libertate oriri cõtingentiam in actibus, quod patet per totam quęstionem, sed pręsertim in resolutione.§. *Dico ergo ad quæstionem*, &c. Præterea in primo d. p.q.4.& in disp.de libera productione Spiritus sancti ostendi,quomodo, secundum Scotum, voluntas sit principinm essentialiter liberum,quod iuuat nostrum propositum,quia cum Deus eam creauerit principium essentialiter liberum non est conueniens, vt eam postea determinet,& præsertim in hoc statu. Idem apertè habet 3. sent.d.17.q. vnica in responsione ad primum, & hic locus est notandus: nam ibi ostendit, quod voluntas humana Christi non priuatur dominio respectu suorum actuum plus propter vnionem Verbi, quam si non vniretur ei; quia inquit. *Verbum nullam habet causalitatem in voluntatem Christi,quam non habeat tota Trinitas*. Tunc vlterius soluendo argumentum respondet duplicem esse opinionẽ de dominio voluntatis circa actus suos,de quibus ait se egisse 2.lib.d. scilicet 25. & dist.37. quarum altera dicit voluntatem esse omnino dominã, & totam causam sui actus,quam opinionem 2.d.37. nõ sustinuit: altera vero est, quæ tenet, *quod voluntas immediatè causat suum actum,nihilominus,etiam Deus causat immediatè cum voluntate*: ita quod voluntas creata est causa partialis,& Deus est causa partialis sed primaria:et hanc opinionem sustinuit in secundo. Sustinendo ergo hanc secundam opinionem respondet, quod voluntas creata in Christo ita liberè dominabatur actui suo,sicut mea voluntas suo actui,& adducẽs rationem habet hæc verba. *Quia Deus non operatur ad operationem illam; nisi voluntate liberè agente, & determinante se ad operandum, & tunc Deus operatur cum ea;licet tamen illic non sit prima libertas,& dominium,sed in voluntate Dei, quæ non habet causam aliam operantem,cum ea ad actũ suũ, sed tamen est ibi tanta,quanta potest esse in creatura*. Ecce quod Scotus non ait, voluntatem determinari, vel prædeterminari à Deo,sed voluntatem *se ipsam determinare* ad operandum, & tunc Deus operatur cũ ea; ergo prior est determinatio voluntatis creatæ ad operationem suã operatione Dei ad eandem; quę tamen prioritas nõ est temporis, vel naturæ propriè loquendo, sed est primam determinationem partialem ad actum communem esse à voluntate creata,& Deum ad illam annuere,& cooperari,neque hoc est inconueniens, stante decreto Dei, quod voluntas creata sit libera; non tamen propter hoc prima libertas est in voluntate creata,sed in Deo:quia si Deus operaretur necessariò, vel non se complaceret, vt prima determinatio esset à voluntate creata ipsa non posset se primo determinare: ideò verba illa sunt ponderanda, *voluntate liberè agente, & determinante se ad operandum*. Quod autem ait,primam libertatem esse in voluntate,hoc dicit cont. Thomistas, qui tenent, quod Deus agat necessariò ad extra,& tamen contingentia,& libertas sit in actibus humanis, quia volunt quod prima radix libertatis sit à voluntate nostra,quod est absurdũ, vt ostendimus in 1. sent.disp.de prima radice contingentium. In quarto etiam sent. dist.49.quæst.6. §. *dico ergo quod causa*, &c. versiculo *respondeo,quod voluntas*, tenet quod voluntas in Patria erit impeccabilis, non quia Deus determinet voluntatem creatam ad non posse peccare,vel quia ponat in ea aliquam qualitatem creatam ipsam determinantẽ, quia hoc repugnaret libertati voluntatis,sed ait, voluntatem creatam beatam non posse peccare,nec habere cõtingentiam ad peccandum, quia actus voluntatis pendet partialiter à voluntate diuina, quę quia non concurrit in suo ordine ad actum materialem peccati,ideo voluntas creata non potest illum ponere in esse. Ex quo etiam elicitur secũdum Scotum, quod in voluntate creata pro hoc statu non debet poni aliqua prædeterminatio, quia ei auferret contingentiam, sicut illam aufert in beatitudine, quo ad actum peccati.

Locus Scoti notãdus.

69 Verum remanet non parua difficultas declaranda in doctrina Scoti,& absolutè,quomodo cum doctrina allata stent aliç propositiones Scoti, & aliorum doctorum,

Quomodo Scotus ligatur causam secundam mouere, in quantum mouetur à prima

ctorum, & sunt veræ, quæ dicunt, causas secundas mouere, quia à prima mouentur, causa enim secunda, secundum omnes est, quæ mota mouet, & desumitur ex Aristot. 8. Physicor. tex. 33. & alibi sæpè, & Scotus eam ponit apertè in 1. sent. dist. 2. quæst. 2. §. *Quantum ad primum articulum*, vbi assignat tres cōditiones causarum essentialiter ordinatarum, quarum prima est, quod causa secunda in quantum causat essentialiter, dependet à prima, & eadem quæstione §. *Ostenso esse de proprietatibus*, &c. tertio argumento habet hanc propositionem. Quælibet causa secunda causat in quantum mouetur à prima, & d. 39. §. *Contra ista argutum est d. 2.* &c. & in solutione quæstionis in principio habet idem. Præterea. In his eisdem locis tribus vltimis tenet, radicem primā contingentiæ esse libertatem in diuina voluntate, & vtitur hac ratione. Si Deus ex necessitate naturæ ageret, tolleret omnem cōtingentiam à rebus. Consequens est falsum; consequentia probatur, quia causa secūda mouet, quia mota est à prima: vnde si prima causa ex necessitate moueret, necessariò moueret & secundam: vnde, & hęc necessariò moueretur, & moueret, siuè ageret, & sic omnia necessariò euenirent. Sentit ergo Deum voluntate sua mouere causam secundam ad agendum, quod est contra dicta eius superius: & insuper sequitur de mēte Scoti, quod Deus moueat, & determinet voluntatem ad agendum, alioquin hæc ratio sua nihil concluderet.

70 Præterea. In secundo Sent. dist. 3. q. 8. E. ad tertiam obiectionem factam contra se, ait, quod mouens motum potest intelligi duobus modis: vno modo, quod recipiat à mouente non moto formam aliquam, qua moueat sicut actum primum: secundo modo, quod recipiat formam vlteriorem, vt actum secundum, qua moueat, vt manus mouet baculum, & baculus motus mouet pillam per illam motionem receptam in se ipso; ergo ex Scoto, causa prima agit in secundā causam, & non præcisè in effectum.

Præterea. In 1. sent. d. 17. E. E. arguit sic. Si persona Spiritus sancti mouet specialiter voluntatem in actionē meritoriam, sequitur, quod illa motio est creatio alicuius in ipsa voluntate, & respectu illius voluntas se habet tantum passiuè; ergo ex Scoto causa prima agit in secundam producendo aliquid præuium in eam.

71 Pręterea. In 4. d. 49. q. 6. §. *Dico ergo*, &c. in fine ait, quod *non est contra naturam voluntatis, quod determinetur à causa superiori.*

Solutio dubij propositi.

Respondeo breuiter, optimè locis citatis Scotum se declarasse, neque esse sibi contrarium. Ait ergo causā secundam mouere à prima, sed istam motionem causæ primę, & influentiam in secundam non esse aliquid absolutum præuium causatum in voluntate creata, vt apertè docet in 4. d. 40. & d. 15. q. 1. art. 3. lib. 4. & locis supracitatis, & sic ille influxus non est qualitas illa præuia, nec intentio, vel per modum intentionis, nec aliquid reale, nec est decretum diuinę voluntatis, vt causa secunda sic, & sic agat, quia illud non datur: quid ergo est illa motio, & influentia? Respondet, nihil aliud est pręter naturam absolutam causarum secūdarum, nisi relatio causę secundę ad primam quod declarat sic. Influentia, & concursus ille nihil aliud est, nisi ordo, & subordinatio causę secundę ad primam, per quam causa priori exeunte in actum in suo ordine causandi, causa secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi. Motio ergo & influentia causę primę in secundam non dicit aliquid absolutum de nouo inductum in causam secundam, sed solum denotat naturam absolutam causę secundę esse talem, quod mouente causa prima in suo ordine, ipsa quoque mouet, & agit in suo ordine. Si est causa naturalis naturaliter agit, si est causa secunda libera liberè agit, idest agit si vult, & non agit si non vult; sed de ea specialiter agemus. Nihil ergo absolutum dicit hic concursus primę causę in secundam, sed solum denotat, naturam causarum secundarum esse talis conditionis, vt prima mouente, ipsę quoque moueant. Vnde pręter naturam absolutam in causis secundis non est aliud nisi relatio, seù ordo, & habitudo causarum secundarum ad primā, quę significatur per illud nomen causę secundę: causa enim & causatum sunt relatiua, & causalitas secunda nihil aliud significat, nisi relationem, & habitudinem dependentię fundatam in formis absolutis causarum secūdarum ad primam, vt illa mouente, ipsæ quoque moueant. Aptum exemplum mihi videtur illud de conueniente, & non conueniente, (quod explicauimus in 3. d. 15. agentes cū Scoto de dolore, & iustitia Christi) quod enim aliquid obiectum sit conueniens potentiæ, non est aliquid absolutum in obiecto, vel potentia, quia obiectum ex sua forma naturali dicitur conueniens potētię, quando ex sua forma naturali est aptum perficere potētiam: è conuerso est disconueniens, quando est aptum destruere potentiam: vnde conuenientia, & disconuenientia in obiectio, & potentia non ponunt aliquid absolutum, sed solam relationem; ita causalitas prima, & causalitas secunda, siuè concursus primæ cum secunda, vel motio secundæ à prima, nihil absolutum dicit, sed solam relationem subordinationis secundæ ad primā, quod illa agente in suo ordine, hæc quoque agat in suo ordine. Et sanè hic modus dicendi est planus, & sine vlla difficultate, vt ex dictis patere potest: & fortassè D. Th. dum p. p. q. 105. art. 5. dixit, Deum operari cum causa secunda, quia applicat quodammodo ad operationes, per illam applicationem, nihil aliud voluit significare, nisi hanc naturalem subordinationem causarum secundarum ad primam, quæ præter naturam absolutam causarum secundarum nihil aliud dicit, nisi relationem illam habitudinis secundarum ad primam.

Influentia causæ primæ in secūdam, quid sit.

D. Tho. & Scotus concordes.

72 Obiectio autem illa ex 2. d. 3. q. 8. E. nihil obest, quia verum est, quod aliquando causa prima agit in secundam aliquid præuium inducendo in eam, sed tunc causa secunda non est propriè causa secunda, sed instrumentum primæ, vt supra explicatum est: loquimur autem nunc de causa secunda per se propriè. *Ad secūdā obiectionē*

Ad aliam ex distinctione 17. Resp. non facere eum locum ad propositum, quia Scotus ibi arguit cont. Magistrum Sententiarum, qui tenebat, quod persona Spiritus sancti immediatè ageret in voluntatem creatam; ideo stante illo supposito infert, quod si agit in voluntatem, necesse est, vt agat aliquid in ea creādo, at in proposito non supponimus primam causam agere in secundam, sed est illud, quod vertitur in controuersiam, & nos sustinemus cum Scoto partem negatiuam, vt visum est. *Ad tertiā.*

73 Ad illud ex 4. d. 49. quæst. 6. iam ostensum est facere pro nobis, quia apertè ibi Scotus dicit, quod prima causa non determinat voluntatem creatam, nec ei aufert contingentiam in suo ordine: ait tamen in Patria determinare effectum contingentem prodeuntem, ab vtraque voluntate, scilicet diuina, & humana, & hac ratione posse dici, Deum determinare voluntatem creatam: quia etsi sit causa libera, & contingens in suo ordine, tamen ex contingentia in suo ordine non potest ponere effectum suum contingentem in esse, quia altera causa partialis, quæ est Deus, non concurrit, si autem Deus determinaret voluntatem in suo ordine, vel poneret in ea aliquem habitum ipsam determinantem ad actum secundum, auferret libertatem, & contingentiā eius in suo ordine. *Ad quartā.*

74 Dicta hucusque sunt communia causis secundis, tàm naturalibus, quàm liberis in quantum causæ secundæ sunt. At est specialis difficultas, quomodo causa prima concurrat ad actum voluntatis humanæ ita, quod illam non determinet; reiecimus enim illos duos modos dicendi aduersariorum, nimirum, quod Deus influat in voluntatem humanam aliquam qualitatem, qua determinetur; & alterum nimirum, quod Deus prius determinet actus futuros ipsius voluntatis, quia

Quid dicendum de cōcursu causę primę cum causis liberis.

vterque modus aufert ab ea libertatem, & contingentiam à re.

Solutio difficultatis.

75 Est ergo dicēdum, quod Deus vult actiones prodeuntes à voluntate nostra, non absolutè, sed sub conditione, idest vult, quod hic actus fiat à voluntate creata, si ipsa voluntas creata voluerit facere illum, & determinat se velle influere, & concurrere ad illum actum, expectando (vt ita dicam) influxum creatum voluntatis, non per aliquod tempus, sed quia non vult prius tempore agere, quam voluntas se determinet, sed simul natura cum illa: non quia non posset Deus alio modo illum effectum efficere, sed quia vult se accommodare ita voluntati nostræ, vt eius libertatem non lędat. Influxus ergo Dei siuè motio voluntatis creatæ à Deo, est ordo voluntatis creatæ ad primam causam, vt ipsa prima causa mouente voluntas creata quoque moueat, si sibi placet; qui tamen concursus, & influxus, vt natura præcedit determinationem, & cōcursum voluntatis creatæ, nihil aliud est, quàm promptitudo concursus Dei, qui semper est paratus, si voluntas creata determinet cōcurrere ad illum actū. Quatenus verò influxus Dei actualiter concurrit ad productionem actus voluntatis creatę simul natura, & ipse attingit eundem actum, & effectum cum eum attingit voluntas creata. Concursus ergo diuinæ voluntatis non attingit actum voluntatis creatæ prius actualiter, quàm voluntas creata, sed simul, & non nisi cum voluntate creata, licet concursus Dei sit prior natura, & dignitate. Pro cuius intelligentia obseruandum est, hic non esse cōtradictionem, cum dicimus, Deum prius natura, & simul natura concurrere cum voluntate nostra:

Solutio cōtradictionis apparētis in Scoto.

nam vt habet Scotus in 2. dist. 37. §. *ad solutionem*. Cum dicimus, Deum prius natura causare, non est imaginandum, quod Deus in vno instanti naturæ priori causet, & causa secunda in altero instanti naturæ posteriori causet: nam in his causis non est ordo prioris & posterioris, vt causant effectum, sed simul in eodem instanti naturæ ambæ causant. Dat exemplum Scotus in diuersis generibus causarum. Nam materia non prius natura materiat, quàm efficiens efficiat, quasi sine contradictione possit esse materiatum, & non effectum, vel è conuerso; sed prioritas naturæ hic est prioritas perfectionis, & sensus est, vna causa prius natura agit altera; idest, perfectius agit altera. Ita in eodem genere causæ diuersæ ordinatæ, licet habeant ordinem secundum perfectius, & imperfectius in causare, non tamen habēt prioritatem naturæ, quæ dicat posse esse sine inuicem respectu tertij: immo sicut in vno instanti naturæ materia materiat, & efficiens efficit, ita duę causæ efficientes in eodem genere ordinatæ in vnico instanti naturæ causant eundem effectum communem, ita quod neutra tunc causat sine altera. Tamen in quantum causa prima, vt Deus, est semper parata ex parte sua agere, etsi actus non sequitur, defectus prouenit ex parte voluntatis creatæ, quę ex parte sua non agit, potest dici prius natura agere, quam voluntas creata. Hac ratione nos dicimus etiam quandoque Deum prius natura agere: & hoc sæpius reperimus apud Scotum, vt in 4. dist. 13. quæst. 1. ar. 3. §. *De tertio articulo*, circa medium, vbi inquit, causam primā prius natura agere quàm secundam, & alibi & sic tollitur contradictio. Hoc autem totum verum est de concursu, quo Deus concurrit in actuali causatione actus voluntatis creatæ, non de actu præcedente, quem Deus se solo producit ad inducendū voluntatem ad faciendum aliquem actum, & ad sibi assentiendum. Et non distinguere de istis actibus, & hoc diuerso concursu est causa obscuritatis, & confusionis in hac materia.

Quō voluntas creata applicet ad actum.

76 Sed aliquis dicet, quomodo ergo voluntas creata applicatur ad actum à Deo, si Deus nihil præuium agit in voluntatem ipsam, quo illam applicet ad actum? Respondeo, falsum esse, Deum applicare, vel determinare voluntatem ipsam creatam ad actum suum proprium, sed est ipsa voluntas creata, quæ se ipsam applicat, & determinat ad actum. Applicatio enim actualis causæ secundæ ad actum, vt in proposito voluntatis creatæ, nihil aliud est nisi subordinatio eiusdem voluntatis creatæ ad diuinam, quæ est prima causa. Quæ subordinatio vltra formam absolutam ipsius voluntatis, nihil aliud ponit in ea, nisi relationem ordinis, & subordinationis causæ secundæ ad primam, vt dictum est nunc supra explicando propositionem illam, causa secunda est quæ mota mouet, in hoc eodē capite. Potest tamen dici, Deum duobus modis applicare voluntatem creatam ad actū: vno modo quatenus semper est paratus ad coagēdum, & quantum est ex se, quodammodo semper agit: Alio modo quatenus actibus præcedentibus præuenit congruo modo voluntatem ad operandum, & ad eliciendū actum, quem ipsa vult. In qua pręmotione differēter se habet, quando enim vult, voluntatē elicere aliquem actum bonum (neque enim ad actum malum Deus pręmouet voluntatem creatam, vt diximus præcedenti disputatione) non vltimata voluntate, & beneplaciti, sed solum antecedenti, & quantum est ea se vellet, mouet auxilijs sufficientibus quidem & congruis, sed nō tamen ita efficacibus sicut facit cum vult, eam velle aliquid voluntate beneplaciti; & hoc modo communiter, & ordinaria lege eam præmouet; vnde voluntas Dei, & eius prouidentia hoc modo non semper adimpletur, neque hoc ei derogat, vt dictum est disput. præcedenti cap. 4. Cum autē Deus vult voluntate vltimata, & beneplaciti inducere voluntatem creatā ad actum aliquē proponit ei obiectum mediante cognitione intellectus sub tanta ratione boni, & sub tot circumstantijs mouentibus ipsam voluntatem, quod quamuis ipsa resistere possit, non tamen resistit, vel immittit tantum affectum, & amorem in voluntate supra naturaliter, vt est charitas quod libentissimè se determinat ad actum. Si enim affectus, & amor terrenarum rerum ita inflammat voluntatem, vt præsentato obiecto terreno statim, vt plurimū ad illud diligēdum se determinet, multò magis hoc facit inflammata impulsu diuino. Hoc ergo modo potest dici, Deū applicare voluntatem creatam ad actum. Verum hæc motio non est concursus Dei, quo vt prima causa concurrit ad actus causarū secundarum, sed est actus prouidentiæ Dei particularis; nam ille actus est solius Dei, non ipsius, & voluntatis creatæ simul: quia in actu illo proponendi obiectum volūtati creatæ, voluntas creata non se habet actiuè, sed passiuè tantum; mouetur enim ab obiecto: dum verò mota producit actum circa illud obiectum volitionis, vel nolitionis, tunc actiuè se habet, & ad illum actum tunc concurrit voluntas diuina influxu suo, vt causa prima eo modo quo dictum est.

Hæc est sententia Scoti in 1. sentent. dist. 39. in corpore quęsiti §. *contra solutionem istarum quæstionum*, E, & inde: nam ibi tenet, quod cum decreto diuinæ voluntatis, quo decernit futura contingenter, & omnino esse futura, stat libertas, & contingentia actionum nostræ voluntatis: quæ libertas, & contingentia præsertim ex ipsomet Scoto vbi supra, art. 1. consistit in hoc, quod voluntas, quando elicit actum, potest non elicere: hoc autem fieri non posset, si voluntas diuina absolutè sine accommodatione prædicta ad voluntatem determinaret res futuras prouenientes à nostra voluntate; non maneret enim libera, neque cōtingenter eliceret actum suum quando illum elicit, sed necessariò, vt superius contra oppositas opiniones ostensum est.

77 Idem elicitur ex 2. sent. dist. 37. vt vidimus: & rursus ex 3. dist. 17. quæst. vnica ad primum: & ex alijs locis supra citatis E, & cum Scotus ait in 4. dist. 49. quæst. 6. quod determinatio diuinę voluntatis ne Beati peccent, non aufert libertatem voluntatis creatæ, ibi per libertatem non intelligit libertatem, quæ habet annexam contingentiā, vt est libertas voluntatis creatæ pro statu viæ, sed accipit libertatem propriè, quæ formaliter differt à contingentia, de qua in 1. sent. dixit, Spiritum sanctum

Ad locum ex 4. sent.

liberè,

liberè, & tamen necessariò sperari à Patre, & Filio, ideo non est contrarius sibi.

78 Præterea. Not. est pro intelligentia illius loci ex 4. dist. 49. Scotum arguere ibi contra illam responsionē, qua dixerat non esse contra materiam voluntatis creatæ determinari à causa superiori, hoc modo. Si causa superior determinat voluntatem creatam; ergo voluntas creata in suo ordine causandi determinatur; ergo non est contingens in suo ordine causandi. Respondet deinde, quod propter determinationem voluntatis creatæ in suo ordine non tollitur contingentia, sed adhuc est æqualis contingentia, ac si voluntas creata non esset determinata (quod ideo verum est, quia secūdum Scotum actus, qui ponitur in esse à voluntate diuina determinando humanam, potest poni, & non poni ab ipsa in esse; & sic est æqualiter contingens, ac si ab vtraque contingenter eueniret) tamen, inquit, effectus ille quatenus prouenit à voluntate creata, non habet contingentiam, quia causa superior est iam determinata ad illum actum, & sic determinauit voluntatem creatam; ex quo ei aufertur contingentia. Ex hoc loco elicitur, quod si Deus determinaret pro hoc statu viæ voluntatem creatam ad actum suum, actus eius, vt ab ea progreditur nó esset contingens, quod tamen est falsum, quia in via actus voluntatis, vt ab illa prouenit, debet esse contingens, alioquin nulla esset differentia inter actum Beati, & Viatoris, quod est erroneum.

79 Hic modus non implicat vllam contradictionē, & est valde accommodatus ad concordandum concursum diuinæ volontatis cum libertate humana, & saluat contingentiam effectuum pendentium ab ea. Est etiam conformis dictis Sacræ scripturæ, vt est illud Eccles. capit. 15. *Reliquit Deus hominem in manu consilij sui*, & Ios. 24. *Apposuit ibi ignem, & aquam, vitam, & mortem elige, tibi datur optio*, & similia. Ex his manifestè apparet, quod Deus offert voluntati nostræ concursum suum ad omnem actum: si enim ad alterum actum tantum offerret, non relinqueretur vllus locus consilio hominis. Hanc eandem sententiam multi Scolastici docuerunt, vt est videre apud Suarez lib. 1. de concursu Dei cap. 14. in opusculis de auxilijs.

80 Verum aliquis obijciet, vt supra capite primo in vltimis argumentis proposita sententia, hoc modo concursum diuinum includere imperfectionem: esset enim concursus confusus, & incertus; expectaret enim Deus volūtatem creatam, quæ, quid sit volitura, est incertum, cum sit libera. Insuper Dei prouidentia videtur tolli. Respondendum est, dubium istud petere illam difficultatem, quomodo prouidētia Dei se habeat circa res: an præfiniat omnia: an semper impleatur; & an imponat necessitatem rebus, de quibus egimus disput. præcedenti, An prædestinatus possit damnari cap. 4. ibi enim hoc dubium soluimus, & reiecimus responsionem Suarez, Vasquez, & aliorum. Nunc breuiter dicēdum est, quod sequendo imaginationē illam, quod actiones Dei transeant in præteritum, Deus habet scientiam futurorum sub conditione, & illa mediante optimè cognoscit quomodo concursum suum debeat dirigere: & ideo concursus Dei non est incertus, nec confusus, nec prouidentia Dei tollitur. Sed sustinendo, quod prouidentia Dei, & alij actus diuini non transeant in præteritum, est dicendum cum Scoto, Deum habere cognitionē omnium futurorum per præsentiam ipsorum in esse cognito; ideo multo facilius potest sua auxilia, & concursum dirigere, & voluntatem creatam gubernare.

Obiectio ex prouidētia Dei.

Solutio.

81 Ad illud de prouidentia respondetur Deum habere prouidētiam perfectam, quia ipse omnes actus humanos, quos diximus habere præsentes in esse cognito ordinat, differenter tamen: quia aliquos excellentes per se efficaciter præfinit antecedenter ad consensum voluntatis creatæ, quia sunt radices, à quibus omnes alij actus boni pertinentes ad salutem nostram pendent: alios verò, vt sunt actus communiter viatorum, vult voluntate antecedenti, & quantum est ex se, independenter, ad consensum voluntatis creatæ, & illos adiuuat auxilijs sufficientibus; efficaciter verò non nisi dependenter à consensu voluntatis creatæ: actus malos autem nollet Deus quantum est ex se, permittit tamen, ne tollat libertatem creatæ voluntatis. Prouidentia Dei adimpletur semper, quo ad actus primi generis, nō quo ad actus secundi, & tertij generis, quod non præiudicat diuinæ prouidentiæ, vt in disput. superiori, An prædestinatus possit damnari cap. 4. explicatum est.

82 Ad rationes pro opinione præcedenti. Ad primā ex 1. cap. respōdetur, quod assumit falsum, scilicet quod causæ secundæ non sint perfectæ in suo genere, & quod semper egeant complemento aliquo, vt visum est c. 2. Ad primā.

83 Ad secundam lata est differentia inter causam secundam, & instrumentum, vt patuit 2. sent. dist. 1. in disputatione propria de modo agendi causæ instrumentalis. Pro nunc dico, quod causa secunda habet totā suam perfectionem ad operandum in actu primo in esse quieto; instrumentum verò, vel nullam habet actiuitatem per se respectu effectus agentis principalis, vel si habet actiuitatem non habet illam per formam propriam in esse quieto, sed tantum in fieri, & recipit illam ab agente superiore: ideo ratio non concludit in proposito. Ad secundam.

84 Ad tertiam respondetur, quod in causis naturalibus, & naturaliter agentibus, causa non determinatur ad indiuiduum hoc magis, quàm ad illud ex se, vel ex causa superiori prima, sed vel ex materia, vel ex quantitate signata secundum Thomistas. Sed dicamus quod euenit propter alias causas particulares concurrentes, determinant enim causæ particulares concurrentes ad effectum eundem produci hunc effectum, & non illum, vt ignis generat hunc ignem, & non alium, quia materia, in qua agit, est in hoc loco, vt talis conditionis; habet talem approximationem: illud vero aliud indiuiduum ignis non generatur, quia materia eius non est in hoc loco, nó habet talem approximationem, & denique non habet easdem omnes causas proximas concurrentes, sed diuersas. Possumus etiam dicere, Deum non concursu generali cum causis secundis, sed actione praua, qua producit causas secundas, illos effectus naturales determinare. Vnde tales causas secundas naturales producit, vt tales effectus naturales sequantur, & sic sunt determinatæ à Deo secundum suam prouidentiā, neque hoc inconueniens est de effectibus naturalibus. Quantum verò ad causam liberā cuiusmodi est voluntas creata, concedo, illam esse indeterminatam ad effectum indiuiduum, quoniam secundo capite ostensum est, quod est libera quantum ad exercitium actus, & quantum ad specificationem, sed dico, quod à semetipsa determinatur, non ab alio. Ad tertiā.

85 Ad quartam respondetur, quod duplex est indifferentia, passiua, & actiua: indifferentia passiua est aptitudo ad determinari ab alio, vt est indifferentia materiæ primæ ad omnes formas: indifferētia actiua est posse agere multa, sed tamen non cogi ad agendum magis hoc, quam illud, neque cogi ad agendum illud quod agit, sed esse liberam in agendo, & in eliciendo id, quod vult agere. Ratio allata supponit, voluntatem nostram esse indifferentem solum passiuè, non actiuè, at falsum est, voluntatem esse indifferentem solum passiuè, sed necessarium, & de fide est asserere, eam esse indifferentem quoque actiuè. Ad probationem respondetur, quod esse indifferens passiuè, & se determinare, repugnat; sed quod est indifferens actiuè in actu primo nō repugnat, vt se determinet in actu secundo, hoc enim etiam competit Deo, nam Deus est indifferens ad producendum hoc, vel illud, deinde se determinat ad producendum hunc mundum, non illum. Ad aliam probationem negatur causas secundas, & consequēter voluntatem, non esse completam in suo genere. Ad confirmationem ne- Ad quartā.

gatur

gatur consequentia, quia primum liberum est liberum per essentiam, voluntas creata est libera per participationem, & est libera, quia Deo placuit creare eam liberam, ideò hoc nihil derogat diuinæ excellentiæ.

Ad quintã. 86 Ad quintam resp. quod tàm nolle, quàm velle est actus positiuus ex Scoto in primo Sententiarum de quare infrà disp. 12. & vterque est actus secundus, qui supponunt actum primum in quo est radix libertatis. Dico ergo quod quãdo est determinata, est determinata, quia iam se determinauit ad eliciendum actum velle, poterat tamen, quando se determinauit ad eliciendum velle, elicere nolle. Determinatio itaque in actu secundo non aufert indifferentiam, & libertatem à voluntate in actu primo iuxta illud, Omne quod est, quando est, necesse est esse; tamen quando ponebatur in esse, poterat non poni, hoc enim verificatur de omni contingenti.

Ad sextam 87 Ad sextam patet ex dictis, quod Deo competit determinare se per essentiam, & non determinari ab alio: at voluntati creatæ competit se determinare, & non determinari naturaliter, non per essentiam, sed per participationem.

Ad septimã 88 Ad septimam resp. quod ibi etiam D. Th. asserit, quod finis, & lumen est id, quod mouet voluntatem ad exercitium actus, at lumen, licet secundum Thomistas, determinet voluntatem, & maximè lumen supernaturale, vt clara visio, tamen apud Scotum, neque lumen determinat voluntatem, sed ipsa circa illud se determinat; vnde posset, quantum est ex se, velle, & non velle, vt suo loco dictum est.

Ad octauã. 89 Ad octauam resp. intellectum verum illius propositionis esse, quod diuina virtus est virtus omniũ causarum, quia omnes causas secũdas adiuuat in suis actionibus, vt dictum est supra.

Ad nonam 90 Ad nonam resp. vt diximus in Philosophia naturali Scoti Theoremate illo de motu grauium, & leuiũ: quod illa propositio Arist. 8. Physicorum. *Omne quod mouetur ab alio mouetur*, nõ verificatur semper de actu secundo, sed sufficit si verificatur simul de actu primo, & de actu secundo; & ideò in proposito voluntas creata est mouens mota, quia quo ad actum primum mouetur, & producitur ab alio, scilicet à Deo, licet quo ad actum secundum moueat se ipsam. Vel dicamus, vt supra explicando opinionem Scoti, scilicet quod causa prima dicitur mouere causam secundam, quia influit cum ea ad effectum suum, & causa secunda nata est agere ad actionem causæ primæ, non quia aliquam prædeterminationem, vel præuiam qualitatem recipiat.

Ad decimã 91 Ad decimam. Iam declaratum est, quomodo est ordo essentialis inter causam primam, & secundam, sufficit enim quod causa prima concurrat cum causa secunda influendo in illũ eundem effectum, absque eo quod influat in causam secundam, & in ipsam voluntatem aliquid absolutum præuium.

Ad vndecimã, & duodecimam. 92 Ad reliqua tertia argumenta de prouidentia, & ex Catechismo Romano dictum est supra hoc cap. ante responsionem argumentorum; sed fusius disputatione ne præcedenti cap. 4.

Ad decimã tertiam. 93 Ad illud de Catechismo respondetur secum ferre solutionem, dicit enim Deum intima virtute ea quæ mouentur, & agunt ad motum, atque actionem ita impellere, vt quamuis secundarum causarum efficientiam non impediat, præueniat tamen, &c. Habet ergo ex illa auctoritate Deum impellere, & præuenire voluntatem, ita tamen, vt non impediat suam operationem; at si poneret aliquid prædeterminans voluntatem ad actum, eius actionem impediret; ergo tale, quod præuium nõ est ponendum in voluntate, & sic ratio reflectitur contra eos. Respondetur ergo, quod ille impulsus, & illud præuium, quod Cathechismus ponit in prima causa respectu effectus, est quid pertinens ad prioritatem dignitatis, & excellentiæ, non ad prioritatem durationis, neque est qualitas physica, vel quid prædeterminans voluntatem creatam.

De bona, & mala fortuna tàm secundum Phylosophos, quàm secundum Theologos. Cap. V.

94 DIscussio huius disputationis maximè iuuat intelligentiam eorum, quæ supra diximus, & eius cognitio est per se expetibilis propter multa pulchra scitu, quæ in ipsa dicuntur. Agit de hac re Scotus ex professo in quol. q. 21. & Thomistæ, prima secundæ quæst. 9. art. 6. Et quia Scotus pertractat hanc quæstionem, & secundum Phylosophos, & præsertim secundum Aristotelem, & maximè secundum ea, quæ habet, ipse Arist. in libro de bona fortuna ad Alexandrum, qui dicitur fuisse Aristotelis, & secundum Theologos videbimus, quid sit dicendum secundum vtrosque, & sententia Theologorum confirmabitur.

95 Quantum ergo ad opinionem Arist. inquit Scotus, eam posse commodè diuidi in duas partes: prima est, an detur fortuna, & quomodo sit, siuè quid ipsa sit: secundo propter quam causam sit. Et re vera in his duobus cap. consistit tota ista quæstio, vt ex dicendis patebit. Opin. Aristotelis hẽt duas partes
Pro explicatione primæ partis Scotus tractat tria puncta breuiter: primum est, an detur fortuna: secundum, an detur bona fortuna: tertium, an aliquis sit bene fortunatus. His enim explicatis patebit, an sit, & quid sit, & quomodo sit fortuna. Primum punctũ primæ partis.
Pro solutione ergo primi puncti ponit Scotus tres Conclusiones. Prima est hæc. Datur fortuna. 1. Concl.
Hęc conclusio non eget probatione, sed sufficit communis consensus omnium, saltem plurium; manifestum est enim quod agenti à proposito aliquid euenit præter intentionem, & illud dicitur fortuitum, siuè effectus fortuitus: illud ergo quod sic euenit, à fortuna, vt à causa euenire dicitur; ergo datur fortuna: subiungit autem quod fortuna non est causa per se, sed per accidens, quia est circa ea, quæ rarò eueniunt in actione agentis à proposito, vt habet Aristot. 2. Physicorum text. 52. huiusmodi autem propositiones, quæ communi consensui hominum conueniunt, non consueuit Arist. alio modo probare nisi ex eodem communi consensu, vt patet de diffinitione scire, primo Posteriorum, & similibus.

Secunda conclusio est. Falsa est positio Paganorum, 2. Concl.
& Gentilium imaginantium, fortunam esse quandam Deã, à qua tanquam à causa per se effectus fortuiti proueniant: neque enim fortuna est aliqua causa per se distincta ab intellectu, & voluntate, sed est ipsemet intellectus, & voluntas; siuè, quod idem est, agens liberum. Probatur breuiter vltra auctoritatem Aristot. 2. Physicorum loco citato: quia eadem voluntas, quæ respectu effectus intenti est per se causa, respectu effectus non intenti est causa per accidens, & dicitur esse fortunas; etenim effectus intentus causatur à proposito, & ideò causatur voluntariè, & per se: non intentus causatur inuoluntariè, & præter propositum; ideo causatur fortuitò. Ex hoc deducit Scotus cum D. Aug. lib. 1. Retractationum cap. 1. malè Catholicos facere, cum attribuunt effectus istos fortuitos, siuè præter intentionem euenientes fortunæ. Videntur enim consentire cum Gentilibus, & Paganis, sed deberent ipsos tribuere prouidentiæ diuinæ saltem generaliter, vt infrà videbimus, explicando Theologorum sententiam.

Tertia conclusio. Fortuna non est causa totalis respe 3. Concl.
ctu effectus fortuiti, sed partialis. Hæc conclusio declaratur. Dictũ est, quod fortuna est voluntas nostra libera quando agit aliquid præter intentum: at effectus, qui euenit à voluntate nostra præter intentum non euenit præcisè ab illa causa præter intentionem operante; sed simul euenit ab aliqua alia causa ex intentione, & per se concurrẽte ad productionẽ illius effectus, & hæc est causa prima Deus. Hanc conclusionem probat auctoritate Plat. in Thymeo, & D. August. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 9.

cap. 9. ergo effectus fortuitus, & casualis dicitur respectu causæ proximæ, non autem respectu causæ primæ, quæ est Deus.

Secundum punctum.

96 Secundũ punctum explicatur vna conclusione, & duplici distinctione; conclusio est ista. Datur bona fortuna. Hæc conclusio quoque est communiter concessa, manifestum est enim, quod alicui agenti à proposito præter intentionem quandoque euenit aliquod bonum: causa autem effectus fortuiti boni dicitur bona fortuna, sicut etiam effectus bonus fortuitus dicitur bona fortuna. Prima distinctio est hæc, Bona fortuna distinguitur in duas species, & diuisio sumitur penes effectus, in quibus est bona fortuna: nam isti effectus sunt in duplici discrimine: quidam enim non sunt in nostra potestate, vel dominio, vt quod quis nobilis nascatur: quidam verò sunt in nostra potestate, vt quod quis intendens vnum, in exequendo adipiscatur aliud non intentum, & tamen bonum, vel si intendit illud, tamen felicius ei illud succedit quàm ipse existimabat: vt cum pictor figuram aliquam pulchriorē facit quàm putabat, in hoc dicitur habere bonam fortunam. Fortuna primo modo accepta est potius casus, quàm fortuna; sed fortuna secundo modo propriè est fortuna, vt patet ex Aristot. 2. Physicorum, text. 61. & circiter. Secunda distinctio bonæ fortunæ est etiam secundum effectus: nam aliquis potest dici benè fortunatus, quia efficit bonum effectum: alius dicitur bene fortunatus, quia vitat malum effectum: primo modo dicitur benè fortunatus per se: secundo modo dicitur benè fortunatus per accidens.

97 Tertium punctum explicat Scotus per vnam distinctionem trimembrem, cuius Primum membrum est. Nullus dicitur benè fortunatus, eo quod semel sibi aliquod bonum accidit. Secundum membrum. Nullus dicitur benè fortunatus præcisè ex hoc, quod sibi semper fortuitò bonum accidit, quia istud non potest fieri sine aliquo speciali miraculo, neque Philosophus diceret, aliquem talem esse bene fortunatum, sicut nec ratio probabilis persuadet hoc euenire sine aliquo speciali miraculo. Tertiũ membrum. Ille dicitur benè fortunatus, cui vt plurimũ benè fortunatè aliquid accidit, quod probat auctoritate Arist. 1. Ethycorum cap. 9. vbi ait. Vna hirundo non facit ver, ita nec vnus actus bonus fortuitus facit hominem benè fortunatum, & hoc pacto aliquis potest dici benè fortunatus, quia vt in pluribus aliquod bonum ei fortuitè accidit. Ex his patet prima pars huius disputationis, quod datur fortuna, & quomodo, & quid sit, & hæc communiter sunt vera, tàm secundum Phylosophos, quàm secundum Theologos, vt explicando opinionem Theologorum dicemus.

Secunda pars à qua causa pendeat effect. fortuitus.

98 Secunda pars principalis huius disputationis est de causa effectus fortuiti, siuè casualis; vnde prouenit, scilicet quod aliquis sit benè, vel malè fortunatus, quod est dictu; vnde effectus bonus fortuitus causetur. In hac parte est discrepantia inter Philosophos, & Theologos. Explicabimus primo opinionem Arist. deinde Theologorũ. Arist. ergo in libello de bona fortuna, & 2. li. magnorũ moralium cap. 8. dicit, causam istam bonæ fortunæ, esse quid intrinsecũ illi, qui dicitur benè fortunatus, & illud dicit esse impetum quendam à natura prouenientem, quo ille absque vlla ratione mouetur ad agendum aliquid, quod sibi cedit in bonum; nimirum, quia aliquid bonum acquirit, vel aliquod malum fugit. An vero secundum Arist. detur aliqua causa externa quoque, postea dicemus. Fundamentum autem Arist. est, quia causa istius boni euentus, vel est ratio, et intellectus, vel natura; non ratio, neque intellectus, quia inquit, si interrogetur benè fortunatus, quare hoc agit, vt quare hic fodiat terram vbi inuenit thesaurum, & non alibi, vbi non est thesaurus, nescit reddere vllam rationem: respondet enim nescio, sed sic facio, quia mihi placet; ergo ratio, vel intellectus nõ est causa illius boni euentus; relinquitur ergo vt talis causa sit natura. Vlterius deinde inquirit Scotus, quid sit istud in natura, & respondit non posse esse aliquid pertinens ad naturam secundum speciem, quia illud vniformiter cuilibet inest, & ita omnes homines essent æquè benè, vel malè fortunati. Relinquitur ergo, quod sit aliqua dispositio pertinens ad esse indiuiduale vniuscuiusque. Hoc autem vel erit ex parte animæ, vel ex parte corporis; at non ex parte animę, quia non potest esse ratio, & intellectus, quia, vt dictum est, tales effectus fiunt sinè ratione, & consilio. Præterea ait ibi Arist. Vbi plurimum de intellectu, ibi parum de fortuna, & è conuerso. Neque potest esse voluntas, quia potest esse similis actus voluntatis in duobus, vel pluribus, nec tamen erit euentus similis in omnibus. Præterea. Secundum Aristotilem omnes animæ humanæ videntur esse æqualis nobilitatis, & perfectionis; etenim si vna anima esset perfectior altera, ea quæ esset nobilior haberet impetum istum, & nobiliorem, quo nobilior esset; sicut brutum nobilius habet nobiliorem æstimationem, & nobiliorem instinctum naturalem ad assequendum manis commodum, quàm aliud brutum ignobilius: & tamen secundum Arist. in prædicto libello, hoc est falsum, quia dicit, Vbi est minimus intellectus, ibi plurimum de fortuna; vnde ait, quod talem non expedit consiliari: non ergo hoc conuenit animæ, seù intellectui ex sua perfectione. Relinquitur itaque, quod hęc dispositio sit ex parte corporis, & consequatur complexionem determinatam; anima autem sit causa euentus boni non per se ipsam, sed quia habet nobilius impellens, quàm altera anima; quod nobilius impellens est complexio determinata corporis, sicut nauis malè regibilis melius frequenter nauigat, non propter se, sed quia habet gubernatorem bonum. In corpore ergo ista dispositio est consequens complexionem determinatam.

Animæ humanę omnes secundum Arist. sunt æquales.

Prima obiectio.

99 Verùm hic sunt nonnullæ dubitationes. Prima. Difficile est videre quomodo hæc stent simul, scilicet quod causa, à qua prouenit effectus fortuitus, sit natura, & tamen fortuna sit ipsa ratio, & agens liberum operãs aliquid præter intentionem suam: nam si naturalis impetus est causa talis euentus, euentus ille eueniet naturaliter, non fortuitò, nec casualiter, quia in natura tunc ponetur aliqua dispositio inclinans ad hunc effectum, licet non sit sufficienter motiua; sicut descensus lapidis deorsum naturaliter efficitur à grauitate, non autem fortuitò, nec casũ, quia grauitas est naturalis dispositio inclinãs ad talem motum.

Secunda.

100 Præterea. Si iste impetus naturalis, quo volũtas impellitur ad aliquid agẽdum sine ratione, & consilio, est natura, sequitur quod omnia, quæ fiunt ab homine, erunt actiones fortuitæ, & casuales. Cõsequentia probatur, quia primi motus nostri intellectus, & voluntatis fiunt à tali impetu; probatur hoc, quia in actibus humanis consilians non prius consiliatur, nec cõsiderans prius considerat, quia daretur processus in infinitum; ergo primi actus sunt sine consilio, & sine præuia consideratione, nec sunt ex placito, & electione, ergo ex impetu naturali; ergo essent actus fortuiti, si verum est, quod causa actus fortuiti sit impetus naturæ.

Tertia.

101 Tertiò. Fortuna est effectus contingens, consequens effectum agentis à proposito, & liberi: at actus agentis liberi, & à proposito necessariò est circa obiectũ prius sibi ostensum à ratione; ergo effectus fortuitus nõ est à natura, sed à ratione, vel saltem non sine ratione: at impetus ille superius assignatus non est à ratione, sed à natura; ergo causa, quæ est fortuna, non est ille impetus.

Quarta.

102 Quartò. Fortuna, & casus secundum Aristot. 2. Physicorum text. 61. & circiter, in hoc differunt, quia fortuna est in agente à proposito, casus est in agente naturali, & sine ratione; ergo non videtur verum, quod fortuna sit impetus ille naturæ.

Ad primã.

103 Non respondet Scotus ad primam, quia illius

solutio

solutio habetur ex solutione quartæ obiectionis, procedunt enim per idem fundamentum, ideo per idem quoque soluuntur.

Ad secundam.

Respondit ad secũdam obiectionem, quæ tangit particularem difficultatem, an scilicet primi motus sint fortuiti, & casuales, an non. Et primò adducit opinionem Henrici quodlib. 6. quæst. 10. qui dicit, primam intellectionem, & primam volitionem esse à Deo, & eam confutat: quia primum velle nostræ voluntatis est à voluntate ipsa; sufficit enim quod voluntas prius natura habeat esse, quia statim in eodem instanti temporis, quo producitur à Deo, potest simul elicere actum secũdum, de qua re egimus in 2. disput. illa. An angeli peccare potuerint in primo instanti.

A quo sint primi motum.

104 Respondit ergo secundum propriam mentem, quod prima intellectio est quidem aliquo modo à fortuna, & à casu, quia prima intellectio non est à ratione ostendente obiectum, sed casu euenit quod primò intellectui tale obiectum præsentetur, de quo postea intellectus elicit intellectionem. Vnde D. August. lib. 3. de libero arbitrio ait, *non est in potestate nostra quin visis tangamur*, non tamen prima intellectio est omnino à casu, & à fortuna, quia illa est prima, cuius obiectum fortuitis mouet intellectum; & sic prima intellectio habet causam naturalem; tamen est etiam fortuita, quia non est a ratione deliberante; & sic prima intellectio non est imputabilis homini, nisi interpretatiuè, quia in potestate hominis fuit facere obiectum fortuitis mouens ex frequenti consideratione. Prima tamen volitio est omnino in nostra potestate, quia habita prima intellectione, voluntas potest assentiri, vel non assentiri, quia voluntas non determinatur ad volendũ ab alio, sed à semetipsa, vt diximus disputatione, an volũtas sit nobilior intellectu cita. & sequentibus. Ad argumentũ itaque conceditur, quod prima intellectio est aliquo modo à fortuna; negatur tamen consequentia, scilicet quod aliæ intellectiones, & volitiones sequentes sint à casu, & à fortuna: quia habita prima intellectione potest quis ratiocinari de agendis, & ita quæ sequuntur illam deliberationẽ, non erunt fortuita, sed à ratione deliberante.

Ad tertiũ.

105 Ad tertiam, quæ apud Scotum est secunda, respondit ipsemet Scotus ex Arist. eodem lib. de bona fortuna, quod velle illud ad quod sequitur effectus bonus, & commodum alicui est ab impetu naturæ, & à ratione. Est à ratione, quia ratio ostendit voluntati obiectum volitum sine qua ostensione voluntas non potest velle obiectum; non est autem à ratione consiliante, & ostendente causam, quare hoc facit distinctè, sed est ab impetu naturali: quia voluntas non elicit illud velle ex consilio, & discursu rationis eam suadente ex aliqua causa ad illud velle eliciendum, sed elicit illud velle ex impetu naturali. Vnde qui fortuitò aliquod bonum facit nescit reddere rationem, quare illud efficere velit.

Ad 4. & 5.

106 Ad quartam, & primã simul patet solutio ex nũc dictis ad tertiam, nam stant simul, quod casus fortuitus sit à natura, & à voluntate, & à ratione, quia est à voluntate cum ratione siuè ab agente libero; quoniam voluntas est, quæ elicit velle, ad quod sequitur cõmodum, & effectus bonus. Ratio vero est, quæ ostendit obiectum volendum, & ideo voluntas, & ratio sunt causa immediata. Et prima est verò à natura, quia ratio non consiliat voluntatem in tali actu, nec voluntas agit ex discursu habito ab intellectu, sed agit ex impetu naturæ.

An secundum Arist. ad effectũ fortunã cõcurrat causa aliqua externa.

107 Ex dictis huc usque habemus secundum Aristot. fortunã esse causam internã, scilicet illum impetum naturalem. At difficultas est, an secundum eundem Arist. ista causa interna sit causa sufficiens, & completa, vel potius vlterius requiratur causa aliqua extrinseca ad producendum effectum fortuitum? Respondit Scotus proculdubiu secũdum Arist. vltra causam internam, quam dixit esse naturam, requiri causam externam, quod probat. Primò, quia natura est determinata ad vnum, saltem vnitate eiusdem ordinis, & connexionis; agẽs enim naturale, vt homo, vel planta, vel Sol, non producit quemcunque effectum, sed effectus vnius speciei, vel generis, vel saltem vnius ordinis: at effectus fortuiti non sunt alicuius vnius determinatæ speciei, vel generis, vel ordinis, quia nullum habent ordinem, vel cõnexionem cum alijs. Secundò, si fortuna esset natura præcisè, fortuna non esset causa per accidens, sed per se: natura enim est causa determinata per se agẽs ex 2. Physic. Tertiò, solus ille impetus naturalis ad aliquẽ effectum bonũ producendum non sufficit ad ponendũ illum in actu, sed requiruntur causæ intermediæ cõcausantes. Necesse est ergo, vt adsit aliqua causa externa illas coniungens simul cum impetu naturę, & sic producatur effectus fortuitus.

108 Cum ergo sit certum, requiri aliquam causam externam, est dubium secundum Arist. quænam sit hæc causa, an Cœlum, an Intelligentia aliqua, an Deus ipse immediate mouens, & operans? Respondit Scotus hic posse esse duplicem opinionem secundum duplex fundamentum. Nam vel est sustinendum, quod nullus effectus fortuitus est à voluntate nostra, sed omnis talis est contra nos, & cadit sub efficientia Cęli mediatè, vel immediatè; coniungitur verò effectui volũtario, scilicet volitioni per accidens, quatenus ipsa illum non intendit, sed aliud, vt dictum est supra, & tamen ille euenit. Vel est dicendum, quod à voluntate nostra quoque est effectus aliquis fortuitus non cadens sub efficientia Cœli. Si sustineamus primum fundamentum, quod videtur probabile, inquit Scotus, causam extrinsecam nullam aliam dari posse nisi Cœlum, vel mouens Cœlum; quia hoc totum est causa extrinseca talis effectus: & sustinendo hunc modum dicendi, cum Aristot. 7. ad Eudemum cap. 18. ait, Deum esse causam effectus fortuiti, est respondendum, verum esse mediatè, non immediatè. Si verò sustineamus secundum fundamentum, est dicendum, causam fortuitam non esse Cœlum, neque Intelligentiã aliquam, sed Deum ipsum immediatè. Probatur, quia aliquid est in homine, ad quod causalitas Cœli non potest se extendere, sicut est volitio, nisi occasionaliter mouendo appetitum sensitiuum, secundum cuius inclinationem apta est voluntas inclinari. Et hoc modo potest aliquis dici bene fortunatus ex benigna quadam Cœli constellatione, & temperamento naturæ; & idem dicendum multo magis secundum priorem modum dicendi. Quod dictum est de Cœlo, dicendũ est de alijs Intelligentijs infra primam quæ est Deus ipse. Relinquitur ergo quòd causa ista extrinseca sit ipse Deus, etiam secundum Aristotelem.

Duplex modus dicẽdi.

109 Verum insurgit dubitatio principalis, quia hic secundus modus dicendi non videtur posse admitti in via Aristotelis; quoniam Aristot. non videtur velle aliquid nouum esse immediatè à Deo, vnde 8. Physicor. tex. 15. & 53. & 12. Metheor. videtur asserere, quod principium æternum non possit agere in hæc inferiora nisi mediante Cœlo; ergo secundum eum Deus nihil immediatè agit in hæc inferiora sine Cœlo. Præterea. Dum Aristot. ponit mundi æternitatem, non potest ponere motum esse nouum nisi secundum partes, ita quod totus motus non potuit esse nouus. Et fundamentum huius assertionis suæ videtur esse hoc, quia ponit, Deum esse immutabilem, ideo nullum motum, nec mobile potest immediatè de nouo producere, quia aliter se haberet nũc, quàm prius; ergo hæc secunda opinio videtur falsa.

Dubitatio.

110 Respondit Scotus, posito, quod Deus sit immutabilis secundum Aristot. vt re vera est, non tamen sequitur eum non posse producere aliquid de nouo: immo hæc duo simul optimè stant, quod probat soluendo rationem fundamentalem nunc supra adductam: nam certum est secundum Aristot. omnes Intelligentias mouentes Orbes esse immutabiles, & æternas, & tamen vnaquęque semper producit nouam, & nouam partem motus. Ratio ergo illa Aristot. qua probat, Deum non

posse producere aliquid nouum immediatè ex illo medio ducenti ad incommodū, scilicet quia esset mutabilis, sic nudè accepta non concludit, sed procedit ex alio addito, nimirum isto: quod agens omnino immutabile non potest producere immediatè aliquid nouum alterius, & alterius rationis nulla posita diuersitate in medijs causis actiuis, vel receptiuis; & sic propositio Arist. est vera. Nam si causæ intermediæ actiuæ sint diuersæ dispositionis in agendo, vel passiuæ sint diuersæ dispositionis in recipiendo potest esse diuersitas in effectu absque eo, quod in prima causa sit mutabilitas, vel nouitas aliquo modo, vt dictum est de intelligentia producente semper nouam, & nouam partem motus propter mutationem, & variationem localem Cœli secundum partes. Est ergo sententia Aristot. in 8. Physic. tex. 15. & alibi, quod agens omnino immutabile non habens causas medias actiuas, vel receptiuas diuersæ rationis, & dispositionis non potest causare aliquod nouum alterius, & alterius rationis; & hac ratione non potest producere nouum mundum, nouam materiam primam, &c. sed si habeat, potest. Ideo 8. Physicor. loco citato rectè dicitur, quod si Deus non ageret mediante Cœlo non posset aliquem effectum nouum producere in hæc inferiora, quia non haberet causas medias diuersæ, & diuersæ rationis, per quas diuersitas, & nouitas in effectibus prouenirer.

Resolutio opin. Arist.

111 Ad quæstionē ergo istam respondit Scotus, secundum Aristot. posse sustineri causam effectus fortuiti esse externam, & esse Deum; neque sibi contradicere secundum quod quidam ei imponunt, licet 8. Physicor. teneat, mundum esse æternum: quia vterque modus dicendi adductus est probabilis, & vterque saluat dicta Aristot. & Deum esse immutabilem. Nam si sustineamos primum modum dicendi, scilicet Cœlum esse causam omnis effectus fortuiti, hic non ponit aliquam mutationem in Deo, quia Deus non causat effectus fortuitos de nouo, nisi mediante Cœlo: ideo nouitas adest ratione Cœli, quod est causa media. Si etiam sustineamus secundam viam, scilicet quod Deus immediatè per se producat effectus fortuitos nouos, adhuc Arist. non contradicit sibi: quia certum est, Aristot. secundum principia sua posuisse animam intellectiuam esse à Deo immediatè, vt nos latè ostendimus in Phylosophia naturali, Theoremate 69. cap. 1. & ad hoc potest attingere ratio naturalis cum sit immortalis, vt ibidem diximus ex ipsomet Scoto, & ita Deus secundum Aristot. potest aliquid immediatè producere de nouo absque aliqua mutatione in se ipso. Nam si causæ mediæ, & receptiuæ sunt eiusdem rationis, Deus causat effectum eiusdem rationis: si verò causæ mediæ, & receptiuæ sunt diuersæ rationis producit diuersos effectus; sicut Sol soluit glaciem, & coagulat lutum absque sui mutatione: & secundum Arist. hoc corpore organizato Deus necessitate immutabilitatis causat hanc animam, & non prius: quia materia non erat disposita, sicut Sol non causat album, & aliū radium in aere, & aqua, nisi propter diuersitatem recipientium. Sic in proposito Deus influit vniformiter in quodlibet in quantum potest secundum Aristot. & quia iste est dispositus, ille non; ideo Deus impellit illum ad tale propositum, ad quod sequitur bonum, & commodum: illum autem non impellit, quia non inuenit in eo dispositionem, idest impetum illum naturalem, quem supra explicauimus, & diximus, esse causam internam effectus fortuiti. Et ita Deus absque sui mutatione potest producere effectum fortuitum nouum, licet secundum Arist. non possit producere nouū mundum, vel nouum Cœlum, vel nouum motum secundū totalitatem suam: & ratio est, quia quicqoid agit Deus secundum Aristot. agit mediantibus causis secundis, & non dantur causæ secundæ ad producendum nouum mundum, sed bene dantur ad producendos nouos effectus fortuitos; ergo potest istud non illud. Hæc secundum Phylosophum.

Solutio principalis quęstionis secū dum Arist.

Quid dicēdum secundum Theologos.

112 Secundum Theologos verò, & fidem Catholicam est aliter dicendum. Nam quantū ad primam partem huius disputationis, scilicet an detur fortuna, & casus siuè effectus fortuitus, est dicendum, quod accipiendo effectum fortuitum, & casualem eo modo, quo accipit Aristot. locis prædictis, absque dubio est dicendum, dari fortunam, & casum, quæ nihil aliud sunt, quàm intellectus ipse, & agens liberum efficiens aliquid præter intentum; hunc autem effectum, & casum in rerum natura dari est experientia certissimum; tamen Christiani in modo loquendi debent se abstinere ab huiusmodi loquutionibus, quia dum tribuimus aliquos effectus fortunæ, & casui, videmur incidere in opinionem Paganorū asserentium, fortunam esse quandam Deam à qua effectus fortuiti, & casuales per se eueniant, quod est erroneum. Et propter hoc D. August. in primo libro retract. cap. 1. forsan se ipsum repræhendit dicens. *Non mihi placet totiens appellasse fortunam*, &c. Catholici ergo potius debent talia tribuere prouidentiæ diuinæ saltem generaliter.

Quid sit fortuna secūdum Paganos.

Quę sit causa effectus fortuiti secūdū Theologos.

113. Quantum verò ad secundam partem, scilicet ad causam talium effectuum fortuitorū, primò dicendum est de causa interna, vtrū detur causa interna illa, quam Phylosophus appellauit impetum naturalem. Et quantum ad hoc respondit Scotus se non inuenire in homine aliquam causam naturalem talium effectuum, & consentiunt Henricus quolib. 6. quęst. 10. Ferrariensis 3. contra Gentiles cap. 92. & alij Recentiores p. 2. quæst. 9. artic. 6. & ratio est in promptu, quia vnus effectus est coniunctus alteri per accidens: vt fossio terræ, & inuentio thesauri, quia fuit per accidens sub terra, eo loco fuisse thesaurum, vbi facta est fossio; ergo nulla causa naturalis, siuè rationalis, siuè animalis, potest esse causa vt tales effectus simul sint, quia tunc non essent per accidens coniuncti, nec fortuitò simul coniungerentur, sed per se; quod destruit rationē, & essentiam effectus fortuiti, & casualis. Vnde bene Picus Mirandulanus lib. 4. contra Astrologos cap. 3. & 4. eos impugnat. Neque enim dicendum est aliquam constellationem esse, quæ impellat hominem ad exeundum domo, eo tempore, quo ruina domus imminet, vt vitet mortem; siquidem ille exitus è domo, & ruina domus per accidens coniunguntur. Verum est quidem ex aliqua causa naturali, & etiam ex aspectu astrorum hominem inclinari ad illum effectū, cui per accidens iungitur iste bonus effectus; at non inclinat eum ad talem effectum, quia ille effectus bonus illi sit iunctus, sed quia illa res talis est secundum se, tamquam nihilominus causa illa naturalis inclinaret, etiam si ille euentus per accidens bonus illi non coniungeretur. Et hoc concedunt Scotus quodlib. 21. & 2. sent. dist. 14. quæst. 3. D. Thom. illo cap. 92. 3. lib. contra Gentes, Ferrariensis ibidem, & alij Recentiores. Ideo decipiuntur Astrologi volentes per certas causas inuestigare huiusmodi euentus fortuitos, cum non habeant causas per se, ideo accidentaliter est, quod aliquando eorum prædictiones verificentur.

Picus Mirandulanus rectè cōtra Astrologos

114 Dicendum est ergo, hos effectus fortuitos habere tantum causam externam, & secundum fidem Catholicam illam esse Deum, qui, vt inquit Scotus, habet duplicem prouidentiam: alteram generalem, qua omnes res regit, & gubernat, vel immediatè per se, vel mediatè per angelos bonos, vel malos. Vnde D. Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei cap. 30. inquit. *Sic Deus res, quas condidit administrat, vt suos motus eas agere sinat.* Et lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. habet hæc verba. *Nos fortuitas causas, vnde & fortuna nomen accepit, non dicimus esse nullas, sed latentes, quas tribuimus Deo, vel quorumlibet spirituum voluntati.* Quæcumque autem agunt spiritus siuè boni, siuè mali, Dei iussu, vel permissione agunt: ideo omnes effectus fortuiti reducendi sunt in Deum, vt in primam causam. Cum ergo aliquis fodit terram, & inuenit thesaurum qui ignorabatur, dicendum est Deum, vel angelum

lum

lum custodem illius, cum induxisse motibus occultis ad fodiendam terram in eo loco, vbi erat thesaurus: & hoc idem aliquando ex diuina permissione facere Demones. Et hæc forsan est ratio, propter quam profitentes Astrologiam iudiciariam sępe incidunt in Magiam. Allecti enim desiderio cognoscendi, & inueniendi res occultas, & vidētes, suis doctrinis falli, recurrunt ad Demones, vt eorum auxilio votis suis satisfaciant; à quibus vt plurimū decipiuntur, tùm propter diuinum impedimentum, tùm propter eorum malitiam. Demon enim est Pater mendacij, & inimicus hominis, ideò nihil efficit gratum homini nisi cum magna iactura, & damno incomparabili eiusdem hominis.

115 Quod autem Deus sit causa omnium istorum effectuum fortuitorum probatur, ex eo, quia Deus secūdum Sacram Scripturam habet prouidentiam omniū rerum etiam in particulari, & in indiuiduo, (excepto peccato, vt peccatum est, vt suo loco diximus) vt patet per auctoritates adductas supra in hac disp. cap. 1. contra Durandum. Vnde Molinæ opinio, quod concursus generalis Dei sit vniuersalis tantum, & indeterminatus, sed determinetur à causis secundis, est opinio Phylosophorum, vt supra diximus, non Theologorum.

Opin. Molinę falsa est.

116 Præter autem prouidentiam istam vniuersalem, habet etiam Deus prouidentiam specialem, inquit Scotus, ex quadam electione, secundum quod prouidet cuicunque hominum secundum merita pręsentia, vel futura, & occulta nobis, tamen sibi præsentia. Et secundū hanc prouidentiam prouidet Deus hominibus ea, quæ pertinent ad salutem nostram; ita enim nos suis auxilijs præuenit, & adiuuat, vt sæpę ex ijs reb. quas nos alio fine quęrebamus, exordiatur nostra iustificatio, & salus. Ad hanc prouidentiam pertinent ea, quæ docet Sacrū Concilium Tridentinum sessione 6. cap. de Iustificatione. Et cum ait Scotus, secundum hanc prouidentiam specialem Deum prouidere vnicuique homini secundū merita, non vult dicere, quod Deus moueatur ex meritis præcedentibus hominum ad eos dirigendum, & pro uidendum illis de auxilijs, & remedijs opportunis ad salutem; quia hoc est contra naturam prouidentiæ, vt fiat ex meritis aliquibus præcedētibus, sed vult dicere, quod Deus ex sua speciali prouidentia prouidet vnicuique homini auxilia ta ia, vt per ipsa possit tunc, & pro illo tempore præsenti efficere merita bona, vel alio tempore futuro possit illa efficere; & ideo sæpè immittit alicui tribulationes, vel aliquid simile, vt exurgat à peccatis, illuminetur, & faciat bona opera, secundum quod rectè dixit Boetius 4. de consolatione Physica, prosa 4. *Aliquando plus proficit aduersitas, quàm prosperitas.*

Prouidētia specialis in Deo.

117 Hæc auxilia autem diuina Deus ita per suam prouidentiam disponit, vt licet aliquibus maiora, vt maioribus in Ecclesia, & aliquibus minora det, prout bona administratio Ecclesiæ postulat; tamen in omnibus semper Deus seruat iustitiam, quia iniquitas nō est apud Deum, vt ait Apostolus, & docet D. Aug. ad simplicianum q. 2. in fine, & in Ioannem tractatu 53. & horum rationem reuelabit Deus in alia vita, vt ait D. Aug. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 23. Similiter hæc auxilia ita disponit, vt omnibus det auxilia sufficientia, ita vt peccator nullam habeat excusationē, vt habet D. Aug. in prædicto tractatu 53. Neque libertatem nostram tollit, nec est acceptator personarum, sed sua mirabili prouidentia cuncta sic adiuuat, & administrat, vt nisi bonū agamus, & vitam ęternam nobis promissam, consequamur, nostra tota sit culpa; neque peccatorum nostrorum vllam habemus excusationem, vt dictum est in præcedentibus disputationibus, & adhuc in sequentibus magis confirmabitur.

Cur Deus det vni maiorem gratiam quàm alteri, manifestabitur ī alia vita.

*

DISTINCTIO XLI.

Quæstio Prima.

DISPVTATIO LVIII.

Vtrum Prædestinationis detur aliqua causa.

Explicatur, quid sit prædestinatio, &, An sit actus intellectus, vel voluntatis? Caput I.

1 CIrca diuinam prædestinationem sunt duæ quæstiones difficiles tractandę. Prima est, Vtrum prædestinatus possit damnari, & reprobatus possit saluare. De qua agit Scotus breuiter, sed dilucidè primo sent. dist. 40. quęstione vnica: sed de hac satis diffusè egimus supra, ideò hic nihil dicendum occurrit. Altera est quęstio proposita, An prædestinationis detur aliqua causa ex parte prædestinati, de qua in præsenti est agendum. Quantum autem hæc disputatio sit difficilis, nedum parum versati in sacris literis, sed etiam exercitatissimi, atque adeò ipsi Patres, & Apostolus ipse, cum clamauit ad Romanos. *O altitudo diuitiarum, sapientiæ, & scientiæ Dei quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius,* nouerunt. Nihilominus, quia eius cognitio est maximum principium in Theologia, eius inuestigatio necessaria est, & eo magis, quia Scotus de hac re diligētissimè est loquutus. Neque tamen eius opinio ab omnibus rectè intelligitur. Quia autem prolixitas in hac quæstione causat obscuritatem, ego breuius quàm potero, hanc absoluam.

2 In primis videndum est, quid sit prædestinatio. Quoniam autem à multis vario modo accipitur, & diffinitur, hinc oritur obscuritas, & difficultas non parua in hac quæstione. In primis ergo notandū est quoad quid nominis, quod prædestinatio, est nomen compositum ex præ, & destino. Destino autem aliquando significat, mitto, aliquando, determino; ex quo oritur aliqua variatio in significatione huius nominis: aliqui enim dicunt, quod prædestinatio est præmissio, & transmissio alicuius rei ad aliquem terminum. Et secundum hanc significationem aliqui dicunt, quod prædestinatio est perductio, & transmissio creaturæ ad gloriam, facta à Deo. Creatura enim non potest finem vltimum consequi pro prijs viribus, ideò necesse est, vt Deus illam ad eum perducat; hæc perductio, quatenus est in mente Dei, est prędestinatio. Et hūc modum loquendi sequuntur D. Thomas, Riccardus, & multi ex Recētiorib. Alij verò sequētes significationem huius nominis, destino, dicūt, quod prædestinatio est ordinatio, & electio alicuius ad aliquid; & sic prædestinatio diuina est ordinatio, siuè electio alicuius ad gloriam, vel ad gratiam.

3 Quantum etiam ad diffinitionem essentialem prædestinationis, variæ opiniones circūferuntur. D. Aug. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 10. eam sic diffinit. *Prædestinatio est gratiæ præparatio.* In lib. de bono perseuerantiæ affert hanc. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* Scotus 1. sent. dist. 40. q. vnica sic eam diffinit. *Prædestinatio est electio Creaturæ rationalis, vel intellectualis, ad gratiam, & gloriam.* D. Th. p. p. q. 24. art. 1. sic. *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Durandus, Nominales, & alij alias assignant. Aliquando etiam reprobatio appellatur prædestinatio. Vnde D. Aug. libro de prædestinatione sanctorum cap. 3. vbi ostendit, quod peccatum præuisum fuit causa ordinationis hominis peccantis ad mortem ęternam, habet hæc verba. *Mortis itaque prædestinatio sub conditione fixa, fuit in Deo propter*

Variæ diffinitiones prædestinationis D. Augustini.

Diffinitio Scoti.

Diffinitio D. Tho.

Diffinitio Durandi.

pter casus hominis præscientiam. Et Paulò infra, *ergo prædestinatio huiusmodi non absolutè est causa mortis, sed peccatum*, & idem alibi sæpè. Tamen his non obstantibus, ex accommodatione vsus, prædestinatio accipitur in bonam partem, & secundum vsum Theologorum communiorem prædestinatio accipitur pro sola preordinatione eterna Dei, qua constituit creaturis preditis mente exhibere media, quibus in vitam æternam perueniant. Vnde Scotus in 1. sent. dist. 40. q. vnica, inquit, quod prædestinatio propriè sumpta dicit actum diuinę voluntatis videlicet ordinem electionis per diuinã voluntatem alicuius creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiam, & gloriã. Ex quibus verbis apertè patet, Scotũ sentire prædestinationẽ esse præordinationem alicuius ad gratiam, & gloriam. Hoc idem sentiunt Thomistę p. p. q. 23. art. 1. licet enim sit disputatio, An prędestinatio sit actus intellectus, vel voluntatis; tamen omnes fatentur concurrere actum vtriusque, scilicet intellectus, & voluntatis, & recentiores accipiunt prędestinationem in hoc sensu.

Scotus.

Thomistę.

An prædestinatio sit actus intellectus, vel voluntatis.

4 Verum, vt magis pateat, quid sit prædestinatio, videndum est, an sit actus intellectus, vel voluntatis. Circa hanc difficultatem verò sunt tres sententiæ. Aliqui asserunt, prędestinationem esse actum intellectus directè, & propriè; & hæc est opinio D. Thomę p. p. quęst. 22. art. 1. ad tertium, & q. 23. art. 1. Alensis citatur etiã in hanc sententiam p. p quæst. 28. in 1. art. 2. ad secundum, sed eam sententiam Alensis ibi non habet, sed eam, quam infrà dicemus. Durandus in 1. dist. 41. quęst. 1. num. 9. Capreolus in 1. d. 40. q. 1. ar. 1. conclusione prima. Pro hac opinione arguitur sic.

Opinio D. Thomæ.

Durandus

Capreolus

1. Ratio.

5 Primò. Prędestinare, est ordinare aliquem in finem; sed ordinatio est operatio intellectus, non voluntatis; ergo.

2. Ratio.

Secundò. Prędestinatio est pars diuinę prouidentię subiectiua: est enim species prouidentię; prouidentia autem est pars prudentię; at prudentia est virtus pertinens ad intellectum; ergo.

3. Ratio.

6 Tertiò. Predestinari est in lib. vitę scribi: liber vitę est intellectus diuinus, ergo prędestinatio est actus diuini intellectus.

4. Ratio.

7 Quartò. D. Augustinus lib. de bono perseuerantię ait. Prędestinatio est prescientia, & preparatio beneficiorum Dei, ponitur prescientia; ergo.

Opi. Scoti.

Scotus è contrà 1. sent. dist. 40. quęst. vnica in principio solutionis quæstionis, apertè dicit, prædestinationẽ propriè sumptam esse actum diuinæ voluntatis. D. Bonauentura quoque 1. sent. dist. 40. art. 1. quæst. 2. eandẽ sententiam tradit. Scotus pro hac opinione nullam adducit rationem, sed supponit, hanc esse veram ex communi consensu Theologorum, & ex definitione illa prædestinationis ab eo ibi assignata, scilicet quod prędestinatio est ordo electionis per diuinam voluntatem alicuius creaturæ intellectualis, vel rationalis ad gratiã, & gloriam. Quæ diffinitio communiter à Theologis acceptatur, & est D. August. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 10. vbi habet hæc verba. *Inter gratiam porrò, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò iam ipsa donatio*. lib. 6. Hippognosticon, vt supra in hoc cap. dictum est, & alibi habet eandem sententiam. Vnde pro hac sententia sic potest argui.

Diffinitio prędestinationis secundum Scotũ

1. Ratio pro opinio. Scoti.

8 Primò. Prædestinatio est electio, & ordinatio efficax creaturæ rationalis, vel intellectualis ad gratiam, & gloriam; sed electio, & ordinatio est actus voluntatis; ergo prædestinatio est actus voluntatis. Maior patet ex auctoritatibus adductis, & potest confirmari auctoritatibus Sacræ scripturæ: nam ad Ephesios primo dicitur. *Elegit nos in ipso, prædestinauit nos secundum propositum voluntatis suæ*. Et ad Romanos 9. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Minor verò patet, quia diligere, & eligere sunt actus voluntatis, non intellectus: intellectus enim non determinat, nec facit decretum; sed solum cognoscit, quid faciendum, & quid non faciendũ: quid bonum, & quid non bonum: iustum, vel non iustum, & denique qualis res sit: voluntas postea est, quæ decernit hoc, vel illud esse faciendum, hoc, vel illo modo.

D. Bonauẽtura.

9 Subiungũt tamen Scotus, & D. Bonauentura locis citatis, quod licet prædestinatio propriè sit actus voluntatis, tamen concomitanter potest dici quoque actus intellectus; quatenus, scilicet actus intellectus concomitatur electionem, quæ est actus voluntatis; neque enim electio illa est sine intellectione Dei concomitante, quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum.

Tertia sententia.

10 Et hinc oritur tertia sententia, quæ est media inter istas, & illas conciliat; quæ asserit, quod prædestinatio est actus simul volũtatis, & intellectus; tamen in ista aliqui differunt. Caietanus enim p. par. quæst. 23. art. 1. & Bannes declarant in hunc modum, & dicunt, hanc esse mentem D. Th. ibi, & in quæstione de veritate q. 6. art. 1. Cum dicunt, prædestinationem esse actum intellectus, non intelligunt, quod sit actus ille intellectionis diuinæ, qui præcedit, & disponit (vt ita dicam) actũ voluntatis diuinæ, qui est decretum eligendi media, & finem; sed intelligunt actum diuini intellectus posteriorem, qui subsequitur ad priorem actum intellectus diuini præcedentem actum voluntatis. Vnde volũt, quod diuinus intellectus prius intelligat medium, & finem creaturæ rationalis, deinde voluntas diuina decernat conferre illi creaturę media, & finem efficaciter. Tertiò intellectus diuinus apprehendit vtrumque hunc actũ, scilicet diuini intellectus, & diuinæ voluntatis, & hic tertius actus est ratio, & ordo, qui prædestinatio Dei dicitur. Vnde hæc sunt verba Caietani in eo commentario. *Nos autem, non ordinem excogitatum, sed ordinem statutum in ipsa auctoris mente, prædestinationis nomine significamus*. Sed hic modus dicendi iurè a recentioribus quibusdam reijcitur: quia re vera actus iste tertius in intellectu videtur superfluus; nã si datur talis actus, dicetur imperium, siuè cura rerum agendarum. Hic autem actus non distinguitur à duobus prioribus: nam sufficit præcedens cognitio mediorum, & finis; deinde affectus ipsius voluntatis ad hoc, vt exequatur: ideò superfluè ponitur tertius actus in Deo, qui dicatur prædestinatio. Et licet Deus cognoscat, se cognoscere media necessaria ad finem producendum alicuius creaturæ, & cognoscat quoque, se velle illa media, & illum finem illi creaturæ, & hæc cognitio sit posterior (vt ita dicam) actu voluntatis; non tamen congruè ponitur actus diuersus, & tertius à duobus primis, qui propriè dicatur prædestinatio. Melius ergo dicitur, quod prædestinatio integratur ex vtroque actu, scilicet præcognitione intellectus, & decreto voluntatis tantum, absque vllo actu tertio.

Modus dicendi Caietani reijcitur.

Molinæ opinio reijcitur.

11 Alij autem, vt Ludouicus Molina p. p. q. 23. art. 1. disp. 2. dicit, prædestinationem primò significare actum intellectus, secundò actum voluntatis, & hoc propter rationes in hoc cap. adductas pro opinione D. Th. sed reijcitur per rationes adductas pro opinione Scoti, quæ probant primò, prædestinationem dici de actu voluntatis secundum Sanctos Patres, & scripturam.

Opin. vera

12 Ideo dicendum est cum Scoto, & communiori opinione Theologorũ, quod prædestinatio est actus intellectus, & voluntatis, sed formaliter, & principaliter est actus voluntatis; concomitanter, & minus principaliter est actus intellectus.

Vltimò, hoc sciendum est, quod hęc contentio est potius de nomine, quàm de re, (vt ait Caietanus in illo cõmentario supracitato) quia certum est secundum omnes, quod ad prædestinationem concurrunt actus intellectus, & voluntatis: & ideò prædestinatio vtrumque includit; quem verò prius, vel posterius non est curandum: tamen quia vsus Doctorum, & Sanctorum est,

quod

quod principaliter tribuatur actui voluntatis: ideo hanc opinionem sequemur, quod prædestinatio est actus voluntatis principaliter, concomitanter intellectus.

Ad primã rationẽ in oppositum

13 Ad rationes in oppositum, ad primam respondetur, quod ordinare propriè est actus voluntatis, non intellectus: intellectus enim solum præcognoscit media, & finem; sed voluntas est, quæ præcipit, & dirigit, & decernit media, & finem, quem vult. Vnde possumus formaliter respondere, quod ordo secundum se est dispositio aliquorum, secundum prius, & posterius. Ista autem dispositio, & ordo duobus modis potest considerari. Vno modo quatenus obijcitur intellectui diuino, & apprehenditur ab illo ante decretum diuinæ voluntatis, & sic ordo ille est indeterminatus, & pertinet ad intellectum, & præscientiam diuinam. Alio modo quatenus statuitur, & decernitur à diuina voluntate, & sic pertinet ad voluntatem, & hoc modo est propriè prædestinatio: postquam enim Deus præuidit finem creaturæ rationalis, & media, quibus illum consequi possit, decernit, & ordinat creaturam illam efficaciter ad illum finem, & ad illa media, & hæc ordinatio est prædestinatio propriè dicta.

Ad secundam rationem.

14 Ad secundam respondetur, quod etiam diuina prouidentia est actus intellectus, & voluntatis, sed principalius voluntatis: quia prouidẽtia est actus diuinæ voluntatis, quo ordinat, & deducit omnia ad suos fines, quem præcedit actus præscientiæ diuini intellectus: prędestinatio autem est species subiectiua prouidentię Dei; quia prouidentia dicitur, quatenus respicit omnes creaturas perducendas in suos fines: quatenus verò in particulari, prouidentia est dispositio creaturæ rationalis ad suum vltimum finem, & ad media, ad illum dicitur prędestinatio. Sicut ergo dictum est de prædestinatione, quod principaliter est actus voluntatis, ita dicendum est de prouidentia, & sic argumentum non est contra nos, sed pro nobis.

Ad tertiã, & quartam rationem.

Ad tertiam, & quartam respondetur, quod concludunt, prædestinationem includere actum intellectus, quod concedimus; sed negatur, quod principaliter sit actus intellectus, vt visum est.

Explicatur titulus quæstionis. Caput Secundum.

15 PRo intelligentia tituli quæstionis, cuius cognitio iuuat multum ad intelligentiam huius materiæ, suppono primò, quod prædestinatio, secundum esse reale nihil aliud est, quàm ipsa voluntas diuina, sicut creatio, incarnatio, iustificatio, & alia huiusmodi, nihil aliud in Deo sunt, quàm ipsemet Deus; quia quicquid est in Deo, est ipsemet Deus: tamen formaliter considerata est relatio Dei ad creaturã, sicut creatio, incarnatio, &c. sunt relationes Dei ad creaturam, quæ ex parte Dei sunt relationes rationis, ex parte creaturæ sunt relationes reales, vt dictum est in 1. dist. 30. In proposito non quæritur, an prædestinationis sit aliqua causa ex parte prædestinati, quatenus prædestinatio est idem, quod diuina voluntas; quia sic esset quærere, an essentiæ diuinæ esset aliqua causa, quod est absurdum, & ridiculum. Quia autem illa relatio rationis, vt creatio, incarnatio, prædestinatio, &c. pendet, & fundatur in diuina voluntate: quæritur, an detur aliqua causa ex parte creaturæ, pp quã hęc relatio rationis insit voluntati diuinę. Et ad hoc communiter ferè omnes Doctores respondent negatiuè, quia Deus non agit aliquid ad extrà, eo quia moueatur ab aliquo obiecto creato ad sic agendum, & volendum, sed quia ei sic placet, & ex propria sua bonitate. Creauit enim mundũ, quia ei placuit, & creauit tot species animalium, &c. non alia de causa, nisi quia sic ei placuit. Ita etiam prædestinat, iustificat, & alia omnia facit, quia sic ei placet. Vnde in hoc sensu D. Thom. p. p. quæst. 23. art. 5. ait. Nullus fuit ita insanæ mentis, qui diceret, merita esse causam prædestinationis, & p. p. q. 19. art. 5. adducit rationem, quia Deus vnico actu vult finẽ, & media ad finem; ergo volitio finis non potest esse causa volitionis mediorum ad finem. Consentiunt D. Bonauent. lib. 1. dist. 41. art. 1. quæst. 2. Richardus, & alij ibidem. Subiungunt tamen posse assignari aliquam causam voluntatis diuinæ ratione effectuũ, circa quod etiam est discrepantia. Aliqui enim volunt, Deum velle, vnum esse propter aliud; non tamẽ velle, vnum propter aliud. Sic tenet Caietanus, quem quidam alij sequuntur p. p. q. 19. art. 5. Alij volunt, Deum velle vnum propter aliud, vt velle glorificare aliquem, quia ille operatur bonum, quam Durand. in 1. dist. 41. q. 2. & alij recentiores sequuntur. Alij verò volunt, quod Deus, licet velit, vnam rem esse propter aliam, non tamen vult vnam propter aliam, sed omnia creata vult propter suã bonitatem, quam sequitur Gabriel Vasquez p. p. disput. 8a. & citat Alensem, Henricum, Gabrielem Driedonẽ, & alios in eandem sententiam. Omnes ergo isti conueniunt in hoc communi, quod non potest dari aliqua causa actus Dei, sed tantummodo potest dari causa ex parte effectuum Dei; quia vnus effectus Dei potest habere pro causa alium effectum, siuè hoc contingat primo, vel secundo, aut tertio modo, in quibus est dissensio inter Doctores, vt dictum est. Vt Deus creat animam rationalem, vt corpus iam organizatum, & dispositum informet. Ad propositum. In diuina prædestinatione sunt multi effectus, præsertim est volitio gratiæ præuenientis & auxiliorum Dei; est collatio gratię iustificantis: est collatio gloriæ. Isti effectus omnes sic se habent, quod vnus est causa alterius; & sic potest assignari aliqua ratio, & causa actuum diuinæ voluntatis ex parte ipsorum actuum, quatenus, scilicet vnus ordinatur ad alium.

D. Bonau.
Richard.
Caietan.
Durand.
Gabr. Vasquez.

16 Pro cuius maiori intelligentia notandũ est, quod licet in Deo sit vnus actus, tamen ex parte obiectorum volitorum sunt plures, & sic nos vocamus istos actus plures actus, quia terminantur ad obiecta, siuè volita plura, & diuersa creata. Quoniam autem isti actus sunt ordinati inter se, quæritur, Vtrum vnus actus sit causa alterius, scilicet, an electio ad gloriam sit causa collationis gratiæ, an collatio gratiæ sit causa meritorum? &c. Non est autem difficultas, aliquos istorum actuum pendere ex alijs: nam certum est, quod gloria pendet ex meritis, tanquam ex causa meritoria, & quodammodo effectiua; & merita pendent ex gloria, tanquam ex causã finali; & gratia est causa meritorum effectiua, & merita sunt causa finalis gratiæ; confertur enim gratia propter merita. Disputatio nostra ergo nõ est de quouis horum actuum, sed solum de primo actu prædestinationis, ex quo alij actus pendẽt, propter quod dicuntur effectus illius primi actus, an scilicet ille actus primus habeat aliquam causam meritoriam ex parte prædestinati. Et hoc est illud idem, quod dicere habet D. Thom. p. p. q. 23. art. 5. dum ait: hic quæri, non, an aliquis effectus particularis prędestinationis habeat causam, sed an totus effectus (idest an omnes actus) prædestinationis habeat causam. Nam re vera hoc non est aliud quærere, nisi an primus actus prædestinationis habeat causam; quia de alijs posterioribus iam certum est, quod habent causam; quia pendent à primo. Quæritur ergo, An primus actus diuinæ voluntatis, quem habet circa prædestinatum, habeat causam aliquam meritoriam ex parte ipsius prædestinati? In hoc enim consistit cardo disputationis huius, vt notauit etiam Gabriel Vasquez p. p. summæ disp. 91. cap. 1. in fine.

D. Thom.

17 Verum est hic notandum, vt asserit Scotus 1. dist. 41. q. 1. §. *Potest aliter dici*, &c. & vt notauit etiam Franciscus Suarez p. p. lib. 2. de prędestinatione cap. 1. & cap. 22. quod si diligenter disputatio hæc consideretur, non solum hic quæritur, An detur causa primi effectus prædestinationis, inquantum ordinatur ad alios effectus, sed etiam possumus dicere, quod quęritur, An detur aliqua causa actus diuinæ voluntatis, qui est prędestinatio,

Notãdum.

inquantum est actus diuinæ voluntatis. Neque hoc est absurdum, etenim licet nō possit dari aliqua causa realiter influens, & quæ in rigore sit causa actus diuinæ voluntatis, quia actus ille diuinæ voluntatis est increatus, immutabilis, & æternus, & ideo nullam habet realem causam temporalem, vt supra diximus in hoc cap. tamē loquendo latius de causa, prout dicit quamcumque rationem, vel conditionem obiectam diuino intellectui, per quam actus diuinæ voluntatis terminatur ad hanc creaturam, vel illam, vt loquitur Scotus; siuè, vt alij loquuntur, quatenus actus ille diuinus transit super obiectum creatū, potest assignari aliqua causa diuini actus; & ideo in proposito, dum quærimus, Vtrum ex parte prædestinati detur aliqua causa ipsius primi actus prædestinationis, est quærere, an ex parte prædestinati detur aliqua ratio, & conditio motiua ipsius diuinæ voluntatis, vt terminet actum suum primum prędestinationis ad Petrum non ad Iudam. Quod autē ex parte rei creatæ detur aliqua causa actus diuini modo prædicto non potest negari; nam respectu reprobationis est euidens: Deus enim quosdam reprobauit propter mala opera. Tenet idem D. Thom. p. p. q. 19. art. 5. ad tertium de effectibus non primis; & ratio est, quia Deus (secundum D. Thomam,) vult vnum effectum in ordine ad alium, vt creare animam propter informationem corporis; ergo informatio corporis est ratio, siuè conditio quędam, propter quam Deus vult creare animam. Hoc etiam sustinetur à Francisco Suarez p. p. lib. 2. de causa prædestinationis, cap. 22. & D. Bonauent. eam apertè sustinet 1. dist. 41. art. 2. quęst. 2. vbi proponit quæstionem sub hoc titulo, Vtrum prædestinatio, & reprobatio habeant in Deo rationem motiuam? & soluendo quæstionem ait, quod hæc quæstio non intelligitur quantum ad voluntatem diuinam, vel eius actum, qui Deus est, sed quantum ad ordinationem voliti ad eius voluntatem; & sustinet, dari aliquam rationem congruam, vt infrà dicemus. Cum ergo in proposito quęrimus, An primus actus prędestinationis, qui est causa aliorum, habeat causam, non intelligunt, neque intelligi potest, an habeat aliquem alium effectum pro causa, quia nullus est prior eo, sed quæritur, an detur aliqua causa ex parte prædestinati motiua Dei ad ponendum actum illum in esse in illo homine, vel subiecto.

Duplex acceptio prędestinationis valde notanda.

Primus autem actus prædestinationis, secundum D. Thomam, Scotum, & communem opinionem Theologorum, qui diffiniunt, prædestinationem esse præordinationem alicuius ad gratiam, & secundo ad gloriam, est electio, & ordinatio ad gratiam. Quæritur ergo in sensu istorum, An iste actus, quo Deus prædestinat, se daturum in tempore Francisco gratiam, qua posset mereri sibi vitam æternam, habeat aliquam causam meritoriam ex parte ipsius prædestinati. Si enim actus ille habet causam meritoriam ex parte prædestinati, tota prædestinatio eius habet causam meritoriā; sin minus, tota prædestinatio nullam habet causam meritoriam.

Duplex sensus quæstionis.

Secundum alios verò, qui dicunt, prædestinationem esse electionem æternam prædestinati ad gloriam, & deinde ad gratiam in ordine ad gloriam: quæritur, an illa electio ad gloriam pendeat ex aliqua causa ex parte prędestinati, scilicet an ex meritis, vel ex aliqua alia causa; quæ electio est primus actus prędestinationis; primus actus autē in omni opinione dicitur primus effectus prædestinationis; non quia pendeat ex aliquo alio actu prędestinationis, à nullo enim pendet, sed omnes alij pendent ab illo: ideo respectu aliorum est causa non effectus, (quicumque ille sit, an electio ad gratiam, vel electio ad gloriam secundum diuersitatem opinionum) sed dicitur effectus primus in ordine ad diuinam voluntatem. Cum enim omnes illi actus sint effectus diuinæ voluntatis, etiam primus actus dicitur effectus illius.

18 Notanda est ergo differentia inter istas duas acceptiones prædestinationis, quia ex illa oritur magna claritas in hac materia. Pro cuius clariori notitia adhuc obseruandum est, quod in diuina voluntate reperiuntur isti actus, dilectio, electio, & prędestinatio; vt est videre apud D. Thom. p. p. q. 23. art. 4. & supponitur communiter ab alijs Theologis, sed non eodem modo explicantur ab omnibus. Aliqui enim eos sic intelligunt; vt Deus prius aliquem, vt Petrum, absolutè diligat, & ei velit bonum; & hæc est dilectio. Alicui alij verò vt Iudæ non velit bonum, nec eum diligat; & hic actus dicitur odium Dei. Secundò eum, quem diligit, eligat ad gloriam efficaciter, alium verò nequaquam; & hic actus dicitur electio. Tertiò ei, quem eligit, decernet dare gratiam, & media ad consequendum gloriam, alteri nequaquam: & illi actus dicitur prædestinatio, iste verò reprobatio. Et hoc modo exponit D. Thom. hos actus loco citato, & alij eiusdem opinionis. Alij verò aliter intelligūt hos actus: nam non ponunt in Deo dilectionem absolutam, sed volunt, quod dilectio Dei sit idem, quod electio efficax alicuius ad gloriam; & odium Dei sit non electio efficax alicuius ad gloriam: & primum actum dicunt esse prædestinationem, seu primum actum prædestinationis: alterum dicunt esse reprobationem, seu primum actum reprobationis: decretum verò dandi huic media ad gloriam consequendam, & decretū non dandi alteri eadem media, appellant effectū prędestinationis, & reprobationis. Ex his patet, quomodo hæc quæstio duplicem sensum habere potest: nā vel sustinemus, quod prædestinatio sit electio ad gratiam in ordine ad gloriam, vt D. Thomas, Scotus, & alij communiter: & tunc primus actus prædestinationis est decretum dandi gratiam alicui in ordine ad gloriam. Vel sustinemus, quod prædestinatio sit electio ad gloriam, & ad merita in ordine ad gloriam: & tunc primus actus prædestinationis est electio ad gloriam; secundus ad gratiam, & ad merita. Ad propositum, quia diximus, quod quærere, an detur causa prædestinationis, est quærere, an detur causa primi effectus prędestinationis, secūdum primum modum dicendi, sensus quæstionis erit, An dilectionis, siuè electionis alicuius ad gloriam, qui est primus actus prædestinationis, detur aliqua causa ex parte electi, & prædestinati. Secundum alterum modum dicendi, sensus erit, Vtrum decretum dandi gratiam electo per quam gloriam consequatur, qui est primus actus prædestinationis, habeat causam ex parte electi, & prędestinati.

19 Et quia secundum omnes re vera primus actus prædestinationis est dilectio, seu electio ad gloriam, & collatio gratiæ est effectus illius dilectionis, & æterni propositi, propriè loquendo, cum quæritur, an prædestinationis detur causa, est quærere, an dilectionis seu electionis ad gloriam detur causa ex parte prædestinati; & in hoc sensu communiter tractatur. Tamen, quia D. Augustinus accepit prędestinationem in secundo sensu, scilicet pro decreto dandi gratiam ipsius electis; & Scolastici antiqui eum sequentes accipiunt prædestinationem in eodem sensu, vt patet ex diffinitionibus assignatis ab eis, eam tractabimus quoque in hoc sensu. Vbi videbimus, auctoritates dicentes, non dari causam ex parte prędestinati, concludere de prędestinatione accepta pro decreto dandi gratiam, non pro electione, & proposito dandi gloriam efficaciter. Et quia auctores multi hęc non distinguunt, hinc est, quod materiam hanc confusam reddunt, nec auctoritates Sacræ scripturæ, & D. Aug. rectè explicare possunt. Nos vtrumque sensum tractabimus, & primo accipiendo prædestinationem pro electione ad gloriam.

*

Ex-

Explicatur opinio eorum, qui dicunt, prædestinationem non fieri ex meritis gratiæ præuisis, accipiendo prædestinationem pro electione ad gloriam æternam. *Caput tertium.*

20 QVoniam ergo, vt dixi aliqui Theologi accipiũt prædestinationem, in hoc sensu, quod sit propositum æternum, & electio Dei alicuius ad gloriam: alij verò, quod prædestinatio sit præparatio, & decretum dandi alicui gratiam in ordine ad gloriam, & isti duo sensus valde differunt; prius tractabimus quæstionẽ secundum priorem sensum, deinde secundum posteriorẽ.

Opinio asserentiũ electionẽ ad gloriã non esse ex meritis præuisis.

Quantum ergo ad primum multi Theologi sustinẽt, quod electio efficax, qua Deus elegit electos ad gloriã, efficaciter præcesserit quamcunque præuisionem meritorum, & cõsequenter eam non fieri, neque pendere ex meritis præuisis tanquam ex causa meritoria, & impetratoria, sed ex mero beneplacito Dei. In hac sententia re vera citari possunt D. Thomas p. p. quæst. 23. art. 5. in corpore articuli, vbi apertè ait, quòd totus effectus prædestinationis nullam aliam causam habet nisi diuinam voluntatem, quæ est finis, & principium omnium operationum nostrarum voluntarium. Et in responsione ad tertium apertè habet hæc verba. *Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobauit, non habet rationem nisi voluntatem diuinam.* Vnde cum electio alicuius ad gloriã sit actus Dei circa creaturam, videtur sequi, quod huius actus nulla sit causa ex parte prædestinati. Et hanc eandem sententiam tenet Scotus in 1. dist. 41. quæst. vnica, exponẽdo propriam sententiam §. *Potest aliter dici*, sed de mente Scoti, infrà clarius disputabimus. In eandem sententiam est Caietanus p. p. quæst. 23. art. 4. nam ipse ibi cum D. Thoma ait, quod disparitas vnius creaturæ ab alia, propter quam vna creatura eligitur, non alia, oritur ex bono volito illi à Deo, non ex aliquo merito creaturæ; & in hoc, ait, distinguitur electio Dei ab electione creaturæ; nam creatura, quando eligit aliquam aliam creaturam ad aliquod bonum, hoc euenit, quia illam magis diligebat; non poterat autem magis diligere, nisi in creatura essent conditiones magis merentes adamari, quæ non essent in alia. At in electione diuina res opposito modo se habet: nam ideo Deus eligit vnam creaturam præ alia, quia magis illam diligit, quã aliam: at non magis diligit illam, quia in creatura sit aliquod magis diligibile ex parte creaturæ, quàm in alia, sed quia Deus illi creaturæ magis vult bonum, quã alij creaturæ; & ita illa volitio boni est ratio disparitatis in illis, & causa electionis huius, & non illius. Ex hoc patet, hos auctores nullã ponere causam electionis creaturæ ad gloriam ex parte creaturæ, sed solũ ex parte Dei.

Opinio D. Thomæ.

Opin. Scoti.

Opinio Caietani, et D. Thomæ.

Durandus, Maior. Capreolus, & alij.

Hoc idem de mente D. Thomæ sentit Capreolus p. d. 41. quæst. 1. art. 3. conclusione vltima, in eandem sententiam citantur durandus in 1. d. 41. q. 2. Maior in 1. dist. 40. q. 2. Alensis p. p. q. 28. m. 3. art. 1. & alij omnes citari possunt, qui tenent, prædestinationis nullam dari causam ex parte prædestinati, inter quos est etiam Ambrosius Catherinus libr. 1. de prædestinatione quo ad hoc. Nam licet per prædestinationem ipsi intelligant propriè præordinationem ad gratiam, & gloriam, tamen videntur confundere præordinationem ad gratiam cum præordinatione ad gloriam; immò ipsemet D. Aug. vt infrà videbimus, videtur pro eodem accipere prædestinationem, idest præparationem gratiæ, & electionem ad gloriam. Ideo dimissis auctoribus, qui hanc sententiam tenuerunt, de quibus infrà clarius agemus, rationes pro hac opinione adducẽdæ sunt. Probatur autem hęc opinio, Scriptura, Patribus, & ratione.

1. Auctoritas.

21 Prima auctoritas Sacræ Scripturæ desumitur ex D. Paulo pluribus in locis. Ad Ephesios primo, habet hæc verba. *Elegit nos in ipso*, idest in Christo, *ante mundi constitutionem, vt essemus Sancti.* Notandum est illa particula, *vt essemus Sancti*, nõ enim ait, elegit nos, quia futuri eramus Sancti, sed, vt essemus Sancti. Ergo electio non est ex præuisione bonorum operum, sed è conuerso, ipsa est causa bonorum operum, quod indicat illa particula, *vt*, & hunc locum sic intelligit, & exagerat D. Aug. lib. de prædestinatione Sanctorum ca. 18. & alibi, vt infrà dicemus.

2. Auctoritas.

22 Secundo loco est auctoritas eiusdem Apostoli ad Romanos cap. 9. vbi de duobus fratribus Iacob, & Esau habet hæc verba. *Antequam quicquam boni fecissent, vel mali egissent, ut secundum electionem, propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est, quia maior seruiet minori*, &c. Ecce, quod apertè Apostolus ait, propositum Dei secundum electionem manere, non ex operibus, sed ex sola gratia vocantis; ergo propositũ Dei, & electio alicuius ad gloriam, non est ex operibus præuisis, sed ex sola gratia.

3. Auctoritas.

23 Tertia auctoritas est eiusdem Diui Pauli ad Romanos, 11. cap. quæ simul est auctoritas, & ratio. *Si iam gratia iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia; si autem ex operibus, non iam ex gratia. Quid ergo? quod quærit Isdrael hoc non est consequutus, electio autem consequuta est.* Ex hac auctoritate dupliciter arguitur. Primò, electio ad gloriam est gratia, immò prima gratia omnium; ergo illa non potest esse ex operibus; alioquin, vt infert Apostolus, illa non esset gratia, sed debitum. Secundò, argumentum Apostoli ibi est efficax, ait enim, quod sicut tempore Eliæ, Deus gratuita sua electione elegerat sibi septem millia virorum, qui non flexerant genua ante Baal: sic tempore Christi reliquiæ Israel, idest pauci ex multis Israelitis, qui damnantur, electione Dei sine meritis saluæ factæ sunt (quod probat, quia si iã esset ex meritis, non esset ex gratia). Ideoque id, quod maior pars Israel conabatur adipisci suis meritis, non est consequuta; At electio Dei sine meritis consequuta est finem suum. Ex hac argumentatione cõspicuè cerni videtur, quod electio fiat absque vlla præuisione meritorum. Confirmatur ex auctoritate Apostoli ad Ephesios 1. *Prædestinauit nos in adoptionem*, &c. & inde subiungit. *In quo fortè etiam vocati sumus prædestinati secundũ propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Ergo non ex meritis pręuisis. Quam valde urget Caietanus, vbi supra.

4. Auctoritas.

24 Quartò. Est auctoritas Christi in Euangelio Ioãnis cap. 15. vbi Christus Apostolis dixit. *Non vos elegistis me, sed ego elegi vos.* Tunc sic arguitur. Si Christus elegisset nos ex præuisione meritorum, potius nos elegeremus ipsum, quàm ipse nos; quia ille, cuius merita eliguntur, potius eligit, quàm eligatur. Quem locum exagerat D. Aug. libr. 1. de prædestinatione Sanctorum, cap. 17. ad probandum, electionem nostram factam fuisse sine meritis, contra Pelagianos.

5. Auctoritas, quæ est ex Patrib.

25 Quinta auctoritas, & prima ex Patribus, est D. Aug. qui totis viribus hanc materiam contra Pelagianos tractat, & videtur apertè sentire, electionem ad gloriam idem esse, quod prædestinationem, & omnino electionem ad gloriam nõ esse ex meritis, sed ex mera gratia Dei, in lib. Soliloquij cap. 28. habet hæc verba. *Mundas autem de nobis filijs hominum eos, in quibus tibi complacuit habitare*, &c. quasi dicat, Mundas eos homines, quos iam tibi eligeras sola tua voluntate, vt in eis habitares.

6. Auctoritas.

26 Sexta auctoritas lib. 6. Hippognosticon, paulò post initium. *Diximus namque de damnabili humani generis massa, Deum præsciuisse misericordia, non meritis, quos electione gratiæ prædestinauit ad vitam.* Item lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 17. 18. & 19. ex professo probat, electionem non fuisse factam ex meritis per has auctoritates. *Non vos elegistis me, sed ego elegi vos*, Ioan. 15. *Elegit nos, vt essemus Sancti*, Ephes. 1. & alijs auctoritatibus. Denique omissis alijs multis, est auctoritas D. August. ad Simplicianum, quęst. 2. vbi refellit illos, qui asserunt, discretos fuisse bonos à massa perdi-

perditionis propter opera, contra illud prima ad Cor. 4. *Quis est, qui te discernit?*

Denique, hanc fuisse mentem D. Augustini, patet ex disputatione eiusdem D. Aug. habita cum Massiliensibus, & multis alijs Patribus Græcis; quia illam ei tribuerunt. Neque tamen ipse, vel discipuli eius Prosper, & Hilarius vnquam negauerunt, hanc esse opinionem D. August. sed illam pro viribus tutati sunt. Ergo opinio D. Aug. de electione fuit, quod esset sine præuisione meritorum.

1. Ratio ex Scoto. 27 Probatur eadem opinio rationibus, & Prima est ratio Scoti in 1. d. 41. in principio explicationis suæ opinionis, §. *Potest ergo aliter dici*, &c. Vbi Scotus facit hãc rationem. In quocunque ordinatè volente prior est volitio finis, quàm mediorum ad finem: sed sic est, quod voluntas eligendi homines ad gloriam, est volitio finis; quia gloria est finis meritorum: & volitio meritorum est volitio mediorũ ad finem; ergo sequitur, quod prius Deus vult finem electis, quàm merita; ergo non eligit electos ex præuisione meritorum. Et ratio ista intelligitur de voluntate efficaci, non de voluntate antecedente; quia electio ad gloriam, & ad media ad gloriam, est efficax, non antecedens tantum.

2. Ratio ex alijs. 28 Secundò. Sequeretur, diuinam prouidentiam circa electos, quæ est peculiaris prouidentia, & dicitur proprio nomine, prædestinatio, pẽdere ex voluntate humana, & vt inquit Catherinus, vbi supra quilibet esset vi sui liberi arbitrij, suę prædestinationis fabricator. Hoc autem est absurdum; ergo. Absurditas consequentis patet; quia tunc Deus nõ prouideret de rebus, sicut placet suæ diuinæ sapientiæ, sed secundum quod homines essent volituri; & sic gloria, & gratia, & alia bona, quæ Deus disposuit euenire in mundo, non euenirent; quia Deus ex beneplacito suo illa forè decreuerit, vel eo modo, quo decreuit ex beneplacito suo; sed quia homines illa, & eo modo facere voluerunt. Quæ omnia derogant diuinæ prouidentiæ, & præparationi gratiæ, & mediorum ad finem. Consequentia verò probatur, quia Deus non potuit distinguere prædestinatum à reprobo circa media gratię, antequam pręuideret consensum vnius, & dissensum alterius: alia enim media requiruntur ad prędestinatum, vt finem suum consequatur, alia ad reprobum; at ista pręparatio mediorum, cum isto discrimine, est prouidentia Dei particularis, quę communiter, vel saltem à pluribus dicitur prędestinatio: ergo prouidentia Dei penderet à voluntate humana. Sequitur etiam, (& in idem incidit) quod primi effectus prędestinationis, idest pręparationis gratię pręuenientis, detur causa, scilicet ille consensus præuisus. Consequens autem est manifestè falsum, quia prima gratia non est ex meritis, vt patebit ex dicendis, & in materia de gratia.

Confirmatio. 29 Confirmatur, & magis declaratur hæc ratio; quia si Deus prædestinaret homines, & Angelos, ex bono vsu liberi arbitrij præuiso, sequeretur, quod qualem præuidit Deus futurum vsum liberi arbitrij Petri, &c. talem gratiam, & media illis præpararet in tempore, quibus posset operari; ita quod bonus vsus liberi arbitrij futurus esset regula, & mensura auxiliorum, et mediorum cõferendorum ad salutem, Deo ab æternitate. Et hoc est falsum, ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia si Deus elegit aliquem ad gloriam, quia videt illũ vsurum benè libero arbitrio, præuidet etiam, quis sit magis operaturus bonum, si maius auxilium habeat; ergo si præuisio boni actus liberi arbitrij, est causa electionis ad gloriam, electio ad tantam gloriam erit ex præuisione vsus liberi arbitrij sic intensi, & sic cooperantis. Illa bona cooperatio intensior, & remissior requirit maiora & minora auxilia gratiæ; ergo præuisio boni vsus liberi arbitrij est regula, & mensura, qua Deus electis confert maiora, vel pauciora auxilia. Consequentis autem falsitas probatur ex scriptura, in qua habemus, quod Deus denegauit aliquibus auxilia, quibus illi benè vsi fuissent, & aliquibus confert auxilia maiora, quos præuidit non benè vsuros. Nam Matthęi cap. 11. habetur. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sydone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Ex hoc loco habetur, quod Deus Tyrijs denegauit auxilia, quibus fuissent conuersi, & ea concessit Corozaim, & Betsaidæ, qui ea spreuerunt. Præterea. Non est dubium, quod si Deus contulisset multis damnatis auxilia illa, quæ contulit Paulo persequenti Ecclesiam, quod illi salui fuissent, & alia multa adduci possent; ergo Deus non decreuit conferre ab æterno auxilia iuxta bonum vsum liberi arbitrij præuisum, sed ex beneplacito suo; ergo neque etiã elegit ad gloriam ex bono vsu liberi arbitrij pręuisi, sed ex beneplacito suo.

30 Tertiò. Est argumentum efficacissimum adductum à D. August. lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 15. Humanitas Christi assumpta fuit à verbo ad vnionem Hypostaticam absque vllis meritis Christi, vt omnes Theologi fatentur; sed assumptio illa fuit prædestinata à Deo, iuxta illud Apostoli ad Romanos cap. 1. *Prædestinatus est filius Dei secundum carnem*, &c. Ergo prædestinatio Christi est lumen præclarissimum prædestinationis Adami, & aliorum Sanctorum, iuxta eundem D. August. ergo prædestinatio Sanctorum, quę in ipsa prædestinatione Christi, qui est Sanctus Sanctorum, maximè elaruit, à quo tanquam à capite gratia aliorum prædestinatorum emanauit, est sine vllis meritis præuisis, 3. Ratio.

31 Quartò. Stante hac opinione, sequeretur, initium nostræ salutis esse à nobis, non à Deo. Consequens est hęresis Pelagiana. Consequentia verò probatur, quia initium nostræ electionis, & prædestinationis ad gloriam, ad quam omnes alij actus sequuntur, esset ex nostris meritis pręuisis; ergo. 4. Ratio.

Quintò. Stante hac opinione, sequeretur, in æterna electione, & in temporali nostra conuersione, esse aliquid à nobis, quod non esset à Deo, nempè influxum liberi arbitrij bonum in opus, per quem pręuisum eligimur ad gloriam. Consequens est contra illud Ephesiorum 2. *Ipsius factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit, vt in ipsis ambulemus.* Et confirmatur, quia bonus vsus liberi arbitrij est donum Dei, iuxta illud Apostoli ad Romanos 11. *Quis prior dedit illi*, &c. adeo quod hic benè vtatur, & non ille, est ex gratia Dei; ergo bonus vsus liberi arbitrij, vt à gratia distinguitur, non est causa prędestinationis. Hoc argumentum coincidit cum argumento Aluarez, quod facit disp. 36. sub hac forma. Bonus vsus liberi arbitrij, etiam vt prouenit à libero arbitrio, est effectus prędestinationis, quia conducit ad vitam ęternam; ergo non est causa prędestinationis. 5. Ratio.

32 Sextò. Sequeretur, dari in iustificatis, & prędestinatis aliquid ab ipsis, quo non iustificatos, & non prędestinatos excederent. Consequens est falsum contra illud ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit; quid habes, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* 6. Ratio.

33 Septimò. Hęc assertio videtur ponere, aliquod obiectum creatum mouere diuinam voluntatem, scilicet bonum vsum liberi arbitrij pręuisum, quod est contra omnes Theologos, qui asserunt, quidem ex parte effectuum prędestinationis dari causam, at non asserũt, respectu diuinę voluntatis dari aliquam causam; quia quicquid agit Deus, certum est, quod illud agit ex mero suo beneplacitu. 7. Ratio.

34 Octauò. Multi sunt prędestinati, qui iustificantur per gratiam Dei absque vllo bono vsu liberi arbitrij; ergo vsus bonus liberi arbitrij non potest esse causa prędestinationis alicuius. Antecedens probatur in paruulis baptizatis, & statim morientibus; illi enim nul- 8. Ratio.

lum

sum habent bonũ vsum liberi arbitrij; ergo non potuerunt prædestinari ex præuisione boni vsus liberi arbitrij.

9. Ratio. Nonò. Si prædestinatio est ex bono vsu liberi arbitrij, quæro, quis sit ille bonus vsus liberi arbitrij; vel est ille, qui antecedit iustificationem, vel ille, qui sequitur, & est triplex. Non primus, quia ille etiam potest esse in præscitis, & reprobis qui non sunt prædestinati: neque secundus, quia, vel ille est determinatus ad certum numerum actuum, scilicet, vel est incertus. Non secundum, quia ratio cuiuslibet rei debet esse determinata, non indeterminata; ergo ratio prædestinationis, quæ ponitur ille bonus vsus liberi arbitrij, debet esse determinata. Non primum, quia non possumus determinare, quis sit ille bonus vsus liberi arbitrij, qui est causa prædestinationis: nam aliquis saluatur, quia in vltimo vitæ suæ conuertitur, & habet actum vnicum bonum; alius per multum tempus permanet in actibus bonis, & saluatur, alter verò in paucioribus, & sic de alijs. Adeo quod actus liberi arbitrij boni, quibus homines saluãtur, sunt indeterminati. Quod si dicas, esse vltimam actum boni vsus liberi arbitrij, ad quem sequitur immediatè gloria. Contrà. Tunc sequeretur, quod gratia non esset effectus prædestinationis, & quod non pertineret ad prædestinationem; sed esset extrà, quod est erroneum, & periculosum, quia sicut Deus prædestinat aliquem ad gloriam, etiam eum prædestinat, & elegit ad gratiam, qua illam gloriam consequatur. Consequentia probatur, quia si quis prædestinatur per præuisionem illius boni vsus; ille bonus vsus non antecedit aliquam gratiã, sed subsequitur, & ad illum statim, & immediate sequitur gloria; ergo gratia non caderet sub prædestinatione.

10. Ratio. 35 Decimò. Sequeretur, quod gratia iustificans esset debita illi bono vsui præuiso. Consequens est error Pelagianus; ergo. Consequentia probatur, quia bonus vsus liberi arbitrij est dispositio, propter quam illi confertatur gratia: forma autem est debita prauiæ dispositioni, vt patet in naturalibus: & contritioni est debita gratia proportionata illi; ergo bono vsui liberi arbitrij est debita gratia, tanquam forma conueniens illi dispositioni.

11. Ratio. Vndecimò. Hæc sententia, quod electio sit sine meritis, quæ videtur fuisse D. August. esse de fide videtur, & opposita videtur damnata: nam Cœlestinus Papa Epistola prima ad Episcopos Galliæ approbat doctrinam D. August. & reprehendit Massilienses docentes, electionem esse ex meritis. Adducuntur aliæ rationes à Catherino, & ab alijs, sed vel non militant contra nostram sententiam, vel in his clauduntur.

Probatur, electionem, siuè prædestinationem ad gloriam, factam esse ex meritis præuisis in adultis, & ex parte prædestinati dari aliquam causam. Caput IIII.

36 EX altera parte non pauci Theologi veteres, & recentiores omnibus viribus sustinent, prędestinationem, siuè electionem ad gloriam efficacem, habere aliquam causam veram, & propriam ex parte prædestinati, & illam in adultis esse merita gratiæ, siuè bonum vsum liberi arbitrij ex adiutorio gratiæ præuisum à Deo.

37 Hanc sententiam, licet sit contraria communiori, nihilominus puto esse veram, neque puto, illam esse dissonam à D. August. neque Sanctis Patribus; sed puto, auctores contrariæ sententiæ non rectè intellexisse D. August. sicuti nec multi temporibus D. August. illum intellexerunt, vt infra dicemus, multique auctores non exiguę doctrinę, & sanctitatis antiqui, & recentiores illam amplectuntur, vt infra videbimus.

1. Ratio. Ratio autem, quæ me efficacissimè mouet, & quę etiã à primis temporibus, quo Theologica tractare cæpi, to hanc sententiã me induxit, quam postea inueniens apud Thomam Stapletonem in Anthidotis Apostolicis, in epistola ad Romanos cap. 9. & Gabr. Vasquez p. p. disput. 81. cap. 5. & disput. 89. cap. 9. valde gauisus sum, hęc est. Eo modo Deus ab æterno res ordinauit, & præfiniuit, & ob illas easdem causas euenire decreuit, propter quas in tempore illę eueniunt; sed sic est, quod Deus in tempore iustificat hominem, quia suo libero arbitrio consentit vocationi, & gratiæ à Deo sibi gratis collatæ, & propter iusticationem dat deinde illi gloriam. Ergo quando Deus ab æterno decreuit, & prędestinauit Petro, & alijs electis conferre gloriam, hoc præfiniuit ex hac causa, quia pręuidit, Petrum, & alios electos in tempore benè vsuros esse libero arbitrio, & cooperaturos fuisse gratię diuinę, & auxilijs diuinis. Maior est clara, alioquin da oppositum, aliter, & ob alias causas res in tẽpore euenirent, atque Deus præordinasset ab æterno, quod destruit prouidentiam diuinam, quę se extendit, non solum ad omnia in vniuersali, sed ad quodcumque nimirum in particulari. Vnde Sapient. 7. dicitur. *Sapientiam Dei attingere à fine vsque ad finem fortiter, & disponere omnia suauiter.* Et confirmatur, quia executio rerum debet esse conformis decreto diuinę prouidentiæ, & hoc maximè circa salutẽ humanã locum habere, non potest negari, cùm prędestinatio sit pars principalis diuinę prouidentię; ergo executio cõsequutionis glorię debet esse conformis decreto diuinę voluntatis, quo hunc, vel illum elegit ad gloriam; & ita dicendum est eo modo, & ea de causa, electos nunc consequi iustificationem in tempore, & consequenter gloriam per illam causam, & media, quę decreuit Deus ab ęterno. Denique hoc apertè dicit D. August. lib. de bono perseuerantię cap. 22. sub illis verbis. *Deus enim qui omnia, quæ prædestinauit, impleuit*, &c. & D. Thom. p. p. in materia de prouidentia, & pręsertim quęst. 23 art. 5. cum ait. *Diuina enim prouidentia producit effectus, per operationes causarum secundarum, vt supra dictum est. Vnde, & id, quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Minor verò probatur ex materia de iustificatione, ex qua suppono, consensum liberi arbitrij ad illam requiri, quod est de fide; requiritur autem, non vt quędam res mortua quę tantum agatur, & moueatur, & ipsum nihil agat, sed ita concurrit, quod partialiter, licet minus principaliter, cum gratia producit actum meritorium, quo quis iustificatur, vt decreuit Sacrum Cõcilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. etiam semper à tota Ecclesia Catholica, & Sanctis Patribus fuit creditum; liberum enim arbitrium ita concurrit ad iustificationis actum, vt *neque homo ipse nihil omninò agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam obijcere potest*, quę sunt verba Cõcilij in prędicto loco. Ergo liberum arbitrium ita liberè assentit, quod est in potestate sua assentire, & non assentire, posito auxilio diuino; & assensus ille non efficitur à gratia, sed ab ipso libero arbitrio, alioquin non ageret aliquid liberum arbitrium; sed nihil. Si volumus ergo saluare cõcursum verum liberi arbitrij, vt debemus, debemus dicere, quod licet liberum arbitrium non possit operari bonum sine auxilio diuino præueniente, & cooperante; tamen & ipsum aliquid præstat in operatione bona, quod ex ipso propriè, & verè pendet; hoc est bonus vsus liberi arbitrij, hic est actus meritorius, qui dicitur meritum gratiæ; quia licet sit à libero arbitrio, tamen non est ab ipso nudo, sed simul cum auxilio diuino. Ad propositum ergo. Cum in tempore homo iustificetur ex hoc assensu liberi arbitrij, qui est bonus vsus eius, & per hunc vsum bonum Deus illi conferat gloriã æternam, dicendum est, quod Deus ab æterno, quando elegit Petrum, vel hunc, & hunc ad gloriam (loquor de adultis) decreuit illis efficaciter dare gloriam, quia præuidit, hunc bonum vsum futurum sui liberi arbitrij, quo erat cooperaturus suis diuinis auxilijs.

38 Sed dicent auctores contrariæ sententię, vt colligitur ex Suarez p. p. lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 8. Obiectio ex Suarez.

cap. 8. num. 26. quod Deus ab æterno decreuit prius conferre Petro gloriam, sed decreuit illam ei conferre, vt coronam, & præmium; & ideo vult illi dare gloriam propter merita, non quæ præuidet futura, sed quæ ipse potius præparat: vnde concedit nostram conclusionem in hoc sensu, quod elegit Deus electos ad gloriã ex meritis, non præuisis, sed præparatis. Dicunt ergo, quod Deus ab æteno decreuit prius cõferre gloriam Petro; deinde decreuit conferre Petro in tempore tantam gratiam, & tot auxilia, & ita efficacia, quod in tempore præfinirent, & determinabunt liberum arbitrium, (quam aliqui volunt, esse præfinitionem physicam, alij congruam,) vt non possit non assentire. Vnde illi solum iustificantur in tempore, quibus Deus dat huiusmodi auxilia efficacia, quæ liberum arbitrium ita præparant, vt non possit dissentire. Illis verò, quos non elegit ad gloriam, non dat hæc auxilia efficacia; sed auxilia, quæ licèt dicantur sufficientia, tamen non mouent efficaciter liberum arbitrium hominis illius, neque ille conuertitur. Vnde ex ipsa iustificatione deducitur argumentũ in contrarium. Cum enim Deus in tempore det vni auxilia efficacia, & maiora, quàm alteri, propter quæ ille conuertitur, non autem alius, cui talia non dantur, hoc signum est, quod Deus illum elegit ab æterno absolutè, & nõ propter merita præuisa, neque propter futurum bonum vsum, sed ex suo beneplacito mero; siquidem ille bonus vsus, & assensus ille, est à Deo, non à libero arbitrio. Quod autẽ Deus in tempore det vni auxilia ita efficacia, quod ille conuertatur; alteri verò non det illa, quibus cum inde careat, non potest conuerti, probatur; quia non distinguitur id, quod est ex gratia ab eo, quod est ex libero arbitrio, vt ait D. Thom. p. p. quæst. 23. art. 5. nos autem distinguimus, dum volumus, quod actus iustificationis ita partialiter sit à libero arbitrio, quod ex illa parte non sit à gratia. Et hoc totum confirmatur efficacissimè ex dictis varijs D. August. contra Pelagianos, vt patet ex auctoritatibus superius adductis, & præsertim de prædestinatione Sanctorum cap. 11. vbi pertractans illud Ezechielis. *Ego faciam, vt faciatis*. Ergo auxilium Dei efficax est tale, vt faciat nos facere; ergo consensus ille arbitrij omninò videtur esse à Deo, & præfiniri, & determinari Physicè à Deo, nedum moraliter, vt faciat, & assentiat. Et eodem lib. cap. 8. *Cum prædicatur Euangelium, quidam credunt, quidam non credunt; sed qui credũt, prædicatore forinsecus sonante intus à Patre audiunt, atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est illis datur, vt credant, illis non datur;* quia inquit. *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: & aliæ huiusmodi auctoritates ibi sunt, quas partim supra cap. 3. adduximus, partim in disputatione de gratia efficaci, & sufficiente.

D. August. de prędestinatione Sãctorũ c. 11.

Cõfutatio obiectionis allatæ.

39 Sed ista responsio non tollit vim argumenti, quoniam licet Deus priùs eligat electos, & deinde conferat illis media ad consequendam gloriam, tamen illa media, quantumcumque magna, non sunt efficacia, nisi ex consensu liberi arbitrij; ex quo semper sequitur, electionem ad gloriam Petri ante præuisionem assensus liberi arbitrij, ex motione gratiæ, nunquam esse efficacẽ, quia gratia non tollit liberum arbitrium; ergo electio efficax est post præuisionem boni vsus liberi arbitrij à gratia adiuti. Insuper auctoritates nunc adductæ, & similes non infirmant, quod nos diximus, neque conuincunt, liberum arbitrium non concurrere liberè, & ita liberè, quod dum assentit, non possit non assentire. Vnde ipsemet D. August. cum lib. de prędestinatione Sanctorum, ita extulisset gratiam, vt videretur abstulisse de medio liberum arbitrium, & de hoc accusaretur à multis, fecit alium librum, scilicet de gratia, & libero arbitrio, vbi optimè declarat, concursum gratiæ non tollere concursum liberi arbitrij, neque cum ipse exaltauit gratiam, voluisse deprimere liberum arbitrium, sed solum reprimere temeritatem Pelagianorum, qui non libertatem arbitrij defendebant, sed extollentiam, & superbiam liberi arbitrij adstruebant, vt ait D. August. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 14. his verbis. *Sed cum fuerint conuicti nõ defensores, sed inflatores & præcipitatores liberi arbitrij*; loquitur enim de Pelagianis, & Semipelagianis. Et eodem libro de gratia, & libero arbitrio cap. 1. habet hæc verba. *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiã Dei defendunt, vt negent hominis liberũ arbitrium; aut quando gratia defenditur, negari existimẽt liberum arbitrium: hinc aliquid scribere ad vestram charitatem curaui*, &c. Deinde in 2. & 3. cap. eiusdem lib. innumeras adducit actoritates, ad probandum, dari liberum arbitrium. In initio autẽ quarti capitis eiusdem libri habet hæc verba. *Sed metuendum est, ne ista omnia diuina testimonia, & quæcumque alia sunt, quæ sine dubitatione plurima sunt in defensione liberi arbitrij, sic intelligantur, vt ad vitam piam, & bonam conuersationem, cui merces æterna debetur, adiutorio, & gratiæ Dei locus non relinquatur; vt audeat miser homo, cum benè viuit, & benè operatur, vel potius benè viuere, & benè operari sibi videtur in seipso, non in Domino gloriari, & spem rectè viuendi in seipso ponere, vt sequatur eum maledictum Hieremiæ Prophetæ dicentis. Maledictus homo, qui spem habet in homine*, &c. Eodem lib. cap. 5. habet hæc verba. *Meritum enim quidem fuit in Apostolo Paulo, sed malum, quando persequebatur Ecclesiam*, &c. Et paulò post. *Cum ergo haberet hoc meritum malum, redditum est bonum pro malo in eo, quod secutus adiunxit; sed gratia Dei sum id, quod sum; atque vt ostenderet & liberũ arbitrium, mox addidit, & gratia eius in me vacua non fuit; sed plus omnibus illis laboraui: hoc enim liberum hominis arbitrium exhortatur, & alijs quibus dicit: Rogamus, ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis, vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem?* &c. Et eodem lib. cap. 6. habet hæc verba aduersus Pelagianos. *Si enim merita nostra sic intelligerent, vt ẽt ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia*, &c. Et eodem lib. cap. 9. habet hæc verba. *Non enim quia dixit, Deus est enim qui operatur in nobis, & velle, & operari pro bona voluntate: ideo liberum nostrum arbitrium abstulisse putandus est*, &c. quod probat in sequentibus; & deinde subdit rationem illorum verborum Apostoli sic. *Sed ideo cum timore, & tremore, nè sibi tribuendo quod benè operatur de bonis, tanquàm suis extollantur operibus*. Denique eodem lib. cap. 17. habet hæc verba. *Vt ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur*, &c.

40 Ex omnibus his locis, & similibus conspicitur, quod D. August. cum extollit gratiam tantum, vt illi tribuat omne opus nostrum, non intendit asserere, quod in nostra iustificatione temporali, gratia quantumcumque efficax, & magna, ita concurrat, vt tollat concursum liberi arbitrij liberum, ita quod ipsum nõ concurrat ex parte sua liberè, & non sit causa cooperans simul cum gratia; quia est impossibile, quod voluntas sit causa cooperans, & ex parte sua non habeat suam propriam causalitatem partialem liberam; sed D. August. vult probare contra Pelagianos, & Semipelagianos, quod liberum arbitrium non potest se solo, non solum incipere velle bonum, (vt dicebant Pelagiani) sed neque proficere in bono sine gratia. Et rursus, quod gratia est causa principalis, & prima nostræ iustificationis, non autem liberum arbitrium, & quod ideo non debemus gloriari in nobis de nostris operibus, licet partialiter ad illa concurramus, quia licet nos cooperemur, tamen prius præuenimur à Deo, q nos excitat, & insuper adiuuat in operatione. Et sic sunt intelligendæ omnes eius auctoritates, cum ait. *Faciam, vt faciatis*, supple bonum; ex Ezechiele. Item illud: *Cum prædicatur Euangelium, vnus credit, alter non credit*, &c. Non vult negare, quod ille conuertatur, quia assentit, & ille, quia non vult assentire, non conuertatur; quia certum est, quod ille conuertitur,

quia

quia gratiæ Dei cooperatur: ille verò non conuertitur, quia illi non cooperatur, sed vult tribuere primatū gratiæ; quia principalis causa est gratia, non liberum arbitrium: ideo gloria debetur Deo, non libero arbitrio. Et licet Deus det vni maiora auxilia, quàm alteri, non tamen sequitur, quod elegerit illum efficaciter, cui maiora auxilia dedit; quia videmus, aliquos reprobos habere maiora auxilia, quàm nonnullos prædestinatos, vt patet de Iuda, qui fuit Apostolus, & tamen damnatus est. Deinde licet alicui det maiora auxilia, quàm alteri, tamen Deus nunquam efficaciter decreuit illi dare gloriam, neque elegit ad gloriam, donec prævidit, eum consensurum per suum liberum arbitrium; quia homo est semper liber, & quæcunque auxilia dentur homini à Deo, quantumcunque maxima, semper requiritur liberi arbitrij consensus, vt patet de Paulo, qui, & si maxima vocatione fuit vocatus, non tamen iustificatus est, sine consensu libero sui liberi arbitrij.

Solutio obiectionis, ex D. Tho.

41 Ex quo patet etiam solutio obiectionis D. Thomę: nam distinguere inter liberum arbitrium, & gratiam, potest duobus modis intelligi. Vno modo, quod sit aliquod opus bonum, quod ità proficiscatur à libero arbitrio, quo ad esse suum totale, quod non proueniat à Deo; & hoc modo negamus, nos distinguere inter operationem Dei, & liberi arbitrij; quia dicimus, opus bonum esse à Deo, & a libero arbitrio simul. Alio modo, quod opus illud quo ad partem aliquam sui sit à Deo; & quo ad aliam sit à libero arbitrio; & quod illa pars, quę est à libero arbitrio non sit à Deo, vt sic. Et hoc modo concedimus, nos distinguere inter operationem Dei, & liberi arbitrij, si quidem hoc est necessarium ad saluandum, quod liberum arbitrium liberè cooperetur in opus, vt de fide sustinendum est; & cum D. Aug. & Paulo, vt visum est. Et hoc non est inconueniens, quia quando duę causę partiales concurrunt ad vnum effectum, causalitas, quę prouenit ab vna causa, non prouenit ab altera: Deus, & liberum arbitrium sunt duę causę partiales, vt visum est; ergo consensus liberi arbitrij, quod est opus bonum, est ab ipso libero arbitrio partialiter, sed minus principaliter à Deo etiam partialiter; sed à Deo initialiter, & cooperanter; & propter hoc actus consentiendi tribuitur, non libero arbitrio, sed ipsi gratię, & Deo, & dicitur donum Dei, quia Deus est causa principalior ipsius.

Alia ratio principalis.

42 Ex hoc habet euidentiam alia ratio principalis, quę pro hac nostra sententia adduci solet, et est hęc: quia talis voluntas Dei absoluta, siue electio ad gloriam antecedens prescientiam meritorum, seu liberę cooperationis inferret necessitatem libero arbitrio, quod repugnat illi. Consequentia patet; quia stante illo decreto, impossibile est, effectum non sequi. Nec valet dicere, quod est necessitas consequentię, non consequentis: nā probatur, quod sit necessitas consequentis, quia ex Anselmo lib. de concordia prescientię, & predestinationis, Necessitas ex suppositione est necessitas simpliciter, quādo suppositio est antecedens, & preuenit hominis libertatem, quia tunc non est in potestate eius: si enim antecedens non est in potestate mea, sed est certum, & infallibile, & consequentia est necessaria, etiam consequens est necessarium, & non est in potestate mea.

Obiectio Suarez.

43 Respondēt enim aduersarij, vt Suarez vbi supra, quod hęc ratio habet fundamentum falsum, scilicet quod Deus non possit predefinire aliquem effectum liberum, & liberè efficiēdum in tempore, nisi prius Deus videat illum effectum esse futurum. Quod autem hoc fundamentum sit falsum, nititur probare multis exemplis: nam Deus præordinauit, Christum in eodem signo ad esse, & ad gloriam animæ, & corporis; & tamen certum est, quod Christus in tempore non habuit gloriam corporis, nisi ex meritis, & alijs similibus. Sed ego puto, fundamentum illud pro nostra ratione esse verissimum; implicat enim contradictionem, quod Deus velit aliquem effectum esse futurum liberè ab aliqua causa creata, & Deus præfiniat illum absque consensu libero illius rei; implicat enim, quod in tempore Deus præfiniat, me seruare legem liberè, & tamen ex se, sine meo concursu præfiniat, me seruare legem; quod autem de facto in tempore implicat contradictionem, ita in æterna scientia Dei, & voluntate; ergo illa, quę Deus voluit euenire liberè, non sunt præfinita à Deo efficaciter ante præuisionem concursus liberi arbitrij. Ad exemplum autem adductum de Christo, dictum est in disp. An prędestinatus possit damnari, esse rationem particularem, de merito ipsius; erat enim simul viator, & comprehensor ex speciali priuilegio, ideò etiam opera eius fuerunt meritoria ex speciali priuilegio.

Ratio illa breuiter cōficitur.

44 Ex his colligitur, inconcussam esse rationem istā principalem, quæ breuiter, & faciliter potest formari, sic. Ob eas causas Deus homines ad gloriam ab æterno prædestinauit, propter quas in tempore illis dat gloriā; sed sic est, quod causa propter quam in tempore dat hominibus gloriam, est, quia in tempore iustificantur: iustificantur autem adulti, quia liberè vtuntur libero arbitrio, & quia consentiunt gratiæ, & auxilijs diuinis; ergo causa, propter quam Deus ab æterno prædestinat homines adultos ad gloriam, est, quia in tempore benè vsuri sunt libero arbitrio; ergo præuisio boni vsus liberi arbitrij, est causa prædestinationis. Maior, & minor sunt probatæ.

45 Et cum respondetur, quod decreuit Deus ab æterno dare gloriam propter merita quidem, at non præuisa, sed præparata ab ipso. Contrà. Hæc responsio repugnat assertioni, quam sustinent: nam secundum eam Deus absolutè prius decreuit dare Petro gloriam, deinde decreuit dare illi merita tanquam media, per quæ illam consequatur; ergo in illo priori nulla habetur ratio meritorum; ergo falsum est, quod Deus decreuerit dare gloriam Petro ob merita præparata. Preterea. Ratio stat in suo robore, quia stāte illa opinione, quod Deus absoluté decreuerit dare gloriam Petro, & deindè præparauerit merita, sequitur, quod ab æterno decreuerit dare gloriam Petro per solum suum beneplacitum, nulla habita ratione meritorum: in tempore autem dat de facto gloriam propter merita, & propter iustificationē; ergo nō propter eandem causam decreuit Deus ab ęterno dare gloriam Petro, propter quam in tempore eam actu illi confert. Si quidem ab æterno merè gratis, & sine meritis decreuit dare, in tempore verò dat per merita. Et quod verè propter merita, & non propter decretum æternum det de facto gloriam, patet, quia in Sacra scriptura, & in praxi ecclesiæ habemus, quod gloriam redditur tanquam merces; non ergo per decretum purum gratuitum, sed per decretum diuinum, includens merita.

46 Præterea, cum dicitur. Decreuit Deus ab æterno dare gloriam propter merita non præuisa, sed præparata: quæro, vel merita præparata à Deo sunt causa, propter quam Deus decreuit conferre gloriam Petro, ita quod merita sint conditio, & ratio decernendi dare gloriam Petro, vel intelligitur, quod non sint causa, propter quam Deus decreuit dare gloriam, sed solum sint media ad ponendum in esse decretum illud dandi gloriam Petro: si primo modo, habeo intentum, quia cum merita illa pendeant à bono vsu liberi arbitrij libero, vt supra declaratum est, necessariò sequitur, Deum decreuisse dare gloriam propter bonum vsum liberi arbitrij præuisum: si verò secundo modo intelligitur, vt intelligunt, & intelligere habent, stante illa positione, falsa est illa propositio, Deus decreuit dare gloriam propter merita præparata: probatur, quia media ad consequendū aliquem finem, vel obiectum, non sunt causa electionis illius finis, & obiecti, at in eo casu merita essent media ipsi Deo ad faciendum, vt Petrus consequatur gloriam; ergo non sunt causa, propter quam Deus elegit dare Pe-

tro

tro gloriam. Exemplum. Princeps donauit possessionē Petro, vt autem eam actu consequatur facit literas obsignatas de tali donatione; illæ literæ sunt medium ad consequendum illam possessionem: si autem quis inferat; ergo sunt causa propter quam Petrus obtinuit illā possessionem à Principe, non valet consequentia: quia Princeps non donauit illam possessionem propter illas literas, sed propter suam liberalitatem; licet illæ literæ fuerint medium ad illam consequendam. Vnde patet, quod si quis diceret, Princeps donauit possessionem Petro propter literas obsignatas, falsum diceret, & propositio esset falsa.

Tandem, cum dicitur. Deus decreuit dare gloriam Petro propter merita à se ipso Deo præparata: quæro, vel intelligitur de meritis præparatis à Deo antecedenter ad liberum arbitrium, vel dependenter à libero arbitrio. Si secundum, habeo intentum, quia tunc præsupponitur præuisio boni vsus liberi arbitrij. Si primo modo, talia merita non dantur, quoniam omne meritum liberè procedit à libero arbitrio: ideo implicat repugnātiam, Deum præparare merita antecedenter ad liberū arbitrium, quia ista essent absolutè determinata à Deo, nullo habito consensu voluntario liberi arbitrij, quod repugnat rationi meriti.

Alia ratio pro eadem opinione ex voluntate antecedenti, & consequenti sumpta. Vbi quid sit voluntas signi, & beneplaciti antecedens, & consequens, inefficax, & efficax, declaratur.

Cap. Quintum.

Secunda ratio principalis.

47 SEcundò principaliter pro eadem sententia arguitur sic. Omnes Theologi vno ore fatentur, Deū voluntate sua antecedenti, & primaria voluisse dare omnibus vitam æternam, & salutem, iuxtà illud Apostoli Pauli prima ad Thim. cap. 2. *Deus vult, omnes homines saluos fieri*. Ex quo patet, Deum voluntate antecedenti non distinxisse inter electos, & reprobos, sed ęqualiter cum omnibus se gessisse, & omnibus illis voluisse gloriam, & salutem. At hæc voluntas antecedens præcedit præuisionem meritorum, & peccatorum; ergo volūtas Dei ante præuisionem meritorum est æqualis omnibus. Subsumo. At voluntas ista antecedens gloriæ, & salutis omnium hominum non est efficax: quia illa non impletur, vt patet; ergo electio prędestinatorum ad illam non pertinet. Ergo electio prædestinatorum, pertinet ad voluntatem consequentem, quæ subsequitur pręuisionem meritorum, & consequenter electio ad gloriam est ex præuisione meritorum.

Quid sit voluntas antecedēs, & cōsequens, signi, & beneplaciti, Inefficax, & efficax.

48 Pro declaratione istius rationis breuiter videndū est, quæ, & qualis sit voluntas Dei antecedens, & consequens, quę sit voluntas signi, & beneplaciti, quę inefficax, & efficax: quorum omnium declaratio est apprimè necessaria toti huic materię de prędestinatione. Pro explicatione igitur istarum voluntatum in Deo, sciendū est, quod licet in voluntate diuina sit vnicus actus simplicissimus, vt diximus in materia de pręscientia Dei, respectu rerum creatarum, & eodem actu producat effectus contrarios, tamen per nostrum modum intelligendi ponimus in diuina voluntate plures actus, siuè plures voluntates: illi enim plures actus distincti appellātur plures voluntates, qui diuersis actibus nostræ voluntatis respondent; & dimissis actibus omnibus alijs in præsentia tangendo eos, qui faciunt ad rem nostram. Triplex ponitur diuisio voluntatis in Deo ab omnibus Theologis. Prima est. Alia est voluntas signi, & alia est voluntas beneplaciti. Secunda diuisio. Alia est voluntas antecedens, alia est consequens. Tertia. Alia est voluntas inefficax, alia est voluntas efficax. Istæ autem tres diuisiones, vt plurimum videntur coincidere in vnam quantum ad rem, licet quò ad modum loquendi, & significationem verborum habeant aliqualem diuersitatem.

Triplex voluntas in Deo.

Vnde communiter voluntas signi, voluntas antecedens, & voluntas inefficax, pro eadem voluntate sumuntur, et significant voluntatem Dei faciendi aliquid, non absolutè, & efficaciter, & vltimata determinatione, sed quæ, quantum est ex se, vellet illud facere, & habet desideriū, & complacentiam illius rei. Aliquando tamen etiam habeant diuersam significationem, vt volūtas signi qua Deus præcepit Abrahæ, vt immolaret Isaac: Deus enim voluit oppositum voluntate beneplaciti; sed dedit illud præceptum, quod fuit signum, se velle immolationem Isaac, vt tentaret Abraham, vt habet Scotus in 2. d. 37. in resp. ad primum principale ad oppositum: tamen voluntas signi non semper accipitur in hoc sensu, vt cum dicimus, præcepta Decalogi esse voluntates signi: nam voluntas, qua Deus vult nos facere præcepta, non est voluntas ficta, & simulata, vt tentet nos, & tamen re vera non velit nos facere præcepta, vt contingit de præcepto facto Abrahæ, vt occideret Isaac; sed est vera voluntas, & propriè, vt nunc infra dicam. Voluntas verò beneplaciti, consequens, & efficax accipiuntur etiam pro eodem, & significant voluntatem Dei, qua aliquid vltimata determinatione, & efficaciter, & absolutè vult. Vnde voluntas tribus prioribus modis dicitur voluntas conditionata, tribus posterioribus dicitur voluntas absoluta. Exēplum est de eo, qui proijcit merces in mare, nè à tempestate mergatur; iste habet duplicem actum voluntatis in se circa proiectionem mercium in mare. Primus est actus, quo nollet proicere merces, si fieri posset, vt vitaret periculum mortis, & ista voluntas, siuè actus voluntatis, est voluntas conditionata: vellet enim non proicere, si posset saluare se, non proiciendo. Hæc ergo voluntas potest dici antecedens, & inefficax, & etiam signi; licet quo ad hoc vltimum, quo ad modum loquendi, non rectè congruat. Sed dummodo conueniamus in sensu, non est curandum de terminis: hæc enim disputatio est potius de nominibus, quàm de rebus. Habet deinde aliam voluntatem, scilicet proijciendi, & hæc dicitur voluntas absoluta beneplaciti, consequens, & efficax. Hæc enim est vltimata determinatio ipsius, & nulla adest cōditio, & efficaciter exequutioni mandatur.

49 Porro, quod voluntas beneplaciti, consequens, & efficax pro eodem accipiantur à Scoto, patet legenti ipsum in 1. dist. 46. quæst. vnica: nam dicit in corpore quęstio, volontatem beneplaciti semper adimpleri: & in responsione ad primum asserit auctoritatem Apostoli. *Deus vult, omnes homines saluos fieri*, intelligi de voluntate antecedente, non consequente: quia Deus voluntate beneplaciti non vult omnes homines saluos facere; ergo voluntas beneplaciti, & voluntas consequens pro eodem accipiuntur apud Scotum. Voluntas autem efficax est, qua vltimatè Deus aliquid vult, & absolutè, quæ semper adimpletur, ergo hęc voluntas efficax est idem, quod voluntas beneplaciti, & consequēs apud Scotum. Ex quo infertur, quod ista tria, vel quatuor membra coincidunt in vnum, & consequenter etiam alia tria vel quatuor mēbra illis respondentia debent coincidere, scilicet voluntas signi, antecedens, & inefficax. Item voluntas conditionata, voluntas secundum quid cum eisdem conueniunt. Voluntas verò simpliciter, & voluntas absoluta similiter coincidunt cum voluntate beneplaciti. Ex quo apparet Vasquez p. p. disp. 83 malè referre Scotum pro opposita sententia: idem enim sentit ipse Vasquez ea disp. quod Scotus; & nos hic exposuimus.

Opin. Scoti de prædictis voluntatibus.

Vasquez malè citat Scotum.

50 Quod autem voluntas signi antecedens, & inefficax, significent voluntatem illam, qua Deus, quantum est ex se, vellet aliquid, & qua se complacet in illo, licet propter aliquas causas extrinsecas non velit vltimata determinatione illud, probatur. Nam ex D. Thoma p. p. quæst. 19. art. 11. & alijs Theologis multis elicitur, quod voluntas signi non est vera voluntas, sed signum voluntatis diuinæ. Vnde præcepta Dei dicuntur voluntates Dei, nō simpliciter, sed volūtates signi: quia scilicet

sunt

ſunt ſigna, quod Deus velit illud quod per tale præceptum deſignatur: tunc arguo ſic. At Deus, quantum eſt ex ſe, vellet illud præceptum fieri: neque enim imaginandum eſt, quod Deus dederit præcepta legis, & quod Deus, quantum eſt ex ſe, noluerit illa adimpleri: hoc enim ponit abſurditatem, & impietatem in Deo: voluit ergo Deus, illa præcepta fieri, quantum eſt ex parte ſua, & ideò dedit legem, & communiuit eam pœnis, & dat auxilia ſufficientia: verum tamen, quod quia obſeruatio illorum, pendet quoque ex libero noſtro arbitrio, & Deus noluit illud cogere: ideò non decreuit, nec voluit voluntate beneplaciti, & efficaci illa fieri, niſi cõcurrentibus nobis. Voluntas ergo illa ſigni, & antecedens, & inefficax, quod pręcepta obſeruentur, eſt voluntas, qua Deus, quantum eſt ex parte ſua, vult aliquid fieri, & in eo ſe complacet, & habet deſiderium illius.

An voluntas ſigni, antecedẽs, & inefficax ſint verè voluntates in Deo.

Ex quo ſoluitur aliud dubium, an ſcilicet illa voluntas ſigni, & antecedens, & inefficax ſit vera voluntas, vel potius non ſit vera voluntas, ſed fictio voluntatis, & ſignum tantùm voluntatis, ſed non vera voluntas. Vt cum Deus præcepit, quod omnes ſeruarent legem, quã tamen omnes non ſeruant, an hæc voluntas, vt lex adimpleatur ab omnibus, quæ explicatur, & ſignatur per præceptum, ſit vera voluntas Dei, an apparens tantùm, & ficta?

Prima ratio pro parte negatiua

52 Ex vna parte videtur, quod illa voluntas ſit apparens, & ficta, vnde D. Tho. p. p. quæſt. 19. art. 6. ad primum appellat voluntatem illam antecedentem, qua aliquis aliquid vult, quantum eſt ex ſe, ſed non abſolutè, velleitatem quandam, non voluntatem abſolutam; & voluntatem ſecundum quid, non abſolutè.

2. Ratio.

53 Præterea. Voluntas iſta inefficax eſt imperfecta, & ideò non videtur ponenda in Deo. Antecedens probatur, quia arguit in volente impotentiam: qui enim vult aliquid, quantum eſt ex ſe, & tamen non vult illud efficaciter propter aliquam circunſtãtiam extrinſecam, videtur eſſe impotens, nec poſſe auferre illam circunſtantiam, & impedimẽtum; quod ſi poteſt auferre illud impedimentum, & non aufert, ſignum eſt, quod re vera illud non vult, ſed fingit ſe velle.

3. Ratio. Gen. c. 22.

54 Præterea. Deus præcepit Abraam, vt filium ſuum immolaret, Geneſ. cap. 22. & tamen re vera non habebat voluntatem veram, vt filium ſuum occideret. Item. Prophetæ multi prædicebant multas pęnas futuras ex parte Dei, quæ tamen poſtea non eueniebant, nec Deus volebat euenire, ergo.

4. Ratio.

55 Præterea. Deus in Scriptura dicitur nolle peccatum, & tamen euenit peccatum. Ergo re vera Deus non habet voluntatem veram, quod peccatum non ſit, ſed eſt fictio, & voluntas apparens.

Deciſio quæſtionis.

56 Nihilominus neceſſe eſt dicere, quod iſtæ voluntates, quarum altera Deus vult aliquid ex ſe, & altera, qua aliquid vult abſolutè, ſunt ponendæ in Deo: & quod ſunt veræ voluntates, & propriæ, alioquin Sacra ſcriptura eſſet mendax, & Deus ipſe eſſet fictus, & deceptor; quæ ſunt vitia omninò impoſſibilia Deo. In Sacra ſcriptura enim habentur auctoritates diuerſæ, quæ non poſſent conciliari, niſi admittendo huiuſmodi duas voluntates: nam auctoritates illæ Apoſtoli ad Thimot. cap. 2. *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri.* Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Ad Rom. 2. cap. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit?* 2. Petri cap. 3. *Non tardat Deus promiſſum, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire; ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Iſtæ apertè denotant voluntatem illam, qua Deus vult multa, quantum eſt ex ſe, quæ tamen abſolutè, & ſimpliciter nõ vult propter defectum alicuius cauſæ exterioris. Aliæ autem, vt ad Romanos 9. *Voluntati eius quis reſiſtet?* Et in Pſal. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo, & in terra;* oſtẽdunt voluntatem Dei beneplaciti, & efficacem,

Prima auctoritas pro opin. vera. Secũda auctoritas.

quæ executioni mandat, quod ſibi hoc modo placet.

Quod voluntas ſigni, & antecedens, & inefficax, ſit vera voluntas.

Inſuper. Iſta voluntas, qua Deus vult aliquid, quantum eſt ex ſe, eſt voluntas vera, id eſt affectus, & complacentia, ſiuè deſiderium verũ, quod talis res ſit, probatur

1. Ratio.

Primò. Alioquin non mereretur nomen voluntatis.

2. Ratio.

57 Secundò. Cum Deus mandat præcepta, ſequeretur, quod re vera non vellet præcepta illa adimpleri, neque haberet affectũ deſiderij, quod illa res fieret, quod eſt impium, & facere Deum mendacem, ſcilicet aliud dicentem, & aliud intendentem. Inſuper, quod voluntas conditionata, & inefficax ſit vera voluntas, & quod ſufficiat ad peccatum, oſtendimus in materia de angelis in quæſtione illa, Vtrum angelus potuerit appetere æqualitatem Dei contra Ferrarienſem, & alios, & in 3. diſt. 15. quæſt. vnica, art. 3. in materia de triſtitia Chriſti in paſſione, oſtendimus, quod voluntas conditionata ſufficit ad cauſandum triſtitiam, & quod eſt vera voluntas, id eſt affectus, & deſiderium rei volitæ, non fictio, & ſimulatio volitionis, neque enim tunc cauſaret triſtitiam in nobis, neque cauſaſſet triſtitiam in Chriſto, vt ibi oſtendimus, & hoc auctoritates adductæ ex ſcriptura manifeſtant apertè.

58 Ad rationes in oppoſitum, Reſpondetur, quod licet voluntas antecedens, & ſigni in nobis quandoque dicat imperfectionem, vt cum volumus aliquid, quod non poſſumus conſequi per noſmetipſos, vt immortalitatem in hac vita, & ſimilia, propter imperfectionem noſtrarum virium; tamen aliqua voluntas inefficax dicit perfectionem, vt cum Rex vult donare aliquid alicui ſuo ſeruo, ſed vult donare illud tantum ex merito aliquo, & tamen ſeruus ille non vult operari honeſtè, vt Rex vult, propter quod non poteſt dare illi illud donũ, & præmium: hæc voluntas in Principe non arguit imperfectionem, quia non arguit impotentiam in ipſo, poſſet enim dare illi illud donum, ſi vellet, ſed quia requirit aliquam cauſam externam, quæ eſt tantum in poteſtate ſerui, nec vult illum cogere, licet poſſet, ideò efficaciter, non dat illi illud donum. Ita in propoſito. Voluntas inefficax in Deo, licèt ſit vera voluntas, tamẽ non eſt imperfecta, neque dicit imperfectionem, quia non arguit in illo impotentiam, ſed libertatem; vellet enim ſaluare illos omnes, ſed cum tali conditione, quæ quia non adeſt, illos non ſaluat.

Ad primã rationẽ ex D. Tho.

59 Ad primam rationem, quæ eſt D. Th. Reſpondetur, quod appellat illam voluntatem velleitatem, non quia non ſit vera voluntas, ſed quia non eſt vltimatè determinata voluntas: vnde in comparatione ad voluntatem abſolutam, & beneplaciti, appellat illam velleitatem; non quia per ſe, & ſimpliciter non ſit vera volũtas.

Ad ſecũdã rationem.

Ad ſecundam patet ex dictis, quod hæc voluntas non arguit imperfectionem in Deo.

Ad tertiam rationem.

Suarez 1. p. lib. 3. de attributis c. 8 Reijcitur.

Ad tertiam reſpondent recentiores, quod illud præceptum ad Abraham, & alia ſimilia, quæ non implentur, poſſunt duobus modis conſiderari. Vno modo quantum ad rem præceptã. Alio modo quantum ad obligationem. Indicant voluntatem veram quo ad obligationem, non quo ad rem præceptam. Sed hæc reſponſio non ſatisfacit: quia præceptum eſt de re præcepta principaliter, ad quod ſequitur poſtea obligatio, tanquam cõditio conſequens: quia enim vult rem pręceptam, ideò obligat ſubditum ad illam faciendam.

Vera ſolutio.

Poſſumus ergo dicere, quod res pręcepta duobus modis poteſt conſiderari. Vno modo quo ad rem principalem præcepta nudè. Alio modo quo ad circunſtantiam aliquam, ipſam concomitantem, quæ eſt ratio volitionis ipſius: vnde ipſa poſita, res principalis eſt volita; illa ablata res principalis non eſt volita: & tunc in tali præcepto eſt duplicitas voluntatis, vt habet Scotus loco citato 2. ſent. diſt. 37. in reſponſ. ad primum principale: nam reſpectu vnius, eſt volitio: reſpectu alterius eſt nolitio. Et hoc contingere poteſt, quando finis præcepti eſt conſonus rectæ rationi: poteſt enim tunc quis cogno-

scere, quod illud præceptum sit datum non propter volitum principale, sed propter circunstantiam finis, qua adimpleta, cessat præceptum. Hinc ad argumentum dico, quod præceptum Abrahæ datum de immolando filio, si consideretur quo ad ipsam immolationem præcisè, Deus illam non volebat; neque præcepit Abrahæ illam immolationem, quia illam vellet re vera, & propriè. si tamen consideretur hæc immolatio quo ad obedientiam Abrahæ, Deus voluit verè illam. & ideo dedit hoc præceptum de immolando filio Abrahæ, vt Abraham exerceret suam obediētiam; vnde habita obedientia, quæ erat circunstantia concomitans ipsam immolationem, cessauit volitio immolationis. Quod confirmatur ex textu Genesis cap. 22. in principio, qui ait. *Tentauit autem Deus Abraham;* ex quo euidenter apparet, quod licet Deus præceperit Abrahæ, vt immolaret filiū suū Isaac, re vera tamen hoc nolebat, sed dedit illi hoc præceptum, vt periculum faceret de obedientia Abrahæ. Ergo voluntas Dei fuit vera, & propriè respectu obedientię perfectæ Abrahæ: & ideo, vt illam exerceret Abraham, dedit illi hoc præceptum. Idem euenit in alijs præceptis, quæ Deus dat, tentando aliquem, quæ tamen præcepta postea exequutioni non mandantur, neque Deus vult illa exequutioni mandare. Et hoc idem euenit de pęnis prædictis à Prophetis, vt illud Ionæ. *Adhuc quadraginta dies, & Niniues subuertetur,* & alijs Prophetijs, quæ continēt solum comminationem pęnę, qua Prophetæ videntur significasse Deum statuisse pęnam illam, cum tamen re vera in Deo voluntas illa non fuerit; quoniam Deus pronuntiat, & comminatur illas pęnas, non quia velit pœnas, sed quia vult conuersionem, pœnitentiam, vel aliquid aliud, quo ablato, cessat voluntas illius pœnæ.

Quid sit volūtas signi rigorosè, & strictè accepta.

61 Ex quo elicitur, quod si accipiamus voluntatem signi strictè, & in rigore, voluntas signi solum est respectu rei præceptæ, quam re vera Deus non vult, & hæc sic strictè loquendo, non est verè, & propriè voluntas; sed extendendo eam ad rem præceptam, & circunstantias annexas, est vera voluntas, & propriè, vt dictum est, scilicet ratione circunstantiæ annexæ, quam Deus verè, & propriè quantum est ex se, vult, & propter illam illud signum præcepti facit.

Ad quartā rationem.

62 Ad quartam respondetur, quod Deus verè, & propriè, & affectu, ac desiderio non vult peccatū, quantum est ex se: non vult autem peccatum simpliciter, & efficaciter non esse, quia posset illud impedire, sed quia decreuit hominem creare liberum; quia hoc visum est melius diuinæ sapientiæ; ideò non vult impedire actiones illius positiuas, ad quas sequitur peccatum. Quantum ergo est ex se, habet nolitionem peccati pro formali, licet concurrat ad positiuum per suam voluntatem permissiuè, vt in propria disput. dictum est.

Quomodo istæ voluntates conueniant secūdum vsum cōmunem, & quomodo secundum se strictè acceptę distinguantur.

63 Habetur ergo ex dictis, quod voluntas signi antecedens, inefficax (addamus) conditionata, & simplex communiter pro eodem accipiūtur, & significant voluntatem Dei, qua aliquid vult, quantum est ex se. Voluntas verò beneplaciti consequens, efficax, (addamus) voluntas simpliciter, & absolutè pro eodem accipiuntur, & significant voluntatem illam, qua Deus vltimata determinatione, aliquid vult, & illud exequutioni mandat, & semper euenit ex sua infinita potentia.

Quid sit volūtas signi.

64 Si autem in particulari, & strictè hæ voluntates accipiantur, habent aliquam distinctionem: nam voluntas signi propriè, & strictè est signum quo Deus aliquid se velle, significat; sed re vera illud non vult, quæ semper respicit rem principalem præceptam, non autem omnia illam consequentia; quia si nec rem principalem, neque aliquam circunstantiam consequentem vellet, nō esset voluntas, sed fictio, & signum falsum omninò, non verum.

Quid voluntas antecedens, & consequēs.

65 Voluntas verò antecedens, & consequens desumuntur præsertim ex Damasceno in libro contra Manicheos, & Ioanne Chrisostomo Hom. 1. in epistolam ad Ephesios, & ab eis appellantur voluntas primaria, & voluntas secundaria, & vnaquæque explicatur à Damasceno vbi supra his verbis. *Primaria enim voluntas est id, quod quispiam ex seipso vult: Secundaria autem id, quod earum rerum, quæ contingunt causa vult;* & lib. 2. de fide cap. 29. multis verbis vtramque explicat, tādem habet hæc verba. *Ac prius illud antecedens voluntas, seù beneplacitum dicitur ex ipso manans. Secundum autem insequens voluntas, ac permissio à nostro vitio ortum ducens,* &c. Ex quibus habetur, quod voluntas antecedens est, quæ oritur à Deo, nulla habita occasione corū, quæ accidunt ex rebus ipsis; consequens verò est illa voluntas qua Deus vult aliquid occasione rerum, quæ accidunt. Et stante hac expositione, voluntas antecedens potest dici omnis voluntas, qua Deus vult nobis aliquid ex se siue vlla occasione desumpta à rebus, siuè illa voluntas non adimpleatur, vt hoc, quod omnibus vult gloriā, & salutem, siuè adimpleatur, & sit efficax, vt cum vult alicui gratiam, & illam ei dat: prima enim gratia gratis datur à Deo; ideò in hoc sensu gratia antecedens quandoque est beneplaciti, & efficax, quandoque autē non. Voluntas verò cōsequens est illa, qua Deus vult aliquid occasione accidentium, & ratione cooperationis nostræ voluntatis, & multi recentiores accipiunt voluntatem antecedentem, & cōsequentem in hoc sensu, qui re vera est Damasceni & D. Ioannis Chrisostomi, quocumque tamen modo accipiatur, semper habet hoc, qđ est vera voluntas, & antecedit omnem operationem nostram, & occasionem ex rebus quamcumque, licet quandoque sit efficax, quandoque non.

Epilogus rōnis principalis, qđ electio ad gloriam fit ex meritis præuisis.

66 Ex his patet vigor rationis principalis: nam voluntate antecedente Deus non distinxit inter electos, & reprobos, sed æqualiter se habet cum omnibus; quia *Deus vult omnes homines saluos facere:* electio autem ad gloriam huius, & non illius, oritur ex distinctione inter electos, & reprobos. Ergo hæc electio non fit per voluntatem Dei antecedentem omnem occasionem ex rebus, idest ex ipsis electis, & reprobatis, sed subsequitur aliquam occasionem repertam in ipsis electis, & reprobis, hæc in adultis est præuisio meritorum; ergo prēuisio meritorum est causa electionis ad gloriam.

Vis rationis.

Vis ergo rationis consistit in hoc, quod voluntas diuina, quatenus præcedit omnem nostram operationem, & omne illud, quod ex nobis oritur, vel nobis aliquo modo accidit extra voluntatem diuinam, nunquam facit distinctionem aliquam ratione gloriæ, & salutis nostræ, sed gloriam, & salutem omnibus æqualiter desiderat, & vult, quantum est ex se. Ergo quando postea decernit dare efficaciter, & voluntate consequente, vni gloriam, & non alteri, necesse est, quod hoc oriatur ex aliqua occasione reperta ex parte electi, & non reperta ex parte reprobati. Hæc autem occasio in adultis est bonus vsus liberi arbitrij præuisus, idest cooperatio, & assensus gratiæ diuinæ: quia de facto videmus, Deum homines adultos iustificare, quando assentiunt suo libero arbitrio vocationi gratiæ præcedenti: quæ iustificatio, est vltimum medium, ducens ad gloriam; ergo electio ad gloriam fit ex præuisione meritorum.

Responsio aduersariorum.

67 Verum huic rationi, quæ meo iudicio est efficacissima, aduersarij respondent, qđ vis huius rationis consistit in illa auctoritate. *Deus vult omnes homines saluos facere.* At illa auctoritas non habet illum sensum, quod Deus omninò æqualiter se habeat circa electos, & reprobos ante præuisionem meritorum ex gratia, vt assumitur in ratione; quod probatur, quia illa auctoritas exponitur varijs modis: nam D. August. in Enchiridion cap. 103. illam particulam *(omnes)* interpretatur de distributione accommodata pro omnibus, qui saluabuntur; ita quod sit sensus. Deus vult, omnes saluos fieri, idest omnes homines, qui saluantur, per Dei voluntatē saluantur. Exemplum. Si quis diceret de aliquo præceptore

ptore docente: hic docet omnes pueros huius Ciuitatis, illa particula (*omnes*) accipitur non abſolutè, prout diſtribuit pro omnibus pueris illius Ciuitatis; ſed pro diſtributione accommodata illi rei, de qua eſt loquutio, ſcilicet pro omnibus illis pueris, qui diſcunt; vnde ſenſus eſt, quod omnes illi, qui diſcunt, ab illo præceptore diſcunt. In eodem loco habet aliam expoſitionem, vt ly *omnes* diſtribuat, non pro ſingulis hominibus, ſed pro generibus ſingulorum; ita quod ſit ſenſus, quod Deus vult ſaluos facere homines ex omnibus generibus, vt ex diuitibus, pauperibus, paruulis, &c. Et has duas expoſitiones aliqui alij Sancti probant. Tertiò, eãdem auctoritatem exponit metaphoricè in lib. de correptione, & gratia cap. 15. Deus vult omnes homines ſaluos facere, id eſt Deus facit, vt nos velimus omnes homines ſaluos facere.

Secunda expoſitio.

Tertia expoſitio.

Vera expoſitio.

68 Sed re vera iſtę expoſitiones non ſunt conformes literæ Apoſtoli. Vnde ipſemet D. Aug. in eodem loco in vltimis verbis cap. 103. concedit, iſtam auctoritatem poſſe alijs modis intelligi, dummodo ex ea non deducamus, quod aliquid Deus voluerit facere, & quod illud non ſit factum: quia eſt contra illud Pſalmi. *Quæcunque voluit fecit in cælo, & in terra*. Ex quo apparet, quod D. Aug. illam intellexit de voluntate efficaci Dei; & in hoc ſenſu expoſitiones eius allatæ ſunt veræ, & neceſſariæ: at non negat, eam poſſe intelligi quoque de voluntate conditionata. Vnde etiam ipſemet D. Aug. lib. de Spiritu, & litera cap. 33. & in lib. ad articulos ſibi falsò impoſitos art. 2. amplectitur communem expoſitionem, quam verba textus ſimpliciter, ac propriè intellecta indicant, ſcilicet Deum, quãtum eſt ex ſe, velle, ac cupere, vt omnes homines ſalui fiant, ità vt ex parte ſua nemini neget prouidentiam neceſſariam ad ſalutem. Quẽ ſenſum veriſſimum eſſe contendit quoque ipſe Suarez, p. p. lib. 4. de ſuper naturali prouidentia Dei cap. 1. & eam eſſe affirmat expoſitionem Chriſoſtomi, Oecumenij, Theofilati, Ambroſij, Hieronymi, Proſperi, Athanaſij, & aliorum Patrum Græcorum, & Latinorum, ac ipſius D. Auguſt. locis ſupra citatis, & præſertim lib. cõtra articulos ſibi falsò impoſitos art. 2. qui erat, quod Deus nolit omnes ſaluare, habet hæc verba. *Sinceriſſimè credẽdum eſt, atque profitendum, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant, ſi quidem Apoſtolus, cuius eſt iſta ſententia, ſolicitè præcipit, quod in omnibus Eccleſijs fideliſſimè cuſtoditur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur, &c.*

69 Neque hic eſt ambigendum, an Deus hanc volũtatem habuerit tantum ante lapſum Adæ, & non poſt lapſum Adæ, quoniam certum eſt, quod in vtroque ſigno, & ſtatu, & ſemper Deus habuit hanc voluntatem, quantum erat, & eſt ex ſe. Quod conſpicitur, quia in primo ſigno, & ſtatu naturæ conditæ dedit Deus iuſtitiam originalem Adæ, & in illo omnibus hominibus: in ſecundo etiam ſtatu, hanc fuiſſe voluntatem Dei, colligitur ex illo loco D. Pauli. *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri*; quia loquitur de hominibus vniuerſaliter, & pro omnibus huius ſtatus orare præcipit. Eſt ergo firmiſſimum hoc fundamentum, quod Deus, quantum eſt ex ſe, vult omnes homines ſaluos fieri; ideo in electione ad gloriam efficaci, ipſe non eſt primus, qui diſtinguit, ſed aliquid ex nobis præuiſum, quod in adultis ſaluandis eſt bonus vſus liberi arbitrij præuiſus in aſſentiendo vocationi, & gratiæ.

An hæc voluntas fuerit æqualis erga oẽs.

Suarez lib. 4. de prouid. cap. 2.

Gabr. Vaſquez p. p. d. 9. cap. 13.

70 Hic eſt dubium. Vtrum habuerit hanc voluntatem antecedentem æqualem reſpectu omnium, vel inæqualem; & videtur, quod inæqualem habuerit, quia non tribuit æqualia auxilia omnibus, vt videbimus infrà, cum loquemur de electione ad gratiam primam, collatio autem auxiliorum eſt, ſignum voluntatis ſuæ. Hic aliqui dicunt, vtranque partem poſſe defendi, & rem eſſe incertam. Alij dicunt, voluntatem hanc antecedentem Dei fuiſſe æqualem erga omnes, & quod illis omnibus voluit ſummam gloriam. De hac re nolo contendere; puto enim, & ipſe non poſſe efficax ratio pro vlla illarum adduci, tamen mihi probabilior eſt ſecunda opinio; quia auctoritates Sanctorum videntur dicere, Deum eſſe ex ſe promptiſſimum ad dandam quantamcumque gloriam. Comparant enim illam Soli, qui eſt ex ſe æquè paratus illuminare omnes, vt Sanctus Ephren in principio ſuorum operum, & alij; ergo videtur, quod ipſe ſit parati ſſimus dare omnibus ſummam gloriam: tamen conſiderando poſtea ordinem vniuerſi, & ſuæ Eccleſiæ, & futuras voluntates noſtras, & alia accidentia, ſicut diſtinguit electos à reprobis, & maiores à minoribus efficaciter, ſic etiam gradus gloriæ illis determinat inequalitas; ergo omnis eſt in voluntate efficaci, non antecedente.

Principalis ratio confirmatur alijs auctoritatibus.

Hæc autem ratio principalis confirmatur alijs auctoritatibus Sacræ ſcripturæ, quę eundem ſenſum habent, vt illa. *Deus vult, omnes homines ſaluos fieri*; vt eſt illud Ezechielis 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat*. Item Apocalipſis 3. *Ecce ſto ad oſtiũ, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam intrabo ad illum & cęnabo cum illo & ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo ſicut & ego vici, & conſedi cum Patre meo in throno eius.* Et in Euangelio Ioannis cap. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Oſeę 3. *Perditio tua ex te Iſrael eſt, tantum ex me auxilium tuum*. Ex omnibus his auctoritatibus, & ſimilibus confirmatur, Deum, quantum eſt ex ſe, omnibus hominibus velle gloriam, & omne bonum æqualiter, & in ſummo.

Ezechiel.

Apocalipſis.

Ioan.

Oſea.

Ratio contra doctrinam allatã adducitur, & diſſoluitur.

Ratio autem illa, quæ ſolet adduci in contrarium, quod ſi Deus vellet omnes homines ſaluos facere, omnes verè ſaluaret, quia poteſt, concludit, hanc voluntatem antecedentem non eſſe efficacem; non tamen concludit, non eſſe veram voluntatem, & deſiderium dandi omnibus fœlicitatem.

Eadem ſententia alijs rationibus comprobatur.
Caput Sextum.

3. Ratio principalis.

71 TErtiò: pro eadem ſententia ſic arguitur. Quandocunque aliquod bonum eſt conferendum alicui in ratione præmij, & non aliter, collator talis boni non poteſt efficaciter decernere dare illi hoc bonum, niſi ex præuiſione meriti; ſed ſic eſt, quod gloria ęterna eſt bonum, quod datur hominibus beatis, & Angelis tantum in præmium, & non aliter; ergo quando Deus efficaciter decreuit in æternitate dare huic gloriam, & illi, neceſſariò hoc decreuit ex præuiſione meritorum illius. At huiuſmodi decretum efficax dandi gloriam alicui, eſt electio æterna, ſiuè prædeſtinatio in ſenſu, quo loquimur; ergo prædeſtinatio, ſiuè electio ad gloriam eſt ex præuiſis meritis. Maior huius argumenti, in qua conſiſtit tota vis, probatur, & declaratur in ſimili in humanis. Si enim aliquis Rex proponeret præmium aliquod benè certantibus, atque hac lege, & conditione, vt nullus illud conſequeretur, niſi qui victor eſſet, certè nunquam decerneret efficaciter illud præmium dare alicui, quantumuis illum præ alijs amaret, niſi prius videret eum victorem fore, atque proinde illud præmiũ ſibi meruiſſe. Hæc enim implicant, quod velit dare illud bonum alicui in ratione præmij, & non expectet victoriam, & meritum; quod ſi ille Rex eſſet præſcius futurorum infallibiliter, & proindè infallibiliter præſciret, talem, vt puta, B, victurum, poſſet quidem tunc decernere efficaciter dare ei illud bonum in pręmium, ſed ex præſcientia victoriæ. Ita Philoſophandũ eſt de Deo, & ideò minor probatur. Nam Deus propoſuit vitam æternam, & gloriam omnibus, vt brauium iuxtà illud Pauli. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit, &c.* Ergo Deus non poteſt decernere efficaciter dare alicui

gloriam, nisi ex præuisione infallibili meritorum, ex gratia, & auxilijs diuinis. Dato ergo, quod Deus desideraret, & vellet alicui plus gloriam, quàm alij, tamen quia illam illi vult in ratione præmij, non potest decernere efficaciter eam illi dare, nisi ex præuisione meritorum. Posset quidem dare illi plura media, & auxilia potiora, quàm alicui alteri, tamen non posset decernere infallibiliter dare ei illud præmium, nisi præuideat, illum benè vsurum illis auxilijs.

Confirmatio. 72 Confirmatur hæc ratio ex D. Aug. lib. de prædestinatione Dei cap. 2. & 3. vbi distinguit duplicem prędestinationem Dei. Alteram alligationis, qua Deus res aliquas decreuit sic euenire, quia sic ei placuit; vt quod Cęlum semper voluatur, terra immobilis maneat, & alia huiusmodi. Alteram remunerationis, vt qua Deus creauit hominem, & prædestinauit, vt si obediens esset, ac à gustu pomi vetiti se abstineret, in vita permaneret. De his duabus prædestinationibus in fine illius cap. tertij habet hæc verba. *Ex præscientia igitur offensionis prædestinatio emanauit ultionis. sicut ex præscientia uirtutis, prædestinatio fieri solet remunerationis*. Ex his verbis apertè conspicitur, quod sicut prædestinatio ad mortem æternam reproborum est ex pręuisione meritorum malorum, ita prædestinatio ad vitam eternam, quæ est remuneratio, & præmium, est ex præuisione meritorum bonorum. Et hic locus est valdè notandus in doctrina D. Aug. & licet aliqui dicant, eum librum non esse D. August. tamen communiter illi tribuitur, & est, & fuit semper magnæ auctoritatis in Ecclesia Catholica.

4. Ratio. 73 Quartò. Sustinendo hanc sententiam, tribuimus Deo modū conuenientissimum, & optimum præfiniendi, & decernendi gloriam alicui, quæ illi in pręmium, et coronam, tribuitur à Deo ipso; neque vllam imperfectionem ponimus in Deo; ergo. Antecedens probatur, quia prudentiores homines, cum proponunt dare aliquid alicui in præmium, non decernunt dare illud illi, nisi visis meritis; alioquin quis stolidus esset, si ex se vellet efficaciter illud bonum illi sine præuisione meritorum, & tamen vellet illud illi dare ex meritis illius, & ex consensu, & cooperatione libera illius.

5. Ratio. 74 Quintò. Si Deus eligeret homines ad gloriam absque præuisione meritorum, sequeretur, in diuinis actibus esse mutationem absque mutatione rerum. Consequens est absurdum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia dato, quod gloria in tempore conferatur ex meritis, Deus autem ab ęterno decreuerit illi dare gloriam, non ex meritis, sequitur mutatio in diuina voluntate; quia voluit dare illi ab æterno gloriam absolutè absque præuisione meritorum; deindè in tempore vult ei illam dare ex meritis, & non nisi ex meritis; ergo in diuina voluntate caderet mutatio.

6. Ratio. 75 Sextò efficaciter arguitur. Si Deus eligeret homines ad gloriam absque præuisione meritorum bonorū gratiæ, vt supra explicauimus, sed absolutè, absque vlla tali præuisione, sequeretur in electis, & prædestinatis verè non manere libertatem consequendi, & amittendi beatitudinem. Consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia probatur, quia nullus potest resistere decreto Dei, & ipsum irritum facere: sed Deus ex sententia opposita elegit electos ad gloriam absque vlla conditione, quam adimplere pendeat ex eorum voluntate; ergo ipsi necessariò consequentur beatitudinem, nec possunt illam amittere; quia aliter facerent decretum Dei nullum, & irritum.

Confirmatur, quia posito tali decreto, vel potest homo non perseuerare in gratia, & damnari, vel non potest non perseuerare. Si secundum, fit vt in eo non maneat indifferentia ad beatitudinem, & miseriam, quæ est libertas, & contingentia humana: quia voluntas tūc necessariò determinatur ad alteram partem, scilicet ad perseuerandum; neque est in potestate eius non perseuerare. Si verò ponatur primum, scilicet quod possit nō perseuerare, & damnari, ponatur in esse hoc possibile, (si enim non posset poni in esse, non esset possibile, teste Aristotile 1. Prior. cap. 1. vbi ait, quod si illud, quod est possibile esse, ponatur in esse, nullum sequitur impossibile: si enim aliquod impossibile sequeretur, iam illud non esset verè possibile), tunc sequitur, decretum diuinum nullum, & irritum esse, vt ex se euidens est. Falsitas consequentis probatur multipliciter. Primò, quia si electus non haberet libertatem, tunc sequeretur, semel electum ad gloriam non posse facere se vas contumeliæ, propria iniquitate: nam siuè bonus siuè malus, semper erit vas electum in honorem: quia electionem semel factam irritare non potest. Et D. Paulus 2. ad Thim. cap. 2. vult iustum excidere à sua iustitia, & impium posse emendare se à sua impietate. Sed clarius in Apocalipsi ca. 3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*: at si electus ita haberet in manu sua gloriam, vt illam posset amittere, rectè responderet, illam coronam esse deposituã in manu Dei, à qua nullus alius rapere potest. Et Paulus, 1. ad Corinthios cap. 9. ait. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, nè fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. Illa particula, *fortè*, denotat libertatem, qua poterat labi, & reprobus fieri. Denique certum est, secundum Scolasticos, prædestinatum in sensu diuiso posse damnari, licet non in sensu composito. Sed aliquis dicet, D. Aug. habet oppositum lib. de correptione, & gratia, cap. 13. Respondetur, quod de mente D. Augustini in solutione rationum, pro aduersarijs loquemur.

76 Nec valet responsio quorundam dicentium, posito illo decreto, hominem spontè saluari, non liberè; quia hæc responsio tollit contingentiam ab actibus humanis, quod est hæreticum, vt diximus in disp. An prædestinatus damnari possit, & in disp. de scientia conditionata. Prima respõsio quorundam reijcitur.

Nec aliorum responsio valet, quod stante hoc decreto, voluntas intrinsecè manet libera, sed extrinsecè accedit impedimentum, ne aliter velle possit: quia hoc decretum, cum auferat indifferentiam voluntatis, licet sit extrinsecum, & non influat physicè in voluntatem, tamen tollit contingentiam, & libertatem hic necessariam, vt vbi suprà diximus. Secunda responsio reijcitur.

77 Aliqui denique satisfaciunt dicentes, non sequi ex hac electione, tolli libertatem, nec contingentiam rerum, ex parte nostræ voluntatis, sicut neque ex præscientia Dei certissima tollitur libertas, & contingentia rerum. Contrà. In disp. prædicta diximus, quod decretū diuinæ voluntatis, quo futura contingentia determinat infallibiliter euenire, non præcedit præscientiam voluntatis conditionatæ creatæ, sed subsequitur: quia enim Deus præuidet, me hoc, vel illud voliturum, ideò decernit, me concurrere ad illos actus; & quia postea videt hoc decretum diuinæ voluntatis suæ, certò scit, futura illa euentura fore. At secundum aduersarios electio, & prædestinatio ad gloriam præcedit actus omnes nostrę voluntatis, & præuisionem ipsorum; & ideò tollit contingentiam, & libertatē ab electo, respectu beatitudinis. Tertia responsio reijcitur.

78 Quod si quis adhuc dicat. Præuidet Deus, quid voluntas possit facere, cum tali, & tali vocatione, & ideò decernit dare illi talia, & talia auxilia, quibus assentiet, & ideò illum elegit, & ita hoc decretum sequitur volitionem nostram non præcedit, & sic infert necessitatem sequentem, non antecedentem. Contrà. Vel intelligis, quod præuidet Deus, quid voluntas creata possit velle cum hoc, vel illo auxilio; vel quod ipsa sit de facto volitura: si primum, illa merita non sunt vera merita, per quæ datur gloria, quia re vera illa merita sunt solum possibilia: quomodo etiam reprobi habent merita, & tamen non glorificantur. Si ergo Deus, habita præuisione simplici horum meritorum possibilium, elegit illum ad gloriam, & facit, quod faciat illa merita, electio ista imponit necessitatem antecedentem operationi voluntatis. Alia respõsio reijcitur

luntatis. Si verò intelligis, quòd prævidet, quid de facto sit volitura cum talibus, & talibus auxilijs; & quia prævidet illam hoc, & illud bonum esse volituram, illam elegit. Hoc decretum infert quidem necessitatem, sed subsequentem, quæ non aufert libertatem; sed tunc electio est ex meritis, ex gratia provenientibus prævisis, & nostra sententia est vera.

7. Ratio. 79 Septimò. Arguitur ex efficacia meritorum. Nam stante opinione adversariorum, quòd Deus eligat electos sine prævisione meritorum ex gratia, sequitur, ipsa merita nullo modo conferre ad consequendum beatitudinem. Consequens est falsum, & apertè contra Scripturam clamantem. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et multis alijs locis, vbi apertè adstruit, nos consequi vitam æternam ex bonis operibus; ergo. Consequentia probatur: nam ex adversarijs, Deus ab æterno decrevit conferre Petro gloriam ex pura misericordia, nulla habita ratione meritorum; ergo licet Petrus postea habeat merita, & Deus alio decreto decernat, Petrum habere merita, tamen Deus nõ conferret gloriam Petro ex vi meritorum, quia confert gloriam Petro ex vi primi decreti, quod excludit omnino merita: vel si Deus confert Petro gloriam in tempore ex vi meritorum, mutatur voluntatis divinæ decretum, quia prius decreverat conferre gloriam ex misericordia, nulla habita ratione meritorum: in secundo verò decreto decernit conferre gloriam Petro ex meritis; & sic mutatur Deus: vel est dicendum, quòd gloria non confertur ex vi meritorum.

Responsio tacita reijcitur. 80 Nec valet dicere, quòd licet Deus eligat homines ad gloriã sine prævisione meritorum, tñ non vult, quòd illam consequantur sine meritis. Aliud enim est loqui de electione ad gloriã, & aliud est loqui de cõsequutione gloriæ. Primum est sine meritis, secundum includit merita: nam, vel illud primum decretum, quo eligit Petrum ad gloriam, est efficax, & potens absque secundo consequi finem suum, vel non: si primum; ergo merita nihil conferunt ad cõsequutionem beatitudinis æternæ: quia etiam ablato secundo illo decreto, quòd illam beatitudinem consequatur per merita, si Deus iam efficaciter decreverat ex sua liberalitate conferre gloriam, circumscripto illo secundo decreto, Deus illi daret gloriam, ne decretum primum frustraretur. Si verò primum, decretum non est efficax, sed includit quoque secundum decretum, vel respectum ad illum, & talem respectum, quòd sine illo respectu nõ haberet efficaciam, primũ decretum; & iam sequitur, quòd nostra sententia est vera, scilicet quòd Deus in electione efficaci Petri ad gloriam respicit merita futura in æterna sua scientia sibi præsentia, & sic electio ad gloriam est ex prævisione meritorum gratiæ. Et hac ratione tolluntur omnes responsiones, quæ huic argumento solent dari; quæ licet variæ sint quo admodum explicandi, tamen in re cũ superioribus coincidunt, & ideò per rationẽ hanc confutantur.

Eadem sententia probatur auctoritatibus Sacræ scripturæ, Sanctorum Patrum, Scoti, & multorum Scolasticorum. Caput VII.

81 VNumquemque, electum fuisse ad gloriam ex meritis prævisis, quę ex gratia Dei facturus erat, probatur etiam auctoritatibus, ex triplici capite desumptis. Primò ex Scriptura. Secundò ex Patribus. Tertiò ex Scolasticis non paucis.

1. Auctoritas. 82 Quo ad primum. Sit prima auctoritas Matth. cap. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab origine mundi.* Deinde reddens rationem, cur debeant accipere præparatum regnum, subiungit. *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* In quibus verbis, non reddit solum rationem, propter quam debeant accipere regnum, sed propter quam debeant accipere regnum præparatum. Quod est dictu, assignat causam, propter quam illis præparatum fuerit regnum ab æterno; & hæc est, quia esurivit, & dederunt illi manducare, &c. Et confirmatur, quia si hęc non est ratio, propter quam Deus præparavit illis regnum ab æterno, sed solum propter quam illis confert in tempore beatitudinem; ergo in Deo est mutatio, vel mendacium; quorum vtrumque est blasphemia. Consequentia autem patet, quia Regnum cœlorum erat illis præparatum ab ęterno, & destinatum efficaciter; vel ergo ex meritis futuris pręvisis, & habeo intentum; vel non, & tunc sine illis meritis haberent beatitudinem, & sic mentiretur Christus; si quia illis meritis non cõsequuntur illam beatitudinem; vel mutatus est Deus, quã rationem cap. pręcedenti etiam exaggeravimus.

83 Secundò. Paulus 1. ad Corinthios cap. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, &c. quæ, & quanta præparavit Deus ijs, qui diligunt illum.* Vbi est notanda illa particula (*ijs, qui diligunt illum*) significat enim causam, propter quam Deus præparavit illis tanta bona; ergo dilectio Dei, quod est opus meritorium, est causa præparationis gloriæ, quod confirmatur ex communi modo loquendi. Si enim dicamus, præparavit Rex equum, vel aliquid preciosum ascendẽtibus muros civitatis inimici, certè intelligeret vnusquisque, Regem illum non velle dare illud preciosum, nisi ex meritis in bello; ergo idem dicendum de Deo in proposito. **2. Auctoritas.**

84 Tertiò. Est auctoritas Iacobi cap. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo divites in fide, & hæredes regni, quod promisit Deus diligentibus se?* Vbi illa particula (*elegit divites in fide*) significat, quod elegit illos, non quia ex proprijs viribus habeant fidem, cum illa sit donum Dei, nec sine gratia habeatur, sed quia habita, gratia Dei cooperantur Deo per fidem. Et licet D. Augost. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 17. dicat, hic eligere divites in fide, idem esse, quòd facere divites in fide: tamen sensus textus hoc non patitur, quia sequeretur etiam, Deum elegisse pauperes in hoc mundo, idest, fecisse pauperes in hoc mundo, quod est absurdum. Sed D. August. quia semper disputabat contra Pelagianos, voluit excludere merita liberi arbitrij puri, ita quod esset sensus. Deus non elegit divites in fide ex propria virtute, & ex proprijs viribus divites in fide, sed fecit eos divites, largiendo gratiam: tamen quia ipsi debebant cooperari, ideò dixit Iacobus, quod elegit divites in fide, idest, eos, qui quidem divitias fecerunt sibi cooperantes auxilio divino. Et ita D. August. excludit merita liberi arbitrij nudi, non merita gratiæ. **3. Auctoritas.**

85 Ex Patribus eadem sententia comprobatur. Primo loco adest auctoritas D. Hieronymi in epist. 150. quęst. 10. vbi habet hęc verba. *Non salvat irrationabiliter Deus, & absque iudicij veritate, sed causis præcedentibus, sed quia alij non susceperunt filium Dei, alij verò recipere sua sponte noluerunt.* Et paulo infrà subiungit. *Ex quo ostenditur, non gentes eligi, sed hominum voluntates.* **Prima auctoritas ex Patribus ex D. Hieron.**

86 Secundò. D. Ambrosius in illa verba ad Rom. 9. *Iacob dilexi*, &c. sic ait. *Præscientiam Dei flagitat in his causis: sciendo enim quid vnusquisque illorum futurus esset, dixit. Iacob dilexi, &c.* & item. *Vnum elegit præscientia, alterum sprevit.* Et infra. *Nam neminem damnat, antequam peccet, & nullum coronat, antequam vincat.* Et in illud. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, &c.* inquit. *Istos, quos præscivit sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capienda.* **2. Auctoritas ex D. Ambros.**

Adducuntur ab alijs auctoritates Gręcorum Patrum super illud ad Romanos 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*, &c. scilicet Theodoreti, Theofilati, Oecumenij, D. Io. Chrisostomi hom. 16. in epistola ad Romanos. Nihil apertius potest istis auctoritatibus dici. Dicere autem, quod isti Patres erraverint, & senserint cum Pelagianis, & Semipelagianis, vt dicit Vasquez, mihi ingens temeritas videtur. Neque eos puto contraria docuisse D. August. sed omnes concordes esse, vt doctè, & ele- **Auctoritates Græcorum Patrũ**

ganter ostendit Suarez p.p.lib.2. de causis prædestinationis,cap.8. & nos in quarto, agẽdo de merito de congruo disput.15.probauimus.Etenim dum isti Patres dicunt,electionem esse ex meritis præuisis, non intelligũt merita liberi arbitrij nudi absque gratia, vt volebant Pelagiani, & Semipelagiani, cum alibi isti Sancti dicant, nos non posse aliquid boni facere sine auxilio,& gratia Dei; sed intelligunt de meritis factis cum gratia,& auxilio Dei. D.August. etiam cum ait,electionem esse factã sine meritis,non intelligit excludere merita,gratia, & auxilio diuino facta; quæ,quia innituntur auxilio diuino apud D.August.dicuntur dona Dei;& re vera sunt,quia sine gratia haberi non possunt, sed intendit excludere merita liberi arbitrij nuda sine gratia,vt infra in solutione obiectionum aduersariorum patebit.

Auctoritates ex D. Aug. pro nostra sententia.

87 Verum quia tota difficultas in præsenti materia est de mente,& opinione D.August. qui planè cum aduersarijs sentire videtur, & astruere, electionem ad gloriam factam esse sine vlla præuisione meritorum, vt patet ex ijs, quæ supra ex eo pro opinione aduersariorum adduximus,& constare videtur ex ijs, quæ habet in lib. de prædestinatione Sanctorum,& in lib.de perseuerantia,& alijs operibus,adducendę sunt auctoritates D.August.quibus apertè nostram sententiam adstruit.

Prima auctoritas ex D.Aug.

88 Primo loco ergo sit auctoritas eius in lib.83.quęstionum,quæst.68. quam adducunt Magister Sent.in 1. dist.41.Scotus ibidẽ,Henricus, & multi alij : in ea enim quæstione D.Aug. non inconsultus, sed ex professo tractat hanc quæstionem, An in iustificatione hominis detur aliqua causa meritoria,& postquam dixit,quod quis obduretur in peccatis,prouenire ex meritis malis, quod quis verò adiuuetur auxilijs gratiæ prouenire ex meritis eorum, quibus auxilia dantur,quod probat exemplo Pharaonis, q obduratus fuit propter sua opera mala, & exemplo populi hebrei, qui fuit adiuuatus propter opera sua bona : contra hanc determinationem facit obiectionem, quam etiam soluit, in qua solutione consistit resolutio clara pro nostra sententia, quam nunc intendimus adducere. Inquit ergo. *Hic fortassè conturbatos ad illam quæstionem reddis. Cuius vult, miseretur. & quem vult, obdurat. quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius,quis resistit?* Hæc est obiectio;& sensus est. Si Deus est, qui obdurat, & dat gratiam, & obdurat quem vult, & dat gratiam cui vult, & ipsius Dei voluntati nemo potest resistere, cur Deus conqueritur, quod homines illi non seruiunt? Et deinde respondet,& soluit dubium, his verbis. *Prorsus cuius vult miseretur. & quem vult indurat,sed hęc voluntas Dei iniusta esse non potest : venit enim de occultissimis meritis,quia,& ipsi peccatores,cum propter generale peccatum, vnam massam fecerunt, non tamen nulla est inter eos diuersitas. Præcedit ergo in peccatoribus aliquid,quo,quamuis nondum sint iustificati,digni efficiantur iustificatione. Et item præcedit aliquid in peccatoribus,quo digni sunt obstinatione.* His verbis apertè docet, aliquid pręcedere in peccatore, quod est causa meritoria iustificationis, & aliquid in eo, qui non iustificatur,quod est causa meritoria obdurationis. Dictum est autem, quod eadem est ratio de prædestinatione ad gloriam, & iustificatione in tempore: vnde,cum apertè D.August.concedat, dari causam meritoriam iustificationis,sequitur etiam,ipsum asserere, dari causam prædestinationis ad gloriam, & illam esse merita pręuisa, quæ sunt causa iustificationis in tempore.

Prima responsio aduersariorũ.

89 Communiter respondetur cum Magistro in eadem distinctione,quod D.August. hanc auctoritatem videtur retractasse primo libro Retractationum c.23. retractando similem sentẽtiam,quam habuit super epistolam ad Romanos, vbi dixit, Deum elegisse Iacob nõ ex meritis, sed ex fide, quam præuidit habiturum. Illud enim dictum retractat, quia fides non habetur ex viribus proprijs,sed est ipsa quoque donum Dei;ergo videtur etiam retractare hunc locum,in quo dicit, hominẽ iustificari ex occultissimis meritis;quia merita nostra sunt donum Dei,non ex nostris viribus. Sed de auctoritate ex epistola ad Romanos videbimus infrà, explicando vltimam auctoritatem ex D.August.

2. Responsio.

Dicunt deinde D.August.retractare hanc auctoritatem primo libro Retractationum c.26. dum retractat quædam alia verba eiusdem quæstionis 68.quæ parum post verba superius adducta,habẽtur, & sunt hæc. *Quia etiam,si leuioribus quisque peccatis aut certè quamuis grauioribus, & multis,tamen magno gemitu,& dolore pęnitendi,misericordia Dei dignus fuerit, non ipsius est, qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei, qui eius precibus,doloribusque subuenit;parum est enim velle,nisi Deus misereatur, sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit.* Hæc verba retractans libro 1. cap.26. inquit. *Hoc dictum est post pęnitentiam: nam est misericordia Dei etiam ipsa præueniens voluntatem, quæ si non esset,non præpararetur voluntas à Domino, & ad eam misericordiam pertinet,& ipsa vocatio,quæ etiam fidem præuenit.* Ex his ergo dicunt, auctoritatem illam esse retractatam.

Reijcitur à Scoto.

90 Cæterum hæc responsio est nulla:& dimissa confutatione responsionis Henrici, quam Scotus iurè confutat, cum Scoto ibidem dico, quod in his verbis non retractat priorem auctoritatem, in qua dixit, iustificationem fieri ex meritis nostris bonis; quoniã, vt inquit Scotus, si D.Aug. voluisset retractare illa priora verba, & iudicasset esse retractanda, nõ incepisset à verbis sequentibus illa verba, sed illa eadem verba retractasset, sicut illa sequentia. Et certè hoc est verissimum; neque enim est dicendum, D.Augustinum illa verba priora non aduertisse, cum parum ante verba retractata sita sint. Sed vlterius ego addo, Diuum Augustinum illa verba posteriora,quę videtur retractare,re vera non retractare,sed declarare,quomodo intelligi debeãt: nam illa verba videntur prima facie fauere Semipelagianis, qui dicebãt,nos incipere,& misericordiã Dei postea nos adiuuare, ne conatus nostri sint irriti, & inanes. Hoc autem videtur D. August.in illis verbis quoque docere, dum ait. *Qui si relinqueretur, interiret, sed miserentis Dei,qui eius precibus,doloribusque subuenit.* Et cum dicit rursus. *Sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit*: videtur enim asserere, quod nos incipiamus: quod erroneum,& Pelagianum est. Retractat ergo D. Aug. hęc verba non absolutè, sed quatenus intelligantur,ita vt nos sine auxilio pręueniente Dei incipiamus: sed quantum ad sensum, quem nos intendimus,scilicet, quod post vocationem,& gratiam pręuenientem nos cooperemur ipsi gratiæ vocanti, & sic mereamur iustificationem,non retractãtur,sed approbantur. Et quod hic sit sensus D. Aug. patet, quia retractando illa, dicit. *Hoc dictum est post pœnitentiam, nam est misericordia Dei etiam ipsa præueniens voluntatem.* Ponderanda sunt illa verba. *Post pęnitentiam.* Sentit ergo D. August. quod homo,habita gratia præueniente,præcedat deinde ipsam gratiam iustificationis,quæ est gratia habitualis,per sua bona opera, scilicet per dolorem, & pęnitentiã; hic enim dolor est pœnitentia, de qua loquitur D. Aug.cum ait.*Hoc dictum est post pœnitentiam.* Voluntas enim creata post gratiam præuenientem, vel ante qua facit pęnitentiam, idest assentit vocationi, pręcedit infusionem gratiæ habitualis. Et quod hæc fuerit mens D. August. confirmatur adhuc, quia in eadem quęst. 68. parum post verba retractata, postquam ostẽdit,quod nemo potest conuerti ad Deũ nisi sit vocatus à Deo; & quicunque venit ad Deum, ideò venit, quia est vocatus, subinfert hæc verba. *Propterea, & si quisque sibi tribuit,quod venit vocatus,nõ sibi potest tribuere,quod vocatus est.* Quibus verbis apertè docet, quod etsi homo non possit sibi ascribere, quod propter merita sua sit vocatus, tamẽ potest ascribere sibi,quod vocationi præbuit assensum; neque enim dicit D. August. quod homo

mo malè faciat tribuendo sibi, quod vocatus, veniat.

2. Auctoritas. Secundo loco est auctoritas D. Aug. in libro primo ad Simplicianum, quæstione secunda ante medium, ex-
Ad Rom. 9 plicans enim illum locum ad Romanos nono. *Cum nōdum nati essent,* &c. habet hæc verba. *Non ergo secundū electionem propositū Dei manet, sed ex proposito, electio: idest, non quia inuenit Deus bona opera in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis, Sed quia illud manet, ut iustificet credentes: ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad Regnum Cælorum: nam si non esset electio, non essent electi, nec rectè diceretur. Quis accusabit aduersus electos Dei? non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio: nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur. Vnde quod dictum*
Ephes. 1. *est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hic autem, quod ait, non ex operibus, sed ex uocante dictum est, &c. non electione meritorum, quæ post iustificationem gratiæ proueniunt, sed ex liberalitate donorum Dei, noluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Hæc D. August. in quibus verbis optimè adstruit nostram sententiam. Verum, quia verba ista sunt difficilia, & tota illa quæstio est difficilis, pro intelligentia est notandum, quod secūdum D. August. ibidem, Omnis vera electio præsupponit aliquam distinctionem electi ab eo, qui reijcitur, propter quam distinctionem hic eligitur, alius reijcitur: vndè habet ibi hæc verba. *Quomodo est enim iusta, aut qualiscunque omnino electio, vbi nulla distantia est?* Et paulò infra. *Nemo eligitur, nisi distans ab eo, qui non eligitur.* Stante hoc supposito distinguit D. Aug. decretum Dei factum ab æterno in sua diuina præscientia, & ait duplex esse: alterum, quo eos elegit ad gloriā: aliud, quo in tempore decreuit eis dare gratiam, & alia dona, quibus iustificentur, & operentur opera meritoria vitæ æternæ. Primum decretum, quod est, dandi gloriam, ait esse electionem, quia eos elegit ad gloriam, quos prę uidit futuros esse conformes voluntati suæ, & erunt futuri iustificati; & hanc dicit esse intentionem Apostoli ad Ephes. 2. dum ait, *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Secundum verò decretum dandi gratiam in tempore non vult, esse electionem, sed liberalem donationē gratiæ, quia primam gratiam non dat ex aliquibus meritis præuisis, sed liberaliter: ideo illa collatio non est propriè electio, quia ille, cui datur prima gratia, non distat suis meritis ab illo, cui non datur prima gratia: quia bona merita habentur post collationem gratiæ, & post iustificationem. Et hoc modo ait, intelligendum esse locum illum D. Pauli ad Rom. cap. 9. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Hæc enim dilectio non fuit electio, sed liberalis donatio suorum donorum: quia Iacob, & Esau ante collationem gratiæ non erant distantes; neque enim vnus erat iustus, alter iniustus: quia iustitia non potest haberi sine gratia, quæ nondum erat data.

91 Sensus ergo D. Aug. in hoc loco, est hic; quòd propositum Dei Rom. 9. iustificandi homines, non manet firmum ex electione: idest, decretum Dei iustificandi electos per gratiam suam, non habet ortum ex meritis aliquibus ipsorum, propter quæ primam gratiam eis conferat, sed potius è conuerso, ex proposito Dei oritur electio: quia enim Deus proposuit iustificare electos, ideò elegit eis dare gratiam in tempore, & elegit opera, quibus iustificentur, nisi enim daret gratiam, ipsi non possent iustificari. Verum quia in his dictis D. Pauli videtur esse repugnātia, & videtur sequi ex loco ad Rom. 9. quod electio præcedat iustificationem, quod tamen est absurdum, (dictum est enim, quod omnis electio præsupponit distantiam electi ab eo, qui reijcitur, distātia autem, & distinctio fit per iustificationem,) subiungit illa verba. *Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio.* Vult enim dicere, quod hæc omnia maneant simul, & quod nulla est repugnantia. Ratio est, quia electio diuerso modo considerata potest pręcedere, & subsequi iustificationem: si consideretur electio ad gloriam (de qua ad Ephesios loquitur secundum expositionem D. Aug. hoc loco, licet verè ibi loquatur Apostolus de electione ad gratiam, vt infra patebit) hæc subsequitur iustificationem non in actu, & in tempore, sed pręuisam ab æterno electorum: quia ad gloriam non eliguntur à Deo, nisi qui præuidentur iustificati: hi enim per iustificationem ipsam differunt à reprobis. In iustificatione autem includitur bonus vsus liberi arbitrij, per quem iusti distant à reprobis: hoc enim secluso, non essent distantes, nec illa esset vera electio. Electio verò, quæ fit dandi gratiam in tempore, (de qua loquitur ad Rom. 9.) præcedit iustificationem, quia gratia gratis datur illi, cui datur, & est donum Dei: vndè hæc collatio gratiæ nō est propriè electio, sed liberalis donatio: tamen quatenus electio idem est, quod decretum dandi gratiam illi, & non alteri, potest dici electio. Hoc est quod dicit D. Aug. in hoc loco, quod est illud idem, quod nos intendimus.

Idem repetit D. Aug. in eadem epistola propè finem, loquens enim de eo, cui in tempore confert Deus gratiam primam, inquit, quod ibi nulla est electio, & quòd si quis locum illum D. Pauli ad Roman. 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt,* non velit intelligere de electione iustificatorum ad gloriam æternam in præscientia Dei, sed de collatione gratiæ primæ in tempore ipsi iustificando, se nescire quænam sit hæc electio, & quod si adest, est occultissima, quam se ignorare fatetur. Verba autem eius hæc sunt. *Quod si electio hic fuit aliqua, vt sic intelligamus quod dictum est, reliquiæ per electionem gratiæ saluæ facta sunt, non vt iustificatorum electio fiat ad vitam æternam, sed vt eligantur qui iustificentur, certè ita occulta est hæc electio, vt in eadem conspersione nobis prorsus apparere non possit.* Non vult ergo, collationem gratiæ temporalis esse electionem, quia non fit ex meritis præcedentibus, sed benè electionem ad gloriam æternam in æterna præscientia, quia illa fit tantummodo iustificatorum in pręscientia Dei, & consequenter fit ex meritis præuisis; illa autem electio ad gloriam est prædestinatio. Cum ergo disputat aduersus Pelagianos, & Semipelagianos, semper contendit, gratiam non dari ex meritis, & non esse electionem, non autem negat, electionem ad gloriam æternam esse ex meritis, & esse electionem propriè.

92 Nec valet responsio quorundam dicentium, D. Aug. hanc auctoritatem, & sententiam retractasse, nam hæc quæstio, & dicta in illa 2. q. in lib. ad Simplicianum, approbantur omnino à D. Aug. in lib. de prædestinatione Sanctorum, vbi oppositam sententiam toto Marte adstruere videtur, & in quo maximè extollit gratiam contra Pelagianos, & Semipelagianos: nam lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 4. habet hæc verba. *Nam si curassent, inuenissent istam quæstionem secundum veritatem diuinarum scripturarum solutam in p. lib. duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi, Mediolanensis Ecclesiæ Sancti Ambrosij successorem, in ipso exordio Episcopatus mei, nisi fortè non eos nouerunt, quòd si ita est, facite, vt nouerint.* In quibus verbis attestatur in illo p. lib. hanc quæstionem de gratia, & meritis secundum veritatem declarasse, & Pelagianos, siuè Semipelagianos ad illum librum remittit. Quod si in illo lib. aliquid mali dictum esset, non remitteret ad illum, sed illum retractaret in illa parte, quę maximè ad hanc rem faciebat. Eundem librum approbat lib. de bono perseuerantiæ cap. 20 & alibi sæpè; ergo doctrina tradita ibi est vera, & optimè conciliat omnia dicta D. Aug. & aliorum Sanctorum, vt infrà suo loco postea patebit.

93 Item serm. 7. de verbis Domini secundum Matthæum hom. 10 inquit. *Elegit autem Deus sicut inquit* 3. Auctoritas.
Apostolus, & secundum gratiam, & secundum illorum iusti-

iustitiam. Ecce ponit hic quoque duplicem electionem: alteram secundum gratiam, quæ est ad primam gratiam: alteram secundum iustitiam, quæ est ad gloriam æternam. Et infrà explicans illud ad Rom. ij. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ saluę factæ sunt*, habet hæc verba. *Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me prę sumentes, non de se, nec Baal, non sunt mutati, sic sunt, vt à me facti sunt, & tu, qui loqueris, nisi de me præsumeres, vbi esses?* Ecce quòd D. Aug. exaltat gratiam, & tamen ait, electionem esse ex meritis gratiæ, inquit enim. *Sic sunt, sicut à me facti sunt*, idest iusti; & operantur bonum per gratiam, quam eis dedi, & feci iustos. Non ergo D. Aug. negat, electionem ad gloriam fieri ex meritis gratiæ, sed negat, fieri ex meritis liberi arbitrij nudi; neque hanc doctrinam vllibi retractat.

4. Auctoritas.

94 Præterea. Adest locus insignis D. Aug. tom. 4. lib. de vera, & falsa pęnitentia, c. 16. (quem librum, etsi aliqui dubitent esse D. Aug. tñ certum est esse magnę auctoritatis in Ecclesia, cũ in Sacris Canonibus multę auctoritates in materia de pœnitentia ex illo desumantur) vbi egregiè explicat, quomodo Deus velit omnes homines saluare, nec velit peccatum alicuius, & quòd si quis peccat, & damnatur, non est tribuenda culpa Deo. Ex quo liquidò apparet, quæ sit mens D. Aug. de prædestinatione, reprobatione, iustificatione, & obduratione peccatoris. Quod caput volui hic inserere, quia nimis egregiè mentem D. Aug. explicat: qui tamen putatur esse opinionis contrariæ; est autem istud. *Sed dicit, qui non sentit culpam suam, nihil boni possum habere, nisi inspirante gratia, nihil enim sine gratia possum facere. Si ipse itaque me non conseruat, ego, qui ex me nihil possum, quam habeo culpam? Si ego sine eo possem vitare crimen, me sentirem culpabilem: adhuc omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cęlo, fecit & in terra. Quid itaque culpa in me est, si non vult saluare? Multum inquam licèt enim nil consequi possis sine misericordia illa, quam repellis, potes tamen liberè tenere gratiam, quam retinendo potes, si tamen placeat euitare culpam. Deus enim, qui semel incępit benefacere, nisi quod omnino nostrum est, derelinquamus eius beneficium, qui pius est inspirando, cogitur ex necessitate iustæ misericordiæ, neminem prius posse relinquere: non enim sui relinquere est nisi relinquentem; idcirco enim culpa nostra est, quia fugimus gratiam, quam possemus habere perpetuam: semper inuita recedit, & nũquam aliquem spontanea deserit. Cui tamen sententiæ non contradicit, sed omnia quæcunque voluit, fecit: creauit enim quicquid voluit, nec plus creauit, quàm voluit. Vult tamen in vnoquoque bonum, & in nullo malum. Sed sic vult, vt homo, quem non vult peccare, non desinat esse homo: non tamen vult, ita hominem non peccare, vt eum velit bonum statuere; non enim haberet quem remuneraret, nec cui fulgorem suæ claritatis infunderet, nec quem cohæredem statueret, nec in quo imaginem, & similitudinem suam inueniret. Nec illius, qui totus iustitia est, fuit aliquem sic creare, vt non posset peccare, nisi hoc promereretur in humana libertate. Vult itaque bonos fieri saluo vtriusque esse, vt ipse remaneat Deus, & iste homo. Si enim formaret hominem sine libertate, contra iustitiam faceret, quæ Deus est. Si auferret libertatem, humana dignitas non remaneret. Voluit itaque, non peccare hominem, scilicèt humanam naturam non amittere. Sic itaque prius est, qui nostram vult salutem, & non est impotens, qui hoc vult, saluo vtriusque iure: iustus enim est Rex cuius ius tueri oportet, præsto semper est gratia, quæ numquam defuit nisi prius expulsa. Continuè, & necessariò, quod suum est inspirat, si est qui recipiat, & expulsa reuertitur per pęnitentiam. Et vt non pereat creatura, quam pietate sua liberam creauit, & ex libertate dotatam in auxilium gratiæ retinendę, quæ semper præcedit omnem creaturam, fecit vt liberè seruiret ad hanc protegendam, ad hanc tùm expellendam addidit Angelos, & Sanctos omnes beatos; addiditque omnes in æterna vita collocatos; addidit, & in carne viuos, & totam sanctam Ecclesiam, omnibus, & in omni bono suo succurrentem, &c.* Ex hac auctoritate habes, nos non posse conqueri de Deo, quòd peccamus, nec possimus culpare Deum eo quia debebat nobis dare gratiam suam, sine qua non possimus non peccare: respondet enim, Deum neminem relinquere, nisi relinquatur prius, & Deum prius incipere benefacere, & fore sequuturum, nisi nos resisteremus; & quòd Deus cogitur neminem prius derelinquere, *iusta sua misericordia*, ait culpam nostram esse, quia fugimus gratiam, quam possemus habere perpetuam, *semper in vita recedit, & numquam aliquem spontanea deserit*. Loquitur autem de gratia, quæ tollit peccatum, & viuificat. Deinde reddit rationem horum omnium, quæ est, quia Deus est iustus, & ideò debuit creare hominem liberũ, vt posset mereri, & demereri; & hoc etiam decuit dignitatem hominis. Deinde inquit, Deum velle hominem facere iustum, & posse facere, sed hoc non velle facere, nisi salua libertate humana; non vult enim, eum cogere, sed tamẽ ipse semper prę̨sto est sua gratia, & est primus, continuò inspirat, si est qui recipiat; idest, si homo velit assentire.

95 Præterea. D. Augustinus lib. expositionis quarũdã propositionum Epistolæ ad Rom. qui habetur tom. 4. in fine super illa verba. *Quos vocauit, ipsos & iustificauit*, inquit, non omnes vocatos, esse iustificatos, sed illos tantum, qui sunt vocati secundum propositum Dei. Declarans autem, quid sit istud propositum Dei, habet hæc verba. *Hoc enim propositum ad prædestinationem pertinet, nec prædestinauit aliquem, nisi quem præsciuit crediturum, & sequuturum Sanctorum vocationem, quos & electos dicit*. Multi enim non veniunt, cum vocati fuerint, nemo autem venit, qui vocatus non fuerit. Ecce quod apertè D. Aug. fatetur, prædeterminationẽ Dei, & æternum propositum, habere causam ex parte prædestinati, scilicet consensum liberi arbitrij in bonum, in fidẽ, & sequelam Christi. Hic locus est clarissimus. 5. Auctoritas.

96 Præterea hoc confirmatur ex eodem D. August. lib. primo Retractationum ca. 23. nàm retractat propositionem illam positam in eodem libro expositionis quarundam propositionum Epistolę ad Rom. quę erat. *Non ergo elegit Deus opera cuiusquam in præscientia, quæ ipse daturus est, sed fidem elegit in præscientia*. Vbi volebat inferre, quod opera bona erant donum Dei, sed fides non erat donum Dei, sed opus nostrum tantum, & procedebat ex viribus nostris nudis, quæ præuisa à Deo erat causa electionis ad gloriam; quam postea retractat, quia non solum bona opera, sed etiam fides ipsa est donum Dei. Retractat eam ergo dicens. *Hoc non dixissem, si sciuissem, etiam fidem inter dona Dei numerari*. Tunc sic arguo. Diuus Augustinus ibi non retractat propositionem nunc recitatam in eodem lib. paulò superius adductam, scilicet illam, *Nec prædestinauit aliquem, nisi quem præsciuit crediturum, & sequuturum Sanctorum vocationem, quos electos dixit*; ergo secundum D. Augustinum, prædestinatio fit ex præuisione boni vsus liberi arbitrij, quo gratiæ vocati assentit. 4. Auctoritas.

97 Quod si quis dicat, eam D. Augustinum retractare in simili: dum enim retractat, Deum eligere aliquẽ ex præscientia fidei, quam præuidet habiturum, videtur etiam retractare, id quod dixit, Deum prædestinare aliquem ex præscientia bonorum operum, quæ eum præuidet facturum esse. Respondetur, ex hoc argumento sequi, D. Augustinum, eam propositionem retractare in sensu falso, qui est, Deum eligere, & prædestinare aliquem ex præscientia fidei, tanquam operis merè liberi arbitrij, & non operis ex gratia, vt tunc tenebat D. Augustinus: at non sequitur retractare eam in sensu catholico, qui est, quòd Deus prædestinat, & eligit aliquem ex præscientia fidei, vt est opus simul gratiæ, & liberi arbitrij, sicut sunt alia opera bona, eam enim concedit esse veram, sicut concedit, Deum prædestinare ex præ- Responsio tacita reijcitur.

sciemia bonorum operum, cuiusmodi est sequela Sanctorum, &c. quæ simul est ex gratia, & libero arbitrio. Et confirmatur, quia in eodem primo retractationum, cap. 23. postquam dixit, fidem esse donum Dei, sicut alia opera bona, subiunxit, fidem, & bona non esse solum ipsius Dei, (quod tamen esset, si à consensum liberi arbitrij non penderent, ita vt eius iuris sit ea facere, vel non facere) sed, & Dei, & lib. ri arbitrij; & habet hęc verba. *Vtrumque ergo nostrum est propter liberum arbitriū voluntatis, & vtrumque datum est per Spiritum sanctū fidei, & charitatis.* Et paulò infra. *Vtrumque ipsius est, quia ipse præparat voluntatem, & vtrunque nostrū quia non fit nisi volentibus nobis*, ergo efficacia diuini auxilij fit à nobis. Si enim velimus assentire iustificamur, si nolumus non iustificamur, nec operamur bonum; & cōsequenter efficacia prædestinationis est ex præscientia consensus liberi arbitrij.

9. Auctoritas. 98 Præterea est expressus locus D. Augustini aliàs adductus in libro de prædestinatione Dei capite 2. & 3. vbi expresse docet prædestinationem ad gloriam habere causam ex parte prædestinati, & simul dari scientiam conditionatam: nam distinguit ibi D. Augustinus duplicem prædestinationem: alteram vocat alligationis, & potentiæ: alteram conditionis, & iustitiæ. Prima prædestinatio est absoluta, ea enim Deus, nulla habita ratione alicuius conditionis, quæ adimpleatur, vel non adimpleatur, aliquid decernit, & prædestinat esse futurum; vt cum Deus prædestinauit, quod cęlum semper volueretur, & similia. Prædestinatio conditionis est, qua Deus prædestinauit, aliquid esse futurum, non absolutè, sed si talis conditio adimpleatur, & hoc modo prædestinauit hominem ad mortem. Non enim prædestinauit absolutè Adam mori, sed solum sub hac conditione, si inobediens esset: & sic dicit se habere quoque prædestinationem ad gloriam. Verba D. August. sunt hæc lib. prædicto capite 2. *Prædestinationum, aliæ sunt alligationis, aliæ conditionis: istæ sunt iustitiæ, illæ potentiæ. Vt Lucidius fiat quod dicitur, quæ sunt alligationis, & potentiæ; quæ conditionis, & iustitiæ, demonstretur: Creauit Deus Cęlum, & Terram, Solem, & Lunam, diem, & noctem: prædestinauit insuper, vt Cęlum semper volueretur, terra immobilis circumuoluenti cęlo loco centri haberetur: Sol, & Luna diei, noctique præessent; dies, & noctes certis temporibus vicissim succederent. Hæ prędestinationes potentiæ sunt, & alligationis: vnumquodque enim eorum, quæ prędiximus, sic alligatum est, suo operi per prædestinationem Dei, vt ab eo dimoueri non possit. Creauit Deus hominem, & prædestinauit, vt si obediens esset, ac à gustu vetiti pomi se abstineret, in vita permaneret: si autem inobediens esset, sententiam mortis subiret. Hæc prędestinatio conditionis est, & iustitię: non enim Deus ante casum hominis sic eum per potentiam alligationis prędestinauit mori, vt necesse esset, eum mori, sed sub ea conditione, si peccaret. Quia igitur peccauit, homo, iustū erat, vt moreretur; si non peccaret, nullo vinculo prędestinationis diuinæ morti alligaretur.* Hæc D. Augustinus. In fine autem capitis quinti & vltimi eiusdem libri dicit, tàm prędestinationem ad pœnam, quàm ad gloriam esse prędestinationem conditionis, & iustitię, non alligationis, & potentię; & habet hęc verba. *Iam quę sint prędestinationes alligationis, quę conditionis, satis, ut reor, dictum est. Sed earum, quæ conditionis sunt, alię ad gloriam, alię ad pœnam. Quos enim Deus suos fidei opere futuros esse prænouit, hos prędestinauit ad gloriam. Quos absque correctione Diabolicę persuasioni militaturos esse pręsciuit, hos pro certò prędestinauit ad pœnam.* Hæc D. Augustinus, vbi habes, prædestinationem ad gloriam esse ex meritis præuisis, sicut prædestinationem ad mortem æternam, seu reprobationem ęternam, esse ex malis operibus prę̨uisis. Habes etiam prę̨scientiam rerum futurarum sub conditione ante vllum decretum absolutum dari in Deo. Habes denique prędestinationem esse actum voluntatis, non intellectus.

99 Pręterea pro hac opinione faciunt omnes aucto ritates quas in materia de auxilijs, nimirū in disp. Vtrū, sit necessarium asserere, eum qui gratiæ assentit maiori gratia prę̨uentum esse cap. 4. adduximus. 8. Auctoritas. Præsertim autem illa ex tractatu 13. in Ioa. vbi supra verba Isaię cap. 6. *excæcauit oculos eorum*, &c. dicit, Deum prę̨scium futurorum per Prophetam prędixisse peccatum eorum, non fecisse, & habet hæc verba. *Et ideo si non malum, sed bonum facere voluissent, non prohiberentur, & hoc facturi prævidere ntur ab eo qui nouit, quid sit quisque facturus & quid sit ei pro eo opere redditurus.* Et multa alia ibi dixit, ex quibus apertè colligitur, quod Deus eos reprobauit, quos prę̨uidit non esse cooperaturos suę gratię: eos verò prędestinasse efficaciter ad gloriam, quos prę̨uidit consensuros gratię, & volituros operari bonū, quę non adduco, ne sępius idem repetamus.

100 Ex Scolasticis autem, ego puto in primis eam fuisse D. Bonauenturę 1. Sent. dist. 41. art. 1. quęst. 2. vbi loquens de ęterna Dei electione siuè ęterno proposito negat, dari rationem causalem meritoriam, sed dari rationem congruitatis admittit, & reijcit opinionem illorum, qui dicunt, nullam rationem congruitatis in illa dari, sed voluntatem diuinam esse sibi rationem: neque aliam rationem esse quęrendam quare istum elegit & non illum, nisi quia sibi placuit: ait enim D. Bonauētura. Iam tunc iudicia Dei non dicerentur occulta, sed manifesta, cum quilibet hanc rationem capiat; neque dicerentur mirabilia, sed voluntaria, contra illud Pauli ad Rom. 11. loquentis de hac quęstione. *O altitudo diuitiarum sapientię, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et inuestigabiles vię eius.* Allata opinio probatur auctoritate Scolasticorū D. Bonau.

101 Eandem sententiam tenet Henricus de Gandauo quolibet 4. quęstione 19. vt refert Scotus in primo dist. 41. quęst. 1. Henricus de Gandauo.

Scotus in illa quęstione aduersus Henricum, opinionem D. Thomę, & hucusque confutatam tenet, asserit enim ibi, quòd loquendo de prędestinatione, nulla datur causa ex parte prędestinati; sed loquendo de reprobatione ait, dari causam ex parte reprobati. Primam partem probat ratione supra capit. 2. adducta, & pręsertim in hanc sententiam descendit, propter auctoritates Diui Augustini in libro, de prędestinatione Sanctorum, quę re vera sunt difficiles. Vndè declarans discrimen inter prędestinationem, & reprobationem posuit hunc ordinem in ęterna mente. In primo signo re presentantur Petrus, & Iudas, diuinę voluntati ęquales in puris naturalibus: tunc Deus in illo primo instanti vult Petro gloriam, circa Iudam nihil facit. In secundo instanti vult Petro gratiam; circa Iudam nihil habet, In tertio instanti vult Deus vtrumque permittere peccare. In quarto offertur Petrus iustificatus per gratiam; Iudas offertur finaliter peccator; quia non habuit auxilia, quibus resurgeret; & sic puniendus offertur. Opin. Scoti consideratur. Signa posita à Scoto in mēte diuina, quo ad prędestinationem, & reprobationem.

102 Hęc est sententia Scoti, quam prima facie habet, & omnes ei tribuunt; tamen ipsemet Scotus in fine corporis quęstionis, antequam incipiat soluere argumenta principalia habet hęc verba. *De istis opinionibus omnibus quia Apostolus videtur disputans de ista materia ad Romanos in fine, quasi totum imperscrutabile relinquere. O altitudo (inquiens) diuitiarum sapiētię, & scientię Dei, & quis consiliarius eius fuit: ideò ne scrutando de profundo secundum dictum Magistri eatur in profundum; eligatur quę magis placet: dum tamen saluetur libertas diuina sine aliqua iniustitia, & alia, quę saluanda sunt circa Deum, vt liberaliter eligentem, & qui aliam opinionem tenuerit, respondeat ad ea, quę tacta sunt contra eam.* Ex ijs verbis apparet, quod fuit in hac materia dubius, vel problematicus. Verum licet hęc materia sit difficilis propter auctoritates D. Augustini, nihilo minus, quia opinio, quam ego hucusque defendi, mihi magis placet, ideo illam explicare, & defendere volui, Scotus suā priorē opinionē mutat.

non

non præiudicando alteri opinioni, quæ tot, & tam graues habet sectatores.

Vuilelmus de Rubione. Okam. Gabr. Biel. Thom. Stapletonus. Osorius. Gabr. Vasquez.

103 Hanc eandem sententiam ex antiquioribus sequuti sunt in totum, vel saltē in hac parte, quod electio ad gloriam sit ex meritis præuisis Vuilelmus de Rubione in 1. dist. 41. quæst. 1. art. 1. & 2. conclus. 3. Okam, & Gabriel Biel in eadem dist. 41. quos sequuti sunt postea multi recentiores, vt Thomas Stapletonus in epistola ad Romanos in antidotis Apostolicis, loco vbi supra cap. 9. Osorius lib. 1. de iustitia, Gabriel Vasquez p. p. disput. 89. vbi multos alios citat.

Opinio Oxam, Gabrielis Biel, & Catherini reijcitur. Caput Octauum.

104 Rationes, & auctoritates quatuor præcedentibus capitibus adductæ probant, vniuersaliter sententiam nostram esse veram de omnibus electis ad gloriam, includendo B. Virginem, Apostolos, Patriarchas, & alios electos super omnes alios dilectos, & ideò ex illis reijcitur opinio Okami, Gabrielis Biel in 1. dist. 41. quæst. 1. & Catherini in opusculo de prædestinatione Dei lib. 1. cap. vltimo, & lib. 3. cap. 1. & 2. & lib. 1. & 2. summæ doctrinæ eiusdē de prædestinatione, licet Catherinus postea de suo multa alia addiderit, quorum aliquā acriter impugnantur à Petro Soto in opusculis hinc inde conscriptis de hac re, & à Vasquez p. p. disput. 90. qui citat alios, qui vix eum attingunt. Vnde his dimissis hęc videtur esse summa eius opinionis, & suarum propositionum in hac materia. Primò cum Okam, & Biel diuidit homines in tres classes. In prima ponunt quosdam quos appellāt eximiè prædestinatos, vt sunt B. V. Apostoli, Patriarchę, & alij huiusmodi, & hos aiunt electos fuisse ad gloriam absque vlla præuisione meritorum, sed ex simplici affectu, & dilectione Dei. Et addunt, hos gratia præuentos ita esse, vt non possint ponere obicem, neque possint peccare, vel in peccatis permanere. In secundo ordine ponunt omnes alios electos, qui saluabuntur, quos asserunt Deum elegisse ex meritis gratiæ præuisis. In tertio ponunt reprobos, qui damnabuntur. Et quia dum in primo ordine ponunt eximiè prædestinatos, & dicunt, eos ita gratia Dei esse præuentos, vt nō possint peccare, vel in peccato perseuerare, videntur tollere de medio liberum arbitrium. Catherinus nititur ostendere, ex hoc non sequi liberi arbitrij destructionē; ex eo præcipuè, quia liberum arbitrium secundum D. August. non eò dicitur liberum, quia possit ad bonum, & ad malum, alioquin inquit, nec in Deo, nec in Angelis, nec in Beatis esset liberum arbitrium: quia ipsi non possunt in aliquod malum. Inquit ergo posse ad malum esse impotentiam, & defectum liberi arbitrij, non essentiam eius. Ponit tamen distinctionem inter liberum arbitrium Beatorum, & Viatorum pœnes hoc, quod liberum arbitrium in Beatis est omnino redditum impeccabile, in prædestinatis verò, & confirmatis potest verè dici esse peccabile ex se, sed quòd propter Dei protectionem, & adminicula multa, prohibetur, ne peccet. Dat exemplum de immortalitate Adæ quantum ad corpus: erat enim nō verè immortalis, sed ex protectione Dei, & per remedia fiebat, nè moreretur in eo statu perdurās. Hæc Catherinus cap. vltimo libri de summa doctrinæ, de prædestinatione.

Opinio Okā, & Gab. Biel. Opinio Catherini.

Tres gradus prædestinatorum secūdū hos auctores.

Quod autem ij, qui in primo ordine sunt, non sint electi ad gloriam ex præuisione bonorum operum, probat iisdem rationibus, quæ suprà adductæ sunt. Secundò, eodem libro cap. 4. eos tantum vult prędestinatos dici, & esse, qui in illo primo ordine reperiuntur, non autem eos, qui in secundo ordine positi sunt, sed debere dici eorum prouidentiam, sortem ipsorum. Tertiò, in lib. 2. de summa doctrinę de prędestinatione conclus. 3. dicit numerum saluandorum, qui ponuntur in secundo ordine, & numerum damnandorum, non esse certum, & definitum pro eo tempore, quo adhuc sunt in via; licet in præscientia, & prouidentia Dei sit certus. Quartò, eodem lib. 2. summæ doctrinæ de prędestinatione c. 4. & prioribus libris reprehendit D. August. in eo quod dixit, quod nulli hominum queant, nisi prædestinati, salui fieri, qui soli donum illud perseuerantię accipiunt, quo non solum possint, si velint, sed omnino velint, & perseuerent. Et dicit, eum fuisse causam, & occasionem multarum disputationum, quæ non erant necessariæ, & Viris magnis, videlicet Gallię Episcopis fuisse magnū scandalum; cuius rei dicit esse testes Hylarium, & Prosperum in epistolis ad illum. Quintò, eodem secundo libro cap. 5. reprobat assertionem illam, Actus prædestinationis non transit in præteritū: quia, inquit, est contra scripturam, quę vtitur tempore prȩterito, vt Apostolus. *Quos prædestinauit hos vocauit.* Item. *Ante mundi constitutionem elegit nos, vt essemus Sancti.*

105 Hęc opinio Catherini proculdubio non solum est noua, sed omnino falsa. Et quidem quantum ad primam assertionem de triplici ordine hominum, falsum est, alios esse eximiè prædestinatos, & hos sine præuisione meritorum gratiæ; alios verò ex præuisione meritorum gratię: nam ex dictis supra esse eandem rationem non de omnibus electis facilè patere potest: rationes enim superius adductę efficacius concludunt de eximiè dilectis, vt de B. Virg. & alijs magis gratis Deo; & præsertim prima ratio facta. 4. cap. nam vel concedunt aduersarij, quod B. Virg. & Sācti alij eximiè grati, vt Apostolus Paulus, consequuti sint gloriam ex meritis, & tanquā coronam suorum laborum, & meritorum, vel non: secundū non dicerent, cum hoc repugnet Sacrę scripturæ, dicente Apostolo. *Bonum certamen certaui, cursum consumaui in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi iustus iudex in illa die.* D. Paulus ergo consequuturum se ait gloriam tanquam coronam iustitiæ; ergo Beatitudo est ei collata ex meritis. Tūc habet vim prima ratio. Res in tempore eodem modo eueniunt, quo ab ęterno fuerunt ordinatę, & dispositæ, alioquin in Dei voluntate esset mutatio, quod est absurdum; ergo si in tempore datur illis gloria ex meritis, in æternitate decreuit, Deus gloriam illis dare ex præuisione meritorum gratiæ.

Reijcitur.

1. Ratio.

106 Hoc idem ostendit secunda ratio, quia Deus habet voluntatem antecedentem ęqualem circa omnes, & discretio omnis est in voluntate sequente, quæ prę supponit prȩuisionem meritorum; ergo ante prȩuisionem meritorum, non solum non fuit aliquis electus ad tantam gloriam, sed neque omnino ad gloriam.

2. Ratio.

107 Tertia ratio etiam efficaciter hic concludit, vt patet eam applicādo. Quarta magis hic concludit, quia nobilius, & honorabilius est habere aliquod bonum, ex meritis, & propter retributionem, quàm omnino gratis; ergo si cęteri Sancti haberent gloriam ex meritis, eximiè verò dilecti non haberent ex meritis, sed omnino ex gratia, ignobiliori modo consequuti fuissent illi beatitudinem, q̄ cęteri inferiores, quod est absurdum.

3. Ratio, & 4.

108 Sexta ratio etiam cap. 6. adducta est efficax in proposito; quia sequeretur, quod isti eximiè prædestinati non essent liberè in consequenda vita ęterna, sed necessariò illam cōsequerentur; neque esset in libertate eorum illam amittere, quod probatum est esse falsum ibi per multas auctoritates.

6. Ratio.

Catherinus respondet huic rationi, cōcedendo, illos eximiè prædestinatos non habere in sua libertate amittere gloriam, sed necessariò illam consequi.

Responsio Catherini.

109 Hanc responsionem reijciunt Recentiores multi, vt Gabriel Vasquez p. p. disput. 90. cap. 2. ex Ioanne à Bononia; quia tunc de eximiè prædestinatis non posset dici illud Apocalipsis 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat, &c.* Neque Paulus Apostolus, qui secundum Catherinum, erat eximiè prędestinatus, verè potuisset dicere illa verba. *Ne fortè cum alijs prędicauerim, ipse reprobus*

Reijcitur.

bus efficax. Nam si erat impossibile Paulo, damnari, non poterat cum veritate dicere: Ne fortè reprobus efficiar; quia hoc nō potest dici de rebus, quas euenire est impossibile. Vnde de Christo non potuisset enunciari illud, Ne fortè reprobus efficieretur.

Ego vlterius addo, quod licet de essentia liberi arbitrij non sic posse declinare ad malum, propter quod concedimus, liberum arbitriū esse in Beatis, & in Deo perfectissimè, tamen posse declinare à malo ad bonum, & non esse impeccabilem, secundum legem ordinariam est de essentia meriti: quia de lege ordinaria pro hoc statu illi solum possunt mereri, qui possunt demereri; proinde si eximiè prædestinati non potuissent demereri, nō potuissent quoque mereri, quod est contra scripturam, vt patet per auctoritates nunc contra Catherinum adductas. Nec valet differentia ab eo adducta inter beatos, & prædestinatos, quod liberum arbitrium in Beatis est simpliciter impeccabile, prædestinatum verò est impeccabile ex sola Dei protectione: quia etiam liberum arbitrium in Beatis est impeccabile ex decreto solo Dei, & ratione status, vt in 4. dist. 49. cum Scoto patet. Ideò si et prædestinati ex Dei multa protectione, quæ non est sine decreto æterno, & infallibili Dei, non possunt peccare, re vera nulla est differentia inter impeccabilitatē Beatorum, & eximiè prædestinatorum secundum sententiā Catherini; quod est absurdū, & contra scripturā, quæ de prædestinatis dicit Apocal. 3. *Tene quod habes*, &c. Et contra alias scripturas nunc suprà adductas. Rationes autem adductę à Catherino ad probandum, prædestinationem electorum non esse ex meritis, coincidunt cum adductis suprà, quæ infrà soluuntur.

Differētia inter nostrā opinionē, & opinionem Catherini.

110 Ceterum, quispiam dicet, nos coincidere cū hac opinione Catherini: nam tenemus in disputatione, An prædestinatus possit damnari, Deū aliquos, vt sunt Maiores in Ecclesia peculiari amore diligere, atque Deum præfiniuisse actus eorum bonos, qui sunt principia, & causæ aliorum actuum bonorum, siuè qui ordinātur ad salutem aliorum, vt consensum B. Virg. in Incarnatione, & huiusmodi. Respondetur nullo modo nos conuenire cum hac opinione, vt ostendimus prædicta disput. cap. 4. Primò enim nō dicimus, omnes actus Maiorum in Ecclesia esse præfinitos ante cōsensum liberi arbitrij, sed solum aliquos excellentes, à quibus alij actus boni fidelium pendent. Alios verò actus communes dicimus non esse prefinitos, & proindè eos posse peccare, nisi sint confirmati in gratia. Catherinus verò vult, hos Maiores, seù eximiè prædestinatos, esse omnino impeccabile. Secundò dicimus, Deum mouere voluntatem ad actus illos excellentes congruo modo, & proindè non auferre eis libertatem, propter quam causam sunt meritorij; alia tamen diuersa ratione ab actibus meritorijs secundum legem ordinariam, vt ibi diximus. Denique quo ad alios actus non excellentes habent maiorem gratiam, quàm alij.

Secunda assertio Catherini reijcitur.

Redeundo nunc ad Catherinum. Quod secundo loco asserit nimirum, eos tantum esse, & dici prædestinatos, qui in primo ordine reponuntur, est contra communem opinionem Doctorum; quia secundum modum communem loquendi Sacræ scripturę, & Patrum, duo ordines tantum statuuntur, scilicet electorum seù prędestinatorum, & reproborum; ergo sub electis, & prædestinatis veniunt ij etiam, qui in secunda classe saluabuntur. Quod maximè confirmatur ex Euangelio Matth. 25. vbi dicitur, Christum Dominum in iudicio esse positurum oues à dextris, & hædos à sinistris; & deindè dicturum his qui à dextris sunt *Venite benedicti Patris mei*, &c. Et reddit rationem. *Esuriui enim* &c. Hæc autem competit maximè hominibus secundi generis, qui potuerunt secundum Catherinum finaliter peccare, & non peccauerunt: non ponitur autem alius ordo saluandorum; ergo in hac serie ponendi sunt quoque prædestinati: hi enim iusti, & benedicti maximè sunt. Et ecclesia in oratione secreta pro viuis, & defunctis orat, *Vt omnium fidelium nomina liber beatæ prædestinationis ascripta retineat*; ergo ex sensu ecclesiæ, omnes, qui saluantur, sunt scripti in libro beatę predestinationis; ergo omnes, qui saluantur, prędestinati sunt.

111 Quod ait tertio loco de incertitudine numeri saluandorum, & damnandorum, reprehenditur immeritò ab aliquibus: quia non dixit, numerum illorum esse incertum ex parte scientiæ diuinæ, immò ex hac parte dixit, esse certissimum, sed dixit, esse incertum in ordine ad ipsos, & ad tempus, quo existunt in via: quia vnusquisque potest saluari, & damnari; & hoc certum est: nam secundum omnes, scientia Dei non ponit necessitatem in rebus; immò nos ostendimus in disputatione, An predestinatus possit damnari, cum Scoto, prædestinatū posse in vltimo articulo vitę damnari, quia & tunc potest non prędestinari; & reprobus potest saluari, quia pro tunc potest non reprobari. 3. Assertio Catherini defenditur

112 Quantum verò ad id, quod quarto loco contra D. August. asserit, turpiter errat, tùm quia doctrina D. August. de prędestinatione semper in magna veneratione habita est apud Catholicos, & sunt preclara testimonia Cœlestini Primi Papæ contra Massilienses, vt patet ex epistola prima eius ad Episcopos Galliæ: tùm quia licet doctrina D. August. de prędestinatione sit difficilis, tamen rectè intellecta nullum affert scandalum, vt patet ex his quæ suprà hac disput. ex ipso adduximus, & disputatione de auxilijs dicemus, disput. illa, An qui cōuertitur semper maiori gratia preueniatur, quam qui non conuertitur moueatur. Auctoritates autem D. Aug. adductę explicantur in eadem disputatione. 4. Assertio reijcitur.

113 Id verò quod asserit quinto loco, scilicet actum prædestinationis, non transire in preteritum, est omninò falsum, vt prædicta disput. An prædestinatus posset damnari ex Scoto fusè explicauimus, & auctoritatibus illis satisfactum est, & alijs. 5. Assertio Catherini reijcitur.

114 Sed hic mouet dubium Gabriel Vasquez, quid concessum est eximiè prędestinatis siuè Maioribus, vel confirmatis in gratia, vt fuit B. Virgo, & alij, quod non fuerit concessum alijs prędestinatis? Et respondet quod nullus predestinatus, excepto Christo, habuit necessitatem &c. antecedentem perseuerandi in gratia, & hoc idem dicit de confirmatis in gratia, vt de B. Virgine, sed solum ait, quod habuerunt necessitatem consequentem non peccandi; & quod hæc necessitas illis reuelata fuit: hoc est illud, qd̄ prę alijs illis fuit concessum. Fundamentum est, quia necessitas antecedens tollit libertatem arbitrij, & ideò opera facta postea à sic eximiè predestinatis, & confirmatis in gratia, non essent meritoria vitæ eternæ; quia ad meritum requiritur hęc conditio necessariò, quod liberum arbitrium nostrum liberè concurrat, ita quòd sit in potestate eius operari, & non operari illud bonum. Quid eximiè prædestinati, seù maiores habeant supea alios.

115 Verum hęc solutio si intelligatur de eximiè prędestinatis tantum, sed non confirmatis in gratia, & de actibus communibus eorundem, nō autem de actibus excellentibus, à quibus alij vtà principijs pendent, vt diximus in disput. An prędestinatus possit damnari cap. 4. est vera; quia isti, cum sint viatores puri, debent habere libertatem simul, & contingentiam, vt possint velle, & non velle bonum: quia in hac libertate cum contingentia stat ratio meriti; & hæc requiritur pro præsenti statu ad meritum, secundum legem ordinariam Dei. At loquendo de prædestinatis eximiè, idest cōfirmatis in gratia, vt fuit B. Virgo, profectò pugnant simul, quod sint confirmati in gratia, à qua nō possint excidere, & quod tamen liberè, idest contingenter, & non necessariò perseuerent in bono. Si enim est impossibile, quod illi excidant à gratia; ergo, quod perseuerent in gratia, est necessarium: quia ad impossibile sequitur necesse esse, ex Arist. 2. Perihermenias in tractatu de modalibus. Valet enim hæc consequentia. Est impossibile, sortem non currere; Reijcitur respōsio allata.

currere; ergo necesse est, fortem currere. Hæc ergo necessitas, licet sit extrinseca, tollit contingentiam, & libertatem, vt ipsemet Gabriel Vasquez, Suarez, & alij dicũt in materia de concordia liberi arbitrij, & scientiæ diuinæ contra alios Scolasticos. Nam Caluinus, & alij hæretici concedunt libertatem intrinsecam in nobis, quæ dicitur libertas à coactione ad operandum bonum, sed negant adesse libertatem extrinsecam, & contingentiam, quæ tamen requiritur, quia hæc libertas est, quę facit opus verè meritorium, vt suo loco diximus. Hæc autem necessitas, quæ est in confirmatis, est extrinseca, & tollit contingentiam, & hanc libertatem. Reuelatio autem facta à Deo alicui de sua salute nuda, sine aliquo decreto, quod debeat perseuerare, non facit ipsum esse confirmatum in gratia, & non posse excidere à perseuerantia in gratia.

Differẽtia inter confirmatũ in gratia, & prædestinatũ.

116 Mihi ergo dicẽdum videtur, quod qui sunt confirmati in gratia extrinsecè, scilicet à voluntate diuina, coniuncti sunt Deo quo ad affectionem iustitiæ perfectissimè, vt sunt Beati in Patria; & propter hoc non possunt peccare, & tollitur ab eis contingentia quantum ad posse peccare, vt dicit Scotus in 3. dist. 18. de Beatis, & de Christo. Neque hoc est inconueniens, quia qui sunt confirmati in gratia, habent speciale priuilegium, neque cadunt sub lege ordinaria, & communi aliorũ prędestinatorum viatorum, quorum status requirit, quod habeant vtramque libertatem, scilicet à coactione, & à necessitate extrinseca, vt docet fides, & sana Theologia contra hæreticos, vt suprà in materia de præscientia, & concordia liberi arbitrij cum voluntatis diuinæ decreto, diximus.

117 Et cum dicitur, quòd tunc non possent mereri: Respondeo secundum principia Scoti de merito, vt suprà dictum est, quòd principalis ratio meriti consistit in acceptatione diuina. Potuit ergo Deus velle acceptare operationes confirmatorum in gratia pro meritorijs, sicut voluit acceptare operationes Christi pro meritorijs, licet Christus esset Beatus, & non posset peccare. Ratio autem est, quia adest aliqua congruitas, quòd operationes bonæ confirmatorũ in gratia acceptentur pro meritorijs, quia ipsi non sunt coniuncti Deo quo ad affectionem commodi, sed patiuntur, & dolorem, & tristitiam in operando bonum, & sustinendo malum, vt fecit etiam Christus: Ideò rationabiliter Deus potest acceptare eorum operationes bonas pro meritorijs. Hanc rẽ in materia de merito Christi in tertio tractamus. Non est ergo par ratio de confirmatis, & puris viatoribus prędestinatis, quia illi sunt partim extra viam, & participãt statum patriæ; sed isti sunt omninò in via, & nihil participant de statu patriæ. Neque ab hac sententia discrepant præcipui Scolastici, tenentes, Beatæ Virgini in prima Sanctificatione, datum fuisse, vt non peccaret, in secunda verò, scilicet in Conceptione filij, additum illi fuisse, vt non posset peccare. Sic tenet D. Thomas 3. p. q. 27. art. 4. ad primum. Sed clarius in 3. sent. d. 3. q. 1. art. 2. D. Bonau. dist. 3. art. 1. quæst. 1. Alensis 3. p. quęst. 9. m. 3. art. 2. §. 2. Ergo si Beata virgo non potuit peccare, non habuit libertatem excidendi à gratia. Hoc etiam innuit Scotus in 1. dist. 40. vbi ait, quòd prædestinatus potest damnari in sensu diuiso. Adducit rationẽ, quia non est confirmatus in gratia; ergo ex Scoto, qui est confirmatus in gratia, non potest peccare, nec damnari. Differunt ergo, aliquem esse prædestinatum, & aliquem esse confirmatum in gratia.

D. Thom. D. Bonau. Alensis. Scotus.

Confirmatus non potest vllo modo peccare, prædestinatus verò, sed non confirmatus, peccare quidem potest, & damnari, vt dictum est.

Non datur aliqua ratio ex parte prędestinati, accipiendo prædestinationem pro electione ad gratiam primam, etiam secundum Scotum, & veritatem.
Caput Nonum.

118 Vidimus, asserendum esse, dari aliquam causã meritoriam ex parte prędestinati, accipiendo prędestinationem pro electione alicuius ad gloriã ęternam. Verum quia, vt diximus suprà in hac disp. ca. 1. & 2. communiter prędestinatio accipitur à plurib. Scolasticis pro electione ęterna alicuius ad gratiam in ordine ad gloriam; & longè aliomodo est respondendum, accipiendo prędestinationem, hoc secundo modo, quàm primo. Ideò quid sit dicendum de hac re, breuiter est explicandum.

119 Notandum est autem in primis, hanc quęstionẽ coincidere cum illa, An detur aliqua causa primę gratię ex parte hominis vocati. De qua fuit tota contentio inter D. Augustinum, ac Catholicos ex vna parte, & Pelagianos, & Semipelagianos ex alia parte; nam (vt superius dictum est) eo modo res temporaliter eueniunt, quomodo ordinatę fuerunt à Deo in ęternitate; quo fit, vt si Deus in tempore det suam primam gratiam gratis absque vllo merito illius, cui datur, etiã ab ęterno Deus decreuerit dare ei illam primam gratiam absque vllo merito: si autem in tempore Deus dat alicui primam gratiam ex meritis eius, sequitur necessariò in æternitate Deum decreuisse dare illi gratiam, siuè elegisse illum ad gratiam illam primam ex meritis illius præuisis. Ex hoc ergo conspicitur, quòd eadem est quæstio quærere, An detur aliqua causa prædestinationis ex parte prædestinati, accipiendo prædestinationem in hoc secũdo sensu; & quærere, An detur aliqua causa vocationis, siuè collationis primæ gratiæ ex parte vocati. Notanter autem dixi, primæ gratiæ, quia principalis difficultas est de prima gratia, de primis auxilijs datis à Deo homini ad iustificationem. Alij enim volunt, quod homo possit per vires proprij liberi arbitrij disponere se ad recipiendam gratiam, & facere bonum absque vllo auxilio, & gratia præueniente Dei. Alij, & hæc est catholica sententia, volunt, quòd homo ex se nullum possit, non solum facere, sed neque incipere bonum, sed gratia Dei sit prior, deinde nos, si volumus, subsequimur operando bonum ab illa excitati, & promoti. Cum autem hic quęritur, An detur aliqua causa prædestinationis, est sermo, non de finali, sed meritoria.

An detur aliqua causa primæ gratiæ.

120 Hic sunt tres opiniones. Prima est Hæreticorũ; reliquæ duæ sunt Catholicorum; sed vltima est verior, vt postea videbimus. Pelagius ergo, & Cælestius eius socius circa gratiam Dei, qua homo iustificatur, grauiter errauerunt. Primò absolutè negauerunt gratiam Dei, tàm habitualem, qua homo formaliter iustificatur, quæ à D. Augustino appellatur gratia remissionis peccatorũ, quàm auxilia diuina, quibus præparamur, & disponimur ad iustificationem, quæ à Theologis, & à Cõcilio Tridentino dicuntur gratia præueniens, & cooperans, siuè coadiuuans, de quibus agemus in materia de auxilijs, edenda, & dixerunt hominem solis naturæ viribus, absque vlla gratia, præterquam creationis, prædicationis, & præcepti, posse seruare totam legem, iustificari, in iustitia vsque ad mortem perseuerare, & gloriã consequi. Et quoniam videbant in Scriptura, gratiam requiri ad iustificationem, & operandum meritoriè. Respondebant, gratiam Dei, idest auxilium diuinum, esse quidem vtile ad iustificationem, & vt facilius operemur bonum, non tamen esse necessarium absolutè. Et insuper quando Deus hanc gratiam dat hominibus, illam dare intuitu meritorum liberi arbitrij. Hanc fuisse hæresim Pelagij colligitur ex epistolis D. Augustini pluribus, & ex eius libris contra Pelagianos, tum quibus acerrimè disputauit, sed præsertim ex epistula. 90. 95. & 105.

Heresis Pelagij, & Semipelagianorum.

Proce-

Hæresis Semipelagianorum.

121 Procedente autem disputatione D. August. contra Pelagianos, quibus ostendit, gratiam Dei esse necessariam absolutè, quidam recesserunt à Pelagio in duobus primis dictis, & retinuerunt tantum tertium, sed diuerso modo à Pelagio. Dixerunt enim, gratiam Dei, tàm habitualē, quam auxilia Dei præuenientia, & subsequentia, ac adiuuantia, ad iustificationem requiri, & concurrere ad iustificationem; & sic recesserunt à primo dictu Pelagij. Dixerunt etiam, gratiam, & auxilia diuina, non solum concurrere, & vtilia esse ad iustificationem, & operandum bonum, sed etiam esse simpliciter necessaria, ita quòd sine illis sit impossibile operari bonum, & hominem iustificari: tamen dixerunt, hæc auxilia, & gratiam nobis conferri à Deo non gratuitò, & ex mera sua liberalitate, sed ex meritis nostris liberi arbitrij; putabant enim in nobis esse quædam initia ex nostro proprio labore, absque gratia Dei per Christū, quibus inciperemus operari bonum; deinde Deus vidēs hæc initia, ipse largiebatur gratiam, & sua auxilia, vt possemus proficere, & iustificari: sine illis enim dicebant, conatus, & labores nostros esse irritos, & inanes; vnde hæc erat eorum communis propositio. Labori humano subiungitur gratia; conatus nostri (hoc est ex nostris viribus) irriti sunt, nisi gratia Dei adiuuentur, & promoueantur. Isti fuerunt Masilienses, & alij Episcopi, in Gallia, qui ab Hilario dicuntur de reliquijs Pelagianorum, & vulgo Semipelagiani dicuntur: quia ex Hæresi Pelagij solum vltimum dictum retinuerunt, in quo etiam discrepauerunt: quia Pelagius dicebat, initia illa ex libero arbitrio nudo esse merita de condigno gratiæ, & auxiliorum Dei; sed isti Semipelagiani dicebant, esse solum merita de congruo, quædam initia, & exordia, & conatus, qui nisi gratia Dei adiuuarentur, erant irriti. Cùm ergo isti sic loquerentur de gratia in tempore collata, eodē modo loquuti sunt de prędestinatione, prout est electio æterna Dei hominum ad gratiam, & gloriā. Nam Pelagius, qui nullam agnoscebat gratiam ad consequendum gloriam, dixit Deum prędestinasse homines ad gloriam ex meritis condignis liberi arbitrij puris, & homines illos, quibus in tempore conferebat gratiam (eo modo, quo Pelagius agnoscebat gratiam, scilicet publicationem Euangelij, &c.) Ex meritis condignis puris liberi arbitrij prædestinasse ad eandem gratiam in tempore, & ad gloriam. Semipelagiani verò dixerunt, Deum ab ęterno prędestinasse homines ad gratiā in tempore, & ad gloriam ex meritis liberi arbitrij puris, non tamen condignis, sed tantum congruis. Vndè Diuus August. in omnibus suis operibus contendit, gratiam, non solum concurrere ad operandum bonum, & iustificationem, sed necessariò, & simpliciter concurrere. Et non solum hoc (quod procedit contra Pelagianos) sed etiam gratiam, & auxilium diuinum pręcedere, & incipere, & liberum arbitrium subsequi, quod procedit contra Semipelagianos. Hoc autem secundū maximè docet in libris de prędestinatione Sanctorum, & de gratia, & libero arbitrio, pręsertim cap. 5. & 6. cuius verba adducemus disp. de auxilijs.

Hæresis Pelagij de paruulis.

122 Quoad paruulos, errauerunt etiam Pelagius, & & Semipelagiani, sed differenter. Nam Pelagius negauit, paruulos nasci in peccato originali; subiunxit tamē, illos egere Baptismo ad hoc, vt possent consequi gloriā æternam, sine Baptismo enim (dicebat ipse) habuissent quandam vitam fęlicem quidem, non tamen habuissent visionem beatificam. Et hoc colligitur ex Concilio Mileuitano, & Arausicano secundo, & ex Diuo Augustino lib. de peccatorum meritis, & remissione cap. 18. & 20. de qua re Scotus in 4. distinct. 4. quæstio. 1. sed breuiter.

Hæresis Semipelagianorum de paruulis.

123 Semipelagiani verò dixerunt, paruulis, qui in infantili ætate decesserunt, concessum, aut negatum fuisse Baptismum, quo saluarentur, vel sine quo damnarentur propter opera bona, vel mala, quæ si vixissent, facturi erant; sunt tamen qui contendunt, hunc errorem fuisse quoque Pelagij. Sed quicquid sit de hac re, qui in istū errorem inciderunt, ex eo in illum inciderunt, quia dicebant, homines prædestinatos fuisse ad gratiam, & gloriam ex meritis præuisis liberi arbitrij, quæ in vita erāt facturi. Cum autem hoc non posset verificari de paruulis, qui in infantili ætate, non percepto Baptismo, moriuntur, quia nulla habebant merita futura, confugerunt ad hoc, vt dicerent, Deum præsciuisse, quæ opera essent facturi illi paruuli, si superuixissent; & ideo propter illa opera bona eis concessisse Baptismum; illis verò, quos præuidebat, si vixissent, non facturos esse opera bona, sed potius mala, non concessisse, vt cum Baptismo morerentur.

Error Pelagij vbi dānatur.

124 Error Pelagij de paruulis, quod attinet ad peccatum originale, scilicet quod in peccato originali non nascantur, damnatus est in Concilio Mileuitano, can. 2. & Arausicano 2. can. 2. & nouissimè in Concilio Tridentino sess. 5. Sententia verò Semipelagianorum de paruulis, existimatur error manifestus à D. Aug. lib. 1. de prædestinatione Sanctorum cap. 12. & 13. & libr. de bono perseuerantiæ capitul. 9. & 10. & epistola 105. & 106.

125 Error Pelagij de adultis, damnatur in Concilio Mileuitano can. 3. 4. & 5. Error verò Semipelagianorum de adultis, damnatur in Cōcilio Arausicano 1. can. 6. nam tempore Pelagij hic error nondum erat manifestus; ideo de illo non fit mentio in Concilijs Mileuitano, & Arausicano primo, sed in secundo Arausicano, quòd propter hunc errorem damnandum, fuit congregatum.

Quosdam Patres cōsēsisse Semipelagianis aiunt nonnulli.

Dimissis erroribus circa paruulos, & dimissa hæresi Pelagianorum, sunt, qui censeant, multos Patres, & Scolasticos sensisse cū Semipelagianis, vt Gabriel Vasquez p. p. disp. 91. cap. 8. & 9. ex Sixto Senensi, Osorio, & alijs, & præsertim D. Ioannem Chrisostomum homilia 42. in Genesim, & homilia 17. in Ioannem, & homilia 12. in epistola ad Hebręos, Gregorium Nazianzenum, item Cyrillum, Clementem Alexandrinum, Damascenum. Etiam ex Latinis D. Ambrosium, Hieronymum, & alios. Ex Scolasticis, Gabriel Vasquez p. p. disp. 91. dicit, Scotum in 4. dist. 14. quæst. 2. §. *de secundo*, &c. in hac sententia fuisse, & hoc accepit ex Soto in lib. de natura, & gratia, vt diximus in materia de iustificatione in 4. Item Caietanum in opusculis tomo primo tractatu 4. quæst. 1. Durandum, Richardum in 2. dist. 28. Gabrielem 2. dist. 27. & omnes illos, qui tenent illam propositionem, *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam*, veram esse de viribus naturæ, idest facienti, quod in se est viribus naturæ, Deus non denegat gratiam, quam sic intelligunt multi ex Recentioribus.

Defenduntur Patres ab hoc errore.

126 Verum, quòd isti Sancti Patres non consenserint Massiliensibus, & Semipelagianis ostendimus, & in quarto agendo de pœnitentia disput. 15. quæ est de merito de congruo, & fusè probant multi ex Recentioribus, præsertim Franciscus Suarez lib. 2. de causa prædestinationis, cap. 8. & equidem ego in eadem sententia sum; neque enim mihi persuadere possum, quod D. August. ita enixè oppugnasset Semipelagianos, & contendisset, primam gratiam, nō ex nobis, sed ex ipso Deo gratis nobis dari, si cognouisset, hoc aduersari Sanctis Patribus, & Græcis; & præsertim quia epistola 106. circa finem absolutè ait, Catholicam Ecclesiam semper tenuisse doctrinam, quam ipse defendebat, scilicet quod prima gratia gratis à Deo conceditur. Quod verò spectat ad Sanctos Patres, qui pręcesserunt tempora Pelagij, & D. August. cum quibus, occasione hæresis Pelagij, hæc materia optimè fuit discussa, non est mirum, quod ipsi hanc quæstionem nō adamussim explicauerint immò; & sæpè multa verba protulerint ambigua; vt sunt verba D. Io. Chrisostomi: nam, vt ait Franciscus Suarez vbi suprà, Sancti Patres imitabantur modum loquendi

Scripturæ; scriptura autem ita loquitur, vt aliquando gratiæ omnia tribuat, vt patet in omnibus auctoritatibus, quas pro se D. August. adducit; interdum ita loquitur, vt videatur Deus initium boni operis postulare à libero arbitrio, vt sunt, illud Esaiæ 30. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Et Regum 3. *Præparate corda vestra Domino.* Et Psal. 118. *Præueni in maturitate, & clamaui.* Et illud. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,* & multa similia, quæ etiam Concil. Trid. affert sess. 6. tamen istę auctoritates secundi generis non inferunt, exordium nostræ salutis, & prędestinationis esse à nobis, sed solum nos admonent nostræ libertatis, vt docet Sacrum Concilium Tridentinum ibidem. Ita Sancti Patres cum dicunt, præuenire Deum, Deum nos expectare, &c. non volunt inferre, exordium nostræ salutis esse ex nobis, & ex viribus puri liberi arbitrij, ita quod Deus nobis postea gratiam conferat intuitu illorum bonorum nostrorum liberi arbitrij, factorum sine gratia Dei per Christum. Et hoc est illud, quod ait ipsemet D. August. lib. de prædestinatione Sanctorum c. 14. vbi habet hęc verba. *Quid opus est, vt eorum scrutemur opuscula, qui prius quàm hæc hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili quæstione versari, quod proculdubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Vnde factum est, vt de gratia Dei, quid sentirent, breuiter, & transitoriè attingerent.* Et confirmatur: quia alibi isti Sancti Patres apertè docent, gratiam Dei nos præuenire. Basilius hom. 22. de humilitate, ait. *Nihil tibi relictum est ò homo, de quo gloriari possis.* Et infrà. *Tibi non innotuit Deus per tuam iustitiam, sed tu illi per suam bonitatem.* Cyrillus Hierosolimitanus Cathechesi prima. *Nè speras gratiam, quia gratis datur.* Et D. Io. Chrisostomus, qui præsertim Semipelagianis fauisse videtur, homilia 12. in primam ad Corinthios in illa verba. *Quid habes, quod non accepisti?* ait. *Acceptum habes, non hoc, vel illud, sed omnia, quæ habes; non enim hæc rectè facta tua sunt, sed diuina gratia; etiam si fidem dicas, ea extitit ex vocatione.* Et hom. 38. egregiè ostendit, quomodo fides, & petitio Chananeę à gratia initium habuerit. Marcus Eremita etiam in libro de Paradiso, & lege spirituali egregiè declarat suam intentionem de gratia ferè in principio, prout refert Suarez, his verbis. *Primo omnium certò scimus, Deum totius boni esse auctorem, principij, tùm medij, tùm finis,* quod rectè per octo capita sequentia explanat, & cap. 40. *Omnis virtutis initium Deus est.* Et cap. 47. *Omne bonum proficiscitur à Deo pro nutu dispensante.* Et homil. 17. in Genesim versus finem egregiè declarat, quomodo per diuinam gratiam fides hominibus suadeatur; & cum proposuisset multa impedimenta, subdit hæc verba. *Præuia gratia substulit hæc omnia.*

Ideò, cum ait hom. 17. in Ioannem, Deum suis beneficijs nos non præuenire, sed à nobis incipiendum esse; & hom. 12. in epistolam ad Hebreos, ait, nos eligere primùm, quæ bona sunt, & tunc Deum introducere, quę sua sunt, est interpretandus cum Sixto Senensi, eum loqui, non de gratia pręueniente, sed iustificante: neque enim Deus, postquam vocauit nos, donat gratiam iustificantem, quæ est habitualis, & alia sua dona, nisi nos nostro libero arbitrio consentiamus gratię prçuenienti; sed si assentimus, tunc dat gratiam sanctificantem, & reliqua dona: neque enim Deus vult inuitos nos saluare, & nobis dare sua dona: vnde Chrisostomus ibidem subiungit hęc verba. *Non antecedit nostras voluntates, nè lædatur arbitrium; cum autem nos elegerimus, tunc nobis multam affert auxiliationem.* Quę verba optimè ostendunt, Chrisostomum loqui ad modum loquendi scripturarum, & consequenter iuxtà expositionem Sacri Concilij Tridentini, illis auctoritatibus nos admonere nostræ libertatis in assentiendo, non autem innuere, initium nostrarum operationum esse ex nobis, cum oppositum alibi docuisset, vt diximus. Et hoc modo explicandæ sunt auctoritates aliorū Sanctorum Patrum, vt Hieronymi dialogo terno cōtra Pelagianos, vbi habet hæc verba difficiliora. *Nostrum sit rogare, illius tribuere, nostrum incipere, illius perficere,* cum doceat alibi, initium omnis boni esse ex gratia Dei. Nec obest, quòd Cassianus Dux Massiliensium, discipulus Chrisostomi tūc intellexisset Chrisostomum, neque hanc hæresim defendisset, quoniam, vt diximus, D. Chrisostomus hanc materiam de gratia non tractauit exactè, quia non aderat hæresis Pelagianorum, neque de hac re Cassianus cum Chrisostomo fortasse habuit exactam disputationem, sed solum fuit instructus à D. Chrisostomo transitoriè, prout res expostulabat. Cum autem quæstio ista cępit exagitari, & loca Chrisostomi sint difficilia, & sentētia D. August. videretur illi dura, ipse deuenit in eam sententiam, & putabat, se sequi doctrinam D. Io. Chrisostomi. Si ergo Io. Chrisostomus tractasset hanc quæstionem, post exortam hæresim Pelagij, concluderet hoc argumentum, sed cum D. Chrisostomus præcesserit, nihil officit.

117 Quò ad Scolasticos verò, fusè ostendi in 4. dist. 14. quæst. 2. explicando mentem Scoti, circa materiam contritionis, & attritionis, falsò ei ascribi errorem Semipelagianorum. De Caietano verò, & alijs ibidem disseruimus. Pro nunc satis sit, quod ego puto, eos errare, qui asserunt, illam propositionem esse veram. *Facienti, quod in se est viribus naturæ Deus non denegat gratiam,* quia, vt dicam infrà, ad omne opus bonum requiritur auxilium diuinum, quod ab alijs appellatur auxilium speciale supranaturale, à Scoto auxilium commune, siuè influentia generalis.

Scotus defenditur ab hæresi Semipelagianorum.

128 Dimissis ergo Hæreticis, Catholici sunt in duplici discrimine. Quidam dicunt, Deum in tempore dare primam gratiam aliquibus, quia præuidit illos benè vsuros gratia; & sic merita bona præuisa sunt causa electionis ad primam gratiam, non quidem causa meritoria propria, sed causa congruitatis; & sic prædestinatio, quatenus est electio prædestinati ad gratiam, habet causam ex parte rei. Hæc sententia est Alexandri de Ales p. p. q. 28. m. 3. ar. 3. licèt videatur eam reuocare 3. p. q. 61. m. 5. art. 2. & 3. sed si benè consideretur Alexander non est sibi contrarius, & potest redigi ad bonum sensum. Et eiusdem videtur esse Albertus in 1. dist. 41. art. 3. Alij parum ab istis dissentientes, dixerunt, bonū vsum liberi arbitrij prçuisum, esse causam sine qua non, siuè conditionem, sine qua non, vt Henricus quolib. 4. q. 19. & Recentiores aliqui, quorum quidem opinio distat à Semipelagianis, & Pelagianis; quia isti, licet dicāt, primam gratiā dari ex meritis præuisis, siuè ex bono vsu præuiso liberi arbitrij, non dicunt tamen, illum bonum vsum fore sine gratia, & auxilio Dei; neque ponunt merita illa, siuè illā congruitatem esse ex libero arbitrio puro, sed ex gratia. Dicunt enim quod quia Deus videt, quod si cōferat auxilium tale Petro, Petrus operabitur bonum, ideò Deus Petro confert istam primam gratiam, vt possit operari bonum. Pelagiani verò, & Semipelagiani non admittebant bonum vsum liberi arbitrij ex gratia, sed bonum vsum liberi arbitrij sine gratia. At isti Scolastici dicunt, bonum vsum cūm gratia, siuè bonum vsum gratiæ, esse rationem prædestinationis, idest, assensum liberi arbitrij ad gratiam præuenientem, esse rationem prædestinationis.

Prima sententia catholicorū, Alexandri de Ales, Henrici, & aliorum.

129 Pro hac sententia arguitur. Quia non obest, quòd aliquis Rex det equum militi propter bonū vsum, quem sperat ex milite. Hanc sententiam in simili tenet Magister sent. in 2. dist. 5. vbi tenet, Angelos meruisse beatitudinem per opera sequentia beatitudinem. Hanc rationem, & sententiam impugnant ibi Scotus, & alij, vt diximus in 2. sent. dist. illa, quæst. 1. disput. An angeli meruerint sibi beatitudinem, quia tunc gratia, non esset gratia, quia esset ex meritis, vt ait ibi Scotus. Nec valet dicere, esset ex meritis gratiæ, quia prima gratia, &

Fundamentum huius opinionis.

Magister sent. Reijcitur.

gratia

gratia ſimpliciter, & propriè nullum habet meritum, nec gratiæ, nec liberi arbitrij puri: & ideò hęc ſententia, licet non ſit hęretica, tamen eſt falſa, & contra principia Theologica communia. Ex hoc fuit fundamentum Alexandri, quia ſupponit, quod gratia poſſit haberi ex meritis, quod eſt falſum.

Alia ſententia Catholicorum, ſed vera.

130 Alia eſt ſententia catholica, & communior plurium Scholaſticorum, & Patrum, & præſertim D. Auguſtini in operibus contra Pelagianos, & Semipelagianos, ſcilicet quod prædeſtinatio, ſiuè electio hominum ad primam gratiam, & ad auxilium diuinum, nullam habeat cauſam ex parte prædeſtinati, non ſolum meritoriam de condigno, ſed nec de cōgruo, aut ſine qua nō, ſed ſit omnino liberalis, & gratuita. Quam ſententiam tradunt D. Thomas p. p. quæſt. 23. art. 5. & prima ſecundæ quæſt. 109. art. 6. Gregorius de Arimino 1. ſent. diſt. 41. quæſt. 1. & Thomiſtæ ferè omnes. Driedo in opuſculo de concordia liberi arbitrij, & prædeſtinationis p. p. cap. 3. & Alij. Nec diſſentiunt D. Bonauentura in 4. diſt. 15. p. p. art. 1. quæſt. 5. iuxta ea, quæ ſuprà diximus de eius mente circa prædeſtinationem; quia nunquam dixit, primæ gratiæ dari aliquam cauſam, ſed ſolum gratiæ iuſtificationis. Eiuſdem ſententiæ eſſe Scotum oſtendimus in quarto diſt. 14. agendo de contritione; quicquid dicant Vaſquez, Soto, & alij aduerſarij ibidem citati, pro nunc hæc ratio ſufficiat. Idem ordo ſeruatur in æterna electione ad gratiam, qui in temporali collatione gratiæ ſeruatur: at Deus in tempore confert ſuam primam gratiam ſine vllis meritis noſtris, vt apertè concedunt omnes Theologi, & fatetur Scotus præſertim in 2. diſt. 5. quęſt. 1. in confutatione opinionis Magiſtri ſententiarum; ergo æterna electio ad gratiā, quam nunc appellamus prædeſtinationem, non eſt ex aliquibus meritis præuiſis, neque etiam de congruo ex parte prędeſtinati. Eandem ſententiam tenet Scotus in 3. diſt. 19. §. *Contra hunc modum.* Vbi ait, Chriſtum meruiſſe omnibus primam gratiam; ergo ex Scoto illa non confertur nobis ex meritis noſtris præuiſis.

D. Thom. Gregor. de Arimino. Driedo. S. Bonau. Scotus.

131 Cęterum, hic etiam animaduertendum puto, quòd gratia eſt duplex. Alia eſt ſufficiens, alia verò eſt pluſquam ſufficiens, quam poſſumus appellare efficacē; non quia prædeterminet Phyſicè, vel moraliter, vt in diſputatione de auxilijs edēda, dicam; ſed quia eſt adeò vehemens, vt infallibiliter impellat liberum arbitrium ad aſſentiendum, licèt poſſit reſiſtere potentia vera, & reducibili ad actū. Licet ergo nō detur cauſa collationis gratiæ ex parte prędeſtinati, tñ videtur dari aliqua cauſa licet occultiſſima, cur Deus huic det maiorē gratiā, quā alteri. Et hęc eſt quęſtio illa, quæ communiter quæritur, Cur Deus non dat omnibus reprobis gratiam adeò vehementem, vt etiam illi ſaluentur: ſi enim Deus vellet dare eis talem gratiam, quæ ei reſiſtere nō valerent, nulli dubium eſt, eam poſſe dare; cur ergo eam non datur? Reſpondēdum itaque puto, dari aliquam cauſam propter quam Deus dat electis gratiam pluſquam ſufficientem, non autem reprobis, ſed eam non eſſe aliquid ex parte prędeſtinati, vel reprobati, tamen adeſſe aliquam cauſam rationabilem, ſed occultam.

Notabile valde obſeruandum pro alia ſolutione huius quæſtionis.

132 Hanc partem, ſcilicet quod detur aliqua cauſa collationis huiuſmodi gratiæ electis, non autem reprobis, probo auctoritate expreſſa D. Auguſt. lib. 1. ad Simplicianum quęſt. 2. in fine vbi habet hæc verba. *Sit igitur hoc fixum atque immobile in mente, ſobria pietate, atque ſtabili fide, quòd nulla eſt iniquitas apud Deum, atque ita tenaciſſimè firmiſſimeq; credatur idipſum, quod Deus, cuius vult, miſeretur, & quem vult, obdurat, hoc eſt cuius vult miſeretur, & cuius vult non miſeretur, alicuius occulto atque ab humano modulo ineſtigabilis æquitatis, quæ in ipſis rebus humanis terreniſque contractibus animaduertenda eſt,* &c. Dicit ergo, collationem gratię efficacis non eſſe voluntariam, & ſine vlla ratione, ſed ex æquitate procedere, quia apud Deum non eſt iniquitas; & deinde dicit, hanc æquitatem eſſe, quia Deus nulli eſt debitor ſuæ gratię, ideò eam poteſt dare cui vult abſque iniuſtitia: ſicut in contractibus humanis creditor poteſt exigere debitum ab vno debitore, non ab alio, ſed illud ei dimittere abſque vlla iniuſtitia.

133 Sed deindè arguit cōtra ſe, quia dum Deus non dat ſuam gratiam, videtur obdurare peccatores, & eſſe cauſa peccatorum. Reſpondit quod Deus non eſt cauſa peccatorum, quia neminem impellit ad peccādum: miſericordiam autem, & gratiam non dat ijs, propter occultiſſima iudicia. Verba eius ſunt. *Eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe præbendam æquitate occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima, iudicat, inſcrutabilia enim ſunt iudicia eius, et inueſtigabiles viæ eius.* Et tractatu ſcilicet in Ioan. inquit. *Sic enim excæcat, ſic obdurat Deus deſerendo, & non adiuuando, quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt. Hoc omnino pietas religioſorum inconcuſſum debet, inuiolatumque ſeruare, ſicut Apoſtolus dicit cum eandem ipſam tractaret difficilimam quæſtionem. Quid ergo dices (inquit) nunquid iniquitas eſt apud Deum? abſit. Si ergo abſit vt iniquitas ſit apud Deum, ſiuè quando adiuuat, miſericorditer facit, ſiuè quando non adiuuat, iuſtè facit, quia omnia non temeritate, ſed iudicio facit. Porrò ſi iudicia Sanctorum iuſta ſunt, quantò magis iuſtificantis & ſanctificantis Dei? iuſta ergo ſunt, ſed occulta.* Et multa ibi ſimilia perſequitur, ex quibus arbitror ego, auctoritates D. Pauli, Sacræ Scripturæ, & D. Auguſt. aſſerentes, nullam eſſe cauſam collationis gratiæ. Primò, eſſe intelligendas ex parte illius, cui confertur gratia, non autem eo quia abſolutè nulla detur cauſa diuerſitatis huius collationis reprobis, & electis. Secundò puto omnes illas auctoritates. *Non eſt volentis nec currentis, ſed miſerentis Dei,* &c. Et *antequam quicquam boni feciſſent, vel mali,* &c. intelligi debere non de quęſtione communiter tractata. An prædeſtinationis ad gloriam detur aliqua cauſa ex parte prædeſtinati: nec de quæſtione à Recentioribus exagitata. An gratia prędeterminet Phyſicè, vel moraliter liberum arbitrium, vt dicam in diſputatione de auxilijs; ſed puto propriè pertinere ad has duas quæſtiones. Prima. Cur Deus non dat omnibus, etiam reprobis, tantam gratiam, vt omnes ſaluentur. Secunda eſt. An illis, quibus eā dat, det ex proprijs meritis. Per illas enim auctoritates optimè ſatisfit his duabus quęſtionibus. Reſpondetur enim ad primam. Quia ſibi non placuit. Non placuit autem propter occulta iudicia. Ad ſecundam verò, reſpondetur abſolutè negatiuè, ſcilicet quod nō dat gratiam propter aliqua merita eius, cui datur, ſed ex ſua miſericordia, & aliqua iuſta, ſed occulta cauſa.

134 Nunc redeundo ad opinionem cōmunem, hæc probatur pluribus auctoritatibus Sacræ Scripturæ, quas adducit, & explicat latè D. Auguſt. in libris de prædeſtinatione Sanctorum, de gratia, de libero arbitrio, de bono perſeuerantię, & alibi.

Sententiæ communis proſecutio.

135 Primò. 1. Corinthiorum 4. habetur vbi D. Paulus habet hęc verba. *O homo quis eſt qui te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Quem locum D. Aug. latiſſimè tractat 1. de prędeſtin. Sanctorum cap. 4. & 5.

136 Item in epiſtola ad Romanos cap. 9. *Dicis itaque mihi, quid adhuc quæritur? voluntati enim eius, quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo, nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in cōtumeliam?* Iſaias cap. 65. inquit. *Inuentus ſum à non quęrentibus me.*

137 Ad Romanos cap. 9. *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſent, Iacob dilexi. Eſau autem odio habui.* Et infrà. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Maior ſeruiet minori.* Et denique omnes auctoritates adductæ ſuperius in hac diſputatione concludunt pro

hac sententia, vt patebit in Responsione ad illas.

Ratio ex D. Paulo. 138 Vltimò confirmatur hęc sententia ratione, & auctoritate D. Pauli ad Galatas 2. & 3. & ad Romanos 3. & 4. Sed maximè cap. 11. vbi habet hęc verba. *Si autem gratia iam non ex operibus, alioquin gratia non esset gratia*. Si gratia prima, qua primò mouemur ad iustificationem, daretur ex operibus, vel ex aliquibus congruitatibus ex parte prędestinati, iam illa gratia non esset gratia, sed premium; quia illa gratia esset debita illi, cui datur propter illa sua bona opera. At natura, & essentia gratię siuè auxilij diuini, quod gratia dicitur, & est propriè, & verè, vt omnino ab ipso donatore gratis detur; ergo est impossibile, quod prędestinatio accepta pro electione ad primam gratiam fiat ex meritis prędestinati. Multę alię rationes afferri possent, sed istę sunt fundamentum aliarum omnium.

Rationes pro Semipelagianis adducuntur, & soluuntur. 139 Obiectiones autem pro Pelagianis, & Semipelagianis facilè soluuntur, sunt autem præsertim hę. Primò si Deus non confert gratiam alicui intuitu alicuius boni motus eius, sed pro vt placet ipsi Deo; ergo Deus infert vim libero arbitrio. Consequētia probatur: quia

1. Ratio. non erit in nostra potestate fieri gratos Deo, & iustificari, sed solum in voluntate Dei. Falsitas consequentis, est euidens.

Solutio. 140 Respondetur. Libertatem arbitrij nostri non cōsistere in posse operare bonum opus antè gratiæ collationum, sed in assentire, & dissentire, vt docet Conciliū Tridentinum sess. 6. cap. 5. vbi ait exordium iustificationis incipere à Deo, nos verò liberè eidem assentire, & dissentire; & sic non tollitur ratio meriti ab opere; nec Deus est acceptor personarum, nec regit per modū Tirrannidis, quia scilicet semper est in libertate liberi arbitrij assentire, & dissentire. Neque sequitur, non esse in potestate hominis, se saluare, & non saluare, quia in potestate cuiuslibet hominis est assentire, & dissentire, cum quilibet homo habeat liberum arbitrium. An verò det alicui maiorem gratiam, per quam saluetur, & alteri minorem, per quam non saluatur est alia quæstio, de qua in propria disputatione in materia de gratia, & auxilijs diuinis dicemus.

2. Ratio adducitur, & soluitur. Secundò. Frustra fieret oratio, vt Deus nobis det suā gratiam, hoc est absurdum; ergo frustra etiam homines corriperentur, aut hortantur ad bonum: quia gratia non esset in potestate illorum. Quam obiectionem latè Diuus Augustinus tractat in libr. de correptione, & gratia.

Solutio. 141 Respondetur. Non valere consequentiam, quia oratione nostra non possumus quidem nobis mereri primam gratiam, quia oratio ipsa est ex gratia Dei; sed valet ad merendum gratiam habitualem, vel aliquam gratiam secundam, vt perseuerantiam, vel aliquod aliud bonum. Quo ad alios verò potest esse causa meritoria, & impetratoria primæ gratiæ; & tunc illa prima gratia illi, cui impetratur, non impetratur ex meritis suis proprijs, sed ex meritis alterius, quæ merita sunt gratia respectu illius, cui gratia confertur: nam fuit gratia, & fauor Dei, quod iste oraret pro illo, cuius oratione ille conuersus fuerit, vt oratio Stephani pro Paulo: ita quòd gratia Pauli prima, fuit secunda respectu gratiæ Stephani. Non est autem inconueniens, secundam gratiam cadere sub merito, vt dictum est agendo de merito de congruentia 4. Similiter exhortatio, & correptio non est frustra, quia omnibus Deus dat auxilia sufficientia, quibus possint assentire, vt dicam in materia de auxilijs. Præterea ipsa correptio sæpè est auxilium ipsi, & medium, quo vtitur Deus ad iustificandum aliquem, & ad aperiendum illi aures.

3. Ratio soluitur. 142 Tertiò. Videtur sequi, quod si Deus ex seipso cōfert gratiam, & prædestinat hominem ad gratiam, cum prædestinet hunc, & non illum, vt Petrum, & nō Iudam, quod Deus prædestinet aliquos ad malum; nec omnes habere vnde saluentur; quod est damnatum in Cōcilio Valentino sub Lothario Imperatore cap. 3. & Arausicano secundo can. 25. quod argumentum obijciebant D. Aug. Masilienses, vt patet in lib. de articulis D. Aug. falsò adscriptis art. 11.

143 Respondetur vt suprà, Deum omnibus dare verè sufficientia auxilia, vnde omnes possunt saluari: An verò aliquādo Deus destituat aliquos homines propter sua peccata in aliquo tempore auxilio sufficienti, est quęstio grauis, de qua infrà, cum de reprobatione agetur. Certum est, quod omnibus Deus dat auxilia verè sufficientia, quibus saluari possunt; quod si postea aliquis illa despicit ita aliè, vt Deus in posterum illum derelinquat, est aliud negotium (licet sententia affirmans, Deum quantuncunque grauem peccatorem non derelinquere auxilijs necessarijs, sit verior sententia, vt infrà videbimus.) Non ergo sequitur, Deum hunc prædestinare, & alium reprobare quantum est ex se, & ratione gratiæ præuenientis, quia omnibus sufficientem gratiā dat, licet alicui prædestinet gratiam magis efficacem, alteri minus: quia, vt infrà dicam in materiæ de istis auxilijs, & gratijs, quod gratia sit efficax huic, & non illi, oritur quoque ex libero arbitrio. Vndè nota, hoc argumentum habere vim contra illos, qui distinguūt gratiam efficacem à sufficienti, tanquam duo diuersa genera gratiæ, quorum vnum sit efficax ex propria natura, alterum sufficiens de propria natura, sed quod nunquā habeat effectum, de qua re longo sermone in propria disputatione, Vtrum duo in æquali gratia constituti, vnus possit saluari, & alius damnari, quæ est propriè materia de auxilijs. Solutio.

Rationibus tertio capite adductis satisfit, prius adhuc magis explicata mente D. August. & quibusdam eius auctoritatibus. Caput Decimum.

144 QVoniam hæc nostra sententia magis confirmatur ex solutione obiectionum in contrariū & præsertim ex declaratione auctoritatum adductarū in oppositum, & mentis D. August. qui totus est in hac disputatione, licet superius declarauerimus, quænam ipsius mens fuerit; tamen huc breuiter est aperiendum quid ipse senserit: perspecta enim mente D. August. etiā patebit sensus auctoritatum Sacræ Scripturæ, quas ipse tantum exagerat, & ponderat, quæ aduersarijs fauere videntur.

145 Notandum est ergo in primis, vt suprà dictum est, quod D. Augustinus non confundit electionem ad vitam æternam cum prædestinatione, sed illas distinguit. Duplex est enim electio. Altera est ad vitam æternam; & hæc nunquam appellatur prædestinatio à D. August. & secundum ipsum fit ex meritis, vt suprà cap. 7. diximus. Altera est electio ad primam gratiam, mediante qua electus consequitur vitam æternam; & hæc appellatur à D. Aug. electio gratiæ, siuè prædestinatio ad gratiam. Vnde lib. 1. de prædestinatione Sanctorū cap. 10. ait. *Inter gratiam porrò, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, (scilicet in præscientia Dei) gratia verò est ipsa donatio*. Quando ergo legimus in D. August. homines esse prædestinatos ex meritis, & operibus, & apud alios Patres, intelligendum est de operibus, non ex puro libero arbitrio, sed de meritis gratiæ & de electione, & prędestinatione ad gloriam. Quando verò legimus, homines esse electos, & prædestinatos gratis, & sine meritis, intelligendum est de electione, & prædestinatione ad gratiam, non ad gloriam. Quod magis ostenditur ponderando quasdam auctoritates eius, quæ aduersarijs maximè fauere videntur.

146 Prima auctoritas fit ex lib. 2. de bono perseuerantiæ cap. 14. vbi loquens de Tyrijs, & Sydonijs habet hæc verba. *Sed quoniam, vt crederēt, non erat eis datum, etiam vndè crederent, est negatum: ex quo apparet habere* 1. Auctoritas quæ videtur cōtraria nobis.

quosdam

quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiori iudicio a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinationis discreti: nec ipsa eis adhibentur, vel diuina dicta, vel facta, per quæ possent credere, si audirent vtique talia, vel viderent. Dicit ergo apertè D. Augustinus, quod aliqui habent naturale ingenium acutum ita, quod possent credere, si dicta, vel facta congrua, per quæ possent credere, illis præstarentur à Deo; attamen Deus hæc dicta, & facta illis non præstat, quia non sunt discreti à massa perditionis prędestinatione gratię. Ex hoc infertur, prædestinatis auxilia congrua dari, quia iam Deus ab æterno voluntate efficaci decreuerat electis dare gloriam æternam; adeò quòd collatio gratiæ in tempore est propter decretum efficax dandi gloriam illis electis.

Solutio. Respondetur quod solutio est facillima; nã D. Augustinus ibi loquitur de prędestinatione, seu decreto dandi gratiam non dandi gloriã: nam priusquã Deus actu conferat gratiam in tempore, decreuit ab æterno illam gratiam conferre illis gratis, & illa fuit prædestinatio. Vnde notanter apposuit illud verbum. *A perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti.* Non dicit, gloriæ prædestinatione, sed gratiæ. Non sequitur autem ex hoc, quod Deus ab æterno decreuerit dare in tempore gratiam, quia Deus prius efficaciter decreuerit dare gloriam illis quibus dat illam gratiam; neque hoc habetur ibi à D. Aug. solum habetur ibi, quod etsi aliqui habeant ingenium aptum ad faciendum bonũ, tamen si Deus ab æterno non prædestinauit dare illis gratiam in tempore, qua hæc opera bona efficiant, illa non efficient.

2. Auctoritas. 147 Secundus locus sit ex lib. de correptione, & gratia cap. 7. Vbi postquam ostendit, electionem factam esse ante opera, habet hæc verba. *Horum si quisquam perit, fallitur Deus, sed nemo eorum perit: quia non fallitur Deus.* Et paulò infra. *Illos ergo elegit ad obtinendũ regnum suum.* Ergo videtur, quod D. Augustinus asserat, electionem ad gloriam esse prædestinationem, quæ est sine meritis.

Solutio. Respondendum est, vt suprà, quod loquitur de electione ad gratiam, ad quam homines sine meritis eliguntur, non de electione ad gloriam: nã supra in eodem cap. manifestè se declarat loqui de electione ad gratiam: paulò enim antè eodem cap. dixerat. *Profectò electi sunt per electionem, vt dictum est, gratię, non præcedentium meritorum suorum; quia gratia est illis omne meritum.* Et superius dixerat. *Qui elegit eos in filio suo ante constitutionem Mundi per electionem gratiæ: Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.* Ex his patet, quod non loquitur de electione ad gloriam: quia non negaret, illam ex meritis gratię dari, nec diceret si ex operibus gratiæ, iam non est gratia. Eligit ergo Deus electos ad gratiam gratis; ad gloriam verò, mediante gratia, & meritis per illam acquisitis.

3. Auctoritas. 148 Tertius locus adductus à Suarez lib. 2. de causis prædestinationis, cap. 23. est D. August. lib. de bono perseuerantiæ cap. 9. ponit duos homines vocatos vocatione congrua ad fidem, & sanctitatem æqualem pro aliquo tempore, quorum vnus perseuerat, & saluatur, alter verò nequaquam, & damnatur. Quærit deinde D. Aug. causam primam, & radicem huius euentus disparis: & respondet in hæc verba. *Quoniam non erant alia quadam discretione discreti, scilicet à massa perditionis.* Quæro quæ sit ista discretio: non opus bonum, scilicet consensus vnius, & non alterius, quia sic potuisset facilè respondere D. August. quod fuit bonus vsus liberi arbitrij. Præterea supponimus, quod isti duo sint ęquales in operibus ante lapsum alterius; ergo non fuerunt causa huius discriminis opera bona, vel mala, sed quædam alia occulta discretio, & prædestinatio Dei, scilicet quia Deus hunc elegerat ad gloriam, non illum: vnde subdit. *Quod vnus fuit vocatus secundum propositum, non verò alius.* Et confirmatur, quia per illum propositum Dei non potest intelligere D. Augustinus propositum dandi gratiam, quia in hoc erant æquales; ergo intelligit, quia non erat electus ab æterno ad gloriam; & sic decretum gloriæ efficax præcedit electionem ad gratiam, & est causa electionis, & prædestinationis ad gratiam; ergo ex D. Aug. electio, & prędestinatio non est solum ad gratiam, sed primò ad gloriam.

149 Respondetur, vt suprà, quod loquitur de electione, & prædestinatione ad gratiam, non ad gloriam. Solutio. Et cum ait Suarez, quod isti erant æquales in vocatione, Concedo, quod erant ęquales in prima vocatione, & in alijs fauoribus, & gratijs vsque ad perseuerantiam in vno, & peccatum in alio, sed tunc discreti sunt: quia, qui habuit perseuerantiam, habuit maiorem gratiam, quã alter, qui non habuit perseuerantiam; & sic non fuerunt æquales in tota vita in gratia; ergo erant discreti in prædestinatione ad gratiam, licet non essent discreti in prima vocatione, & in prima gratia. Et hoc est propositum Dei, secundum quod dicit D. Aug. qui perseuerauit, fuit vocatus; qui verò non perseuerauit, non fuit vocatus. Neque D. August. potest negare, quod ille, qui perseuerat vsque in finem, non habeat vitam ęternam, quia cõsensu suo libero arbitrio, quo poterat dissẽtire, alioquin tolleret liberi arbitrij concursum, quod alienissimum esse ab eius mente suprà ostendimus.

150 Ad omnes auctoritates Sacræ Scripturæ, quę ab aduersarijs adducuntur, in quibus consistit tota difficultas, possumus vnica responsione respondere: tamen deinde vnicuique satisfaciemus. Ad omnes auctoritate Sacræ scripturæ ꝑ aduersarijs. Responsio autem vniuersalis est, quod loquuntur de electione, & prædestinatione ad gratiam, non de electione, & prædestinatione efficaci ad gloriam. Et hic re vera est sensus germanus vniuscuiusque illarum, vt patet legenti textum; & sic à Patribus intelliguntur. Est aliqua difficultas de illa ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso,* &c. Sed infrà eam de electione ad gratiam loqui, clarè ostendemus. Ad omnes ergo auctoritates D. Pauli dicimus, quod directè textus inspiciatur, patet, ipsum intendere semper extollere gratiam super opera liberi arbitrij nudi; & ideò D. Augustinus istis frequenter vtitur, & inculcat contra Pelagianos, quia illi negabant gratiam; ergo non sunt extorquendæ ad electionem ad gloriam.

151 Sed Franciscus Suarez p. p. libro primo de essentia prædestinationis cap. 8. num. 34. & 37. contra hãc responsionem sic arguit. Prima obiectio Suarez. Auctoritates Sacræ Scripturæ quibus auctoritates D. August. innituntur, loquuntur de gratia perfecta, & consumata; at gratia perfecta, & consumata est gloria; ergo. Secundò, si loquuntur de electione ad gratiam, Secunda obiectio. vel loquuntur de electione ad gratiam quamcumque temporalem; at hoc dici non potest, quia hæc non habet semper adnexam prædestinationem infallibiliter, quam D. Paulus adnectit. Vel loquũtur de electione ad Sanctitatem cum perseuerantia finali: at de illa est eadem ratio, ac de gloria; quia sicuti gloria in tempore confertur ex meritis, ita gratia perseuerantiæ comparatur ex meritis de congruo, vel de condigno; ergo si gloria est prædestinata ex meritis, etiam gratia, quod est contra nos. Reliquitur ergo quod intelligantur de electione ad gloriam.

152 Respondetur, quod auctoritates illæ loquunt de prima gratia: Responsio ad primã. prima autem gratia, & plusquam sufficiens non est gloria, licèt ad eam sequetur gloria: non sequitur autem ad eam infallibiliter ex ipsa sola gratia, sed ex consensu quoque omnino libero liberi arbitrij. Vndè licèt ex consequenti electio ad gratiam sit electio quoque ad gloriam, non tamen electio eadem ratione, & eodem modo cadit super gratiam, & gloriam; quia super gratiam cadit absolutè, & immediatè, super gloriã autem cadit propter gratiam, & merita per ipsam facta. Et cum subiungit Suarez, quod illæ auctoritates debent

Aliæ obiectiones ex Suarez diluuntur.

intelligi de perfectè electis, qui sunt electi quo ad gratiam, & gloriam, quia communiter electi in Sacra scriptura dicuntur, qui electi sunt ad gratiam simul, & gloriam, iuxtà illud Pauli ad Rom.cap.9. *Vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam*. Et Matth.24. *Vt in errorem inducantur si fieri potest, etiam electi*, & similia. Respondetur hanc obiectionem procedere ex falsa eius opinione de gratia efficaci. Imaginatur enim cum alijs eiusdem opinionis, quod Deus ab æterno aliquos efficaciter absolutè sine vlla relatione ad merita elegerit ad gloriam, & propter hoc decreuerit in tempore dare illis certam gratiam efficacem, qua facerent bonum infallibiliter, & sic gloriã consequerentur: alios verò non elegisse ad gloriam, sed absolutè reprobasse, & proinde decreuisse non dare illis illam gratiam efficacem, quam decreuit dare electis, & quam asserit esse necessariam simpliciter ad salutem acquirendam; & hac ratione vult, Sacram scripturam in his auctoritatibus intelligere de huiusmodi electione absoluta ad gloriam. Sed hæc opinio est falsa, quia sequeretur, peccata reproborum habere excusationem, quod est erroneum; vndè propter hanc, & alias rationes eam confutabimus in disput. de auxilijs. Respondetur ergo verum esse, sacram Scripturam per electos intelligere electos perfectos, scilicet electos ad gratiam, & gloriam: non tamen sequitur, quod electi eodem modo electi sint ad gratiam, & gloriam. Nam ad gratiam proculdubio sine vllis meritis electi sunt, verum ad gloriam, non nisi ex meritis præuisis. Vndè imaginandum esse dicimus, Deum ab æterno quantum est ex se, velle omnes homines gloriam consequi, & proinde omnibus dat auxilia verè sufficientia ad eam cõsequendam, ita quòd, si omnes non saluantur, nullam habent excusationem. Verum, quia decreuit hanc gloriã conferre secundum legem ordinariam per modum brauij, & per merita, dicimus, Deum neminem eligere efficaci, & vltimata voluntate ad ipsam, nisi ex præuisis meritis: (& hoc in adultis) ideò licèt Deus eligat omnes ad gratiã, & aliquos ad maximam gratiam, vel maiorem, vel minorem, pro vt diuinæ Sapientiæ videtur, gratis tamen nunquam eos eligit ad gloriam efficaciter nisi præsuppositis meritis, quæ partialiter à libero arbitrio pendẽt. Et sic patet, quomodo electis eligantur gratis ad gratiã, non autem ad gloriam. Et sic auctoritates Sacræ Scripturæ, cum dicunt, aliquos esse electos gratis, loquuntur de electione ad gratiam, non de electione ad gloriã: quia cum de hac loquantur expressè requirunt merita, vt illud Pauli. *Cursum consumaui, fidem seruaui, in reliqua*

2. ad Tim. cap.4.

reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Et illud Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei possidete regnum*, &c. *Exuriui enim*, &c. Sed ad vnamquamq; auctoritatem in particulari dicemus. Per hoc satisfit primæ rationi.

153 Ad secundam dicitur, quod prima gratia non cadit sub merito, sed aliæ gratiæ ex illa manantes, vt perseuerantia, & alia dona, quæ dicuntur gratiæ ex gratia. Ideò non sequitur, quod sit eadem ratio de prædestinatione ad gratiam, & ad gloriam: nec sequitur, quod si prædestinatio ad gloriam sit ex meritis, quod etiam prædestinatio ad gratiam primam de qua loquimur, sit ex meritis. Nunc ad auctoritates in particulari respondeamus.

154 Ad illud primo D. Pauli ad Ephesios. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*, &c. dicimus, quod loquitur de electione ad gratiam: finis enim electionis ad gratiã est sanctificatio, & iustificatio; & sic rectè probat, quòd Deus non elegit nos ex meritis nostris nudis, quibus iam essemus Sancti, sed elegit ad gratiã, qua euaderemus Sancti. Si autem exponatur hæc auctoritas de electione ad gloriam, facit sensum incongruum, & contra communem modum loquẽdi: erit enim hic sensus. Elegit nos, vt essemus Sancti, quia iam daturus est nobis gloriam; siuè elegit, & iustificauit nos, quia est nobis daturus gloriam. At magis congruus sensus est iste. Elegit nos, vt euaderemus Sancti, & iusti, vt postea nobis sic Sanctis, & iustificatis, det gloriam. Vnde licèt D. August. aliquando intellexerit hunc locum de electione ad gloriam: tamen sæpius intellexit de electione ad gratiã, & præsertim primo libro de prædestinatione Sanctorũ cap.19. Nam eo loco in principio capitis approbat responsionem eorũ, qui dicebãt Pelagianos conuinci hac auctoritate D. Pauli, qui Pelagiani asserebant, acceptis præceptis à Deo per nosmetipsos fieri Sanctos, & immaculatos: at D. Paulus non dicit Deũ elegisse nos, quia nos per nosmetipsos futuros tales esse præsciuerit, sed dixit. *Vt essemus tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificauit nos in dilecto filio suo*. Pondera illa verba *per ipsam electionem gratiæ suæ*. Intelligit ergo D. Augustinus hunc locum de electione ad gratiam, & hic est sensus literalis verus.

155 Quod si velimus intelligere hunc locum de electione ad gloriam, vt intellexit idem D. August. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. vt vidimus suprà cap. 7. necesse est cum eodem D. August. ibidem dicere, quod illud dictum est à D. Paulo secundum præscientiam meritorum gratiæ futurorum in æterna mente Dei. Quia electio presupponit distantiam electi à non electo, vt ibi probauit D. Augustinus, distantia autem fit per iustificationem, iustificatio autem fit per merita; vndè à primo ad vltimum, electio ad gloriam fit per merita præscita à Deo; & tunc sensus auctoritatis erit hic. Elegit nos Deus ante mundi constitutionem ad gloriam in ipso Christo, idest in virtute gratiæ, & meritorum fundatorũ in eius gratia, quam gratiam ordinauit, vt meritis fundatis in illa essemus Sancti. Hæc est expositio, quæ competit his verbis secundum D. Augustinum intelligendo eam de electione ad gloriam; sed proprius sensus est intelligere eam de electione ad gratiam, vt vidimus.

156 Ad secundam auctoritatem ex cap. 9. ad Rom. Respondetur quod Apostolus ibi loquitur de electione ad gratiam plusquam sufficientem, & vult dicere, quod Deus elegit dare gratiam efficacem, idest plusquam sufficientem, ipsi Iacob, non autem Esau, (intelligitur enim hæc auctoritas cõparatiuè, cum dixit *Iacob dilexi, Esau odio habui*. Non enim vult dicere, quod non dilexerit quoque Esau, sed quod non dilexit tantum, quantum Iacob) sed solum sufficientem ante discussionem aliquam operum, quæ illi facturi erant, vt exponit D. August. ad Simplicianum quæst. 2. & sic hæc auctoritas nihil facit contra nos. Quare autem Deus voluerit dare ex se ipso maiorem gratiam Iacob quàm Esau, est alia quæstio, de qua disseruimus in materia de gratia efficaci, & sufficienti, & 1. disput. cap. 1. in fine.

Ad secundam auctoritatem.

157 Ad tertiam supra c. 7. Ostendimus ex D. Aug. in ea Epistola ad Romanos esse sermonem de electione ad gratiam; & ideò asserere, illam esse sine meritis, non de electione ad gloriam.

Ad tertiam auctoritatẽ

Ad primum argumentum. Respondetur, quod gloria potest dici gratia dignitate, quia est finis omnis gratiæ: at propriè loquendo, non est gratia; quia gratia est fauor, & auxilium, seù medium ad ipsam gloriam consequendam datam à Deo pro hoc statu. Ad secundum patet per idem: loquitur enim de electione ad gratiam, & non ad gloriam.

Ad illud Ephesiorum primo patet ex dictis nunc suprà ad primam auctoritatem: loquitur enim de electione ad gratiam; si tamen quis vult illum intelligere de electione ad gloriam debet exponi modo ibi explicato secundum mentem D. Aug.

158 Ad quartam, quæ est Ioannis 15. loquitur de electione ad gratiam Apostolatus, vt patet ex sensu literali; & consequenter non potest extendi ad electionem ad gloriam, sed ad gratiam, si extendatur ad alios homines, quàm ad Apostolos, vt seruetur debita, & intenta proportio sensus textus.

Ad quartã auctoritatẽ

Ad

Ad quintã auctoritatẽ

159 Ad quintam, quæ est ex D. August. Respondetur, iam superflue declaratum, & probatum esse, D. Augustinum semper intellexisse de electione ad gratiam, non ad gloriam, quando dixit, electionem esse sine operibus; & quando dixit, esse ex operibus; dixit ex operibus, & meritis gratiæ, non liberi arbitrij; & quando excludebat merita, semper excludere intendebat merita puri liberi arbitrij, non merita gratiæ.

Ad sextam auctoritatẽ

160 Ad sextam apertè patet, q loquitur de electione ad gratiam, non ad gloriam; inquit enim, quod Deus æterna sua præscientia præcognouit, quos ipse Deus misericordia, non ex meritis motus, electione gratiæ prædestinauerit ad vitam, idest quos elegerit ad gratiam, & per illam ad vitam, suffragantibus, scilicet meritis bonis, quod nos libentissimè concedimus, & non est contra nos; quia fatemur, Deum eligere, & prædestinare homines ad gratiam in ordine ad gloriam. Per idem respondetur ad alias auctoritates, & ad id, quod dicitur de disputatione inter Massilienses, & D. Augustinum, semper enim loquuntur de electione ad gratiam, non ad gloriam.

Ad primã rationẽ pro aduersarijs desumptã ex Scoto.

161 Ad primã rationẽ, quę est Scoti, vidit ipse Scotus non esse efficacem, & posse solui; Vnde in vltimis verbis illius quæstionis, antequàm soluat argumenta principalia, & pro opinione opposita, inquit; *& qui tenet alteram opinionem, respondeat ad ea, quæ tacta sunt contra illa.* Scotus autem in hac materia est problematicus, vt suprà diximus, & vtramque partem iudicat esse sustentabilem. Respondetur ergo ad hanc rationem, quod illa propositio maior. Prior est volitio finis, quàm mediorum ad finem, potest intelligi duobus modis. Vno modo potest intelligi de volitione absoluta finis, vt cum quis vult finem absque vlla alia conditione extrinseca, & pendentia ab aliquo alio. Alio modo de volitione conditionata; vt cum quis vult finem, sed hac conditione, vt faciat, quis hoc, vel illud: & sic Rex vult præmium suo militi, & filio, quod tamen præmium non vult dare sine merito. Vult ergo illi præmium voluntate complacentiæ, & desiderij, non tamen absolutè: media verò, quibus hoc præmium consequi potest, efficaciter potest illi velle: Vnde hic est ordo. Primò vult finem, & præmium filio suo voluntate complacentiæ, & conditionata. Secundò vult efficaciter media, quibus illud præmium consequi possit. Tertiò si præuideat, quod per ea media tale præmium est consequuturus, vult tertio loco illi efficaciter pręmium, & finem. Propositio illa maior est vera de volitione absoluta, non de conditionata. At in proposito Deus non vult alicui gloriam voluntate absoluta, sed voluntate conditionata, scilicet si illam meruerit: quia illam vult conferre tanquàm brauium, & præmium, non tanquam simplex donum; ideò ante præuisionem meritorum, Deus non vult alicui gloriam voluntate efficaci, sed voluntate complacentiæ; post præuisionem meritorum verò vult gloriam illi efficaciter; & sic præuisio mediorum præcedit voluntatem efficacem dandi gloriam, quæ est prædestinatio. Vnde seruatur idem ordo, qui supra. Primò Deus vult electo gloriam voluntate complacentiæ, scilicet si ille operabitur bonum. Secundò vult illi media efficaciter, quibus possit velle illud præmium. Tertiò quia præuidet, quod illis medijs benè est vsurus infallibiliter, vult illi efficaciter præmium, & gloriam.

Obiectio.

162 Quod si quis dicat: Videmus, quod Deus alicui confert maiora auxilia, quàm alteri. Ergo signum est, quod magis vult illi gloriam, quàm alteri. Ergo videtur, quòd decreuerit prius, efficaciter dare gloriam illi, cui dat maiora auxilia, & nõ illi, cui dat minora auxilia.

1. Responsio.

163 Respondetur primò, hoc argumentum ad summam concludere, Deum maiori desiderio velle vni gloriam, quàm alteri, non tamen velle illi gloriam efficaciter sine meritis. Exempli gratia. Aliquis proponit præmium certantibus multis, inter illos autem magis diligit vnum, quàm alterum, & vellet magis amatum præmium obtinere, quàm minus amatum, tamen efficaciter non decernit dare illi præmium, nisi præsciat, illum facturum talia merita, vt alios superet. Ita Deus licet alicui vellet magis gloriam, quàm alteri, illi tamen efficaciter non decernit dare gloriam, nisi præuisis meritis.

2. Responsio.

164 Possumus etiam dicere, & melius, quod Deus voluntate illa antecedente, vt diximus cap. quinto, vult omnibus hominibus æqualiter gloriam, nec facit vllam discretionem, tamen postea in conferendo gratiam facit discrimen: quia vni maiorem, alteri minorem gratiam confert, & sic discretio est in collatione gratiæ. Ratio autem, propter quam vni maiorem gratiam, alteri minorem conferat, est inscrutabilis, licet non desit ratio: Vnde D. Aug. lib. primo, de prædestinatione Sanctorum cap. 14. explicans illud sapientiæ. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*; inquit. *Cur autem hic tenuerit casurum iustum, quem priusquàm caderet, hinc posset auferre, iustissima omnino, sed inscrutabilia sunt iudicia eius.* Et lib. de bono perseuerantiæ cap. 11. in fine loquens de gratia perseuerantiæ ait. *Cur autem illis potius, quàm illis detur, quis cognouit sensum Domini? quis inscrutabilia scrutari valeat? quis inuestigabilia vestigare?* & alibi sæpè idem habet, sed hoc pertinet ad materiam de gratia efficaci, & sufficienti.

Cur Deus vni dat maiorem gratiam, quàm alteri.

165 Quod si quis dicat, voluntatem dandi maiorem gratiam vni, quàm alteri, esse sine ratione, nisi procedat ex maiori voluntate dandi gloriam. Respõdetur, quod hæc obiectio procedit etiam contra aduersarios: dicam enim eis. Ergo & voluntas Dei dandi gloriam magis vni, quàm alteri ex eadem perditionis massa, & omninò æqualibus, est sine ratione. Respondetur ergo ex D. August. vbi suprà, quod hoc habet rationem in diuina præscientia, sed sensus Domini, & iudicia eius sunt imperscrutabilia.

Alia obiectio.

156 Iterum arguitur: Propter vnumquodque tale, & illud magis; sed Deus vult homini gratiam propter gloriam; ergo magis vult gloriam, quàm gratiam.

Solutio.

Respondetur, argumentum concludere, Deum voluntate antecedente prius velle gloriam, quàm media: quia enim illi, quantum est ex se, vult gloriam, ideò dat media, quibus hanc gloriam consequi possit; non concludit verò, quod prius voluntate efficaci velit gloriam, quàm media, vt supra dictum est; sicut qui vult, filium suum fieri doctorem voluntate antecedente, scilicet quantum est ex se, vult prius, filium esse doctorem, quàm ipse prouideat de magistro; sed voluntate efficaci prius vult illi magistrum, tanquam medium, quàm velit doctoratum: quia doctoratus pendet, ex voluntate filij, non sua; & ideò non potest velle illud efficaciter, & absolutè, nisi concurrente filio; media autem, quia pendent ab ipso patre, illa potest velle efficaciter sinè alio concurrente extrinseco.

Ad secundam rationem principalem.

167 Ad secundam rationẽm principalem dicimus, quod consequens esset inconueniens, si diceremus, totam prouidentiam Dei pendere ex voluntate humana, sed quod aliquis effectus in particulari diuinæ prouidẽtiæ, vt perductio hominum ad gloriam, pendeat aliquo modo ex hominum voluntate, non est inconueniens: quoniam ipse se complacuit creare creaturas liberas, & posuit in sua potestate consequi vltimum suum finem, vel non consequi; sicuti non pręiudicat prouidentiæ alicuius Regis, quod in suo Regno aliqui tantum obtineãt dignitatem Senatoriam ex tali, & tali merito, quod secundum leges Regis est medium ad illam dignitatem consequendam. Sic non est inconueniens, quod hoc modo quilibet sit vi sui liberi arbitrij suæ prædestinationis fabricator; quod Caterinus putabat esse ita magnũ inconueniens. Quomodo autem prouidentia Dei non lædatur ex hac nostra positione ostendimus in disput. An pręedestinatus possit damnari, & de concursu causæ primæ cum secundis, ostendimus enim Deum præfinire

ex se

ex se aliquos actus excellentes, qui sunt radices aliorum actuum bonorum; deinde quo ad alios actus disponere gratiam, & auxilia sua, vt omnes boni sint sine violentia liberi arbitrij, licet quo ad hos diuina prouidentia non semper adimpleatur.

Cum verò inferebatur in confirmatione, sequentem discretionem maioris, & minoris auxilijs non pendere tunc ex beneplacito Dei, sed ex assensu diuerso nostri liberi arbitrij. Respondetur negando consequentiam, quia Deus in sua præscientia præuidit quidē quid vnusquisque libero suo arbitrio sit facturus cum tali, & tali auxilio, attamen Deus pro sua voluntate decreuit conferre huic tantum auxilium, scilicet valde efficax, illi verò non, quare in hoc decreto dicimus, Deum non respexisse bonum vsum liberi arbitrij huius, vel illius. Vnde dicit D. Augustinus lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. in fine. Non est impotens Deus, quin possit tribuere tantum auxilium, & inuenire modum conuertendi quancumque voluntatem quantumcumque peruersam, si voluisset; ergo potuisset reprobis dare auxilia talia, & tanti valoris, quod eos conuertisset; sed noluit. Decreuit ergo distribuere dona sua gratiæ, prout sibi placuit. Adest tamen ratio aliqua, vt supra dicebamus, propter quam huic dedit auxilia maiora, illi verò non. Vnde D. Augustinus, vbi nunc suprà, dicit, Iudicia Dei esse inscrutabilia, & lib. 6. Hyppognosticon circa initium vtitur his verbis. *Omnia ergo quæ superius diximus, vel dicemus in claustro horum trium nobis abscondita, nunc latent, quæ solis clauibus iudicij, & misericordiæ Dei tunc reserabuntur, vt sciantur, quando in aduentu Domini illuminabuntur abscondita tenebrarum, & reuelabuntur consilia cordium, vt sit laus vnicuique à Deo, vel pœna.* Ait ergo causam dari, & in altera vita illam fore manifestandam à Deo. Et per hoc patet solutio etiam ad confirmationem pro illa secunda ratione.

Ad confirmationem pro illa secunda ratione.

Ad tertiam rationem.

168 Ad tertiam rationem, Respondetur, D. Augustinum ibi loqui de electione, & prædestinatione ad gratiam vnionis, & ad alta dona supernaturalia collata ipsi Christo, non de prædestinatione ad gloriam. Et licet gloria Christi non fuerit illi collata ex meritis, sed gratis, tamen nō est par ratio de Christo, & nobis; quia aliam legem seruauit cum Christo, ac faciat cum nobis. Christum enim elegit, vt esset Caput hominum, & pro nobis moreretur; ideò voluit illi Deus speciali priuilegio conferre simul gratiam, & gloriam absque meritis: at nobis Deus confert gloriam ex meritis. D. Aug. ergo non loquitur de prædestinatione Christi ad gloriam, quia illa nō est similis nostræ; sicut neque cōsequutio gloriæ in Christo, & in nobis est similis. Vnde argumentū eius à simili de Christo, & nostra prædestinatione non concluderet, quia deficeret similitudo. Loquitur ergo de prædestinatione ad gratiam, quia in hoc sumus similes: quia sicut Deus voluit Christo dare gratiam summam, & sine meritis, ita nobis, qui per Christum iustificamur, voluit dare sua auxilia per ipsius Christi merita, non per nostra. Vnde apertè D. Augustinus lib. illo de prædestinatione Sanctorum capit. 15. se loqui de prædestinatione gratiæ ostendit his verbis in principio cap. 15. positis. *Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis, & gratiæ ipse saluator mediator Dei, & hominum*, &c. nota illa verba (*prædestinationis, & gratiæ*) idest electionis ad gratiam, & collationis gratiæ.

Ad quartā rationem.

169 Ad quartam. Negatur consequentia. Ad probationem dico primò falsum supponere, quod initium nostræ salutis sit electio ad gloriam; dicimus enim initium esse electionem ad gratiam, vt dictum est. Deinde dato quod electio ad gloriam esset initium, non sequeretur, nos cōsentire cum Pelagianis, vel Semipelagianis: quia non dicimus, fieri ex meritis puri liberi arbitrij, sed ex meritis gratiæ, vt declaratum est, quod Semipelagiani non admittebant.

Ad quintā rationem.

170 Ad quintam. Negatur falsitas cōsequentis: nam requiritur concursus partialis liberi arbitrij ad nostram iustificationem cum adultis; neque hoc Apostolus, vel D. August. vel vllus catholicus negat, nec negare potest. Auctoritates ergo illæ probant, liberum arbitrium nudum non posse se solo operari bonum, sed ægere gratia Dei; & propter hoc opera bona liberi arbitrij dicuntur dona Dei, quia sine gratia Dei, quę principaliter concurrit, non haberentur.

Et cum dicitur ab Aluarez, quod bonus vsus liberi arbitrij, in quantum prouenit à libero arbitrio, est effectus prædestinationis, quia auxilium diuinum intimè concurrit cum causa secunda: vndè si diuinus concursus pręscindatur, liberum arbitrium ex parte sua nihil potest. Respond. hanc obiectionem procedere ex falsa suppositione, quod liberum arbitrium non habeat suam partialem causalitatem ex se. Concurrit enim partialiter, vt dictum est in disputatione de concursu causæ primæ cum secundis: pręscindendo autem concursum causæ primæ, non sequitur effectus, nec actio, quia cum pendeat à duabus causis partialibus, altera deficiente nihil sequitur. Cum verò dicitur quod bonus vsus est effectus prædestinationis. Respond. si intelligatur esse effectum prædestinationis, ita quòd prædeterminetur Physicè, vel moraliter ex decreto prædestinationis, est falsum: si verò intelligatur, esse effectum prædestinationis, quia sine diuina gratia præueniente, & cooperante partialiter nihil potest, conceditur, & sic nihil est contra nos.

Ad sextam rationem.

Ad sextam. Respondetur, quod vel loquimur de prædestinatis ad gratiam, vel ad gloriam. Primo modo nullum est discrimen, & negamus consequentiā. Secundo modo conceditur, esse discrimen, & nullum est inconueniens: quia loquitur Apostolus de discretione quo ad gratiam, non quo ad gloriam.

Ad septimam rationem.

Ad septimam. Respōdetur, quod diuina voluntas potest duobus modis considerari, vt dictum est in 2. cap. huius disputationis: Vel absolutè, & sic non habet causam motiuam: vel quatenus refertur ad creaturam, & illius actus transit super obiecta creata; & sic non est inconueniens dicere, voluntatem diuinam moueri à re creata, sicut ponimus in Deo relationem creationis nouam, incarnationis, &c.

Ad octauā rationem. Quid dicēdū de paruulis prædestinatione.

171 Ad octauam. Respondetur, non esse parem rationem de paruulis, & adultis: paruuli enim non consequuntur gloriam ex meritis, sed ex sola gratia Dei: at adulti obtinent gloriam, tanquam brauium, & prēmiū. Ideò illi non possunt prędestinari ad gloriam ex meritis gratiæ præuisis, cum nulla merita sint habituri; absurdū est enim dicere, quod prædestinentur propter merita, quæ præuidentur habituros esse si superuixissent, vt suprà ostendimus. Prædestinantur ergo pueri ad gloriam ex præscientia iustificationis, quam in tempore sunt habituri: propter quid verò Deus iustificet hunc paruulū, & non alium, sunt inscrutabilia iudicia eius; est tamen aliqua causa, sed occulta, vt diximus.

Ad nonam rationem.

172 Ad nonam. Varij vario modo respondent. Dico ego, omnes actus, quibus consentit gratiæ, & iustificatur, & operatur bona opera, quibus gloriam suā auget, & remuneratur in gloria vsque ad vltimum consensum, quo perseuerat in gratia, ad quem statim sequitur gloria, esse causam electionis siuè prædestinationis ad gloriam. Ille tamen vltimus actus, quo iustificatur, & perseuerat, est ille pręsertim, quo vltimatè acquirit salutem, & gloriam, licet & alij præcedentes concurrant; si in illis opera viua fecit, quæ in pęnitentia, & iustificatione reuiuiscunt, & augent gloriam. Nec obest, quod in varijs hominibus isti actus variantur, quoniam in præscientia Dei sunt notissimi actus vniuscuiusque; & sic Deus prædestinat homines saluandos ex consensibus ad gratiam præuisis. Et cum obijcitur, quod tunc sequeretur, gratiā non esse effectum prædestinationis. Respondetur concedendo, quod gratia non est effectus diuinæ prædestinationis, accipiendo prædestinationem pro electione

ctione ad gloriam; quia talis electio non præcedit collationem gratiæ, ex qua merita præuisa fiunt à prædestinato; sed gratia est effectus electionis ad gratiam: nam primò Deus elegit homines ad gratiam, & hæc est prædestinatio ad gratiam: deinde in tempore illi confert gratiam; collatio ergo gratiæ cadit sub prædestinatione.

Ad decimã rationem.

173 Ad decimam. Respondetur, gratiam iustificãtẽ esse debitam bono vsui facto ex auxilio gratiæ, non facto ex solis viribus naturæ: quia solis viribus naturę non potest haberi bonus vsus liberi arbitrij, vt dictum est, hoc autem non est consentire Pelagianis, vel Semipelagianis, vt suprà dictum est: loquimur enim de meritis gratiæ, non puri liberi arbitrij.

Ad vndecimam rationem.

174 Ad vndecimam. Iam declaratũ est suprà, quod discrimen sit inter nostram sententiam, & Massilienses: nam illi ponebant, electionem ad gratiam esse ex meritis puri liberi arbitrij: nos autem diximus, electionem ad gratiam, quæ communiter à D. August. & Patribus, dicitur prædestinatio, factã ex mero beneplacito Dei. Deus enim incipit, & cooperatur, nos subsequimur: Semipelagiani autem dicebant, nos incipere, Deum subsequi. Electionem etiam ad gloriam, nos dicimus esse factam ex meritis gratiæ præuisis, non ex meritis liberi arbitrij nudi; ergo damnatio Cęlestini, & Ecclesię contra Pelagianos, vel Semipelagianos non procedit contra nostram sententiam, immò sententia nostra est maximè conformis doctrinæ D. August. & Sanctorum Patrum, vt suprà ostensum est.

DISPVTATIO LIX.

Vtrum Reprobationis detur aliqua causa ex parte reprobati.

Explicantur aliorum sententiæ, & reijciuntur. Caput Primum.

1 Licet ex dictis in præcedenti disputatione facilè patere possit, quid sit dicendum ad hanc difficultatem; solutio enim vnius habet annexam solutionem alterius: tamen vt magis distinctè hæc materia percipiatur, breuiter hæc quæstio est discutienda. Suppono autem, vt dictum est in præcedenti disputatione, cap. primo, quod sicut prædestinatio est actus voluntatis propriè, concomitanter autem est actus intellectus, ita reprobatio propriè est actus voluntatis, concomitanter est actus intellectus quoque, ex quo habetur diffinitio reprobationis, quæ potest esse talis. Reprobatio est actus diuinæ voluntatis, quo alicui non vult gloriam, sed pęnam æternam condignam. Decretum autem hoc diuinæ voluntatis non conferendi alicui gloriam, non fit sine iudicio diuini intellectus, quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum; & propter hoc dicimus, quod est actus intellectus concomitanter. Cum autem quærimus, Vtrum reprobationis detur aliqua causa, est intelligendum istud quæsitum eo modo, quo explicuimus præcedenti disp. cap. 2. de prædestinationis causa: quærimus enim, An actus diuinæ voluntatis, quatenus fertur in reprobatum, habeat aliquam causam ex parte ipsius reprobati, propter quam fertur in illud subiectum, & non in aliud: & hæc causa potest dici etiam causa motiua diuinæ voluntatis, vt diximus ibidem, non actus diuinæ voluntatis in se, quia ille non habet causam, cum sit ipsemet Deus, sed quatenus refertur ad hoc, vel illud subiectum. Nam quatenus terminatur ad illud, potest habere rationem aliquam, vel conditionem aliquam in obiecto intueri, propter quam vult hunc, & non illum prædestinare, vel reprobare.

Reprobatio est actus intellectus.

Diffinitio reprobationis.

Opinio D. Th. et sectatorũ, Dur. & Gregorij

2 His suppositis circa hoc quęsitum, prima opinio est D. Thomæ p. p. q. 23. art. 3. ad tertium, quam sequuntur Caietanus, Ferrariensis 3. contra gentiles cap. 161. Durandus in 1. dist. 41. quæst. 2. num. 24. Gregorius eadem dist. quæst. 1. art. 2. Conc. 4. & 5. Bannes p. p. quæst. 23. art. 3. dist. 3. concl. vltima, & expressè Aluarez disp. 110. num. 7. & per totam. Et multi alij ex Recentioribus, qui asserunt, nullam dari causam reprobationis ex parte reprobati. Hæc autem sententia non eodem modo explicatur ab omnibus: aliqui enim volunt absolutè, omnem causam reprobationis esse diuinam voluntatem, ita quòd sicut prædestinationis non datur aliqua causa ex parte prædestinati, sed Deus pręedestinat eos, quos vult; ita etiam reprobet, quos vult; & denique volunt, Deum in eodem signo, quo aliquos gratis prædestinat, alios reprobare; & sic seruari volunt eundem ordinem in reprobatione, ac in prædestinatione.

Bannes.

Cuius sententiæ videtur esse Bannes. Alij asserunt in communi, dari causam reprobationis, & illud esse peccatum, siuè originale, siuè actuale, vt infrà videbimus; tamen in particulari dicunt, nullam dari causam reprobationis ex parte reprobati, propter quam hic reprobetur, ille verò non reprobetur.

Opinio Hęreticorum.

3 Priorem opinionem libenter amplectuntur Hæretici nostrorum temporum. Caluinus in annotationib. in cap. 9. Epistolæ ad Romanos, & sequaces, teste Stapletono cap. 9. Epistolę ad Romanos versu 20. Rursus in hac opinione sunt diuersi alij modi ipsam explicandi: quidam enim hoc intelligunt de omnium hominũ reprobatione: alij de quibusdam tantum, specialiter reprobatis: alij hoc intelligunt non ante peccatum Adæ, sed post peccatum Adæ, quas non est opus in particulari explicare: quia cum conueniant in communi assertione, & illa sit falsa, etiam modi particulares erunt reijciẽdi. Conueniunt ergo omnes auctores illius sententiæ, quod reprobationis non detur aliqua causa ex parte reprobati, sed omnis causa reprobationis sit ipsa voluntas diuina. Fundamentum principale est illud dictum Apostoli ad Romanos 9. *Antequam quicquam boni fecissent vel mali egissent*, &c. Et infrà. *Iacob dilexi, Esaù autem odio habui*. At ibi, per amorem intelligitur prædestinatio, & per odium reprobatio; vterque autem actus est actus absolutus diuinæ voluntatis; ergo, sicut amor infert prædestinationem efficacem; ita odium infert reprobationem efficacem: at actus amoris est sine meritis vllis prædestinati, ergo & actus reprobationis est sine vllis meritis malis ex parte reprobati, & consequenter tota causa reprobationis est ex parte Dei.

Prima auctoritas.

Secũda auctoritas.

4 Confirmatur ex verbis alijs D. Pauli in eodem ca. *Dicit enim Scriptura Pharaoni. In hoc ipso excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam*. Et infrà. *Ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*. Et infra. *O homo tu quis es, qui respondeas Deo, nunquid dicit figmentum ei, qui finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam? Quod si Deus volẽs ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ pręparauit in gloriam*, &c. Ex his auctoritatibus colligitur, quod Deus sicut voluit ex se dare prædestinatis gloriam ad ostensionem gratiæ suæ, ita voluit non dare alijs, scilicet reprobatis ad ostensionem potentiæ suæ in illis, vel ad ostensionem gratię in alijs, quæ in comparatione ad reprobatos relucet. Ex quo deducitur efficax argumentum, quod Deus in eodem signo, quo aliquos prædestinauit, alios reprobauerit; & quod signum illud sit in quo prædestinauit, & reprobauit, antequam præuideret merita, vel demerita alicuius, & in quo omnes homines repræsentabantur illi omnino æquales.

Tertia auctoritas.

Tertiò. Est auctoritas Sapientię 12. sub his verbis. *Neque Rex, neque Tyrannus in conspectu tuo inquirent de ijs, quos perdidisti: cum ergo sis iustus, iustè omnia disponis, ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas à tua virtute.*

5 Eandem doctrinam videtur docuisse passim D. Augu-

Probat̃ eadẽ opinio ex D. Aug.

Augustinus in lib. de prædestinatione, & gratia, præsertim cap. 15. & 16. & lib. de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseuerantiæ, & alibi. Ratione etiam probatur sic.

1. Ratio.

6 Primò. Res eo modo eueniũt in tẽpore, quo Deus illas præordinauit ab æterno: sed sic est, quod homo in tẽpore non est causa prioris effectus reprobationis, s. permissionis primę peccati, vel negationis auxilij necessarij ad nõ peccandũ: ergo neque ab ęterno Deus reprobauit illum hominem propter præuisionem peccati prouenientis ab homine. Maior est superiori disputatione probata. Minor verò est euidens; quia ante primum peccatum hominis, nullum erat peccatum, propter quod homo ille esset dignus reprobari. Ergo cum Deus permisit primò illum hominem peccare, hoc non fecit propter aliquam causam demeritoriam hominis, sed propter suum beneplacitum: qui sic voluit illum permittere peccare; alium verò noluit permittere. At prima illa permissio peccati est à solo Deo; ergo & alia peccata, per quæ homo postea punitur, & reprobatur, non sunt ab homine, nisi per permissionem Dei; Deus autem est causa primæ permissionis absque vllo demerito hominis reprobati; ergo reprobatio non habet causam ex parte reprobati.

2. Ratio.

7 Secũdò. Si ex parte reprobati daretur causa reprobationis, sequeretur, quòd esset in potestate hominis reprobari, & non reprobari; sed consequens est falsum; ergo. Consequentia probatur, quia inter reprobum, & prædestinatum non datur medium; ergo si est in potestate sua non reprobari, erit in potestate sua prædestinati. Falsitas verò consequentis supponitur vt patens, de qua infià tractabimus.

Reijcitur.

8 Contra hanc sententiam faciunt omnes rationes, quas præcedenti disputatione adduximus, ad probandum, prædestinationem, idest electionem ad gloriam fieri ex meritis præuisis, non ex simplici beneplacito Dei; & præsertim prima, quam possumus hic repetere.

1. Ratio.

Res eo modo eueniunt, quo Deus decreuit illas euenire: at in tempore, reprobi saltem adulti damnantur propter eorum mala opera; ergo reprobantur ab æterno propter eorum mala opera. Et confirmatur, quia si mala opera non essent causa reprobationis per se, nihil conferrent ad reprobationem, sed reprobatio haberet vim ex decreto Dei tantum, vel si conferrent, per accidens essent causa reprobationis, scilicet instrumentũ assequutionis effectus reprobationis, quod est absurdũ, & contra auctoritates Scripturæ.

2. Ratio.

9 Secunda ratio etiam est efficax, quia Deus vult, omnes homines saluos fieri; neque Deus prius est vltor, quàm homo sit peccator.

3. Ratio.

Tertiò. Tolleretur reprobis libertas saluandi se. Et aliæ rationes sequentes idem ostendunt. Vnde Scotus in 1. dist. 41. quæst. 1. §. *Potest aliter dici*, dicit aperiè, quod reprobationis datur aliqua causa ex parte rei, propter quam reprobatio terminatur ad hoc obiectum, nõ ad illud, quod probat: quia damnatio non videtur bona, nisi quia iusta. Vnde D. Augustinus 11. super Genesim cap. 14. *Non prius Deus est vltor, quam aliquis sit peccator*, videtur enim esse crudelitatis, punire aliquem, nõ pręexistente in eo culpa. Ergo non prius Deus vult reprobare aliquem, quàm præuideat eius peccatum finale. Hanc sententiam tenet Stapletonus in epistolam ad Romanos capit. 9. versu 20. & 30. multi Recentiores eam defendunt, vt Franciscus Suarez lib. 5. de reprobatione capitul. 3. & multos alios citat, quos ego ommitto.

Ratio efficax ex Scoto.

Tho. Stapletonus.

Franciscus Suarez.

1. Auctoritas.

10 Probatur auctoritatibus etiam Sapientiæ primo. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione viuentium*. Pauli prima ad Thimoteum cap. 2. *Hoc enim bonum est, & acceptum coram saluatore nostro Deo, qui vult, omnes homines saluos fieri*. Ezechielis 18. *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat*. Oseæ 3. *Perditio tua ex te Israel est*. Et ex alijs auctoritatibus superiori disp. adductis cap. 5.

Præterea. Efficacissima est auctoritas D. August. lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 16. adducta præcedenti disputatione cap. 7. vbi apertè probat, peccatorem non posse reijcere causam sui peccati in Deum; quia Deus omnibus dat suam gratiam, & nemo peccat, nisi quia reijcit ex libertate sua gratiam efficacem, quæ inuita recedit ab homine. Et certè illud caput est efficacissimum, & tollit omnem dubitationem.

Opin. Scoti, & multorum aliorũ

Propter has rationes, alij distinguunt de duplici reprobatione, scilicet negatiua, siuè permissiua, & punitiua, siuè positiua; & asserunt reprobationis punitiuæ, & positiuę dari causam, ratio est, quia Deus nunquã aliquẽ punit, nisi propter peccatum. Et de hac concludunt auctoritates superius adductæ. Quo ad negatiuam verò asserunt nullam dari causam ex parte reprobati, sed totam pendere ex Deo; quia primæ permissionis casus in peccatum nulla potest dari causa ex parte hominis. Et hanc doctrinam desumunt ipsi ex Scoto in loco citato, vbi hunc ordinẽ in mente diuina prædestinationis, & reprobationis assignat. §. *Contra istud, Petrus, & Iudas*, &c. Deus in primo instanti, siuè signo, in quo cogitauit de salute hominum, & damnatione, habuit Petrum, & Iudam sibi præsentes in puris naturalibus, & æquales; ac in illo primo signo vult Petro gloriam, circa Iudam verò nullum actum positiuum habet, sed habet tantum actum negatiuum gloriæ ipsi Iudæ. In secundo signo vult Petro gratiam, circa Iudam verò nullum actum positiuum adhuc habet, sed tantum negatiuum. In tertio instanti vult permittere, Petrum esse de massa perditionis propter peccatum siuè originale, siuè actuale, quodcunque illud sit, de quo infrà. In eodem signo, & instanti vult permittere, Iudam eodem modo esse de massa perditionis; & hic est primus actus positiuus vniformis circa Petrum, & Iudam. Differunt verò in hoc, quia ex illo actu permissionis peccati Iudæ, & Petri, sequitur istud verum esse futurum, Iudas erit finaliter peccator, Petrus verò nequaquam; quod sequitur ex illis primis actibus negatiuis circa Iudam: ex eo enim quod Deus ordinauit non eligere Iudam ad gloriam, nec dare illi gratiam in tempore, sequitur, quod Iudas damnabitur, Petrus verò, quia Deus eum elegit ad gratiam, & gloriã, saluabitur. In quarto instanti offertur Iudas, vt peccator finaliter, & tunc Deus vult ipsum punire, Petrus verò offertur, vt iustificatus, & Deus vult illi dare gloriam.

11 Hanc opinionem Scoti multi Thomistæ, & alij sequuntur, quia temperat quodamodo sentẽtiam nunc superius adductam, quæ dicebat, Deum homines reprobasse ante præuisionem meritorum malorum: nam tollerabilius est asserere, Deum primis duobus instantibus negatiuè se gerere circa reprobos, quàm dicere, quod se habeat positiuè, & quod illos punire decreuerit pœna æterna, propter rationes superius adductas contra illam opinionem: Vnde respondent, auctoritates, & rationes illas concludere de reprobatione positiua, non de negatiua siuè permissiua.

Impugnatio quorundã opinionis Scoti.

12 Hanc sententiam Scoti impugnant Recentiores nonnulli, vt Gabriel Vasquez p. p. disp. 95. cap. 2. & alij, quo ad illa duo prima signa, in quibus voluntas Dei se habuit negatiuè: nam in primo signo, si loquamur de voluntate antecedenti, & complacẽtiæ, est falsum, quod Deus omnibus non voluerit gloriam, & beatitudinem, propter rationes nunc adductas suprà contra præcedentem opinionem: loquendo verò de instanti secundo, quo Petro vult gratiam, & Iudæ non vult gratiam, actus ille est positiuus, & est efficax, quia actus ille, quo permittit, Iudam peccare, & non dat gratiam, est actus efficax, quo non vult illi dare gratiam; ergo non est actus purè negatiuus.

13 Sed istæ obiectiones non valent quidquam: nam in pri-

Soluitur obiectio allata.

in primo signo Scotus non loquitur de voluntate antecedenti, & complacentiæ, sed semper loquitur in eo signo, & alijs, de voluntate efficaci, quod enim Deus velit voluntate antecedenti, omnes homines saluos fieri, tenet ipsemet Scotus in eadē quæstione, vbi ait, quod crudelitatis esset, si Deus vellet, aliquos damnari sine culpa. Ergo ante præuisionem culpæ, Deus, quantum est ex se, vellet, omnes homines saluos fieri: & alibi habet hoc idem. Quod verò pertinet ad actum permissionis, dico, quòd Scotus dist. 47. primi libri declarat, quomodo actus ille, quo voluit Iudæ gratiam efficacem, sed permisit peccare, sit negatiuus, dicens, quòd si consideretur ipsa nolitio gratiæ efficacis, est negatiuus: quia actus ille directè à voluntate procedens, est negatiuus actus, nolo Iudæ gratiam; tamen cum isto actu negatiuo est alius actus concomitans, qui est affirmatiuus, & est volitio illius nolitionis collationis gratiæ, qui à Scoto appellatur actus reflexus: & quo ad hunc actum reflexum, verum est, quòd est actus positiuus; & sic obiectiones istæ non valent quidquam contra Scotum, sustinendo illam opinionem.

Priorem sententiam Scotus iudicauit dubiam.

14 Verùm, quia, vt dixi, Scotus hac in re est problematicus, & illam priorem sententiam iudicat dubiam, potest hæc reprobatio negatiua, & permissiua impugnari per rationes adductas nunc supra. Nam si circa reprobos haber illam reprobationem negatiuam, circa

1. Ratio.

electos verò nequaquam, prius Deus est vltor, quàm homo sit peccator: subtrahere enim auxilium, sine quo quis non potest operari bonum, est ipsum punire antequam peccet, & videtur esse crudelitatis, nec congruere cum bonitate diuina, neque cum illis sententijs, *Deus vult omnes homines saluos facere*, &c. Nec valet dicere, Deus non tenetur dare gratiam suam alicui, nam tenetur esse misericordem, nec negare necessaria auxilia creaturæ, alioquin creatura non esset culpanda, quia nō haberet necessaria. Insuper, efficacitas dānationis nō esset ex malo opere, siuè ex consensu nostro in malū, sed ex defectu Dei, scilicet ex decreto diuinæ volūtatis, quæ determinauit, illi non dare gloriam, nec media ad gloriam consequendam; & consequenter peccata in tempore nostro non essent causa efficax damnationis, sed media, quibus Deus ad illum finem damnationis illorum reproborum vteretur, quod est horrendum.

2. Ratio.

Immò sequeretur quid peius, scilicet, quòd Deus esset causa peccati, & culpæ reproborum: nam certum est, quòd homo sine auxilio Dei non potest vitare peccata mortalia actualia. Si ergo Deus decreuit non dare illis auxilium suæ gratiæ efficax, siuè congruum, vt Recentiores loquuntur, quod solum potest hominem iustificare, sequitur, quòd Deus sit causa culpæ sequentis actualis in adultis, scilicet quia non dat illis necessaria auxilia: Nā dicere, quòd dat illis sufficientem gratiam, sed non congruam, nihil est, vt dicam in materia de gratia: gratia enim illa sufficiens eo modo, quo isti dicunt, se vera, & de facto non est sufficiens, sed solum de nomine, vt in eadem propria disp. dixi.

3. Ratio.

15 Præterea. Videtur imponi reprobaris necessitas suæ damnationis, & esse impossibile, eos saluari, ac omnem libertatem, qua possint saluari, ab eis tolli, quod est absurdum; sicut esse absurdum demonstrauimus præcedenti disp. prædestinato esse impositam necessitatem suæ salutis, & non posse damnari. Denique omnes rationes superiori disput. cap. 5. 6. & 7. adductæ, hic etiam concludunt.

Concilium Valentinū.

16 Pro eadem sententia est auctoritas Concilij Valentini sub Lothario Imperatore cap. 3. vbi sic habetur. *Fidenterque fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem, in electione tamen saluandorum, misericordiam Dei præcedere meritum bonum, in damnatione verò perituorum, meritum malum præcedere iustum iudicium Dei.*

D. August.

17 Præterea. D. Augustinus, qui videtur fauere aduersarijs tantopere, semper cum loquitur de punitione reproborum, appellat iustam, & prouenire ex iusto iudicio Dei. Ergo oritur ex nostra culpa; quod non esset, nisi esset ex peccatis præuisis. Præsertim autem lib. 6. Hippognosticon paulò post initium habet hæc verba. *Quia verò iustus, & misericors Deus, præsciusque futurorum, ex hac damnabili massa, non personarum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ, quos præscit, misericordia gratuita præparat, idest prædestinat ad æternam vitam, cæteros autem pœna punit, quos ideò punit, quia quid essent futuri, præsciuit; non tamen ipse fecit puniendos, vel prædestinauit.* Et paulò post de paruulis, & adultis addit. *Tenenda est inconcussabilius disputationis regula, quæ diuinis testimonijs claruit, peccatores in malis proprijs, antequam essent in mundo, præscitos esse tantum, non prædestinatos; pœnam autem esse eis prædestinatam, secundum quod præsciti sunt; paruulos quoque non prædestinatæ pœnæ esse obnoxios, qui præsciti sunt, non proprijs voluntatibus, nisi tantum in Adæ peccato, quod traxerunt nascentes, & in hoc manentes, soluerunt tempus vitæ præsentis.* Ex hac authoritate conspicitur, quòd Deus non fecit homines, vt damnarentur, sed quia præuidit, illos malè operaturos, decreuit illis dare pœnam, & hoc de adultis. De paruulis verò, ait, quòd illos destinauit ad pœnam æternam, non sensus, sed carentiæ visionis Dei, non propter eorum voluntates malas, idest propter eorum peccata, sed propter peccatum primi parentis Adæ. Causa autem, propter quam Deus permiserit, paruulos mori in peccato originali, est occulta; & hæc est illa, quæ pertinet ad secreta, & occulta iudicia Dei. Scimus cum D. Augustino, quod hoc factum est iusto iudicio Dei, & quod adest aliqua causa, quā Deus in die iudicij reuelabit, & nunc nota sunt soli ipsi Deo, nec voluit reuelare.

18 Denique hæc opinio euidentissimè repugnat diuo Augustino in sermone 88. de tempore, qui est sermo primus feriæ quartæ post tertiam dominicam quadragesimæ super illa verba, *Indurauit dominus cor Pharaonis.* Sic enim loquitur. *Qui de hac re immundissimi Manichei sacrilego furore Scripturam veteris testamenti reprehendere solent, rogo vos fratres carissimi, diligenter attendite, quia etsi non quantum debemus certè vel quantum possumus, breuiter volumus charitati vestræ suggerere, qualiter obdurationem illam debeatis accipere. Primò hoc fideliter, & firmiter credat dilectio vestra, quia nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur. Cum enim semel, & secundò, tertiò, vnusquisque, & grauia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, sicut per Prophetam dicit, vt conuertatur, & viuat.* Et infra. *Ista enim testimonia scripturarum ideò charitati vestræ insinuare volui, vt intelligatis, quia & obduratio non Dei potentia compellente perficitur, sed Dei remissione, vel indulgentia generatur. Ac sic Pharaonem non diuina potentia sed diuina patientia credenda est obdurasse. Denique quoties eum Dei plaga percussit, afflictus pænituit: at vbi ei remissio diuina indulgentiam dedit, iterum se in superbiam elatus erexit. Hoc ergo diffinitissimè credite fratres, & hoc intelligite, quia quoties Dominus dixit, Ego indurabo cor Pharaonis, non aliud intelligi voluit, nisi, Ego inquit, suspendo plagas meas, & flagella, vnde enim per indulgentiam meam, contra me obdurari permitto.* Similia habet infrà. *Quare autem Deus noster non omnes ita misericorditer flagellat, vt nullum contra se, obdurari permittat, aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur, adscribendum est: aut ad inscrutabilia Dei iudicia referendum, quæ plerunque sunt occulta, nunquam tamen iniusta.* Ista verba sunt adeò clara, & cathegorica, vt non egeant expositione. Alia multa in eodem sermone tradit D. August. quæ mirificè opinionem aduersariorum, vt impiā, & tanquam contra fidelitatem Dei, damnant.

19 Hæc eadem sententia probatur per rationes, & aucto-

auctoritates, quibus in disputatione, Vtrum, prædestinatus possit damnari, posituit, scilicet esse in potestate cuiusque prædestinationem, & reprobationem suam, loquendo de adultis.

Fundamentum aduersariorũ impugnatur.

20 Præterea argumentor contra fundamentum aduersariorum. Si Deus reprobat homines absque vlla causa ex parte ipsorum, sequitur, Deum hoc facere ad manifestandum suam gloriam potentiam, & iustitiam; hoc autem est maximum inconueniens: nam, vt ait Sanctus Fulgentius libro primo ad Monimum cap. 22. *Iustitia iusta non erit, si puniendum reum non inuenisse, sed fecisse dicatur: quin potius maior erit iniustitia si lapso Deus tribuat pœnam, quem stantem prædestinasse dicitur ad ruinam*. Et D. August. lib. 3. confessionum cap. 2. dicit, Maleuolam beneuolentiam omnino futurã (quod esse non potest) si quis miserum aliquem esse velit, vt ei misereatur. Multò magis esset iniustus Deus si faceret reprobos, vt in eis gloriam suam, & potentiam ostenderet; & præsertim cum non desint plurimæ viæ Deo manifestandi gloriam suam, etiam si homines non peccassent.

21 Tandem. Si Deus reprobauit homines absque vllo suo demerito, sed ex mero suo beneplacito noluit dare illis gratiam completam, qua verè possent potentia reducibili ad actum operari bonum finaliter, sequitur, Deum ex se præfiniuisse efficaciter eorum peccata, & esse causam ipsorum, quæ duo sunt falsa, vt in propria disputatione, An Deus sit causa peccati, dixi. Dicendum est ergo reprobationem habere causam ex parte reprobati in adultis.

Explicatur opinio vera, & rationibus in oppositum satisfit. Caput Secundum.

Opinio auctoris.

22 PRopter has rationes mihi placet opinio illorum Theologorum, qui asserunt, reprobationis æternæ, idest determinationis illius ad pęnam ęternã, damni, & sensus in adultis, dari causam ex parte reprobati, & quod illa sit peccatum actuale adultorum; reprobationem verò negatiuam, vel permissiuam, nullam dari arbitror, sed in eodem signo, quo Deus Petrum prædestinauit, in eodem Iudam reprobasse, illum propter merita gratiæ præuisa, istum propter merita mala præuisa. De paruulis verò, puto, dari aliquam causam, sed illam etiam occultam, & notam Deo, solum secundum regulam suæ diuinæ prouidentiæ, quam nobis reuelare noluit, nisi in generali, quæ est ad ostendendum diuitias suæ gloriæ in electis, & potẽtiam suam in reprobis; quę causa generalis est etiã communis ipsis adultis; sed causa particularis, propter quam hic paruulus saluatur per baptismum, alter verò non saluatur, est, quia ei non confertur baptismus, datur, sed illa est occulta; quia iudicia Dei abyssus multa.

D. Aug. li. de gratia, & libero arbitrio c. 23

Responsio formalis ad quæstioné.

Formaliter ergo ad quæstionem respondetur, quod reprobatio potest accipi duobus modis: vno modo pro decreto dandi alicui pœnam æternam: alio modo pro decreto non dandi reprobis gratiam tantum vehementem, quia illos ita pręparet, vt efficaciter saluentur; quod Deum posse facere, clarum est. Accipiendo reprobationem primo modo, datur causa in adultis, vt dictum est: & illa est præuisio peccatorum. Accipiendo reprobationem secundo modo, nulla datur causa ex parte reprobati; datur tamen aliqua ratio in diuinã prouidẽtia, propter quam Deus complacet sibi magis dare huic gratiam efficacem, quàm illi, licet omnibus det gratiã sufficientem, quæ est merè sufficiens, vt in materia de gratia abundanter dico. Pro hac sententia possunt citari omnes doctores Scolastici, quos adduximus in præcedenti disp. cap. 7. Scotus, Henricus, Gabriel, Okam, & alij. Hæc autem sententia magis confirmatur ex solutione rationum in oppositum.

23 Quare autem omnibus non dederit Deus gratiã efficacem, ac non fecerit Deus, vt omnes homines saluẽtur, quod certum est fuisse possibile Deo. Respondeo hoc dubium esse idem cum illo, quo quæritur, propter quam causam Deus permisit fieri malum in mundo: ad quod à diuersis Patribus diuersæ afferuntur causæ: possumus tamen ad propositam difficultatem assignare responsionem D. Pauli, & August. ad Romanos. 9. scilicet vt ostenderet misericordiam, & potentiam suam, simul & iustitiam: iustitia autem maximè apparet in condemnatione malorum; ex hoc enim voluit dare gloriã, quibus dat, in præmium, & brauiũ vt illam acquirerẽt, quia vidit, hoc magis decere diuinam iustitiam, & maiestatem; & ideò voluit relinquere hominem in manu consilij sui, positis adiutorijs sufficientibus, vt homo aliquo merito suo quoque illam consequeretur: facto autem hoc decreto, noluit violentare volũtates humanas; & ideò permisit reprobos operari malum, & iustè damnari. Ratio ergo fundamentalis est, vt ostendat iustitiam suam, quam ostendere non potuisset, si homines sine suis meritis voluisset beare. De paruulis verò est occultum iudicium Dei, de quo nos nihil certum habemus vt dictum est suprà. Sed hæc est ratio generalis: tamen datur aliqua causa occulta iusta, quæ in die iudicij manifestabitur.

Propter q̃d Deus nõ fecit, vt omnes homines saluentur.

24 Ad rationes in oppositum: ad primam auctoritatem, quæ est de Iacob, & Esau Respondetur, quod ibi non loquitur de electione ad gloriam, nec de reprobatione à gloria, & prædestinatione ad pęnam, vt pręcedenti disputatione visum est, sed de electione ad gratiã, & de non collatione, siuè reprobatione gratię, vt ibi expositum est: quia & prædestinatio accepta pro electione ad gloriam, & reprobatio à beatitudine, est ex meritis præuisis. Vbi est etiam notandum, quod ibi per odium, cum dicitur, Esau odio habui, non intelligitur odium propriè, quia Deus nihil odit eorum, quæ fecit; & propter hoc non intelligi debet, quod Deus omnino derelinquerit Esau absque gratia sua, & noluerit illi dare gratiam sufficientem, qua posset saluari, quia Esau fuit adultus, adultis autem omnibus dat sufficientem gratiam, vt infrà dicam in proprio quæsito; sed debet intelligi odisse, pro minus dilexisse: qui enim aliquod donum alteri non concedit, vel minus donum concedit, & maius denegat, videtur se habere ad modum odientis: Deus ergo Iacob dilexit, quia illi contulit gratiã magnam; Esau odio habuit, quia minoré gratiam, sed tamen sufficientem, cõtulit. Quare verò Esau minoré, Iacob maiorem contulerit non possumus assignare causã, nisi diuinam sapientiam, quæ hoc iustum, & bonum iudicauit; in die autem iudicij hoc Deus nobis reuelabit, vt dictum est superiori disp. ex D. Aug. contextus autem Apostoli explicatur latè in disputatione de gratia efficaci, & sufficienti.

Ad primã rationé pro aduersarijs, quæ est auctoritas.

25 Ad confirmationem ex alijs verbis D. Pauli ibidem, eodem modo respondetur, quòd loquitur de reprobatione à gratia, eo modo, quo dictum est, non de reprobatione a gloria. Nec intelligit de reprobatione à tota gratia, & omni gratia, sed à gratia illa vehementi, quæ dicitur plusquam sufficiens, siuè efficax. Quod testantur illa verba Apostoli. *Sustinuit in multa patientia, vasa iræ aptata in interitum*. Et ad Romanos 2. vbi ait. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*. In quibus, & alijs multis locis ostendit D. Paulus, Deum reprobos expectare in multa patientia, & reprobos se sua causa damnare contra voluntatem, & desiderium Dei, qui illos allicit, & expectat, & adiuuat. Ergo Deus reprobis dat gratiam sufficientem, qua possint verè, & completè se saluare; & illos non deserit, sed deseritur ab illis. Ergo non habet illos odio, ita quòd omnino illis deneget gratiam, & auxilia necessaria ad salutem:

Ad confirmationem.

vt etiam

vt etiam in materia de gratia efficaci, & sufficienti dicemus.

Ad tertiam auctoritaté

26 Ad tertiam, respondetur, quòd Lyranus explicat illum locum de iustis, qui, cum nullum supplicium mereantur, affliguntur à Deo. Alij verò alias expositiones adducunt, vide eas, quarum nulla est contra nos.

Ad primã rationem.

27 Ad primam rationem, respondetur, permissionẽ cadendi in peccatum, esse effectum reprobationis a gratia efficaci, non effectum reprobationis à gloria: ratio autem, propter quam Deus aliquem reprobet à gratia, & quomodo reprobet à gratia, dictum est nunc suprà. Præterea, dico, quòd etiam permissionis cadendi in primum peccatum in adultis habet causam ex parte reprobi, & peccatoris, accipiendo actum reprobationis, non in se, sed quatenus transit in obiectum, scilicet reprobũ; sed illa non est peccatum aliquod præcedens, sed est actualis difformitas voluntatis peccatoris, qui gratiæ Dei præuenienti assentire non vult, sed ab illa dissentire, & peccare. Ratio autem, propter quam Deus permittat peccatum, suprà est assignata.

Ad secũdã rationem.

28 Ad secundam. Concedo consequentiam, & nego falsitatem consequentis: dico enim, quòd est in potestate reprobati, & predestinati, prædestinari, & reprobari, loquendo de adultis, non de paruulis; de quibus est occultum iudicium Dei, vt in disputatione sexagesimasecunda dicam.

DISPVTATIO LX.

Vtrum, qui gratiæ præuenienti assentit, maiori gratia semper moueatur, quam qui non assentit.

Ordo disputationis statuitur, & rationes communes eorum, qui dicunt gratiam in eo, qui assentit, semper esse maiorem, proponuntur.

Cap. Primum.

1 IN hac disputatione consistit magna pars difficultatis, quæ agitatur in materia concursus auxiliorum Dei cum libero arbitrio ad opus pium, & bonum, ac Deo acceptum, de quo recentiores multa fusè disputant, de quibus, si dabitur, ipse quoque alias tractabo; nunc hæc sufficiat ad maiorem dilucidationem opinionis, quam puto Scoti in hac materia.

Cæteræ enim quæstiones, quæ in hac materia examinantur: vt de scientia, quam vocant conditionatam: de concursu primæ causæ cum secundis: de prædestinatione, & reprobatione, ideò tractantur, quia sunt necessariæ ad aliquem punctum huius disputationis declarandum, vel ad aliquod argumentum dissoluendum, ideò hæc est diligenter, sed breuius ac fieri poterit, pertractanda; prolixitas enim in hac materia, sicut in alijs, obscuritatem, & nauseam parit: ideò necessaria tantummodo, & quæ punctum difficultatum occurrentium tãgunt, afferam. Notandum est autem pro intelligentia tituli quæstionis, quòd, vt patebit ex dicendis, idem est quærere, An gratia in eo, qui assentit, sit semper maior, quam in eo, qui non assentit, & quærere, Vnde gratia habeat suam efficaciam; communiter enim dicimus, gratiam efficacem esse eam, qua quis assentit, sufficientem verò, qua quis non assentit, licet possit assentire. Totus labor ergo est in declarando, Vnde gratia habeat suam efficacitatem, An scilicet hanc habeat, quia ipsa semper est maior, quàm sufficiens, quæ est gratia illius, qui non conuertitur, vel aliunde, idest ex assensu liberi arbitrij.

Duo capita opinionũ.

2 Hic sunt duo capita opinionum, quorum quodlibet subdiuiditur postea in diuersas, & oppositas sententias, vt est videre apud Suarez in opusculis præsertim li. 3. & Vasquez p. p. disputatione 98. Bannes p. p. quæst. 23. art. 3. Aluarez, Lessium, & alios, vt infrà suis locis dicitur. Primum est eorum, qui dicunt, gratiam in eo, qui assentit, semper esse maiorem in se, prout prouenit à Deo præcisè, nulla habita ratione liberi arbitrij, & hac ratione dici efficacem, quia ipsa ex se facit liberum arbitrium assentire. Aliud caput opinionum est, gratiam non semper esse maiorem in eo, qui assentit, quàm in eo, qui non assentit; sed quandoque esse æqualem, atque aliquando ex duobus æquali auxilio præuentis, vnum assentire, & alium dissentire; & proindè efficaciã gratiæ prouenire ex consensu liberi arbitrij. Priorẽ sententiam communiter docent Thomistæ recentiores, disputantes de auxilijs, & etiam eorum aduersarij Vasquez, Suarez, & alij, licet postea inter se dissentiant valdè in declarando, quomodo sit maior, & in quo consistat efficacia gratiæ. Secundam opinionem tenent multi ex veteribus, & recentioribus Theologis, vt postea videbimus.

Prima opinio diuiditur in duas partes oppositas.

3 Prior opinio diuiditur deindè in duas partes. Aliqui enim dicunt, quòd gratia in eo, qui assentit, est maior, quàm in eo, qui non assentit, quia illa prædeterminat realiter, & verè liberum arbitrium ad actualem cõsensum, ita quod est impossibile, quòd, stante auxilio illo, liberum arbitrium actu dissentiat; & dicunt, efficacitatem gratiæ consistere in hac prędeterminatione physica, qui modus postea etiam vario modo explicatur, vt videbimus: & hanc sententiam sequuntur Thomistæ totis viribus.

Opin. Thomistarum.

4 Alij dicunt, gratiam in eo, qui assentit, esse maiorem, quia illa gratia prædeterminat liberum arbitrium moraliter ad assensum; est enim gratia congrua, idest data loco, & tempore, & alijs circumstantijs, quas præuidit Deus, quod si adsint, ille assentiet, si non adsint, dissentiet: & ita dicunt, efficaciã gratiæ consistere in prædeterminatione illa congrua; & hanc sententiam sequuntur Suarez, Vasquez, & alij eorum sectatores.

Opin. Vasquez, Suarez, & sectatorum

5 Posterior etiam opinio principalis eorum, qui negant, semper esse maiorem in eo, qui assentit, quàm in eo, qui non assentit, diuersis modis explicatur, de quibus dicemus, nostram sententiam aperiendo. Vt autem ordinatè procedamus. Primùm adducam fundamenta, quibus Thomistæ, & Vasquez, Suarez & alij concorditer sustinent, gratiam in eo, qui assentit, semper esse maiorem. Secundò adducam opinionem particularem Thomistarum, qui sustinent, esse maiorem, quia prædeterminat liberum arbitrium Physicè. Tertiò eam reijciã. Quartò eorum fundamentis satisfaciam. Quintò explicabo opinionẽ asserentium, esse maiorem propter prædeterminationem moralem, & illam reijciam. Sextò ponam opinionem meam, quam puto esse Scoti, & veram. Vltimò satisfaciam rationibus communibus probantibus, semper esse maiorem in eo, qui assentit, quàm in eo, qui non assentit. Quòd ergo gratia in eo, qui assentit, semper sit maior, probatur, & primo sic.

Ordo dicendorum.

1. Ratio q gratia sit maior semper in eo, qui assentit.

6 Primò. Est auctoritas pro hac opinione desumpta ex D. Ioan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ex quo loco colligitur, quòd illius, qui credit in Christum peculiari modo, voluntas disponitur, & mouetur à Deo: trahere enim est modus peculiaris mouendi, & sic trahere aliquem, est specialis modo mouere aliquem. Hoc modo etiam intelligit D. August. hunc locum in libro contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. Cõfirmatur, quia eo loco Christus Dominus reprehendit Phariseos, quòd non crederent sibi, sed murmurarent, eo quod dixerat, quòd ipse erat panis de cęlo descendẽs, & protulit illa verba. *Nolite murmurare inuicẽ; nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum.* Et paulò infrà eodem capite. *Sciebat qui essent non credentes & dicebat. Propterea dixi, non potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Tunc sic. Illi Pharisei, quos reprehendit Christus Dominus, sufficienti auxilio non carebant, alitèr immeritò redarguerentur, & tamen caruerunt aliquo speciali dono, quod

Confirmatur.

indicat Christus per tractionem, & per illa verba. *Nisi fuerit ei datum à Patre meo*. Ergo gratia, quæ facit credentes actu, includit speciale donum supra gratiam sufficientem, quod dicitur gratia efficax, & à toto genere est diuersa à gratia sufficiente, & est semper maior illa.
Ioan. 10. Et rursus Ioannis 10. *Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, & nemo rapiet eas de manu mea, & do eis vitam æternam*. Et rursus. *Qui filij Dei sunt, spiritu Dei aguntur*. Ergo qui saluantur, habent gratiam specialem prædestinationis, & protectionis. Vnde D. August. tractatu 48. in Ioannem, super illa verba. *Propterea non auditis, quia ex Deo non estis*, inquit. *Quomodo ergo istis dixit non estis ex ouibus meis, quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos*.

2. Ratio. 7 Secundò. Est auctoritas D. Pauli ad Rom. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*. Et Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, Ita pater quoniam sic placitum fuit ante te*. Tunc sic arguitur; si non esset maior gratia in eo, qui assentit, quàm in eo, qui non assentit, frustrà admiraretur Paulus, quia tunc cessaret omnis ratio admirationis: posset enim quis dicere, hic conuertitur, quia vult, ille non conuertitur, quia non vult. Miratur ergo Paulus, quare Deus huic maiorem gratiā donet, quàm alteri. In secunda etiam auctoritate habetur quod paruuli, & pusilli habent maiora, & plura dona, quàm sapientes mundi; illi sunt iusti, qui conuertuntur; isti sunt reprobi, qui non conuertuntur; ergo maior est gratia in ijs, qui conuertuntur, quàm in his, qui non conuertuntur.

3. Ratio. 8 Tertiò. Paulus ad Rom. 9. inquit. *Cuius vult miseretur, quem vult indurat*. Porrò hæc auctoritas videtur ita clara, vt nihil magis, nisi enim maiori gratia vnum præuenisset, quàm alium, non diceret Paulus; Deum vnius misereri, alterum verò indurare: illius enim, cui maiorem gratiam donat, Deus misereri dicitur, illum verò, cui dat minorem gratiam, indurare dicitur: & hāc esse huius loci interpretationem, confirmat D. August. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. circa medium, vbi habet hæc verba, loquendo de ijs, qui vocantur à Deo, sed actu non conuertuntur. *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, vt & mouerentur, & intelligerent, & sequerentur*. Et paucis interiectis. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuant*.

4. Ratio. 9 Quartò. Paulus ibidem. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*. Quæ auctoritas in eundem sensum tendit.

5. Ratio. 10 Quintò. Est auctoritas Baruch 3. cap. *Non hos elegit Deus, neque uiam disciplinæ inuenerunt, propterea perierunt; & quia non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam*. Item scriptura dicit. *Deum indurare*. Paulus Romanos 9. *Deus, quem uult, indurat*, quod à cunctis exponitur per subtractionem gratiæ efficacis. Item Paulo prædicante dicitur Deum *aperuisse cor Lidiæ purpurariæ*, quæ credidit, cæteris non credentibus; ergo illa præuenta est auxilio efficaci, cæteri minimè; ergo datur auxilium efficax, quod est genus auxilij semper maius sufficienti, quo qui saluantur, semper saluantur. Confirmatur illo Ioannis. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, uenit ad me*. At certum est non omnes hoc modo audire; ergo non omnibus datur gratia efficax.

6. Ratio. 11 Sextò. Ex Patribus eadem sententia probatur, & primò ex D. August. patet quòd huius sententiæ fuit, vt videre est in eius expositione super auctoritates sacræ Scripturæ nunc suprà adductas: sed eius insignis locus est in libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 6. vbi sic ait. *Multi audiunt verba veritatis, sed alij credunt, alij contradicunt; volunt ergo isti, nolunt illi, quis hoc ignorat? sed cum alijs præparetur voluntas, alijs non præparetur, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de iudicio*. Hæc auctoritas est multum clara, at enim, hos conuerti, quia eorum voluntas præparatur à Deo, illorum verò nequaquam; ergo maiori gratia præuenitur ille, qui assentit, quàm ille, qui non assentit: hanc vrget Bannes p. p. quæst. 23. art. 3. dub. 3. conc. 10. & dicit, scribendam esse in corde.

12 Septimò. D. August. libro de Correptione & Gratia, distinguit gratiam in sufficientem, & efficacem, his verbis. *Et tanto amplius scilicet adiutorium datur per Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, vt non solum adsit, sine quo permanere nō possumus, etiam si velemus, verum etiam tantum, ac tale sit, vt velimus*. Ergo ex D. August. datur quædam gratia, sine qua non possumus permanere, & operari bonum, etiam si velimus, & hęc est sufficiens præueniens; sed datur alia, quę est tanta, ac talis, vt qui illam habet, velit, ac permaneat: hęc est gratia efficax, quæ necessariò est maior priori, vt patet clarissimè. Et lib. de Bono perseuerantiæ cap. 10. habet hæc verba. *Quoniam vt crederent, non erat datum eis, & vndè crederent, negatum est*. cap. 8. inquit. *Ex duobus itaque paruulis originali peccatū pariter obstrictis, cur ille assumatur, & ille relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impijs, cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei*. Hæc D. August. Alia adducunt Bannes loco citato, & cæteri multi, sed per idem soluuntur, ideò ommitto. 7. Ratio.

13 Octauò. Cęlestinus in epistola prima ad Episcopos Galliæ can. 7. ait. Neminem etiam baptizatum non esse idoneum ad superandas Diaboli insidias, & euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianū adiutorium perseuerantiam hanc conuersationis acceperit; ergo datur speciale adiutorium, & gratia. 8. Ratio.

14 Nonò. D. August. accusabatur à Semipelagianis, quia distinguebat gratiam præuenientem in sufficientem, & efficacem, & volebat quosdam habere efficacē, quosdam verò sufficientem, & addebat, illos saluari tantum, qui habebant gratiam efficacem. Vnde arguebant ipsi contra D. August. quod stante doctrina Augustini præcludebatur via omni correptioni, & comminationi, & desperationem quandam inducat. Hanc verò fuisse sentētiam Massiliensium, & Semipelagianorum, colligitur ex epistola D. Hilarij in Epistolis ad Augustinum, quæ habetur ante librum de prædestinatione Sanctorum, qua refert murmurationes Massiliensium, aduersus doctrinam D. Augustini de duplici gratia nunc dicta: at sententia Semipelagianorum est confutata, & illa D. Augustini est approbata; ergo de fide est asserere, gratiam efficacem esse necessariam, siuè gratiam in eo, qui assentit, esse maiorem, quàm in eo, qui non assentit. 9. Ratio.

15 Decimò. Est auctoritas D. Tho. p. 2. quæst. 112. art. 4. vbi D. Th. quærens, an gratia habitualis sit maior in vno, quàm in alio, respondit, esse quidem maiorem, & assignat pro causa variam dispositionem liberi arbitrij vniuscuiusque, sed subdit, quòd hæc non est prima causa, sed dispensatio diuersa donorum Dei, quibus voluntatem vnius præparat, non autem alterius. 10. Ratio.

16 Vndecimò. Vasquez p. p. disp. 98. cap. 6. pro hac opinione sic arguit. Primò supponit, quòd Deus cognoscit omnia futura sub conditione; cognoscit enim quid ego sim facturus cras tali hora, si tali vocatione vocabor, vel tali, stantē hoc fundamento sic arguit. Illud est maius beneficium, & gratia, quæ alicui maiorem vtilitatem affert; sed gratia efficax, sine qua quis assentit, licet in se quandoque sit remissior, tamen maiorem vtilitatem affert illi, cui datur, quàm alia, licèt sit intensior ei, qui nō assentit; ergo gratia in eo, qui assentit est maior, quàm in eo, qui non assentit. Et confirmatur, quia Deus præui- 11. Ratio.

præuidens, quòd Petrus cum tali gratia conuertetur, quia tali tempore congruit, & eſt in tali diſpoſitione, quòd aſſentiet, Deus eam illi tunc elargitur, & ſic conuertitur, alteri verò, qui non conuertitur, largitur etiam Deus gratiam, ſed in tēpore & in tali circunſtantia, qua ſcit, quòd ille non conuertetur; ergo licèt hæc gratia ſit in ſe æqualis, tamen eſt maior in eo, qui cōuertitur, ratione circunſtantiæ, cum qua illi datur, quàm in eo, qui non aſſentit. Ex hoc ergo habetur, eſſe maiorem gratiam abſolutè eam, qua quis aſſentit, quia licèt auxilium in ſe ſit æquale, tamen, quia Deus largitur tali tempore, & tali circunſtantia, quia Deus ſcit illum aſſenſurum, alteri verò illam gratiam affert tali tempore, ac tali circunſtantia, qua cognoſcit, illum non aſſenſurum, licèt poſſet, ſi vellet; ideò Deus dicitur facere maiorem miſericordiam cum illo, qui conuertitur, & gratiam eſſe maiorē in illo, quia illi eſt congrua, quàm in illo, qui non aſſentit, quia gratia talis illi non eſt congrua.

1. Ratio. 17 Soto lib. 2. de Natura, & Gratia c. 3. adducit tres rationes pro auxilio ſpeciali. Prima eſt. Diſponere ſe ad accipiendam gratiā, eſt conuertere ſe ad Deum, ſed conuerſio ad Deum à ſacra Scriptura tribuitur ipſi Deo præuenēti nos, iuxtà illud, *Deus virtutum conuerte nos*, &c.

2. Ratio. Secunda diſpoſitio ſufficiens, quam certò, & infallibiliter ſequitur gratia, eſt inchoatio quædam iuſtificationis, at Paulus adimit nobis inchoationē iuſtificationis, dum ait. *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis*, vbi nomine cogitationis, ſignificat primā diſpoſitionem, & initium motus, qui eſt iuſtificatio.

3. Ratio. 18 Tertia. Paulus Romanorum 9. nos comparat luto, quod eſt, quo à figulo efformatur vas, vel in honorē, vel in contumeliam: at lutum non ſolum efformatur à figulo, ſed ab eodem molefit, & apparatur, ac diſponitur; non ergo tantum Deus iuſtificat hominem, ſed etiā diſponit ipſum ad iuſtificationem. Adducit etiam D. Auguſt. lib. 3. Hyppognoſticon, vbi expreſsè ait, quòd liberum arbitrium neque incipere poteſt, neque reſpicere bonum ſine gratia Dei; & multas alias auctoritates ad idem confirmandum, quas breuitatis cauſa ommitto. Iſtæ ſunt potiores rationes, quæ adducuntur ab his, qui dicunt, maiorem gratiam eſſe in eo, qui aſſentit, quàm in eo, qui non aſſentit.

Primus modus explicandi allatam ſententiam.
Caput Secundum.

Varij modi exponēdi allatam ſententiam. 1 VErùm, vt ſuprà dixi, non conſentiunt omnes, qui tenent, gratiam eſſe maiorem in vno, quàm in alio, quantum ad declarationem, quomodo ſit maior; ſecundum enim varias opiniones, & explicationes auxilij, ſiuè gratiæ efficacis, vario modo etiā explicant, quomodo gratia ſit maior in illo, qui conuertitur, & dicitur gratia efficax, quàm in illo, qui non conuertitur, & dici-

Vaſquez. tur gratia ſufficiens. Gabriel Vaſquez p. p. diſput. 98. adducit tres modos, qui videntur eſſe eorum Theologorū recentiorum, qui ponunt, gratiam Dei prædeterminare Phyſicè liberum arbitrium; ipſe verò ponit quartum

Suarez. modum, quem ipſe ſequitur, & Suarez in opuſculo de auxilijs, & alij, qui ponunt prædeterminationem moralem, paucis exceptis, de quo cap. 5. Aliqui ergo ex auctoribus priorem ſequentes viam, dicunt, quòd illa gratia

Opinio allata vario modo explicata. eſt maior gratia ſufficiente in ſe abſolutè, itaquòd hæc gratia maior, quæ efficax dicitur, eſt, quæ requiritur ad iuſtificationem, & ſi homo illam non haberet, dato etiā

Primus modus dicendi. quòd haberet gratiam illam, quæ dicitur ſufficiens, non poſſet aſſentire vocationi. Obſerua autem quòd aliqui non vtuntur hoc modo loquendi, *Non poſſet aſſentire*, ſed dicunt, *non aſſentiet*; quia eſt incompoſſibilis conſenſus cum ſola gratia ſufficiēti. Deinde addunt, quòd hæc gratia efficax ita mouet liberum arbitrium ad aſſentiendum, vt diſſentire non poſſit. Vbi iterum obſerua quod aliqui non vtuntur hoc modo loquendi, *Non poſſit aſſentire*, immò dicunt, poſſe diſſentire, ſed vtuntur hoc modo loquendi; cum gratia efficaci eſt incompoſſibilis diſſenſus. Hac duplici ratione eſt maior ea gratia, qua quis aſſentit, quæ efficax dicitur, quàm ea, qua quis non aſſentit, quæ ſufficiens appellatur. Adeò quod hæc opinio duo dicit. Primum, quòd nemo auxilio ſufficienti tātum adiutus poteſt actu aſſentire, ſed neceſſe eſt, quòd illi addatur auxilium efficax. Secundum, quòd habito auxilio efficaci non poteſt homo non aſſentire. Et hæc videtur eſſe opinio Bannes apertè p. p. quæſt. 23. art. 5. circa ſextam, & ſeptimam concluſionem, argumento quinto contra Iauellum, & in reſponſione ad ſeptimum Iauelli, & art. 3. dub. 3. & concluſ. 10. ſolutione ad ſextum, & eadem p. p. quæſt. 14. art. 13. ad 1. 2. & 3. & q. 19. art. 8. & quæſt. 22. art. 4. Ripę p. p. quæſt. 19. art. 8. dub. 1. & quæſt. 23. art. 5. Medinę p. 2. q. 109. art. 10. in fine.

2 Secundus modus explicandi eſt quorundam, qui dicunt, gratiam eſſe maiorem non ſolum quia eſt maior excitatio ex parte intellectus, & voluntatis, ſed quia hæc excitatio habet ſecum quandam applicationem efficacem intellectus, & voluntatis ad bonum, vt voluntas nō poſſit ab illo diſſentire; & hanc opinionem eſſe etiam Scoti nonnulli dixerunt, vt eſt videre apud Suarez libro de auxilijs cap. 5. in fine, & cap. 13. quam etiam ipſe Suarez confutat, ſed re vera falſiſſimum eſt, Scotum fuiſſe huius opinionis, vt diximus diſput. 53. de radice contingentium, & infrà magis patebit. Secundus modus dicendi.

3 Tertius modus eſt quorundam, qui dicunt, hanc gratiam efficacem non eſſe maiorem, quia ſit maior excitatio ex parte intellectus, & voluntatis, quia ſic tenent eſſe æqualem in vtroque, tām in eo, qui aſſentit, quàm in eo, qui diſſentit, ſed gratia in eo, qui aſſentit, eſt maior, quia Deus decreuit cooperari cum gratia in eo, qui aſſentit, cum eo verò, qui non aſſentit, Deus non decreuit cooperari: & ideò ex parte diuini decreti ſunt inæquales iſtæ gratiæ. Terti' modus dicendi.

4 Cæterùm recentiores Thomiſtę, vt Aluarez varijs in locis, & alij quidam videntur iſtos tres modos in vnum complecti; dicunt enim, gratiam, qua quis conuertitur, eſſe maiorem gratia, qua quis non conuertitur propter oēs cauſas adductas ab his tribus modis dicēndi ſimul. Etenim primò dicunt, quod gratia ſufficiēs eſt ſufficiens quidem abſolutè, & ſimpliciter, ſed in ſuo genere tantū, non abſolutè, & completè omnino, ita quod illa poſita, ſtatim neceſſariò ſequatur effectus: poſita enim gratia ſufficienti tantum, non ſequitur effectus. Dant exemplum. Homo per potentiam viſiuam dicitur poſſe videre ſimpliciter, & abſolutè quantum eſt ex parte potentiæ viſiuæ, per quam ſit in actu primo ad vidēdum: non requiritur enim, vt ſuper addatur ei aliqua alia potentia tribuens ei poſſe videre in actu primo; non tamen habet abſolutè omnia, quæ requiruntur ad hoc, vt exeat in actum ſecundum videndi, multa enim alia requiruntur. Ita gratia ſufficiens eſt verè ſufficiens in ſuo genere, & facit voluntatem potentem, & ſufficientem in actu primo, tamen non eſt completè ſufficiens, vt ponat operationem actu in eſſe; gratia verò efficax eſt ſufficiens abſolutè, & completè, itaquod nihil ei deficit: ideò non ſolum facit, vt voluntas creata poſſit facere bonum, ſed facit, vt faciat bonum actu. Et apertè aſſerunt, hæc duo eſſe compoſſibilia, ſcilicet, vt præter auxilium ſufficiens, quod tribuit poſſe, ſit abſolutè neceſſarium aliud præueniens auxilium, ſcilicet gratia efficax tribuens actualiter operari piè. Secundò, negant liberum arbitrium eſſe cauſam partialem operis pij, & iuſtificationis, ſed aiunt, gratiam efficacem eſſe cauſam totalem. Tertiò, addunt liberum arbitrium motum à Deo efficaciter actu diſſentire, eſſe incompoſſibile. Et denique dicunt, liberum arbitrium nō poſſe reſiſtere efficaci auxilio Dei. Quartò, hæc gratia efficax præueniens diſtinguitur à ſufficiente. Quintò, tenent inſuper, Deum ab æterno, efficaci decreto ſuo non ſolum prædeſtinaſſe omnes cauſas liberas, & Quart' modus dicendi. 1. Aſſertio diſp. 79. 18. & 19. 2. Aſſertio diſp 85. 3. Aſſertio diſp. 92. 4. Aſſertio diſp. 73. 5. Aſſertio habetur diſput. 22.

contingentes ad suos effectus in particulari absque præscientia media, sed et in tempore, motione, & auxilio efficaci præuio Physicè, idest verè, & realiter applicare voluntatem creatã, vt faciat infallibiliter suum effectum.

6. Assertio disput. 22. & 73.

Sextò, addunt, gratiam efficacem, quatenus est instrumentum Dei, & à solo Deo prouenit habere quandam virtutem sibi propriam ad efficiendum, vt liberum arbitrium operetur, quam non habet gratia sufficiens.

7. Assertio disput. 23. concl. 3. & sequentib.

Septimò, cum his omnibus asserunt, quòd stante auxilio efficaci, licèt sit incompossibile, quòd actu dissentiat, tamen liberum arbitrium potest dissentire; dicunt enim, quòd auxilium efficax, & actualis dissensus in opus bonum, sunt incompossibilia; tamen auxilium efficax, & potentia ad dissentiendũ, manent simul. Quę quomodo cohæreant, videbimus in confutatione huius opinionis.

8. Assertio disput. 23. concl. 5.

5 Octauò. Si quęratur, quomodo cum hoc auxilio efficaci manet libertas nostra, Respondent, manere hoc modo, quia quando Deus mouet efficaciter voluntatẽ, facit vt liberè velit, & assentiat in opus, ad quod ipsam mouet: ideò efficacia prędestinationis, & prouidentię, & auxilij efficacis, non tollit libertatẽ, sed seruat.

9. Assertio ibid. nu. 30 & disp. 18. num. 23. & alibi.

Nonò, & rursus libertatem seruari, aiunt, quia licet actualis dissensus sit incõpossibilis cum auxilio efficaci, tamẽ potentia dissentiendi manet cum auxilio efficaci, ideò manet libertas.

10. Assertio disp. 118.

Decimò, quòd si quis dicat, non videtur intelligibilis hæc concordia auxilij efficacis cum libero arbitrio in hunc modum declarata. Respondent, hanc concordiam solo lumine naturali non posse cognosci, ideò esse captiuandum intellectum, & retinendam esse doctrinam antiquam D. August. & D. Tho. qui posuerunt, prædestinationem, & prouidẽtiam præfinire efficaciter actus liberos, & tamen cum hac præfinitione dixerunt stare libertatem nostram, quia Deus suauiter mouet voluntatem, ita vt licèt eam prædeterminet ad actum aliquem, facit tamen, vt ipsa seipsam determinet ad illum actum; quæ opinio est D. Thomæ 1. par. quæst. 19. art. 8. & quæst. 22. art. 4. & aliorum multorum ex antiquis.

6 Pro hac opinione in speciali sunt rationes multæ, sed istæ videntur esse principales, quæ ex diuersis materijs, quæ ad hanc habent ordinem, deducuntur.

1. Ratio.

Prima. Nisi admittamus auxilium efficax modo suprà explicato, hoc est prædeterminans liberum arbitrium nostrum modo prædicto, incidimus in hæresim Pelagianam; ergo. Antecedens probatur. Hæresis Pelagij habuit quatuor status. In primo negauit omne auxilium supernaturale, tàm sufficiens, quàm efficax, vt dicebat, sufficere puras vires naturæ. In secundo statu admisit adiutorium gratiæ, sed dixit, illud esse externum, scilicet legem Dei, doctrinam Euangelicam, & exemplum Christi. Dicebat tamen non esse simpliciter necessarium, sed vt facilius pręcepta Dei obseruaremus. In tertio statu admisit gratiam interiorem ad posse, quę est sufficiens, sed negauit efficacem, qua Deus facit vt velimus, & in hoc faciunt vim Thomistæ, quod probant, quia dum D. August. exaltabat gratiam aduersus eos, dicebat, gratiam dari, quæ facit, vt faciamus: at ipsi Pelagiani contrà arguebant. Si talis gratia admitteretur, admitteretur fatum, quod probant ex D. August. lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 5. vbi ait respondens illis. *Nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis meritis hominum, Dei gratiam dicimus antecedi.*

Auctoritas ex lib. de gratia Christi.

Et lib. de gratia Christi cap. 5. referens sententiam Pelagij, ait, eam esse, vt nullo indigeamus eius auxilio, & habet hæc verba. *Et ideò Deus non adiuuet vt velimus, nõ adiuuet vt agamus, sed tantummodo adiuuet, vt velle, & agere valeamus.* Dixit etiam, gratiam sufficientem, quæ est ad posse, non esse simpliciter necessariam, sed solum vtilem. In quarto statu cum Cęlestio dixit, gratiam sufficientem internam ad posse, esse necessariam, sed non ad incipere, sed solum ad perficere: semper negauit gratiam, qua velimus, quæ est efficax. Si ergo negemus nos gratiam efficacem, quæ prædeterminet liberum arbitrium, consentimus Pelagianis.

Confirmatio prima.

7 Confirmatur, quia Pelagiani quoque dicebant, Deum operari in nobis velle quantum ex ipso est, sed ei consentire, & dissentire ita nostrum esse, vt si velimus, fiat, si autem nolimus, vt operatio Dei nobis nihil prosit, efficimus: hæc autem est sententia nostra; ergo incidit in hæresim Pelagianam. Antecedens probatur ex D. August. Epistola 107. ad Vitalem paulò post principium, vbi ait. *Operatur quippè ille, dicit, quantum in ipso est, vt uelimus, cum nota sũt eius eloquia; sed si eis acquiescere nolumus nos, vt operatio eius nihil in nobis possit, efficimus, quæ si dicis, profectò nostris orationibus contradicis.*

Confirmatio secũda.

8 Confirmatur adhuc, quia dicendo, quòd liberum arbitrium facit gratiam efficacem, incidimus in Pelagianum quoddam dictum, quo asserebant, dari causam prædestinationis ex parte nostra, & illam esse merita præuisa. Consequentia probatur, quia tunc sequeretur, quòd Deus homines prædestinaret ad gloriam, ex eo, quòd præuidit eos suo libero arbitrio consensuros gratiæ. Quòd autem Pelagiani assererent, merita nostra præstinationis nostræ causam esse, probant ex D. Aug. libro de Prædestinatione 55. cap. 18. vbi ait. *Elegit ergo* (supple ait Pelagianus) *antequam essent prædestinans filios, quos futuros Sanctos, immaculatosque præsciuit, vtique ipse non fecit, sed illos futuros præuidit.*

2. Ratio.

9 Secunda ratio. Faustus Regiensis, & Cassianus, qui dicti sunt de reliquijs Pelagianorum, dixerunt, gratiam Dei ad incipiendum, & perficiendum, esse necessariam, & primatum esse tribuendum gratiæ, aliquid tamen labori humano quoque, vt scilicet obediat, petat, &c. & Deum expectare liberum arbitrium, vt patet ex eorum scriptis, præsertim ex Fausto lib. p. de libero arbitrio cap. 1. & ex Sancto Augustino lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 1. vbi hanc opinionem tribuit Semipelagianis. Dixerunt etiam, Deum prædestinare ex præscientia boni vsus liberi arbitrij. Modo hæc eadem videtur esse opinio eorum, qui negant, gratiam efficacem prędeterminare liberum arbitrium; dicunt enim gratiam Dei incipere, & coadiuuare, tamen assentire, esse liberi arbitrij, & sic non dari totum Deo, sed aliquid libero arbitrio; quod est contra D. Augustinum in Enchiridion cap. 32. vbi exponens illud D. Pauli. *Non est volentis, nec currentis, &c.* ait, totum esse tribuendum Deo. Verba autem eius sunt. *Restat, vt propterea rectè dictum sit, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, ut totum Deo detur, qui hominis uoluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* quam vrget Bannes p. p. q. 23. a. 3. dubio 3. conc. vltima dicunt etiam, Deum eos prædestinare, quos scientia media præuidit consensuros gratiæ, & sic idem dicere videntur quod Semipelagiani; sed Semipelagianorum sententia est damnata; ergo hæc Catholicorum opinio non videtur approbanda. Quòd Pelagianum sit dicere, Deum expectare nostrum consensum, probant ex Concilio Arausicano can. 4. *Si quis, ut à peccato purgemur, uoluntatem nostram Deum expectare contendat,* &c. & paulò infrà. *Resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicentem, Præparatur uoluntas à Domino.*

3. Ratio.

10 Tertiò. Nisi dicamus, Deum auxilio suo prædeterminare realiter voluntatem ipsam ad actum, non possumus declarare illas auctoritates; *Deus facit, ut faciamus, facit, ut uelimus.* Nam si dicamus, Deum influere in actum voluntatis, & non in ipsam voluntatem, ipsam applicando ad actum efficaciter, etiam si Deus influat ad actum, poterit voluntas non influere, vel casu concurret, & sic Deus nunquam poterit facere, vt faciat, quod velit.

4. Ratio.

11 Quartò. Ex sententia D. Augustini, Gratia efficax in hoc differt à sufficienti, vt ex propria virtute, quatenus est instrumentum Dei, faciat, vt assentiamus; ergo est ma-

eſt maior ſufficienti. Antecedens probatur ex Epiſtola D. Auguſtini 107. ad Vitalem, vbi habet hæc verba. *Quomodo dicis, quod te audio dicere, ut rectè credamus in Deum, & Euangelio aſſentiamus, non eſſe donum Dei, ſed hoc nobis eſſe à nobis ideſt ex propria uoluntate, quam nobis in noſtro corde non operatus eſt ipſe.* Et poſt multa ſimilia verba ſubdit. *Si hæc dicis, noſtris orationibus contradicis.* Ex hoc loco deducunt, Pelagianos negaſſe gratiam illam, qua facit nos aſſentire, & D. Auguſtinum in hoc loco adſtruere, dari gratiam efficacem talem, quæ prædeterminet liberum arbitrium, & faciat eum aſſentire. Rurſus, gratia efficax mutat voluntatem de vno in aliud, & facit illam ex nolente volentem, vnde D. Auguſtinus pluribus in locis hoc dicit, ſed præcipuè lib. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 20. vbi ait. *Deus cor Regis occultiſſima, & efficaciſſima poteſtate conuertit, tranſtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc eſt de uoluntate lædendi ad uoluntatem faciendi, ſecundum illud Apoſtoli, Deus eſt enim, qui operatur in nobis, & uelle.* Similia habet in alijs locis, & lib. de prædeſtinatione 55. cap. 11. & libro de gratia, & libero arbitrio cap. 16. vbi D. Auguſtinus apertè ait, Deum facere Phiſicè, vt faciamus bonum, & adducit auctoritates ſcripturæ ſuperius adductas.

5. Ratio. 12 Quintò. Auxilium efficax eſt complectè ſufficiens; ſed auxilium ſufficiens eſt ſufficiens ſolum in ſuo genere abſolutè, quia aliquid aliud requiritur præter ipſum ad producendum actus; ergo.

6. Ratio. 13 Sextò. D. Auguſtinus ſæpè dicit, totum bonum opus eſſe tribuendum Deo, nihil nobis; ergo gratia efficax eſt, quæ prædeterminat. Antecedens patet in Enchiridion capit. 32. tomo 2. & libro de prædeſtinatione 55. cap. 2. Et confirmatur ratione, quia ſi Deus, & liberum arbitrium eſſent duę cauſæ partiales, ſequeretur, quod virtus Dei eſſet imperfecta; quia indigeret virtute alterius ad aliquem effectum producendum. Præterea nulla cauſa partialis recipit ab alia cauſa partiali ſecum cauſante virtutem propriam cauſandi: at liberum arbitrium, habet à gratia Dei efficienter, vt operetur, & efficiat bonum; ergo gratia efficax eſt cauſa totalis efficiens operis ſui. Quod ſi quis reſpondeat arbitrium noſtrum pendere à Deo in operando, tamquam à partiali cauſa, & magis principali operante, quia ſine auxilio, & cauſalitate Dei non poteſt haberi, & fieri opus bonum, tamen in ſua cauſalitate, quæ conſiſtit in aſſentire, & diſſentire, pendere à ſe ipſo, & hac ratione opus bonum eſſe ipſius merentis.

Argumētū in quo aduerſarij magnam vim faciunt. 14 Contrà, inquiunt. Etiam illud aſſentire gratiæ vocanti, eſt ens, & ens reale; at omne ens reale pendet à prima cauſa quoque: nullum enim ens reale poni in eſſe poteſt ſine concurſu Dei; ergo illud aſſentire quoque eſt à Deo: & ſic totum eſt à Deo, nihil à ſolo libero arbitrio, vt in hoc argumento audio fieri maximā vim.

7. Ratio. 15 Septimò. D. Auguſtinus quæſt. 2. ad Simplicianum poſt medium, exponens illud dictū Pauli ad Roman. 8. *Non eſt volentis, nec currentis, ſed Dei miſerentis;* inquit. *Si propterea ſolum dictum eſt non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas ſola non ſufficit, vt iuſtè, pièque viuamus, niſi adiuuemur miſericordia Dei: poteſt & hoc modo dici; igitur non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur, at illud manifeſtum eſt fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur; illud autem neſcio quomodo dicatur fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus: ſi enim Deus miſeretur, etiam nos volumus, ad eamdem quippè miſericordiā Dei pertinet vt velimus, Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate.*

8. Ratio. 16 Octauò. Voluntas creata non poteſt dici prima radix, & cauſa ſuæ determinationis negatiuæ, quia ſcilicet non habeat aliam cauſam priorem ſe efficientem, à qua concurſus cauſæ eiuſdem, quo effectum illum producit, dependeat. Probatur, quia alioquin voluntas non pēderet à Deo, ſed eſſet omnino Domina ſui actus.

9. Ratio. 17 Nonò. Efficacia auxilij diuini eſt virtus intrinſeca ipſi auxilio, vt à Deo prouenit, qua permouet liberū arbitrium ad aſſentiendum, iuxta illud D. Auguſt. libro de Gratia, & libero arbitrio cap. 16. *Certum eſt nos facere, cum facimus, ſed ille facit, vt faciamus. qui dixit faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis.* Ergo hoc auxilium prædeterminat liberum arbitrium.

10. Ratio. 18 Decimò. Anima Chriſti erat phyſicè prædeterminata ad bonum: quia peccare non poterat, & Beata Virgo in ijs, quæ pertinebant ad redemptionem noſtram ſaltem, alioquin ſi voluntas Virginis nō fuiſſet ſic prædeterminata ad ſic operādum, potuiſſet per eius diſſenſum impediri miſterium Incarnationis. Idem confirmatur ex Conuerſione Pauli, quæ fuit facta in inſtanti, & miraculosè. Idem patet de dono perſeuerantiæ, & confirmationis in gratia, hæc enim dona prædeterminant liberum arbitrium in gratia. Ex his deducitur, non eſſe inconueniens tale auxilium poni cum libertate arbitrij.

11. Ratio. 19 Vndecimò. Prouidentia diuina, & prædeſtinatio eſt certa, & infallibilis quantum ad executionem effectus intenti; ergo media, & auxilia efficacia, quibus hæc infallibilitas nititur, habet virtutem phyſicè prædeterminandi voluntatem ad conſenſum; alioquin ſi aſſecutio finis penderet à libertate humana, poſſet diuina prouidentia falli, quod eſt falſum.

12. Ratio. 20 Duodecimò. Sacra Scriptura dicit, quod voluntas creata non poteſt reſiſtere Dei voluntati efficaci: at niſi Deus auxilio efficaci prædeterminaret voluntatem, poſſet reſiſtere; ergo. Maior probatur Gen. 10. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Et D. Auguſtinus lib. de correptione, & gratia, cap. 14. ait. *Cui volenti ſaluum facere, nullum hominum reſiſtit arbitrium,* &c.

13. Ratio. 21 Tertiodecimò. Bonus vſus liberi arbitrij, quo Deo vocāti conſentit, nō procedit effectiuè à ſola, & innata eius libertate, ſed neceſſariò reducēdus eſt ad Deū tamquam in cauſam priorem operantem per auxilium efficax; ergo. Antecedens probatur, quia tunc homo poſſet dicere, ſe diſcernere ab alijs per fidem ſuam, per ſuum conſenſum: hoc autem eſt contra D. Auguſtinum libro de prædeſtinatione 55. cap. 5. tomo 7. vbi ex Paulo, ait, Deum eſſe, qui diſcernit hominem ab alio per ſua dona. Confirmatur, quia Apoſtolus prima ad cor. 4. *Quid habes, quod non accepiſti; ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* At ſi homo excitatus à gratia haberet in ſe poteſtatem aſſentiendi, poſſet gloriari, & dicere quod ipſe habeat à ſe, quod aſſenſum præberet gratiæ vocanti, & ſic haberet aliquid à ſe, quod non haberet à Deo.

14. Ratio. 22 Quartodecimò. Perſeuerantia eſt proprium donum omnium Prædeſtinatorum, & ſaluandorum, ſed illud eſt ſpeciale donum, quod non habent reprobi; ergo qui ſaluantur, habent maius donum. Maior, quod ſit donum commune omnium, probatur, quia D. Auguſtinus, & Concilium Tridentinum non faciunt differentiam inter Apoſtolos, & eximiè prædeſtinatos, & alios prædeſtinatos; nam. D. Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 12. dicit, perſeuerantiam datam eſſe infirmitati humanæ poſt peccatum, quæ non data fuit Adæ in ſtatu innocentiæ. Dicendo autem quod data eſt infirmitati humanæ, videtur includere omnes prædeſtinatos. Præterea; ſi illud donum datum eſſet tantum Apoſtoli, & non alijs prædeſtinatis, poſſent iſti gloriari, quod habuiſſent perſeuerantiam ex proprio libero arbitrio, non ex Deo. Quod ſi dicas, duplex eſt perſeuerantia; alia quæ eſt donum ſpeciale: alia quæ ex gratia cooperante, & libero arbitrio habetur. Contrà. Concilium, & Sanctus Auguſtinus non cognoſcunt hanc duplicem perſeuerantiam, ſed illam ſolum, quæ eſt donū

speciale, qua quis perseuerat, vsque in finē; omnis enim talis perseuerantia est donum Dei speciale.

15. Ratio. 23 Quintodecimò. D. August. lib. de prędestinatione 55. cap. 5. exponēs illum locum Apostoli. *Quis enim te discernit?* ait. *Gratia discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis, & malis*; ergo boni habent specialem gratiam, quam non habent mali, & qui non conuertuntur.

16. Ratio. 24 Sextodecimò. Reprobatio non habet causam ex parte reprobati & fit per actum absolutum Dei, quo Deus ante præscientiam mali vsus liberi arbitrij vult nō admittere reprobos in Regnum Dei; ergo reprobi nō solum carent illo magno beneficio Dei, scilicet actu illo positiuo electionis ad vitam ęternam, sed habēt actum positiuum ita præiudicialem sibi, quod ordinantur ad carentiam vitæ æternæ; ergo sine dubio maior est gratia eius, qui conuertitur, quàm illius, qui non conuertitur. Antecedens probatur ex illo Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*. Et. *An non habet potestatem figulus ex eadem massa*, &c. Et ex illo. *Antequam boni, uel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret*, &c. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Vbi dicitur expressè, quod Esau non est reprobatus ex operibus malis, sicut nec Iacob est prædestinatus ex operibus bonis.

17. Ratio. 25 Decimoseptimò. Deus ab æterno decreuit absolutè, & antecedenter ad mala opera præuisa non dare auxilia gratiæ ijs, qui in tempore eam non recipiūt.

18. Ratio. 26 Decimooctauò. Liberum arbitrium in actuali vsu dominij, quod super suos actus habet depēdet à Deo tamquam à domino absoluto prædeterminante ante præscientiam futuræ cooperationis quid in particulari sit acturū liberum arbitrium creatum, ita quòd deliberatio, & determinatio ad alteram partem cadit sub prędeliberatione diuina, & pendet ab ea in genere causæ efficientis; ergo non est in potestate liberi arbitrij facere auxilium Dei sibi efficax, & operari bonum. Antecedens probatur per rationes probantes, Deum efficaci suo concursu physicè prædeterminare omnes causas secundas etiam liberas; & probatur Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei sicut diuisiones Aquarum, quocunque uoluerit, uertet illud*.

19. Ratio. 27 Decimononò. Ex eo, quia difficilis est intellectu opinio de prædestinatione physica, & facilis altera opinio, quæ negat, hanc prædeterminationem, non debemus hanc sequi, quia est contraria doctrinæ D. August. & D. Thomæ, & principijs fidei, & quæ sunt de fide lumine naturali non possunt sciri; concordia vsus liberi arbitrij cum prædestinatione, prouidentia, auxilio efficaci est de fide: ideo debet credi, & captiuandus est intellectus.

20. Ratio. 28 Vigesimò. D. Thomas fuit huius opinionis; at D. Thomæ doctrina est approbata. Primò, voce ipsius Christi dicentis ei, *Benè scripsisti de me Thoma*. Deinde Innocentius VI. in quodam sermone de Laudibus D. Thomæ, qui incipit. *Et ecce plusquam Salomon hic*. Ait. *Quod qui tenuit doctrinam D. Thomæ nunquam inuentus est à ueritate deuiasse; & qui eam impugnauerit semper fuit de veritate suspectus*. Vrbanus VI. in bulla ad vniuersitatem Tolosanam iniungit, vt sequantur *Doctrinam D. Thomę tanquam ueridicam, & catholicam*. Adducuntur aliæ auctoritates ex bullis Ioannis XXII. in eius canonizatione, Pij V. & Clementis VIII. sed ista sunt potiora.

Allata opinio reijcitur. Cap. Tertium.

1 ADuersus allatam opinionem multi ex Recentioribus efficaciter insurgunt, & præsertim inculcant duo, quæ ex illa sequi videntur. Primum, quòd Deus esset auctor peccati. Secundum quòd libertas volontatis nostræ auferatur. Ego de hac materia cum omni reuerentia de vtraque opinione agens explicabo, quid secundum Scotum, & meam sententiam iudicem dicendum. Et quidem an ad opinionem allatam sequatur, Deum esse causam peccati dici in propria disputatione, An Deus sit causa peccati cap. 5. pro nunc, allata sententia propter infrascriptas rationes mihi nunquam placere potuit.

2 Allata opinio apertè repugnat multis Concilijs, 1. Ratio. præsertim Concilio Senensi prouinciali celebrato anno 1528. decreto 15. de libero arbitrio, vbi habentur hęc verba. *Nec tamen tantæ gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio*. Et infrà. *Nec denique tale sit trahentis Dei adiutorium, cui resisti non possit*. Quo in loco Concilium apertè loquitur de auxilio præuenienti, quo quis conuertitur de facto, quod appellatur efficax; loquitur enim de homine, qui aperit cor suum Deo per consensum, & inquit, quod hęc tractio, hic motus non est talis, cui resisti non possit; & paulò infra explicans naturam huius tractionis ait. *Trahit quidem Deus, sed in eius odorem currimus, non ui, non unco raptamur*. Ergo potest homo semper dissentire, etiam posito hoc auxilio efficaci; & licet hoc Concilium sit prouinciale, est tamen magnæ auctoritatis, & tota eius doctrina videtur confirmata in Concilio Tridentino.

3 Secundò. In Concil. Tridentino, sessione 6. cap. 5. 2. Ratio. apertè eadem assertio reijcitur: nam loquens de modo quo voluntas nostra diuinæ vocationi, & inspirationi respondet, & assentit, habet hæc verba. *Neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippè qui illam abijcere potest*. Hic autem Concilium loquitur de gratia præueniente, qua quis conuertitur; ergo contra Concilium est asserere, liberum arbitrium non posse abijcere gratiam efficacem, siuè auxilium illud peculiare, quo quis conuertitur, si velit.

4 His duobus Concilijs variæ responsiones afferri solent. 1. Responsio aduersariorum. Prima est quorundam asserentium, hæc Concilia loqui de Gratia sufficienti, non de Gratia efficaci. Certum est autem, liberum arbitrium nostrum posse resistere gratiæ sufficienti, quia (inquiunt) illa tribuit potentiam assentiendi tantum, non autem tribuit, vt actu liberum arbitrium ponat assensum in esse; ideò stant simul gratia sufficiens, & actualis dissensus. Cæterum hęc responsio, etiam ab ipsis Thomistis, refellitur, quia Concilia, & præsertim Tridentinum, loquuntur de auxilio, quod habet homo in instanti iustificationis, & quod facit hominem conuerti ad Deum, & iustificari actu, & denique loquuntur de eo auxilio, quo quis de facto assentit; patet autem secūdū eos, hoc esse auxiliū efficax.

5 Secunda ergo responsio, & communior est, quòd 2. Responsio aduersariorum Bānes p. p. q. 23. artic. 3. dub. 3. cōc. 10. Concilia loquuntur de auxilio efficaci, sed in sensu diuiso, non in sensu composito. Concedunt autem liberum arbitrium in sensu diuiso posse actu dissentire auxilio efficaci, sed negant in sensu composito, eidem posse dissentire. Et quia doctrina de sensu composito, & sensu diuiso est aliqualiter difficilis, hæc responsio quoque est difficilis, tamen eam declarant sic.

Propositio modalis de possibili est duplex, alia est diuisa, alia est composita, idest alia est intelligenda in sensu diuiso, alia est intelligenda in sensu composito. Quid sit sensus compositus, & diuisus secundum Thomistas Diuisa est illa, in qua modus ponitur inter partes dicti, vt, Sortem possibile est currere. Composita est, in qua totum dictum est subiectum, modus est prædicatum; vt si dicamus, Sortem currere est possibile. Inquiunt ergo, quando propositio modalis est diuisa, debet intelligi in sensu diuiso; quando est composita, debet intelligi in sensu composito. Ad propositum, propositiones allatæ ex Concilijs, non sunt modales compositæ, sed diuisæ: nā in his modus non prædicatur de dicto, sed contraponitur dicto: nam hæc est propositio Concilij Tridentini. *Liberum arbitrium motum à Deo, & excitatum, posse dissentire, si velit*. Ecce quod modus, qui est, posse, ponitur inter partes dicti, quarum prima est. *Liberum arbitrium*

trium motum à Deo: altera eſt, *diſſentire, ſi velit*. Si autē propoſitio iaceret ſic. *Liberum arbitrium motum à Deo, diſſentire, ſi velit, poteſt*, eſſet propoſitio modalis compoſita, & deberet intelligi in ſenſu compoſito, quia eius ſenſus eſt compoſitus. Bannes confirmat hanc reſponſionem, quia in ſenſu compoſito homo non poteſt reſiſtere voluntati efficaci Dei, iuxta illud Apoſtoli, Voluntati eius quis reſiſtit?

3. Reſponſio. 6 Tertiam reſponſionem etiam adiūgunt, quòd hęc propoſitio poteſt intelligi quoque in ſenſu compoſito, & eſt vera, ſed eſt diſtinguendum; vel enim fit compoſitio auxilij efficacis cum potentia ad oppoſitum, ſcilicet cum potentia ad diſſentiendum; vel fit compoſitio auxilij efficacis cum actu ſecundo liberi arbitrij oppoſito, ſcilicet cum actuali diſſenſu: primo modo eſt vera, quia ſtante auxilio efficaci prędeterminante liberum arbitrium ad aſſentiendum, adhuc ſtat in eo potentia ad diſſentiendum; ſi verò intelligatur ſecundo modo, eſt falſa, quia auxilium efficax, & actualis diſſenſus repugnant eſſe in eodem ſubiecto. Quæ omnia probantur à ſimili: nam cum dicimus, Chriſtus Dominus, ſtante pręcepto diuino neceſſariò adimplebat pręcepta Dei, & tamen liberè, & Beata Virgo confirmata neceſſariò adimplebat præcepta Dei, & tamen liberè iſtæ propoſitiones ſunt veræ; at hæc neceſſitas cum libertate, non alio modo ſaluatur, quàm cum diſtinctione de ſenſu cōpoſito, & ſenſu diuiſo. Similiter libertas creaturarum, cum præſcientia Dei, & cum prædeſtinatione non ſaluatur alio modo ſecundum omnes, niſi cum hac diſtinctione; cum enim dicimus, Petrus preſcitus à Deo eſſe peccaturum, neceſſariò peccabit, dicimus eſſe verum in ſenſu compoſito, non in ſenſu diuiſo; & ſic ſaluamus libertatem cum neceſſitate. Hoc eodem modo ſaluatur, neceſſitatem conditionatam, neceſſitatem conſequentem, & infallibilitatem euentus non auferre libertatē, ſed ſimul manere in libertate, & contingentia.

Reijcitur. Pro confutatione iſtarum reſponſionum, & pro intelligentia eorum, quæ dicenda ſunt, videndum eſt, quid importent iſti termini, ſenſus diuiſus, & ſenſus compoſitus; declaratio autem debet ſumi ex Ariſt. 1. Perihermenias. de futuris contingentibus in fine. Theologi enim, & Philoſophi, ac Logici doctrinam de propoſitione vera, & falſa in ſenſu diuiſo, vel compoſito ex Ariſt. ipſo deſumunt, vel deſumere habent, ad hoc vt in terminis conueniant, & ſimul diſputare poſſint: ſi enim vnus intelligit vnum terminum vno modo, & alius alio modo, nō erit poſſibile ſimul loqui, nec diſputare. Rem hanc explicat Scotus in primo diſt. 40. ego Ariſtotelem à quo Scotus accepit eam, explicabo.

Quid ſit ſēſus diuiſus, & compoſitus ſecūdū veritatem.

Ex Scoto 1. Sēt. diſt. 40. & ex Ariſtotele. Ariſtot. itaque loco citato, poſtquam probauit dari in rerum natura contingentiam, facit quaſi obiectionem quandam contra ſe, quæ eſt hæc. Quod contingenter dicitur fieri, quando eſt, neceſſariò eſt; ergo non videtur fieri contingenter, ſed neceſſariò. Exempli gratia. Sortes currit contingēter, tamen dum currit, neceſſariò currit. Probatur aſſumptum: quia omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe; ergo dū Sortes currit, non poteſt non currere; ergo neceſſariò currit. Reſpondet deinde Ariſt. diſtinguendo, quòd duplex eſt neceſſitas: alia ſecūdum quid, & ex ſuppoſitione; alia eſt ſimpliciter. Hęc neceſſitas, *omne quod eſt, quando eſt, neceſſè eſt eſſe*, eſt neceſſitas ſecundū quid, nō ſimpliciter; illa enim eſt neceſſitas ſimpliciter, in qua effectus prouenit à cauſa naturaliter, & neceſſariò cauſante, vt ignis calefacit: in allata propoſitione verò, currere, fit à cauſa cauſante liberè, & contingenter; poſſet enim currere, & non currere.

Probat deinde, quòd in ea propoſitione ſit neceſſitas ſecundum quid, non ſimpliciter: quia hæc propoſitio, *omne quod eſt, quando eſt, neceſſè eſt eſſe*, fundatur in illa maxima, duo contradictoria non poſſunt verificari ſimul, & ſemel de eodē ſubiecto, nihil enim poteſt ſimul eſſe, & non eſſe; neque aliquid poteſt ſimul eſſe futurū, & non eſſe futurum; neque enim poteſt Sortes ſimul currere, & nō currere; neque bellum nauale ſimul cras erit, & non erit, quia ſunt contradictoria. Quando ergo alterum contradictorum cōtingens ponitur in eſſe, vt iſtud, Sortes currit, eſt neceſſarium, non ſimpliciter, ſed contingens; eſt tamen neceſſarium ſecundum quid: quia dum illud eſt poſitum in eſſe, eius contradictorium nō poteſt poni in eſſe; & ideò eſt neceſſarium non ſimpliciter, ſed ſecundum quid.

Sed iterum contra ſe quaſi arguit Ariſtot. Iſta propoſitio eſt vera, Neceſsè eſt, ſortem currere, vel non currere: & iſta, neceſsè eſt cras fore, vel non fore bellum nauale; ergo tam præſentia, quàm futura neceſsariò eueniunt. Reſpondet Ariſtot. quòd vnaquęque iſtarum propoſitionum eſt vera, *non tamen, diuiſione facta, eſt vera*, aſſignat rationem, quia non eſt neceſsè, quod cras committatur bellū nauale, neque eſt neceſsè, quod cras non cōmittatur bellum nauale; neque eſt neceſsè, quod Sortes currat, neque eſt neceſsè, quod non currat; ſed vtrumque eſt contingens. Vult ergo dicere Ariſt. quòd iſta propoſitio, Neceſsè eſt cras fore, vel nō fore bellum nauale, eſt vera, & neceſsaria in ſenſu compoſito, & quatenus eſt propoſitio hippotetica coniuncta ſimul per illam diſiunctiuam, vel; non quia id, quod enunciatur per illas duas propoſitiones ſit neceſsariū, ſed quia duo contradictoria non poſſunt ſimul verificari, neque inter illa datur medium, ideò alterum illorum ſemper eſt verum, & alterū falſum; & propter hoc propoſitio cum illa diſiunctiua, vel, eſt veriſſima; fore autem, & non fore cras bellum nauale, ſunt contradictoria, ideò non poſſunt eodem tempore eſſe ſimul; tamen vtrumque, ſcilicet cras fore bellum nauale, vel non fore, eſt contingens, non neceſſarium. Ex hoc loco deſumitur, quid ſit ſenſus compoſitus, & diuiſus: nam iſta propoſitio, Neceſsè eſt cras fore, vel non fore bellum nauale, in ſenſu compoſito, eſt vera, in ſenſu diuiſo, eſt falſa; vt dicit Ariſt. & patet. At hic conſpicitur quod allata propoſitio eſt vera, quatenus componit ſimul duas propoſitiones cathegoricas per particulam illam diſiunctiuā, vel, & fiunt vna propoſitio hippotetica. Eſt verò falſa quatenus illæ duæ propoſitiones cathegoricæ diuiſim ſumuntur, neque coniunguntur per illam particulam, vel, & ſunt duę propoſitiones cathegoricæ abſolutè. Ad propoſitum ex hoc ſequitur, quòd ſecundum Ariſt. illa propoſitio eſt compoſita, ſeù habet ſenſum cōpoſitionis, in qua duæ cathegoricę accipiuntur, vt vna propoſitio hippotetica conflata ex duabus cathegoricis coniunctis ſimul per aliquam particulam, ſiuè illa ſit copulatiua, vel diſiunctiua, vel conditionalis; eſt verò diuiſa, quando illæ duæ propoſitiones cathegoricæ accipiuntur non vt vna hippotetica, ſed vt duæ cathegoricæ diuiſæ, & ſeparatæ.

Ex hoc loco etiam patet, quæ ſit neceſſitas, quæ eſt in propoſitione vera in ſenſu compoſito, non enim eſt neceſſitas ſimpliciter, quæ eſt illa, quæ prouenit à cauſa cauſante neceſſariò, ſed eſt neceſſitas ſecundum quid, quæ prouenit, quia duo contradictoria non poſſunt ſimul ineſſe eidem ſubiecto: & hinc fit, quod propoſitio contingens vera, & neceſſaria in ſenſu compoſito eſt contingens ſimpliciter, & poteſt eſſe falſa in ſenſu diuiſo. Ex his habetur ēt ſenſum compoſitum, & diuiſum propriè habere locum ſolum in propoſitionibus cōtingentibus, non in neceſſarijs; neceſſariæ enim ſunt ſimpliciter neceſſariæ, at contingentes, licèt ſimpliciter ſint contingentes, tamen aliquando ſunt neceſſariæ ſecundum quid, ſcilicet cum accipiuntur in ſenſu compoſito in aliqua, alia, vt dictum eſt.

Ex his duo Corollaria deducuntur. Primum, quod omnis propoſitio, cui competit ſenſus compoſitus, & diuiſus conſtat ex duabus propoſitionibus cathegoricis de eodem ſubiecto, quæ coniunctæ ſimul faciunt vnā propoſitionem hippoteticā reſolubilem in duas cathegoricas. Exemplum in propoſitione allata ab Ariſtot. Cras

erit

erit bellum nauale, vel cras non erit bellum nauale: hæc propositio est hippotetica, & constat ex duabus cathegoricis de eodem subiecto, quarum prima est. Cras erit bellum nauale: altera est. Cras non erit bellum nauale: quæ coniunguntur per illam particulam, vel; subiectum est, cras, prædicatá diuersa sunt, bellum nauale, quia licèt bellum nauale sit vnum prædicatum, tamen quia in prima propositione affirmatur de subiecto, Cras, & in secunda negatur de eadem, Cras, gerit vicem duorum diuersorum prædicatorum: sic ergo coniunctæ istę duæ propositiones per particulam, vel, sunt vna propositio hippotetica composita, & vt sic composita intelligitur, habet sensum compositum: verum quia potest resolui, seu diuidi in duas cathegoricas, quarum prima est. Cras erit bellum naturale; secunda est. Cras non erit bellum nauale, vt sic diuisa concipitur, habet sensum diuisum: & sic ista propositio diuerso modo considerata est vera, & falsa, necessaria, & contingens; in sensu composito, idest vt est vna propositio hippotetica, in qua duę illę cathegoricæ per particulam, vel, est necessariò vera, in secundo sensu scilicet diuiso, non est necessaria, neque necessariò vera, vel falsa, sed potest esse vera, vel falsa, quia vtraque est contingens.

Secundum corollarium, quod maximè ad rem nostram facit, est, quod necessitas, quæ est in propositione ratione sensus compositi, nō est necessitas simpliciter, & absoluta, sed ex suppositione, & secundum quid. Ratio est, quia causa producens effectum, quæ assumitur in tali propositione, causat contingenter, non necessariò. Exemplum. Sortes currens, non potest non currere, est necessaria in sensu composito, sed est necessitas ex suppositione, scilicet, quia duo contradictoria non possunt inesse simul eidem subiecto, tamen absolutè est contingens, quia Sortes liberè, vt contingenter currit, tamen facta suppositione, quod currat, est impossibile, quòd pro illo tunc non currat, & sic necessariò currit.

Ex hoc facilè deprehenditur deceptio, quæ est in responsionibus aduersariorum, dum inuoluunt sensum diuisum, & sensum compositum: & primò patet, falsam esse secundam responsionem, nimirum, propositionem illam Concilij Tridentini, liberum arbitrium nostrum motum à Deo, & excitatum, posse dissentire, si velit, esse modalem, diuisam, non compositam, siuè esse veram in sensu diuiso, non composito. Nam patet quòd est vna propositio modalis quidē, sed hippotetica, quia est composita ex duabus cathegoricis de eodem subiecto, quarum vna est absoluta, altera est modalis. Prima est hæc. Liberum arbitrium nostrum mouetur, & excitatur à Deo. Altera est. Liberum arbitrium dissentire potest, quæ est cathegorica modalis; ibi enim, potest, idem sonat, ac possibile est, vt sensus sit, possibile est, liberum arbitrium moueri à Deo, & ipsum dissentire. Verissimum est ergo quòd est propositio modalis quidem, sed composita: ideò habet sensum compositum, & significat, quòd hæ duæ formę simul possunt inesse libero arbitrio, scilicet, quod liberum arbitrium moueatur, & excitetur à Deo, & quòd simul dissentiat.

Confirmatur, quia si intelligatur vt diuisa, non habet sensum, qui faciat ad propositum Concilij: nam est resoluenda in illas duas propositiones disiunctim, quarū prima est. Liberum arbitrium excitatur, & mouetur à Deo: (supple auxilio efficaci.) Secunda est liberum arbitrium potest dissentire: sic autem diuisim sensus eorum non facit ad propositum Concilij, vt patet: quia Concilium non disputat ibi, An liberum arbitrium possit assentire, vel dissentire absolutè, & diuisim; sed quærit, An simul, & coniunctim stet, quòd dum liberum arbitrium mouetur simul possit dissentire, ita quod hæ duæ formę stent simul in libero arbitrio, nimirum, Motus auxilij efficacis, & dissensus eiusdem liberi arbitrij; & determinat, partem affirmatiuam esse veram. Ideo prorsus vanum est dicere, illam propositionem esse diuisam, siuè intelligi in sensu diuiso, non in sensu composito.

Ex his etiam patet id, quod aiunt, propositionem illam liberum arbitrium nostrum motum à Deo, & excitatum posse dissentire si velit, esse diuisam, quia modus interponitur dicto; esse prorsus vanum: parum enim interest, siuè modus prædicetur, siuè subijciatur, siuè interponatur: nam istæ sunt æquipollentes, & idem valent ridentem, flere, est possibile; & ridentem, possibile est, flere; & possibile est, flentem ridere; vt patet. Falsum etiam illud est, quod aiunt, propositionem istam, *Prædestinatus potest damnari*. non esse compositam, sed diuisam: nam in primis probo ex eorum doctrina, esse compositam; in hac enim propositione componuntur duæ formæ simul in eodem subiecto, scilicet, Prędestinatio, & Damnatio, & enūciatur, possibile esse, damnationem manere in eodem subiecto simul cum prædestinatione, quod quia est falsum, ideò illa propositio in sensu composito, quem præsefert, est falsa. Confirmatur adhuc, quia hæc propositio potest intelligi in sensu diuiso; ergo potest diuidi: non posset autem diuidi in duas propositiones, nisi ex illis confecta esset, propositiones autem ex quibus componitur sunt. Hic homo est prædestinatus; &, Hic homo potest damnari. Diuisa autem sic, est vera: quia secunda istarum propositionum separatim sumpta à prima, potest esse vera: nimirum, quòd homo ille, qui est prędestinatus, damnetur: si enim non esset prædestinatus, posset damnari.

2. Ratio. Præterea, probo, quod ex opinione aduersariorum sequatur propositionem illam, liberum arbitrium motum auxilio efficaci necessariò assentit, esse veram non solum in sensu composito, sed etiam in sensu diuiso, & quod ponant necessitatem non solum sensus compositi, sed etiam sensus diuisi; vndè secundum eos erit necessaria in vtroque sensu. Probo autem sic. Necessitas, quę est in sensu composito, est necessitas ex suppositione, & secundum quid, non necessitas absoluta. Vbi est notandum diligenter, vt suprà diximus (quia hic est punctus, in quo fit deceptio) quòd necessitas ex suppositione, quę est in sensu composito, est necessitas prouenienss, non quia causa efficiens effectum, necessariò efficiat illum, ita quòd causa sit prædeterminata ad illum efficiendū, vel illum naturaliter efficiat, itaquòd ex illa prædeterminatione, vel naturalitate eueniat impossibilitas ponēdi inesse effectum oppositum, sed quia pro vno instanti ponit in actu vnum contradictoriorum, ideò pro illo instanti simul non potest ponere in actu alterum cōtradictorium oppositum: quia duo contradictoria non possunt simul esse in eodem subiecto. Hoc patet exemplis assignatis suprà, vt cum dicimus. *Sortes currens, necessariò currit, vel: Sortes currens, non potest stare.* (istæ enim duæ sunt æquipollentes) sunt veræ in sensu composito. At hæc necessitas est necessitas ex suppositione, quia scilicet posita hac affirmatione, quòd Sortes currat, non potest simul in illo subiecto pro eodem instanti inesse negatio illi opposita, *Sortes non currit*; tamen simpliciter illa propositio, *Sortes currit*, est contingens, & vtraque potest esse vera diuisim, *Sortes currit*, & *Sortes non currit*: quia Sortes se habet contingenter ad currere, ideò potest currere, & non currere; at si Sortes esset ab aliqua causa physicè, & realiter determinatus ad currendum, itaquòd cum illa causa eum prædeterminante ad cursum, esset incompossibile, non currere, illa propositio, *Sortes necessariò currit*, esset necessaria, non solum ex suppositione, sed absolutè, & simpliciter, & nō solum in sensu composito, sed etiam in sensu diuiso. Ad propositum, cum aiunt aduersarij, quod liberum arbitrium motum auxilio efficaci necessariò assentit (siuè, quod idem est, non potest stare cum auxilio efficaci actualis dissensus,) ponunt non solum necessitatem, quę stat cum sensu composito, & necessitatem ex suppositione, sed ponunt necessitatem simpliciter, & absolutam, quæ spectat ad sensum diuisum: quia ista propositio, liberum

berum arbitrium motum auxilio efficaci, necessariò actualiter assenot, secundum aduersarios est necessaria, non solum, quia dum liberum arbitrium motum assentit, necessariò assentit, eo quia, omne quod est, quando est, necesse est esse, sed quia ipsum liberum arbitrium prædeterminatur, & mouetur realiter, & physicè ad actualem illum assensum; ergo hæc est necessitas simpliciter, & absoluta, sicut illa, si Sortes vi moueretur ab Angelo ad aliquem locum, necessariò, & coactè, quantum est ex parte sui, non autem liberè moueretur ad illum locum. Ex hoc ergo patet, quòd hæc prædeterminatio physica non ponit necessitatem sensus compositi, sed necessitatem simpliciter, & absolutam, & quæ ad sensum diuisum spectat.

§. Respōsio rejicitur. Quod etiam dicunt in tertia responsione. Si fiat compositio auxilij efficacis cum potentia ad actum oppositum, scilicet ad dissensum, esse veram, si verò fiat compositio auxilij efficacis cum actuali dissensu, esse falsam; ex eodem fundamento probatur, includere contradictionem: nàm ad contradictoria non datur potentia aliqua; stante autem prædeterminatione ab auxilio efficaci liberi arbitrij ad assentire, non potest manere in eodem libero arbitrio potentia ad dissentiendum, quia daretur potentia ad ponendum actum contradictorium simul cum suo contradictorio, quod est impossibile. Declaratur in simili. Sortes prædeterminatus, & inductus ad currendum pro tali nunc, ita vt pro tali nunc sit impossibile vt non currat, non habet potentiã ad actum oppositum, scilicet ad non currendum pro illo nunc: quia si maneret talis potentia, sequeretur, non esse impossibile, poni simul duo contradictoria in eodem subiecto. Verum est quidem, quòd Sortes currens pro nunc A. habet simul potentiam ad non currendum, sed non pro eodem nunc A. sed benè pro alio nunc successiuè, vt pro B. vel pro C. sequenti, quia hæc est falsissima, Sortes currens pro hoc nunc A. habet simul potẽtiam ad non currendum pro hoc eodem nunc A. Verũ est quòd in eo instanti, quo posuit in actu currere, poterat ponere in esse non currere; siuè poterat non currere quia in potentia eius erat currere, & non currere, & nõdum ad alteram partem se determinauerat: at posito in esse currere, non habet amplius potentiam ad non currendum pro illo nunc: quia tunc haberet potentiam ad ponendum duo cõtradictoria simul esse, scilicet Sortem simul currere, & non currere pro eodem nũc, quod est impossibile. Hoc totum egregiè declaratur à Scoto 1. dist. 39. §. *Quantum ad primum*, versiculo, *Ex isto secundo*, vbi habet hæc verba. *Sed si etiam accipiamus propositionem de possibili vnientem extrema pro eodem instanti, puta istam. Voluntas non volens aliquid pro A. potest velle illud pro A. adhuc ista est distinguenda secundum compositionem, & diuisionem, & in sensu compositionis est falsa, scilicet quòd sit possibilis, quòd ipsa sit simul volens pro A. & non volens pro A. Sensus verò diuisionis est verus, scilicet vt significetur, quòd illi voluntati, cui inest velle pro A. possit inesse non velle pro A. sed nõ sic simul stabit, scilicet istud non velle, quia tunc illud velle non inesset.* Vide ibi Scotum, & pondera verba antecedentia, & sequentia.

Quod verò aiunt, Christum Dominum, stante præcepto diuino, necessariò adimpleuisse præceptum mortis, & similia, & tamen liberè, & B. Virginem, & alios confirmatos in gratia, necessariò, & tamen libere adimpleuisse, & adimplere præcepta Dei. Respondetur, non esse parem rationẽ. Et in primis de Christo Domino: nã ille simul erat Viator, & Comprehensor, & ideò perfectissimè iunctus Deo, quo ad affectionem iustitiæ, propter quod non poterat peccare, nec transgredi præceptũ Dei; & hac in re se habebat, vt modo Beati in Patria, qui etsi liberi sint, non tamen possunt peccare: quia Deus decreuit non concurrere cum eis ad actum peccati, vt diximus in 3. sent. disp. 44. cum Scoto. Ideò habent libertatem, sed non contingentiam ad actum malum. Idem dicendum est de Beata Virgine, & de confirmatis in gratia: isti enim habent libertatem, quia liberè, & ex pleno dominio eliciunt actus suos, sed non habent contingentiam ad actus malos, quia extrinsecus à Deo impediuntur non concurrendo cum eis, nec permittendo. At hæc libertas non sufficit viatoribus de lege communi, sed debemus saluare libertatem cum contingentia, itaquod nec extrinsecè impediantur ad actũ eliciendum, ideò alio modo erat liber Christus ad efficiẽdum opera redemptionis, & Confirmati in gratia, ac nos Viatores puri. Cur autem opera Christi acceptata sint pro meritorijs, etiam si non posset peccare, non autem opera Beatorum, diximus in tertio, loco citato: & nota, quòd hæc est vera libertas, & non tantum actio spontanea, vt alio loco diximus, scilicet disputatione de nobilitate voluntatis, in materia de penitentia.

Quod insuper aiunt, præscientiam infallibilem, & prouidentiam Dei cum libertate humana per distinctionem de sensu composito, & sensu diuiso, saluare, est verum, sed non in sensu intellecto ab ipsis: non enim necessitas sensus compositi est necessitas simpliciter, & absoluta, itaquod, id, quod est necessarium in sensu composito, sit impossibile aliter se habere, vt ipsi accipiunt, sed est necessitas secundum quid, vt dictum est, scilicet, quia duo contradictoria non possunt verificari de eodẽ simul, & semel; & ideò dum ponitur vnum contradictorium, non potest simul poni alterum. Vnde verissimũ est dicere, istam propositionem, Deus scit Petrum peccaturum in A. ergo Petrus necessariò, siuè infallibiliter peccabit pro A. esse veram in sensu composito, quia stante præscientia Dei, Petrus non potest non peccare, non quia Petrus sit prædestinatus ad peccandum pro A. ita vt non sit in potestate sua non peccare, etiam stante præscientia Dei, sed quia non possunt manere simul, pręscientia in Deo peccati Petri, & non peccati Petri. Non possunt autem stare simul, quia inuoluit hanc contradictionem, quòd Deus præsciat, Petrum peccaturum esse pro A. & non præsciat, Petrum peccaturũ pro A. Quòd autem hæc contradictio sequatur declaratur sic. Iam ex hypotesi supponimus, quòd Deus præsciat, Petrum peccaturum pro A. si autem simul deinde ponamus, Petrum non peccare pro A. tacitè supponimus, quòd Deus non præsciat, Petrum peccaturum pro A. nam certum est quòd scit res eo modo, quo sunt futuræ, nec fallitur; ergo si Petrus non peccabit pro A. Deus non potest præscire, quòd Petrus sit peccaturus pro A. & sic sequeretur, quòd Deus præsciret, Petrum esse peccaturum pro A. & non præsciret Petrum peccaturũ esse pro A. quod implicat repugnantiam, & contradictionem. Idem dicendum est de prædestinatione: nam ista est vera in sensu composito, prædestinatus necessariò saluatur; est autẽ vera, non quia prædestinatio prædeterminet, prædestinatum saluari necessariò, quia prædestinatus liberè, & contingenter saluatur, & potest damnari; sed est vera, quia implicat repugnantiam, & cõtradictionem, quòd prædestinatus sit prædestinatus, & non saluetur: sequeretur enim, quòd esset prædestinatus, & non esset pręde stinatus. Consequentia hæc probatur eodem modo, quo de præscientia: nam certum est, quòd Deus prædestinat solum eos, qui saluabuntur: ideò dicendo, ꝙ prædestinatus non saluatur, tacitè dicitur, quòd Deus eum non prædestinauit; si ergo pręde stinatus non saluaretur, necessariò sequeretur, quòd prædestinatus esset prædestinatus, & non esset prædestinatus; quod implicat contradictionem.

Vnde autem scientia Dei habeat certitudinem, dictũ est in primo disp. vltima; eam enim habet ex eo, quòd res sunt diuino intellectui præsentes in esse cognito. Cõtingentia verò, & libertas nostra seruatur: quia decretũ illud diuinæ voluntatis, quo decernit, res futuras esse infallibiliter, præsupponit scientiam conditionatam,

scilicet,

scilicet, quid sit voluntas factura, nec transit in præteritum, vt disputatione, An prædestinatus possit damnari, diximus.

Ad auctoritatem ex D. Paulo, Voluntati eius quis resistit. Respondent, quòd illa est vera de voluntate efficaci, & vltimata, non de voluntate conditionata, & antecedenti: voluntas autem, qua Deus vult electos saluare, est voluntas conditionata, vt ex dictis patet.

2. Ratio principalis. Secundò principaliter. Asserere auxilium efficax, aut decretum diuinæ voluntatis prædeterminare liberũ arbitrium ad opus bonum absolutè, & ante præscientiã quid liberum arbitrium sit voliturum, videtur esse sententiam hæreticorum, Lutheri, & Caluini: nam Caluinus, vt refert Albertus Pighius, & alij contra Hæreticos scribentes in libro 2. Institutionum cap. 3. hęc habet verba. *Mouet Deus liberum arbitrium nostrum, non vt multis sæculis creditum est, vt postea sit nostræ electionis, motioni Dei, aut obtemperare, aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo.* Ecce, Hæretici non negant, Deum agere liberè cum determinat voluntatem nostram ad actum bonum; neque negant, homines habere plenum, atque perfectum iudicium rationis, cum aliquid eligũt; sed dicunt, spontè, & voluntariè illud eligere, tamen adiungunt decreto, & prædeterminatione diuina omnia fieri, neque liberum arbitrium ei posse resistere: Deus enim, inquiunt, ita disponit res, & liberum arbitrium, vt omnino velit quicquid sibi placet; & hinc deducunt, omnia, quæ fiunt in mundo, tàm bona, quàm mala, à Deo efficaciter fieri, & consequenter dicunt, liberum arbitrium esse titulum sine re, vel rem de solo titulo. Si ergo nos asseramus, liberum arbitriũ ita determinari à Deo, vt non agat, nisi id, ad quod Deus eum determinat, licet dicamus, liberum arbitrium, spontè, & cum pleno iudicio rationis se determinare ad illud efficiendum, & hac ratione hominem esse liberum quo ad rem; hæc sententia non videtur distare à sententia Hæreticorum. Hæc ratio semper mihi visa est efficacissima.

Responsio aduersariorum. Huic argumento respondetur, Hæreticos non in omnibus dissentire à Catholicis, vt clarũ est, & ideò in præsenti, Caluinum, & alios Hæreticos non in omnibus dissentire à Catholicis, & præsertim non dissentire in hac propositione. Deus æterno decreto suæ voluntatis, cui nulla creatura resistere potest, prædeterminauit omnes actus bonos, qui in tempore fiunt, & gratia sua efficaciter flectit, & mouet eandem voluntatem, vt tales actus infallibiliter operetur: quia hæc propositio est Catholica, & est D. August. libro de Bono perseuerantiæ cap. 6.

Auctoritas D. August. dicentis. *Nihil fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri permittit; potens ergo est, & à malo in bonum flectere voluntates, & in lapsum pronas conuertere, ac dirigere in sibi placitum, cui non frustrà dicitur, Deus tu conuersus viuificabis nos.* Sed aiunt, Hæreticos dissentire in hoc, quòd ex hoc verò antecedente: Deus ab ęterno decreuit, quid velit, & quid non velit fieri, Hæretici deducunt hanc consequentiam; ergo nulla potest esse in homine libertas arbitrij, quam probant, quia secundum scripturas nullus potest resistere diuinæ voluntati: at auctores Catholici admittentes illud antecedens, negant consequentiã, & dicunt cum illo antecedente stare hoc consequens; Homo motus à Deo, efficaciter, & liberè obsequitur Deo. Rursus errant Caluinus, & alij, quia non solum negant possibilitatem actus oppositi cum efficaci auxilio, sed etiam negant, in libero arbitrio esse potentiam ad actum oppositum, vt dissensum; at Catholici isti auctores dicunt, quod etsi nõ sint compossibiles simul gratia efficax, & actualis dissensus, tamen sunt compossibiles simul, auxilium efficax, & potentia ad dissentiendũ.

Reijcitur. Cæterùm hæc responsio non valet: & primo quidem falsum esse videtur, Caluinum, & alios hæreticos errasse circa consequentiam, non autem circa antecedens, quoniam consequentia videtur, esse necessaria: ideò si antecedens est verum, non videtur consequentia posse negari. Quòd autem consequentia sit vera, & necessaria, probatur, formando sillogismum in forma. Argumentum Caluini est Enthymema, in quo tacetur maior: ait enim, Deus ab æterno decreuit efficaciter sua voluntate, quid velit, & quid non velit fieri; ergo nulla esse potest libertas in homine: subiungatur modo maior sic. Quandocunque causa superior omnipotens, & cui ab inferiori resisti non potest, determinat causam inferiorem liberam efficaciter, & absolutè ad aliquid faciendum, non est in libertate causæ inferioris illud facere, vel non facere: sed sic est, quod Deus ab æterno decreuit efficaciter, & absolutè quicquid vult fieri à voluntate humana, (quæ est causa inferior) vel non fieri; ergo non est in potestate, & libertate voluntatis creatæ illud facere, vel non facere: Maior est euidens ex terminis ipsis: Minor est antecedens, quod Caluinus, & aduersarij concedunt esse verum: Conclusio est consequentia Caluini, vt patet, sillogismus autem est in forma. Cum ergo conclusio sit falsa, necesse est quod altera præmissarum sit falsa, nõ maior vt patet, quia sequeretur, quòd causa inferior posset resistere, & frustrare superiorem omnipotentem, & efficacem; ergo dicendum est, quòd minor est falsa, quæ est illud antecedens concessum ab aduersarijs, & Hæreticis, & dicendum est, quòd Deus non decreuit quicquid vult fieri, vel nõ fieri, sed id quod præuidet liberum arbitrium humanum esse voliturum: & ideò decreuit se cum illo concurrere, & illud efficaciter ponere in esse, & proinde libertas voluntati creatæ, & contingentia rebus non adimitur per decretũ illud.

Sed respondent cum illo antecedente, Deus decreuit infallibiliter fieri à voluntate humana quicquid vult, & efficaciter, verè, & physicè, prędeterminat illam ad hoc, & non illud volendum, stare, quòd voluntas humana liberè illud velit, licet hæc concordia, & simultas naturaliter non sit nota, sed debet credi: quia antecedens est scripturæ, & Sanctorum Patrum, & consequentia similiter. Alia respõsio.

Contrà. Illud, quod implicat contradictionem, non est obiectum fidei, quia scimus, quòd Deus non potest facere, quæ implicant contradictionem, nec quod implicat contradictionem est possibile: at hæc concordia, & simultas libertatis creatæ cum illo decreto efficaci, & auxilio efficaci prædeterminante, implicat contradictionem; ergo non solum non est notum lumine naturali, sed non est credibile, neque est obiectum fidei. Quòd autem ista concordia, & simultas implicet contradictionem, patet ex illa maiori nunc facta superius, quia, si quando causa superior omnipotens, & cui resisti non potest, determinat causam inferiorem ad aliquid faciendum, esset in potestate voluntatis inferioris, resistere, & non resistere, sequeretur, quòd ista causa superior, quæ supponitur omnipotens, non esset omnipotens, & ei resisti posset, quod est contradictio. Est ergo adinueniendus modus cõciliandi, qui non implicet repugnantiam, & contradictionem. Reijcitur.

Alia responsio, quæ est, hos Doctores Catholicos distare ab Hæreticis, quia Hæretici non solum negant, posse simul componi auxilium efficax prædeterminãs, & actualem dissensum liberi arbitrij, sed etiam negant, simul posse esse auxilium efficax, &c. & potentiam ad dissentiendum, at Catholici dicunt, simul posse manere auxilium efficax, & potentiam ad dissentiendum, licet actualis dissensus non possit manere, ex eodem fundamento impugnatur: nàm implicat contradictionem, quòd in voluntate creata, prædeterminata, & mota efficaciter ad aliquem actum pium, sit libertas absoluta, & vera ad ponendum in actu dissensum, & negationem operis illius: nàm licet, quantum est ex intrinseco principio voluntatis hoc posset, tamen absolutè non posset, quia ab extrinseco esset determinata ad assensum in pium opus; ergo nõ habet potentiam veram, & realem ad dissensum, vt suprà dictum est. Alia respõsio impugnatur.

Ad

Ad aucto-ritatem D. August. Ad illud verò ex D. Augustino libro de Bono Perseuerantiæ cap.6.respondetur, verum esse Deum posse voluntatem flectere à malo ad bonum, & hoc dupliciter. Vno modo prædeterminando voluntatem ad bonum concurrendo solum ad bonum, non ad malum: sed hoc efficit solum in Beatis,& confirmatis in gratia. Alio modo non prædeterminando, sed suauiter alliciendo internis inspirationibus,& alijs medijs, quibus voluntas creata, etsi sit libera, & non prædeterminata, tamen nescit dissentire, sed accensa nimio amore ipsa currit in obseruationem præceptorum Dei, & hoc modo vtitur Deus cum peccatoribus, quos iustificat via communi iuxtà dictum Concilij Senonensis suprà allatum.

Præterea. Ex illa auctoritate non habetur hæc propositio, quòd Deus prædeterminet, & præfiniat ex se omnes actus liberos, qui in tempore fiunt, & quòd efficaciter flectat voluntatem ad faciendum omnes actus bonos, vt ipsi dicunt, immò est contra eos, quia disertè ex hac auctoritate habetur, quòd Deus ipse aliqua facit, & aliqua permittit: at illa, quæ permittuntur à Deo, præsertim sunt actus contingentes, qui proueniunt à voluntate creata: quæ autem Deus permittit, non vult voluntate efficaci, sed ea præcisè vult, quia voluntas creata illa vult, vt de se patet; licet differentia sit inter opera pia, & peccata, quia peccata præcisè vult permissiuè, opera verò pia vult affectu, & quantum est ex se, vnde illa promouet, non tamen absolutè illa vult, nec facit sine nobis, sed solū illa vult volūtate conditionata, scilicet si nos illa volumus secundum legem communem.

3. Ratio principalis Tertia ratio principalis. Opinio allata inducit homines in quandam desperationem: si enim Deus decreto immobili decreuit huic dare gratiam efficacem, & prædeterminare suum liberum arbitrium ad bonum opus, non autem illi, & prædestinauit hunc, non illum, absolutè, absque præuisione boni, vel mali vsus liberi arbitrij, gratia præuenienti tamen adiuti, dicet quis, si de salute mea, vel damnatione iam definitum est, siuè malè, siue benè agam, non opus est, vt laborem: nam denique ero talis, qualem me Deus futurum esse decreuit, & ita in torporem,& segnitiem conuertetur.

Responsio Respondent, quòd adiutus efficaci gratia, proculdubio iustificatur, & qui non mouetur efficaciter, non iustificatur, neque saluabitur: tamen non debent desperare, neque diligentiam remittere in exequendis bonis operibus: quia Deus decreuit saluare prędestinatos per bona opera, quæ sunt etiam prædestinata, & præordinata à Deo. Et confirmant hoc ex D. Augustino libro

Auctoritas D.Aug. de Bono Perseuerantiæ cap.15. vbi respondet ad hoc argumentum factum contra se, Illud ita procedere contra pręscientiam sicut contra efficaciam gratiæ, & contra prædestinationem: at contra præscientiam nihil valet; ergo neque contra efficaciam gratiæ. Verba autem D. Augustini sunt hæc loco citato. *Nam si quis populo prædicaret sic, siuè nunc rectè viuatis, siuè malè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præsciuit, vel boni, si bonos, vel mali, si malos.* Et propter hanc prędicationem aliqui in torporem, & segnitiem post peccata irent, non propter hoc negandum esset, pręscientiam Dei modo prędicto se habere: ita cū quis dicit populo. *Ita se habet definita sententia Dei de prædestinatione, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, &c. Cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideò nondum surrexistis, quia nec dum vos miserantis gratiæ adiutorium erexit; Veruntamen si qui estis nondum vocati, quos gratia sua prædestinauerit eligendos accipietis tandem gratiam, qua velitis,& sitis electi,& si qui obeditis si prædestinati estis reijciendi, subtrahentur obediendi vires, vt obedire cessetis.* Non propter hoc negandum est, gratiæ efficaciam, & prædestinationem eo modo se habere, quo dictum est.

Reijcitur. Hæc responsio non soluit argumentum, sed illud auget: nam si iam Deus prædeterminauit quid sit facturum meum liberum arbitrium, & de salute mea prædestinauit efficaciter quicquid sibi placuit absque præuisione boni, vel mali vsus liberi arbitrij adulti, proculdubio non pendet hæc salus ex meis operibus bonis, vel malis, ideò parum refert, vt laborem hoc, vel illud facere bonum; immò si Deus prędestinauit,& prædeterminauit me facere opera bona, quibus Beatitudinem consequar, & Iudæ non prædeterminauit opera bona, quibus saluetur, proculdubio frustrà laborat Iudas, vt bonum operetur,& frustrà laboro ego, vt faciam bonum: nam ita gratia, & prædestinatio obtinebunt suum finem, siuè laborem, siuè non; & sic argumentum manet confirmatum.

Ad D. Augustinum. Quod verò adducunt ex D. August. mirificè refellit aduersariorum sententiam,& cōfirmat nostram. Nam D. August. ibi supponit, præscientiam Dei, prædestinationem, ac efficaciam gratiæ eodem modo se habere circa nostrum liberum arbitrium; at præscientia Dei nō prædeterminat liberum arbitrium: licèt enim Deus sit certus quòd Iudas damnabitur,& Petrus saluabitur, tamen præscientia sua non est causa, nec prædeterminat Iudam ad malum, & Petrum ad bonum, nec præfinit opera eorum, sed solum præuidet quid illi sint volituri: & præuidet decretum diuinæ voluntatis condessensurum ad illas operationes, & hac de causa, ait, quòd si quis audiens prædicare, quòd vnusquisque finaliter erit, qualem Deus eum præsciuit, incidat in negligentiam,& torporem, nō propter hoc est neganda præscientia Dei; ratio est, quia Dei præscientia, licèt sit certa, tamen non est causa, vt ille talis, vel talis sit futurus, sed opera eius bona, vel mala; ideò nemo habet occasionem ex certitudine scientiæ Dei incidendi in torporem,& negligentiam. Ita ad propositum ait: si quis audiens prædicare, quòd vnusquisque saluabitur, qui habebit gratiam, & est prædestinatus incidit in torporem, non propter hoc est neganda gratia Dei,& prędestinatio: quia illa sola, licèt sit certa, non est causa, vt vnusquisque sit talis, sed concurrit voluntas liberi arbitrij: ideò nemo propter certitudinem prædestinationis, & collationem gratiæ habet occasionem incidendi in negligentiam. Ex hoc loco ergo habemus, quòd sicut præscientia Dei nō prædeterminat opera bona, vel mala, neque est causa illorum, ita Gratia, Prędestinatio, vel Reprobatio non prędeterminant opera bona, vel mala, neque ipsa sola sunt causa totalis illorum. Ex quo sequitur, quòd non debet quis incidere in torporem, licèt audiat, quòd qui habet gratiam, & est prædestinatus, saluabitur, qui verò non, damnabitur; sed debet laborare, quia ad hæc requiruntur opera nostra, quæ sunt in potestate cuiusque; hęc autem si erunt bona, saluabimur, si mala, damnabimur.

Notandum est insuper, quòd D. August. loco citato de Bono Perseuerantiæ cap.15. loquitur de prædestinatione ad gratiam, non ad gloriam: clarum est autem, quòd Deus confert, & diuidit gratiam suam creaturæ rationali magis, & minus, vt sibi placet, & dat gratiam plus quàm sufficientem quibus vult, & eam nō dat quibus non placet: & ij, quibus dat gratiam plusquam sufficientem, certissimè surgunt à peccato: & ij, quibus plusquam sufficientem nō dat, & sufficientem spernunt, non conuertuntur. Et ideò sensus verborum prædictorum D. August. est, quòd ij, quos decreuerit conuertere per gratiam suam, certò conuertentur: ij verò, quos non vult conuertere per gratiam plusquàm sufficientem, & sufficientem despiciunt, non conuertentur. At ex hoc non datur occasio incidendi in torporem, nec in desperationem, quia ex hoc non sequitur, quòd Deus non det tantam gratiam omnibus, quanta est necessaria ad surgendū à peccato,& operandū bonum, licèt non det omnibus, & semper gratiam plusquàm sufficientem, qua certissimè surgant, & operentur bonum, sed ijs, quibus placet tantum: sufficit enim quod det omnibus tantam

gratiam,

gratiam, quòd peccatum non habeat excusationem: neque sequitur, quòd aliquibus det gratiam efficacem quandam simpliciter necessariam, & prædeterminantem physicè voluntatem, alijs verò eam deneget; & quòd ab æterno prædeterminauerit aliquos absolutè conuertere, & alios non, quia sic peccatum reproborum haberet excusationem, & iniustè damnarentur.

Ex hoc sequitur, nostram sententiam confirmari ex responsione illa communi, quæ solet afferri huic argumento, quæ est, quòd etsi aduersariorum opinio sit vera, non tamen debet prædicari populo ex S. Augustini hoc loco admonitione; quia offendit aures piissimorum. Dicere enim (vt aliquos prædicando dixisse audiui) si es prædestinatus, etiã si 30. annos cũ Scorto vixeris, tãdem gratiam efficacem dabit tibi Deus, & saluaberis. Si autẽ sis reprobatus, etiam si 50. annos in deserto pœnitẽtiam egeris, in extremo vitæ Deus non dabit tibi gratiam efficacem, nec saluaberis. Quod apertè ex aduersariorum sententia sequitur, pias aures offendit. Ex hac responsione inquam, confirmatur nostra sententia: quia veritas nulli nocet, neque prædicatio eius sincera potest offendere pias aures: at prædicatio talis opinionis offendit pias aures; ergo signum est, eam esse contra communem sententiam Catholicorum, & falsam. Huiusmodi enim sunt propositiones pias aures offendentes, & ideò communiter damnãtur. Quòd autem hęc admonitio habeatur ex D. Aug. hoc loco, falsum esse ostensum est.

Præterea notandum est, D. Augustinum ibi, & in toto illo libro, immò in omnibus libris contra Pelagianos, vt sæpissimè testatur expressè contendere, probare gratiam Dei non dari ex nostris meritis, vndè loco citato habet hæc verba, quæ in sequentibus repetit semper, *Dei gratia, idest, quæ non secundum merita nostra datur, sed merè gratis à Deo*, adeò quòd vult, quòd illa gratia, qua quis conuertitur, & qua Deus facit, vt velimus bonum, & prędestinatio ad gratiã non sit nobis data à Deo propter merita præcedentia ipsam gratiam, vt volebant Pelagiani, vel Semipelagiani, contra quos ibi disputat, sed est data, & facta gratis. Non negat autem prædestinationem ad gloriam factam esse ex meritis gratię, vt in disputatione de prædestinatione ex ipso longo sermone ostendimus, neque dicit gratiam, qua facit, vt velimus, & nos conuertit Deus ad se, prædeterminare liberum arbitrium physicè ad opus pium, vt sit incompossibilis cum ipsa actualis dissensus, sed ait, scire nos conuertere, & scire vias omnes, quibus nos conuertere vacat; & in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. circa medium, quem librum approbat eodem libro de Bono perseuerantiæ cap. 20. dicitque ibi, hanc quæstionem de gratia, antequam hæresis Pelagianorum extingeret, se dissoluisse, exponens illud Apostoli ad Corint. 9. Non est volentis, neque currentis &c. ait. *Opus est ergo velle. & currere, non enim frustra dicitur, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; & Sic currite, vt comprehendatis.* Et paulò infrà. *Alter enim Deus præstat vt velimus, alter vt voluerimus; vt velimus enim. & suum esse voluit & nostrũ, suum vocando, nostrum sequendo; quòd autem voluerimus, solus præstat, idest posse benè agere, & semper beatè viuere*. Ecce quod *nostrum esse* dicit quoque *vt velimus*, non incipiendo, quia debet præcedere gratia Dei, sed sequendo; ergo nostrum est sequi, & est in potestate nostra verè, & realiter actus obsequendi, & resistendi. Verum est quidem, aliquando Deum nos ita intensa vocatione vocare, quod ei nullo modo resistemus; & de hac vocatione eximia loquitur sæpè D. August. Hanc habuit Paulus, & multi alij, sed non asserit, Deum semper, & ordinariè omnes sic vocare: multos enim sufficienti auxilio vocat tantum, quod quia non est nimium intensum, liberum arbitrium resistit. Etiam illi, quos eximiè vocat, possent resistere quantum est ex se, sed sic sunt adeò congruenter vocati, vt ait ibidem ad Simplicianũ paulò infrà locum citatum, vt omnino consentiant, & flectant se in consensum, & hac ratione subiungit, dictũ illud Apostoli. *Non currentis est, neque volentis* &c. etiã pati aliam expositionem, scilicet conuersionem, & pium opus esse miserentis Dei, non solum, quia sine eius vocatione non possumus operari bonum, sed quia facit, vt voluntas vocata faciat; at si Deus non posset facere, nos facere, & volũtas nostra posset obsistere, sequeretur, quòd Deus non posset misereri, nisi voluntas assentiret, & sic posset dici, non solum esse miserentis Dei, sed etiam voluntatis volentis, quod videtur potentiæ Dei repugnare; ideò hoc est intelligendum de vocatione nõ ordinaria, sed de illa vehementi, qua Deus absolutè aliquem conuertit, vt de eximijs Sanctis dictum est: non autem hoc verum est de omnibus, quia alter sensus illorum verborum, scilicet quòd intelligatur tantum de vocatione sufficienti, non esset verus, quem tamen D. August. approbauit, & confirmauit auctoritate Lucæ 10. *Et in Terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et Apostoli. *Sic currite, vt comprehendatis.*

Quartò ergo principaliter arguo auctoritate D. Aug. lib. 2. ad Simplicianum, quę mirabiliter conuincit, possibile esse cum gratia efficaci manere dissensum; hæc sunt verba eius. *Quid est ergo, quod sequitur, igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei? an quia nec velle possumus, nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi vt perficiamus adiuuet Deus? opus est ergo velle, & currere, non enim frustrà dicitur, Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis: &, Sic currite ut comprehendatis: nõ tamen volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, vt quod volumus adipiscamur, & quò volumus, perueniamus. Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset: qui etiã ei velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta, reprobus fieret, aliter enim Deus præstat, vt velimus, aliter præstat, quod voluerimus: vt velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo: quod autem voluerimus, solus præstat, idest posse benè agere, & semper benè viuere.* Ex hoc sic argumentor. Gratia efficax secundum aduersarios, est, qua actu velimus: at D. August. ait, *vt velimus enim, & suum esse voluit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*: ergo actus ille, quo Deus facit, vt velimus, est etiam noster; at esse nostrum est idem, quod esse possibile non poni in esse, quia enim est nostrum, possemus non velle, & sic actus ille posset non poni in esse, etiam auxilio efficaci posito in esse. 4. Ratio principalis

Pręterea. Ecce quòd apertè exponit pro tanto dici, opus bonum non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, quia non solum non possumus velle, nisi gratia vocati; nec velle ipsum gratia Dei habitum, aliquid valet nisi Deus adiuuet, vt perficiamus: tamen subiungit opus est velle, & currere, alioquin, nisi velimus, & curramus, non perueniremus; sicuti nec Esau peruenit, quia noluit currere, nec velle. Hæc ergo auctoritas, quam pro se ipsis adducũt, mirificè fauet nobis, & illis aduersatur.

Quintò. Verùm, quia tota difficultas in hac re est auctoritas D. August. adduco auctoritates eius expressas, quibus asserit cum gratia efficaci esse possibilem actualem dissensum, libro de Gratia, & libero arbitrio ad Valentinum cap. 1. ait. *Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent liberũ arbitrium, aut quando gratia Dei defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere curaui* &c. Deinde cap. 2. adducit innumeras auctoritates ex Sacra Scriptura, quibus probatur hominis liberum arbitrium, quæ apud ipsum videri possunt, præsertim autem adducit has Apostolus 1. ad Corint. 7. *Quod vult, faciat, non peccat si nubat, qui autem statuit in corde suo, non habens necessitatem, potestatem autem habens suę voluntatis.* Ecce Apostolus dicit, hominem in opus pium, quod actu facit, (quod non fit actu sine gratia efficaci) non habere *necessitatem*, sed habere *potestatem* suę voluntatis; ergo cũ 5. Ratio principalis

voluntas

voluntas mouetur à gratia efficaci non habet necessitatem assentiẽdi, sed est in libera potestate sua assentire: at si esset impossibilis assensus in sensu composito, vt isti dicunt, ibi esset necessitas, non potestas voluntatis. Item adducitur illud ex 1. ad Cor. 9. *Si volens hoc facio, mercedem habeo*, & suprà in principio illius cap. dixerat, quòd præcepta diuina homini non prodessent, nisi haberet liberum arbitrium. Sed cap. 5. apertè hoc explicat his verbis, loquens de D. Paulo. *Cum igitur haberet hoc meritum malum*, scilicet Apostolus, *redditum est bonum pro malo in eo quod sequutus adiunxit: Sed gratia Dei sum id, quod sum; atque vt ostẽderet & liberum arbitrium, mox addidit, & gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui; hoc enim liberum arbitriũ hominis exhortatur, & in alijs, quibus dicit: Rogamus, ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis; vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, vt propriam perderent voluntatem, tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, cõtinuò, cum dixisset, Gratia eius in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboraui, subiunxit, atque ait, Non ego autem, sed gratia Dei mecum: ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed Dei gratia cum illo.* Ecce non dicit quòd totum sit ex gratia, vt aduersarij dicunt, sed partim ex gratia, partim liberi arbitrij.

Gratia, & liberum arbitriũ causæ partiales operis pij.

Vbi est notandum, quòd dum dicimus, Deum, & voluntatem nostram esse causas partiales operis boni, non intelligimus, vt falsò aliqui putant, quòd vna pars operis boni sit à Deo, & altera pars à voluntate creata, hæc enim expositio est nimis insipida; neque enim cum duo trahunt nauim, alter trahit vnam partẽ, & alter aliam, sed vterque totam nauim trahit, vnusquisque tamen secundum suam vim, quæ vnitæ simul faciunt vnum tractum, & vnam causam totalem; ita Deus non efficit vnam partem operis pij, & voluntas creata alteram, sed vterque agit in suo genere, & est totalis causa in suo genere, quæ tamen vnitæ faciunt vnam integram causam: quia nec gratia sola, nec voluntas creata sola, efficit opus bonum, sed vtraque simul. Exemplum de duobus trahẽtibus nauim, differt in hoc solommodo, quòd duo trahentes nauim sunt in eodem ordine, & genere, sed gratia, & voluntas sunt in diuersis ordinibus; omnes tamen sunt totales in suo genere; in ordine tamen ad effectum sunt partiales & ambę simul faciunt vnam causam totalem, vt dictum est.

Et vlterius. Si gratia prædeterminaret liberum arbitrium, ita vt esset impossibilis dissensus, sola gratia, non autem cum libero arbitrio, concurreret; nec Apostolus posset gloriari, quod gratiam Dei in vanum non recepit, & quòd plus alijs laborauit, quia illud, *nõ recipere in vacuum*, non fuisset suum, sed Dei: itaque ego non video quomodo verificari possit hęc propositio, quòd nec sola gratia, nec solum liberũ arbitrium, sed gratia cum libero arbitrio, efficiat opus bonum, si cum gratia efficaci est impossibilis actualis dissensus liberi arbitrij, si autem dicamus, gratiam vocare, & adiuuare, & liberum arbitrium suo assensu libero simul cum auxilio Dei cooperãs, perficere opus, optimè saluamus, ab vtroque, magis tamen à Deo, opus pium prouenire.

Qũo intelligatur totum tribuẽdum esse Deũ secundum D. Augustinum.

Et proindè est hic notandum, quòd dum D. August. ait, totum tribuẽdum esse gratiæ Dei, vt in Enchyridion cap. 32. quem locum exaggerat Bannes p. p. q. 23. art. 3. dub. 3. conclusione vltima, non vult asserere, quòd re vera gratia sit causa totalis operis boni, itaquòd prædeterminet liberum arbitrium, ab ipso verò partialiter non fiat, quoniam hic oppositum docet, sed vult dicere, nos non debere tribuere aliquam laudem nobis in opere bono, sed totam laudem ipsi Deo. Hinc est, quòd non vtitur D. August. his verbis, totum est à Deo, sed totum detur Deo; verba enim eius sunt hæc. *Non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei, vt totũ Deo detur.* Quòd verò hæc sit mens D. August. patet ex verbis in principio illius cap. in quibus ostendit, se velle reprehendere extollentiam libertatis arbitrij. Verba sunt hæc. *Iterum ne quisque, etsi non de operibus de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis, tanquàm ab ipso incipiat meritum, cui tanquàm debitum reddatur præmium benè operandi ipsa libertas, audiat eundem gratiæ præconem dicentem* &c. Vult ergo D. August. quòd etsi bonum opus partim sit à Deo, & partim à libertate nostra, tamen totũ attribuendum sit Deo, ac tota gloria eidem danda, tùm quia ipse est causa principalis, tùm quia præparat, & preuenit, & coadiuuat voluntatem. Quod confirmatur. Nam idem D. August. primò asserit, proculdubio hominem adultum non posse credere, sperare, nec peruenire ad palmam gloriæ, nisi velit: verba eius sunt. *Cum proculdubio, si homo eius ætatis est, vt ratione iam vtatur, non possit credere, sperare, diligere, nisi velit, nec peruenire ad palmam supernæ vocationis Dei, nisi voluntate concurrente.* Deindè subiungit, *Si ergo verum est hoc, quòd bonum opus etiam pendet à voluntate humana, quomodo verificatur dictum Apostoli. Non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei?* in quo tribuit opus pium Deo: & respondet, quòd si quis dicat, verificari, quia Deus partialiter quoque concurrit, & ideò nisi Deus adiuuet, homo non faceret opus pium: Contra, inquit D. August. à pari posset libertas humana dicere non miserentis, sed currentis, & volentis est hominis; *quia id misericordia sola Dei non implet*, ideò respondet ex mente propria, dictum Pauli hoc modo intelligi, quia etsi opus pium non sit à solo homine, nec à solo Deo, sed ab vtroque, tamen quia voluntas humana pręparatur, & disponitur à Deo, hinc totum opus pium debet dari Deo, & eidem tribui tota gloria; nec liberum arbitrium posse gloriari, quoniam ipsum nec incipit, nec perficit, sed est Deus, qui incipit præparando, & perficit adiuuando. Non ergo negat, liberum arbitrium esse causam partialem, immò hoc affirmat, sed solum negat, hominem posse, & debere gloriari de opere bono, tanquàm de opere proprio: quia etsi sit suum, est tamen donum Dei: ideò non sequitur, quòd sicuti Paulus ait, non est volentis, sed miserentis Dei, ita libertas humana possit dicere, non est miserentis Dei, sed humanę libertatis; & sic gloriari de opere bono, tanquàm de suo opere proprio pręcisè, vel principaliter, quia longe plura cõfert Deus ad opus bonum quàm homo, ideò non est par ratio. Et confirmatur, quia D. August. ibi intendit probare cõtra Pelagianos, quòd liberum arbitrium non incipit opus bonum, vt patet ex illis verbis, *tanquàm ab ipso incipiat meritum*.

Præterea, libro eodem, cap. 2. adducit auctoritatem Apostoli prima ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est.* Ex hoc apertè deducitur, gratiam efficacem facere esse liberi arbitrij, hoc est cõsequi suum effectum operis pij: si enim Timotheus negligat gratiam, opus bonum non facit: si autem non negligat, opus pium efficit. Quòd autem sit in potestate Timothei negligere, & non negligere gratiam, conuincitur, quoniam Apostolus non hortaretur ad non negligendum, si non esset in potestate eius eam negligere.

Et confirmatur auctoritate ibi adducta ad Philemonem. *Nec bonũ tuum vult ex necessitate esse, sed ex voluntate.* Ecce quòd aufert necessitatem ab opere bono; ergo non est necessariũ opus bonum. Apostolus enim hic, & 1. ad Corint. 7. vt suprà, negat necessitatem, quam isti admittunt, scilicet necessitatẽ absolutam, & simpliciter, non necessitatem secundum quid, de qua suprà primo argumento; & hoc potest esse argumentum principale.

Sextò. Tandem hoc confirmo explicando mentem D. Augustini, qua aduersus Pelagianos, & eorum reliquias nititur ostendere necessitatem gratiæ. Mens ergo D. Augustini est ostendere, gratiam non dari ex meritis nostris, itaquòd merita nostra præcedant vel in re, vel in præscientia Dei, & gratia illa sequatur; & quòd vita æterna non datur propter merita liberi arbitrij nuda, & facta sine gratia; sed quod vita æterna datur pro- 6. Ratio principalis

pter merita noſtra facta auxilio gratiæ; & quòd gratia ipſa non ſolū eſt neceſſaria, vt incipiamus, ſed etiam vt nobiſcum cooperetur, alioquin ſi nos deſerat, liberum arbitrium oon poterit aliquod bonum efficere, ſed cadet. Non autem vult quòd gratia detur, vt ipſa prædeterminet liberum arbitrium, vt faciat; atque ipſa ſit tota cauſa operis pij, vt volunt aduerſarij. Quòd autē hæc ſit mens D. Auguſtini, probatur libro eodem de gratia, & libero arbitrio, cap. 4. poſtquam multis auctoritatibus probauit, dari liberum arbitrium, inquit. *Sed metuēdum eſt, ne iſta omnia diuina teſtimonia, & quæcunque alia ſunt, quæ ſine dubitatione plura ſunt in defenſione liberi arbitrij, ſic intelligantur, vt ad vitam piam, & bonā conuerſationem, cui merces æterna debetur, adiutorio gratiæ Dei locus non relinquatur, & audeat miſer homo quando benè viuit, in ſe ipſo, non in Domino gloriari*, &c. Ecce quòd D. Auguſtinus non negat, liberum arbitrium habere vim reſiſtendi gratię Dei, nec dicit, amittere ſuam indifferentiam actiuam cum aduenit gratia, ſed intendit, non eſſe extollendum liberum arbitrium tantum, vt negetur, gratiam Dei eſſe neceſſariam, vt faciebāt Pelagiani. Sed clarius eodem libro cap. 5. habet hæc verba. *Cum dicit Deus, Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: vnum horum uidetur eſſe noſtræ uoluntatis, ideſt: ut conuertamur ad Deum, alterum uerò ipſius gratiæ, ideſt, ut etiam ipſe conuertatur ad nos, ubi poſſunt putare Pelagiani ſuam obtinere ſententiam, qua dicunt, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari.* Ecce quòd ait, hæreſim Pelagianam fuiſſe, gratiam ſecundū merita noſtra dari: & paulò poſt, cum addixiſſet multas auctoritates pro libero arbitrio, habet hæc verba. *Sed illi, qui dicunt, gratiā Dei ſecundum merita noſtra dari, illa teſtimonia ſic accipiunt, ut dicant, meritum noſtrum in eo eſſe, quòd ſumus cum Deo, eius autem gratiam ſecundum hoc meritum dari, ut ſit & ipſe nobiſcum. Item, meritum noſtrum in eo eſſe, quòd quærimus eum, & ſecundum hoc meritum, dari eius gratiam, ut inueniamus eum.* Et paulò infrà. *Et omnino laborant quantum poſſunt, oſtendere, gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari, hoc eſt, gratiam non eſſe gratiam.*

Ex his lucidiſſimè patet, Hæreſim Pelagianam fuiſſe, gratiam oon præcedere, nec præuenire liberum arbitrium, ſed ſubſequi, quam hæreſim confutat in ſequentibus multis auctoritatibus, præſertim Apoſtoli ſecunda ad cor. 15. vbi oſtendit, quòd Paulo nō habenti vllum bonum meritum, Deus dedit ita magnam gratiam, vt ſtatim iuſtificaretur, vndè ait. *Non ſum dignus uocari Apoſtolus, quoniam perſecutus ſum Eccleſiam Dei, ſed gratia Dei ſum id, quod ſum*: hac enim auctoritate apertiſſimè patet, quòd gratia Dei præcedit merita noſtra. Deindè ſubiungit D. Auguſtinus. *Atque ut oſtenderet, & liberum arbitrium, mox addidit, & gratia eius in me uacua non fuit.* Et paulò infrà inquit. *Non ſolam gratiā, nec ſolum liberum arbitrium, ſed vtrumque bonum opus efficere*, vt ſuprà adducendo eius verba, patet. Ex his omnibus conſpicitur, intentionem D. Auguſtini eſſe, oſtendere, gratiam Dei non dari ſecundum merita noſtra, ſed gratiam præuenire, & nos adiuuare ad pium opus, quæ gratia eſt auxilium operans, & cooperans. Vndè infrà cap. 6. ait. *His, & talibus teſtimonijs diuinis probatur, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari.* Et paulò infrà. *Sed planè cum data fuerit, incipiunt eſſe etiam bona merita noſtra, per illam tamen: nam ſi illam ſubtraxerit, cadet homo, non erectus, ſed præcipitatus libero arbitrio.*

Ex his adhuc magis conſpicitur, intentionem D. Auguſtioi eſſe probare, quòd merita ſine gratia Dei nihil valent, & quòd non poſſumus illa facere ſine gratia, ſed illam ſimul cum libero arbitrio efficere eadem: non autem intentionem eius eſſe, aſſerere, gratiam eſſe cauſam totalem meriti, neque eſſe gratiam prædeterminare liberum arbitrium, atque ei auferre cauſalitatem liberam partialem, vt volunt aduerſarij.

Quod tandem confirmatur alijs verbis ſequentibus in eodem cap. 6. *Si enim merita noſtra ſic intelligerent, ut etiam ipſa dona Dei eſſe cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia; quoniam uerò merita humana ſic prædicant, ut ea ex ſemetipſo hominem habere dicant, prorſus certiſſimè reſpondet Apoſtolus, Quis enim te diſcernit? quid habes quod non accepiſti?* &c. Conſpicuum eſt ergo, Hereſim Pelagianam, vel Semipelagianam fuiſſe, vt homo nudo libero arbitrio poſſit opus pium operari, & meritorium ſine gratia Dei; intentio verò D. Auguſtini eſt probare, merita bona ſine gratia Dei præueniēte, & coadiuuante, nō poſſe fieri, & ideò eſſe dona Dei, non quia gratia Dei ſola illa efficiat, ſed quia gratia eſt cauſa principalis, liberū verò arbitrium minus principalis, partialis tamen, non negat merita habere ex libero arbitrio, ita vt non ſit in optione ſua aſſentire, & diſſentire, quia in hoc non redarguit Pelagianos, ſed redarguit, quòd à ſolo arbitrio, vel ab illo primò illa procedant. Concedit ergo, illa eſſe à libero arbitrio, & quidem liberè, & cum omni iodifferentia, alioquin, vt dicebat ſuprà eodem libro cap. 2. in initio, Diuina præcepta nō prodeſſent homini, niſi eſſet liber, & in ſua optione eſſet obſeruare, vel non obſeruare, quia in hoc conſiſtit virtus, & meritum: ſi autem homo eſſet determinatus ad alteram partem, nullum haberet meritum, quia in his, neque meremur, neque demeremur.

Hanc eamdem ſententiam eſſe D. Auguſtini confirmatur ex libro de gratia Chriſti aduerſus Pelagium, & Celeſtium cap. 47. vbi clarè manifeſtat, quænam ſit gratia, quam Pelagius debet conſiteri, vt in communionem Catholicorum recipi poſſit; & quomodo gratia ſe habeat ad liberum arbitrium; totum autem Caput illud, hic poſui ad literam, quia apertè manifeſtat ſententiam D. Aug. in hac materia. Inquit ergo. *Sed quia iſta quæſtio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri, poteſt Pelagius ita ſe latebris obſcuritatis inuoluere, vt etiam ijs, quæ à Santo Ambroſio conſcripta poſuimus, conſentire ſe dicat, & ea ſe quoque ſentire proclamet, ſemperque ſenſiſſe, atque ita ſingula conetur exponere, vt etiam eius ſententię conuenire credantur. Quapropter quātum attinet ad iſtam de diuina gratia, & adiutorio quæſtionem, tria iſta, quæ apertiſſimè diſtinxit, attendite; poſſe, velle, eſſe, ideſt, poſſibilitatem, voluntatem, & actionem; ſi ergo conſenſerit nobis non ſolum poſſibilitatem in homine, etiam ſi nec velit, nec agat benè, ſed ipſam quoque voluntatem, & actionem, ideſt, ut benè uelimus, & benè agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando benè vult, & benè agit, ſi, ut dixi, conſenſerit, etiam ipſam voluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, ut ſine illo adiutorio nihil benè velimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, in qua nos ſua, non noſtra iuſtitia iuſtos facit, ut ea ſit uera noſtra iuſtitia, quæ nobis ab illo eſt, nihil de adiutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controuerſia relinquatur.* Hæc D. Aug. Pōderanda ſunt verba illa. *Si, vt dixi, conſenſerit, etiam ipſā uoluntatem, & actionem diuinitus adiuuari, ut ſine illo adiutorio nihil benè uelimus, & agamus, eamque eſſe gratiam Dei, &c. nihil de adiutorio gratię Dei, quantum arbitror, inter nos controuerſia relinquetur.* Ecce non dicit, Pelagium debere fateri gratiam, quæ faciat totum, ſed gratiam, quæ adiuuet: at qui adiuuat aliquem non facit totum, ſed partialiter partialitate cauſæ, nō partialitate effectus, cōcurrit; ergo dum Deus adiuuat gratia ſua per Chriſtum voluntatem noſtram, ideſt ipſam volitionem, & actionem volendi bonum, non facit totum, ſed partim ipſe, partim liberum arbitrium, licèt Deus ipſe principalius concurrat.

Præterea, libro de ſpiritu, & litera cap. 34. hanc noſtram

Ex libr. de gratia Chriſti.

Ex libr. de ſpiritu, & litera.

stram sententiam expressè tradit: nàm cum in principio cap. 32. proposuisset quæstionem illam, Vtrum volũtas illa, qua credimus, etiam ipsa donum Dei sit, in principio cap. 34. respondendo ad obiectionem quandam ibi factam, quòd peccatum videtur tribuendum esse Deo, quia illud facimus per voluntatem, quam accepimus à Deo, iuxtà illud. *Quid habes, quod non accepisti?* Habet hæc verba. *Attendat, & videat non ideò tantum istam voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est, verum etiam quòd visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus, siuè intrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi, & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siuè intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei ueniat in mentem; sed consentire, uel dissentire propriæ uoluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali vt ei credat, neque enim credere potest quolibet arbitrio, si nulla sit suasio, uel uocatio cui credat, profectò, & ipsum uelle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem uocationi Dei, uel ab ea dissentire, sicut dixi propriè uoluntatis est, quæ res non solum non infirmat quod dictum est, quid enim habes, quod non accepisti? verum etiam confirmat: accipere quippè & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiẽdo, ac per hoc quod habeat, & quid accipiat, Dei est: accipere autem, & habere, utique accipientis, & habentis est.* Illa verba sunt ponderanda. *Quæ res non solum non infirmat, quod dictum est, quid enim habes, quod non accepisti, uerum etiam confirmat.* Docet enim, quod illa verba Apostoli. *Quid habes, quod non accepisti,* non sunt ita accipienda, quod opus bonum non sit quoque partialiter à libero arbitrio. Subiungit deindè, quod huic det talem, ac tantam gratiam Deus, vt eius voluntas suadeatur, alteri verò, etsi non deneget verè sufficientem, tamẽ non det maiorem, ita vt suadeatur, quod tamen posset facere, & videt per sufficientem eum non fore se conuersurum, ascribendum esse, non iniquitati, quia apud Deũ iniquitas non est, sed altitudini iudiciorum Dei. Hanc verò esse sententiam D. Augustini confirmabitur magis ex responsione ad auctoritates eius, quas isti pro se adducunt.

7. Ratio principalis.

Septimò. Contra illam opinionem faciunt omnes auctoritates, quibus dicitur, impium habere in potestate sua iustificari; ex hoc enim sequitur, ipsum posse facere gratiam suam esse efficacem; quæ adducũnt ad probandum, reprobationis primam causam esse ex nobis, non ex Deo, quibus addere possumus ex eodem libro de Gratia, & libero arbitrio cap. 2. D. August. verba illa. *Nemo causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, aduenit hoc à propria uoluntate; quando enim uolẽs facit, tunc dicendum est opus bonum tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est, qui reddet unicuique secundum opera sua.* Ecce quod dicit, bonum opus non esse alienum à voluntate nostra; ergo ab illa pendet, non vt est instrumentum passiuum, & mortuũ, sed vt est actiua, & libera, hæc enim est eius actiuitas: & paulò superius eodem capite. *Quid illud quòd tàm multis locis mandata sua omnia custodiri, & fieri iubet Deus quomodo iubet si non est liberum arbitrium? quid beatus ille, de quo Psalmus dicit, quòd in lege Domini fuit voluntas eius, nonne satis indicat uoluntate sua hominem in lege Dei consistere?* Et nota quod hic *uoluntate sua*, est idem quòd volitione, sua voluntate enim accipitur ibi pro actu secundo, non pro actu primo: ex quo deducitur, quod volitio bona est actus voluntatis, vt voluntas est, & ideò est actus ab ea liberè proueniens, non à sola gratia. Item Ioannis 11. *Noli uinci à malo, sed uince in bono malum*, & similia, quæ adducere superuacaneum esset. Item eodem libro cap. 9. habet hæc verba. *Non enim quia dixit, Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate, ideò liberum arbitrium abstulisse putandus est, quòd si ita esset nõ superius dixisset, Cum timorẽ, & tremore vestrã ipsorum salutem operamini; quando enim iubetur, vt operetur liberum arbitriũ conuenitur, sed ideò cum timore, & tremore, ne sibi tribuẽdo, quod benè operantur, de bonis tàmquam suis extollantur operibus.* Ecce quod ait, gratiam efficacem, quæ est illa, quæ in nobis operatur velle, & perficere, non auferre liberum arbitrium; cum autem ait, non auferre liberum arbitrium, non est intelligendũ, quòd loquatur de potentia liberi arbitrij nuda, sed de actu secundo liberi arbitrij, vel de potentia in ordine ad actum secundũ, potentia enim liberi arbitrij datur propter actum secundũ quod si aufert actum secundum, frustrà ponitur hęc potentia liberi arbitrij.

Ex lib de gratia, & libero arbitrio.

8. Ratio principalis.

D. Th germana opinio.

Octauò. Enixè ego sustineo, D. Thomam malè intelligi ab istis suis sectatoribus, sicuti, & D. August. malè ab illis intelligitur, vt ostensum est: nàm D. Th. non ponit, immò disertis verbis negat, concursum diuini auxilij prædeterminare physicè volũtatem nostram, apertè enim D. Thomas p. 2. quæst. 10. art. 4. tractat in forma hoc quæsitum, Vtrum voluntas de necessitate moueatur à Deo; respondetque negatiuè, & adducit rationem in argumento ad oppositum, quæ est desumpta ex Ecclesiastico c. 15. *Deus ab initio constituit hominem & reliquit eũ in manu consilij sui.* Ex quo subiungit. *Non ergo ex necessitate mouet voluntatem eius.* Deinde in corpore art. ex D. Dionisio de diuinis nominibus cap. 4. inquit, quòd prouidentia diuina non corrumpit, sed seruat ordinem rerum, & habet deindè hæc verba. *Vnde omnia mouet secundum eorum conditionem, ita quòd ex causis necessarijs per motionem diuinam sequuntur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus, sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quę naturaliter mouetur.* Ponderanda sunt verba illa. *Sic Deus illam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.* Ecce quòd D. Thomas apertè ait, Deum non determinare voluntatem ad vnum; attamen aduersarij dicunt, Deum suo concursu prædeterminare voluntatem ad actum vnum certum, scilicet ad tale opus, ex quo sequitur eam necessariò illud efficere; Diuus Thomas autem dicit, quod non ex necessitate Deus eam determinat ad vnum; certum est enim, quòd opus pium non est de numero eorum operum, quæ à voluntate proueniunt naturaliter, sed liberè, & contingenter; ergo Deus non determinat voluntatem eius ad determinatum vnum actum.

Aluarez disput. 23. cõclu. 3.

Nec valet responsio aduersariorum dicentium sensum D. Thomæ esse, non quòd Deus non determinet voluntatem ad illud opus bonum, sed quòd non determinat voluntatem ad faciendum illud opus bonum necessitate, sed determinat, vt faciat illud opus liberè; hæc enim glosa destruit textum: nàm dicit D. Thomas verbis superioribus, quę suprà adduximus, *quòd voluntas est actiuum principium, non determinatum ad vnum, sed indifferenter ad multa se habens*, & quod ideò Deus, qui per suam prouidentiam non corrumpit naturas rerum, mouẽdo eam, *non determinat ad unum, sed remanet motus eius contingens, & nõ necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter mouetur.* Libertas ergo, quam ponit in voluntate, & per quam distinguit à necessitate est indeterminatio ad actum, adeoquod pro tanto est libera, & non necessaria, quia non est determinata ad vnum. Et certè si Deus determinaret voluntatem ad opus bonum, etiã si determinaret vt illud faceret liberè, iam voluntas non

Responsio aduersariorum.

maneret indeterminata ad multa, sed D. Thomas vult quòd remaneat indeterminata ad multa, quia sic est ex sua natura indeterminata, & Deus per prouidentiam suam non vult corrumpere naturam voluntatis. Ab alijs adducuntur alia loca D. Tho. sed hic mihi est euidentissimus.

9. Ratio principalis Nonò. Est hoc argumentum, quod mihi præ alijs efficacissimum videtur. Si gratia efficax ita prædeterminat liberum arbitrium, vt cum illo sit impossibilis dissensus, & insuper hæc gratia necessariò requiritur ad actualem consensum, & sine illa est impossibilis absolutè actualis consensus, & ideò qui illam non habent, non habent omnia requisita ad ponendum actualem consensum in actu, sequitur, peccatum habere excusationẽ; consequens est impium, & contra D. Aug. tractatu 53. in Ioannem, cuius verba infrà cap. 5. ratione 11. adducentur. Ergo non est dicendum, auxilium efficax prædeterminare physicè voluntatem, & illud non omnes habere, sed illos tantum, qui saluantur: quia reprobi haberent excusationem. Antecedens est aduersariorum; consequentia est euidens, qui enim non habet à Deo necessaria ad aliquid faciendum, non tenetur illud facere, quia nemo ad impossibile obligatur.

10 Ratio principalis Decimò. Sequeretur Deum reprobis impossibilia præcepisse: consequens est blasphemia, dicente D. Hieronymo. *Si quis dicat, Deum impossibilia præcepisse, anathema sit*. Consequentia probatur, quia Deus reprobis præcepit obseruationem legis, &c. & tamen non dat illis gratiam efficacẽ, sine qua eis est impossibilis eiusdem obseruantia, & victoria tentationum; ergo.

11. Ratio principalis Opin. Scoti. Vndecimò. Potest confirmari auctoritate Scoti, qui est Doctor classicus, & principalis, ipse enim tenet, voluntatem à nullo principio extrinseco determinari ad actum suum, tàm primum, quàm sequentes, sed ex semetipsa se determinare, & esse indifferentem, vt ostendimus ex quodlib. 21. in disputatione, Vtrum voluntas sit nobilior intellectu cap. 9. 12. & sequentibus. Ex hoc enim principio non rectè intellecto oritur tota hæc longa contentio: ideò plenè de illo in assignata disputatione egimus.

Vide plura in disput. de concursu c. 4.

Præterea. Scotus in 1. dist. 46. ad primum principale respondet, quòd illa auctoritas D. Pauli, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, licèt posset exponi pro distributione accomodata pro omnibus, qui salui fient, tamen inquit, quòd moltò melius posset exponi de voluntate antecedente, sic, id est, Deus vult omnes homines saluare, quantum est ex se, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adiutoria communia, sufficientia ad salutem, sicut de Rege statuente bonas leges, & præfigente Ministros ad custodiam ipsarum, posset dici, quòd vult omnes subditos suos pacificè viuere.

Præterea. Scotus in 1. dist. 40. disputans, An prædestinatus possit damnari, vbi optimè assignat concordiã diuinæ prædestinationis, & prouidentiæ cum libertate humana, quam iam tetigimus in 1. dist. 39. disputatione de cognitione futurorum contingentium, & quam infrà fusius tractabimus. Respondet ad quæsitum dupliciter: primo secundum rem: secundo secundum Logicam; respondendo secundum rem, ait, quod ille, qui est prædestinatus potest damnari, & adducit rationem, quæ est, *Quia voluntas prædestinati propter prædestinationem non est confirmata in gratia, & ita prædestinatus potest peccare, & ita pari ratione in peccato stare finaliter, & sic damnari*. Itaque ex Scoto habemus, quòd differentia inter prædestinationem, & confirmationem, est hæc, quod cõfirmatio determinat voluntatem ad opus bonum, hinc confirmatus non potest peccare, nec consequenter damnari; prædestinatio verò non determinat voluntatem ad opus bonum, sed relinquit eam liberam, & indifferentem, si quidem prædestinatus potest esse finaliter peccator, & damnari, eadem aũt est ratio gratiæ efficacis, & decreti diuinę prædestinationis secundũ aduersarios; ergo sicut prædestinatio non prædeterminat verè, & physicè liberum arbitrium, ita nec auxilium efficax: vndè cum dicitur, prædestinatus non potest damnari, quæ est vera in sensu composito, est intelligenda, (vt ait ibidem Scotus respondendo ad hoc quæsitum secundum Logicam) hoc modo, scilicet quòd aliquis homo, vt est sub hac determinatione prædestinatus, non potest damnari, quod est verum: nam si hoc verum non esset, sequeretur, quòd Deus prædestinaret aliquem ad gloriam, & tamen cum illa prædestinatione staret oppositum in illa persona prædestinata: hoc autem est impossibile, quia tunc Deus falleretur; vndè sicut non potest fieri, quòd Deus sciat, Petrum iturum esse in plateã, & tamen oppositum stet cum illa scientia, quia Deus falleretur, nec tamen scientia Dei determinat rem, nec ponit necessitatem in illa; ita est impossibile, quòd cum diuina prædestinatione alicuius ad gloriam stet oppositũ, scilicet damnatio æterna, & finalis impœnitentia, quia sequeretur, Deum falli, & duo contradictoria verificarentur de eodem. Hæc tamen incompossibilitas prædestinationis, & finalis impœnitentiæ in eodẽ subiecto non prouenit, quia prædestinatio determinet prædestinati voluntatem ad bonum opus, quia prædestinatus, vt diximus, potest finaliter esse peccator, & damnari, sed quia, esse electum ad gloriam à Deo, quod est esse prædestinatum, & finaliter esse peccatorem, sunt formæ incompossibiles, & contradictoriæ: ideò in eodem subiecto simul esse nequeunt. Ex hoc sequitur, quòd cum homo liberè operetur bonum, & malum, ipse sit causa suę prædestinationis, & reprobationis, non totalis, nec partialis principalis, sed partialis minus principalis; & quòd cum actus prædestinationis non transeat in præteritum, tunc homo prædestinetur cum operatur bonum, & reprobetur cum agit malum: ideò in vltimo instanti vitæ (vt ait Scotus) sicut potest esse prædestinatus, ita potest non esse prædestinatus: si est finaliter peccator, non est prædestinatus: si non est finaliter peccator, est prædestinatus. Deus enim non prædestinat eum, quem scit futurum esse finaliter impœnitentem, nec reprobat finaliter pœnitentem. Et hoc conuincitur per rationem Scoti factam ad oppositum, quæ est, Si prædestinatus nõ posset damnari, non esset solicitandum de obseruatione præceptorum, & consiliorum Dei, quia qualitercumque quis operaretur, si esset prædestinatus, saluaretur, si nõ esset prædestinatus, damnaretur, quod est omnino destruere legem Christi. In doctrina ergo Scoti, nec prædestinatio, nec prouidẽtia, nec gratia efficax determinant liberum arbitrium, sed relinquunt illud indifferens. Idem innuit expressè Scotus in 2. sent. dist. 7. quæst. vnica litera N. nàm ibi dixerat, quod causa obstinationis Dæmonum est decretum diuinæ voluntatis nõ conferendi gratiam; ergo videtur eodem modo Deus esse causa obstinationis Viatoris, quem finaliter non pœnitebit: nàm etiam huic non disposuit dare gratiam finalem, qua conuertatur. Respondet Scotus, non esse parem rationem, quia non adest lex vniuersalis Dei, quòd tali peccatori Viatori non det gratiam, immò lex vniuersalis est in oppositum, scilicet, quòd cuicumque Viatori det gratiã suam, vsque ad instans vltimum viæ: de damnatis autem est lex vniuersalis, quod illis amplius non det gratiam, qua pœniteant. Ecce quod Scotus non vult, decretum diuinæ volũtatis esse causam obdurationis absolutè, & efficaciter secundum legem ordinariam, sed voluntatem creatam: siquidem Deus lege vniuersali lata, decreuit dare omnibus verè sufficientem gratiam donec sunt in via.

Hæc sententia confirmatur ex dictis in præcedentibus disput. dist. 40. & 41.

*

Rationes pro superiori sententia soluuntur, & eadem opinio ex ijs magis reijcitur. Cap. IIII.

NVnc satisfaciẽdum est rationibus aduersariorum, & in hoc consistit elucidatio, & confirmatio nostræ opinionis. Quod facit difficultatem in hac materia, est intelligere rectè auctoritates D. August. qui etsi videantur fauere opinioni aduersariorum, tamen re vera non est illius sententiæ, vt patet ex dictis nunc superiori capite, sed quia disputabat aduersus Pelegianos negantes gratiam Dei, adeò gratiam exaltauit, vt videatur destruxisse liberum arbitrium, quod tamen non est verum, vt suprà ex eo ostendimus ex cap. 1. libri de gratia, & libero arbitrio. Cum itaque D. August. non sit sibi contrarius exponendus est per seipsum, & verba eius sunt ponderanda. Hæc autem maxima præ oculis habenda est, quòd D. August. in hoc damnat Pelagianos, quia negabant gratiam gratis nobis dari à Deo, sed dicebant nobis dari ex meritis puri liberi arbitrij, ac liberum arbitrium non ægere gratia Dei, quæ ipsum adiuuet, sed posse ex semetipso operari bonum, atque cum gratia homini confertur à Deo, conferri propter bonũ, quod iam fecerat, vel præuidebatur facturus suis solis viribus, quòd suprà ostendimus esse falsum, & magis confirmatur respondendo ad rationes in particulari.

Ad primã rationem. Ad primam ergo negamus, Pelagium concessisse gratiam, & auxilium Dei præueniens quo possimus efficere opus pium, & D. August. contendere contra eum, & sectatores, vt confiteantur gratiam, qua velimus in sensu aduersariorum, idest, quæ prædeterminet liberum arbitrium, ita vt sit incompossibilis dissensus cum illa, & negamus, hunc fuisse statum tertium hæresis Pelagianæ. Ad probationem primam ex D. August. lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 5. dico, quòd Pelagiani ideò dicebant, gratiam, quam dicit D. August. esse necessariam, esse fatum, quia D. August. vult, quòd gratia Dei præcedat opus pium, non subsequatur: ex hoc enim ipsi inferebant, sed malè; ergo liberum arbitrium tollitur: quia putabant, quòd si liberum arbitrium ex se solum non posset facere opus pium, sed ægeat adiutorio Dei, non sit amplius liberum, & operetur liberè, sed necessariò: quod tamen est falsum, vt ibidem in sequentibus latè ostendit D. Augustinus. Quòd autem hæc fuerit mens Pelagianorum elicitur ex verbis D. August. in eodem loco, quæ sunt. *Ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos uel putare uel putari uelle fatum nos asserere sub nomine gratiæ, quia gratiam Dei non secundum nostra merita dari dicimus, sed secundum ipsius misericordissimam uoluntatẽ qui dixit, Miserebor, cuius miserebor* &c. Ecce non dicit, eos putare D. August. admittere fatum, quia dicat esse necessariam gratiam, qua velimus, sed quia dicebat, gratiam Dei non secundum merita nostra dari; hæc autem multum differunt.

Ad auctoritatẽ ex lib. de gratia Christi. Ad aliam verò auctoritatem ex libro de gratia Christi cap. 5. Respondeo, quod duplex est posse velle, & posse agere opus pium. Primum est posse remotum, nimirum posse, siue possibilitas puri liberi arbitrij. Aliud est posse proximum, quod est posse liberi arbitrij auxilio diuino adiuti. Pelagius concessit primum, & illud appellauit gratiam, & gratuitam voluntatem Dei, quæ nobis illud concessit, appellauit gratiam, vt patet ex verbis eius præcedentibus: sed posse secundum, quod est posse proximum ad exeundum in opus pium, & habet annexum adiutorium Dei, quod nos concedimus, negauit: quæ omnia patent ex verbis D. August. eodem libro cap. 5. quæ sunt. *Scire quippè debemus quòd nec voluntatem nostram, nec actionem diuino adiuuari credit auxilio, sed solum possibilitatem voluntatis, atque operis, quam solam in his tribus nos habere affirmat ex Deo, tanquàm hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura; cætera verò duo, quæ nostra esse voluit ita sint firma, & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant eius auxilio; & ideò non adiuuat, ut uelimus, non adiuuat, ut agamus, sed tantummodo adiuuat, vt velle, & agere valeamus.* Ecce quòd apertè D. Augustinus ait, Pelagium negasse, gratiã Dei adiuuare volũtatem, & operationem nostram bonam, sed dicebat, voluntatem ipsam ex se ipsa esse sufficientissimam: dicebat enim Pelagius, quòd naturæ humanæ infirmitas erat, quod non poterat per semetipsam habere possibilitatem faciendi bonum, idest liberum arbitrium, & ideò opus erat Deum id illi dare; sed eo habito, & habita lege, dicebat nõ esse aliud amplius necessarium, sed esse ex se sufficientissimum ad faciẽdum opus omne bonum: & sic dicebat, velle bonum, & operationem bonam esse ex viribus nostris puris, nec indigere alij gratiæ, nisi creationis, & collationis liberi arbitrij: hoc posse est illud, quod concedebat Pelagius, sed D. August. ostẽdit esse necessarium aliud posse, scilicet proximum, quo actu velimus, & operemur bonum, quod innititur gratiæ. Falsum est ergo, Pelagium concessisse gratiam sufficientem, præuenientem, qua proximè possimus operari bonum; & cõfirmatur alijs verbis sequentibus eiusdem cap. in quibus apertè D. August. ostendit, quod illud posse, quod Pelagius concedebat ex gratia, erat posse purum naturale liberi arbitrij; verba autem sunt hæc. *Non ait* (loquitur de Apostolo) *Deus est enim, qui operatur in nobis posse tanquam ipsi iam velle, & operari per se ipsos habeãt. nec in his duobus adiutorio eius indigeant; sed ait, Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere,* certum est quod illud posse, de quo hic loquitur D. August. non est posse proximũ, quia illud est à Deo; ergo est posse remotum, quod declarant illa verba *tanquam ipsi iam velle, & operari per se ipsos habeant.* Cum ergo D. August. ait, gratiam Dei facere vt velimus, non vult dicere, quod gratia Dei prædeterminet ita liberum arbitrium, vt incompossibilis sit dissensus; sed vult dicere, quod sine adiutorio Dei, non habemus actum, quo velimus, sed eius adiutorio nos præueniente, & concurrente principaliter ad actum illum, partialiter autem, ita vt etiam liberum arbitrium liberè concurrat, & actus sit non solius Dei, nec solius liberi arbitrij, sed vtriusque, qui tribuitur tamen Deo, quia est causa principalior, & est initium, & ne infletur.

Ad primã cõfirmationem. Ad primam confirmationem respondetur, quòd Pelagiani alio modo dicebãt, Deum operari in nobis velle quantum ex ipso est, & aliter Catholici: Pelagiani dicebant, Deum operari velle in nobis, quantum ex ipso est, cum nobis notificat suam legem, & præcepta: hæc erat gratia, quam ipsi concedebant, & sic interpretabantur dictum Apostoli, Deus operatur in nobis velle, nec volebant, Deum vltrà publicationem legis, adiutorio, & auxilio diuino adiuuare liberum arbitrium ipsum præueniendo, & secum cooperando ad bonum opus: at nos Catholici cum D. Agust. dicimus, hanc assertionem repugnare doctrinæ Catholicæ, quia vltrà publicationem legis, quæ non est propriè gratia, Deus adiuuat gratia sua liberum arbitrium ipsum præueniendo, & secum cooperãdo ad bonum opus; ergo quam maximè distat hæresis Pelagianorum à nostra sententia. Quod autem illa, quæ explicata est, sit mens Pelagianorum, patet ex verbis iis adductis. *Cùm nota fiunt eloquia eius.* Ecce qualem gratiam admittebant Pelagiani, scilicet publicationem legis Dei.

Ad secundam confirmationem. Ad secundam confirmationem, Respondetur, nostram prædestinationem esse ex meritis præuisis, contingere duobus modis; vno modo, quod sit ex meritis puri liberi arbitrij præuisis, & factis sine gratia: alio modo ex meritis gratiæ siuè ex meritis gratia diuina factis: primũ asserere est Pelagianum; secundum est Catholicum. Illam autem fuisse hæresim Pelagianam nõ solum ex alijs dictis D. Augustini suprà allatis patet, sed etiam ex ipsis verbis in argumento allatis conspicitur: nàm dicit D. August. quòd ait Pelagianus, Deum ele-

gisse, quos futuros Sanctos immaculatos præscivit. *Vtique non fecit, sed illos futuros præscivit.* Ecce quod Pelagianus negat, Deum facere Sanctos, sed vult Sanctos ex proprijs viribus esse Sanctos, non fieri Sanctos auxilio Dei, & à Deo prædestinari, quia prævidentur futuri Sancti, & immaculati proprijs viribus.

Ad secundam rationem principalem.

Ad secundam rationem, quæ videtur esse magni momẽti aduersus nostram opinionem ex ipsomet textu D. August. facilis est responsio. Dico ergo, Faustum Regiensem, & Cassianum non errasse in hoc, quod dixerunt, gratiam esse necessariam ad incipiendum, & proficiendum, & primatum habere: neque in hoc errauerunt, quod dixerunt liberum etiam arbitrium aliquid operari, scilicet obedire, petere, &c. & Deum expectare liberi arbitrij assensum antequam infundat gratiam iustificantem, neque in hoc reprehenduntur à D. Aug. sed laudantur loco citato libro de prædestinatione SS. cap. 1. his verbis. *Peruenerunt autem isti fratres nostri pro quibus*, &c. Et paulò infrà. *Peruenerunt etiam, vt praeueniri voluntates hominum Dei gratia fateantur, atque vt ad nullum opus bonum, vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Retenta ergo ista, in quæ peruenerunt, plurimum eos à Pelagianorum errore discernunt.* Subiungit deindè, illud in quo adhùc isti cum Pelagianis consentiebãt, & est, quod putabant, fidem nostram, & credere in Christum, non esse donum Dei, sed ex proprijs viribus liberi arbitrij acquiri; hoc est, quod retinebant de reliquijs Pelagianorum. Vnde D. Augustinus eodem libro cap. 4. postquã multis probauit, fidem esse donum Dei, & commemorat se aliàs tenuisse fidem non esse Donum Dei, subiungit hæc verba. *In qua sententia istos fratres nostros esse nunc video, quia non sicut legere libros meos, ita etiam in eis curauerunt proficere mecum.* Non ergo reprehendit Semipelagianos, quia asseruerint, liberum arbitriũ aliquid in opere bono efficere, & Deum expectare suum assensum, antequam impium iustificet; sed quia putabant fidem proprijs viribus naturæ sine gratia Dei acquiri.

Ad illud ex Enchiridiõ

Ad illud ex Enchiridion cap. 23. dictum est superiori capite ratione quinta in fine. Ad aliud verò, quod aiunt, Semipelagianos dixisse Deum prædestinare ex bono vsu liberi arbitrij præuiso: respondetur, vt superiori responsione dictum est, quod Semipelagiani dicebant, homines prædestinari ex præuisione boni vsus liberi arbitrij ex puris viribus naturæ, non ex adiutorio gratiæ. Nos verò dicimus, homines prædestinari ex bono vsu liberi arbitrij, & auxilio gratiæ. Eodem modo ad Concilium Arausicanum, damnat enim eos, qui dicunt, Deum non incipere, sed expectare, vt liberum arbitrium incipiat opus bonum, deinde ipsum sequi; hoc autem est omnino erroneum, nec à nobis asseritur, vt toties dictum est.

Ad Concilium Arausicanum.

Ad tertiam rationem.

Ad tertiã rationem, respondetur, Deum optimè scire ea media, quæ apta sunt mouere voluntatem nostrã, & illa scire adhibere ita suauiter, vt moueat voluntatẽ, vt tamen ipsa liberè cooperetur: si enim trahit sua quémque voluptas, & tamen libertatem non aufert, multò magis impulsus diuinus potest hominem trahere absque eo quòd eius voluntati vim inferat, & prædeterminet, ita vt impossibile sit, dissentire, & hoc modo facit, vt velimus. Quomodo autem causa prima moueat secundam liberam, explicatum est in disputatione de concursu causæ primæ cum causa secunda; motus enim ille causæ primæ in secundam non est aliqua qualitas, vel aliquid aliud receptum in causa secunda à prima, sed ordo essentialis causæ secundæ, vt est forma absoluta ad primam, quæ naturaliter insitum habet, vt mouente prima causa ad aliquem effectum, ipsa quoque moueat, & concurrat ad eumdem effectum: hæc autem subordinatio nõ ponit in causa libera necessitatem, vt facit in causa naturali, sed solum inclinationem, & propensionem, vndè, si concurrere non vult cum causa prima, potest non concurrere, tamen sicut motio suscipit magis, & minus, ita propensio inserta causæ liberæ magis, & minus impellit voluntatem ad cooperandum. Vt exempli gratia: appetitus naturalis voluntatis præsentato obiecto delectabili, magis, & minus mouetur, secundum quod obiectum magis, & minus est potens, & sic magis, & minus inducit voluntatem ad fugam, & prosecutionem obiecti: ita motio diuina, prout est magis, & minus vehemens, mouet voluntatem ad cooperandum: nàm homo ipse in primis cogitationibus, & motibus, non semper mouetur à casu, vt docet Scotus in quolib. 21. sed à Deo per diuinam suam prouidentiam, qua quandoque disponit res, vt tale obiectum primò præsentetur, & moueat voluntatem; & hoc est maximè verum in actibus supernaturalibus; hoc enim modo immittit bonas cogitationes prius, ne dum natura, sed tempore, quam voluntas aliquid velit: ita tamen semper se gerit, vt suauiter moueat, & nunquam prædeterminat, vt sit impossibile dissentire: sed tamen tanta suauitate, licet ita vehementer, quandoque mouet, vt voluntas ab illo sinat se moueri, & prębere assensum: nunquam tamen actus bonus ponitur in esse, nisi cum voluntas creata præbet assensum; & hac ratione dicimus, Deum expectare nostrum consensum; & cum ab æterno determinat concurrere ad actus bonos supernaturales, nunquã facit hãc determinationem efficaciter, & infallibiliter, nisi quia præuidet voluntatem etiam illi auxilio assensum fore præbiturum. Auctoritates ergo illæ, quæ dicunt, *Deus facit, vt velimus, Deus facit, vt faciamus*, intelliguntur sic, quod Deus est primus, qui suo adiutorio nostram voluntatem præuenit, & adiuuat, vt velit, quod si non esset præuenta, & præparata hoc adiutorio Dei, nunquam vellet, nec faceret opus pium. Et hac ratione merita nostra dicuntur dona Dei, non quia Deus prædeterminet liberum arbitrium, ita vt sit impossibile ipsum dissentire; sed quia Deus est prima, & principalis causa illorum bonorum operum. Et cum dicitur, posset voluntas non assentire, & sic Deus frustraretur, nec posset facere, vt faciat. Respondetur, quòd Deus nunquam determinat absolutè, vt falsò supponunt arguentes, quòd voluntas creata faciat hoc, vel illud opus bonum, nisi præsupposito concursu voluntatis creatæ; si tamen vellet, posset, sed tunc destrueret libertatem voluntatis creatæ, & tolleret contingentiam, vt diximus in disputatione de radice contingentiũ: facit tamen quod vult, seruata libertate, eam suauiter mouendo, vt dictũ est. Quod si quis dicat; ergo si Deus vltimata voluntate, & beneplaciti vellet voluntatem creatam aliquid facere absolutè, quod voluntas creata nollet, facere non posset, quod est contra plures auctoritates D. August. dicentis, *Deum mutare voluntates, vt ex nolentibus volentes fiant*, libro de correptione, & gratia cap. 11. 12. 14. & 17. Respondetur hoc Deum facere per gratiam plusquam sufficientem, cui, etsi volũtas creata resistere possit, non tamen resistit, sed finit se moueri ob nimiam congruentiam; hic enim est motus congruus, qui non tollit libertatem, vt diximus, agendo de concursu causæ primæ cum secundis.

Merita nostra, quomodo sunt dona Dei.

Ad quartã rationem.

Ad quartam negatur antecedens. Ad probationem ex D. Augustino Epist. 107. ad Vitalem, dico, ex verbis illis (vt superius in solutione secundæ rationis dictum est) non elici, D. Augustinum velle adstruere gratiam efficacem, quæ prædeterminet liberum arbitrium, vt falsò aduersarij putant, neque de hoc fuisse contentionem inter Pelagianos, & D. August. sed contentionem esse de gratia præueniente, quam Pelagiani negabant, & dicebant, cum nos facimus opus pium, hoc nobis inesse à nobis, non auxilio Dei, sed ex puris nostris viribus; quod iam falsum esse D. August. ibi, & in omnibus libris contendit contra Pelagianos. Quod autem hic sit verus sensus illius loci, patet ex verbis adductis

ductis, & ex ſequentibus, & antecedentibus illius Epiſtolæ.

7 Ad aliud, cum dicitur, Gratia efficax mutat voluntatem; & ad auctoritates ex primo libro contra duas Epiſtolas Pelagianorum cap. 10. & ſimilia. Reſpondetur Deum gratia ſua præuenienti mutare cor Regis ſuauiter mouendo, ſuadendo interius per illuminationem Spiritus Sancti citrà præiudicium libertatis humanæ, ideò non prædeterminat, ita vt ſit impoſſibile diſſentire; ſed tantum mouet vehementer, ita quòd voluntas ſe ſinit mouere, & aſſentit, quia ſibi placet.

Ad quintã. 8 Ad quintam negatur, quòd auxilium ſufficiens nõ ſit completè ſufficiens, & quod præter ipſum neceſſariò requiratur auxilium aliud, quod dicatur efficax; hoc enim ſuperius contra aduerſarios eſt improbatum, & infrà cap. ſequenti adhùc confutabitur.

Ad ſextam 9 Ad ſextam, reſpondetur, quòd etſi aliquando D. Auguſt. dicat totum bonum opus eſſe à Deo, aliquando etiam dixit, bonum opus non eſſe ſolius Dei, neque ſolius hominis, ſed vtriuſque, vt oſtendimus ſuprà ratione quinta contra aduerſarios ex libro de gratia, & libero arbitrio cap. 5. ideò cum dicit, totum opus bonum eſſe Dei, non vult excludere liberum arbitrium, ſed vult laudem tribui Deo, non homini; hoc dicit, ne homo glorietur, licèt partialiter concurrat, quia Deus eſt, qui incipit, & perficit, & ſine ipſo homo nihil efficeret: eſt enim Deus cauſa principalis; ſolet autem opus ſemper tribui principali agenti, & vires præbenti, & præmouenti.

Ad primã confirmationem. 10 Ad rationem, reſpondetur, non ex hoc ſequi, virtutem Dei eſſe imperfectam: quia quòd expectet conſenſum voluntatis, non facit ex indigentia concurſus humani, ſed ex ſua libertate, vt voluntas humana habeat aliquid meriti; niſi enim in optione ſua eſſet aſſentire, & diſſentire, homo non mereretur dum aſſentit.

Ad ſecundam cõfirmationẽ. Ad aliam rationem dico, quod liberum arbitrium non accipit à gratia vim propriam partialem aſſentiendi, ſed illam habet ex creatione Dei: dicitur accipere adiutorium à Deo ad opus bonum, quia ipſum cum ſola ſua actiuitate partiali, quam habet ex proprijs viribus non ſufficit, ideò requiritur gratia Dei, vt altera cauſa partialis concurrens magis principaliter ad opus bonũ. Ideò cum dicitur, liberum arbitrium accipit virtutem operandi bonum à Deo, hoc non intelligitur de propria virtute partiali, ſed de gratia Dei ſuperaddita cum qua eſt adæquatum, & perfectum principium in actu primo ad actu eliciendum opus bonum.

Ad replicã contra reſpõſionem allatam. 11 Et per hoc patet, quod reſponſio ibi allata eſt vera, & replica contra eam, & ſi magnificatur ab aduerſarijs, nullius momenti eſt: nam vel nos volumus concedere libero arbitrio aliquam cauſalitatem actiuam, & humanam ad actum bonum, vel non: quòd non; non poteſt à Catholicis dici, qui tenent liberum arbitrium non eſſe rem de nomine, neque quid emortuum, & veluti inanime quoddam concurrere; concedẽdo ergo libero arbitrio aliquam cauſalitatem humanam, & liberam, qua poſſit aſſentire, & diſſentire, vt ait Concilium Tridentinum, neceſſe eſt dicere, quòd illa cauſalitas eſt, ipſum aſſentire operi bono: omnes enim cauſæ ſecundę in cauſalitatibus ſuorum effectuum habent propriam cauſalitatem, quæ eſt diuerſa à cauſalitate primæ, & pendet ex vi propriæ formæ; alia enim eſt cauſalitas, quam habet ignis in combuſtione ligni, quàm cauſalitas quam habet prima cauſa Deus in eadem combuſtione; neque ignis in illa combuſtione accipit tunc vim, & cauſalitatem propriam in agendo à Deo, ſed illam accepit in ſua creatione: habet ſolum tunc cauſalitatem in actu ſecundo, ſine qua nõ poſſet exire in actionem propriam, & comburere lignum. Sicut ergo maſculus, & fęmina ſecundum opinionem, quòd ambo actiuè concurrant ad generationem, tanquàm duæ cauſæ partiales concurrunt non in eodem genere, ſed in diuerſis, & vnus non accipit cauſalitatem in actu primo ab alio, ſed vterque habet propriam cauſalitatem in actu primo, & tamen vnus ſine altero non poteſt exire in actum ſuum ſecundum, & mulier dicitur perfici à viro: ita Deus, & liberum arbitrium ſunt duæ cauſæ partiales diſtinctæ vnaquæque in ſuo genere, itaquòd liberum arbitrium non pendet à Deo, quo ad actum primum, niſi in creatione, & conſeruatione; quo ad actum ſecundum verò, & operari, ſeù quo ad influxum in effectum, dependet ab ipſo tanquam à cauſa partiali magis principali influente, vt fęmina à viro in conceptione: nam ſine auxilio Dei vocante, & adiuuante ipſum liberum arbitrium non poteſt efficere aliquod opus bonum.

12 Ad ſeptimam dictum eſt ſuprà ratione tertia, & quarta, nam illa auctoritas D. Pauli 1. ad Corint. 9. *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, patitur duas expoſitiones. Prima eſt, quòd opus bonum non eſt currentis, & volentis, ſed miſerentis Dei: quia homo ex ſe ipſo non poteſt facere opus bonum, ſine auxilio Dei; non tamen auxilium Dei ſolum ſufficit, ſed opus eſt, hominem currere, & velle, alioquin fruſtrà diceretur. *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, &, *ſic currite vt comprehendatis*. Et hæc eſt prima expoſitio D. Auguſt. Secunda expoſitio eſt, quòd opus pium, eſt Dei miſerentis, quia aliquando Deus ſua gratia ita intensè, & pluſquàm ſufficienti, vocat, vt voluntas inflammata vocatione diuina, etſi poteſt reſiſtere, non tamen reſiſtit, ſed ſinit ſe moueri, & trahi à ſuauitate interna Spiritus Sancti; ſed hoc contingit in vocationibus quibuſdam eximijs, non ſemper, & ordinariè, & hæc eſt ſecunda expoſitio, quam ibi affert D. Auguſtinus, quæ non deſtruit primam, vt ibi diximus, neque adſtruit prædeterminationem Phyſicam, cum qua ſit impoſſibilis diſſenſus liberi arbitrij. Ad ſeptimam. Luc. 10.

13 Ad octauam, reſpõdetur, quod voluntatem creatam non eſſe dominã omnino ſui actus, poteſt contingere dupliciter. Vno modo, quia ipſa quo ad ſuam partem non ſit omnino domina aſſentiendi, & diſſentiendi auxilio vocanti; & in hoc ſenſu eſt falſum, eam non eſſe dominam omnino ſui actus, immò eſt maximè domina, in hoc enim conſiſtit meritum ſuum: neque in hoc pendet à Deo, niſi vt alia entia creata, quia ipſa eſt cauſa partialis cum Deo: cauſæ autem partiales non dependent ab inuicem in ſua cauſalitate, & hoc eſt, quod ait D. Auguſt. opus pium non eſſe ſolius Dei, neque ſolius hominis, ſed vtriuſque. Secundo modo poteſt dici non eſſe domina ſui actus, quia ipſa non eſt cauſa totalis, & ſola ſui actus, ſed partialis, & minus principalis: ſi enim Deus non concurrat præueniendo, & cooperando, non poteſt actum ſuum ponere in eſſe; & hac ratione non eſt omnino domina ſui actus, vt diximus in 1. diſput. 54. & diſput. An Deus ſit cauſa peccati. Ad octauã.

14 Ad nonam, reſpondetur, quòd efficacia auxilij diuini, quandoque eſt virtus intrinſeca quidem ipſi auxilio, ſed non prædeterminans, ita vt actus oppoſitus ſit impoſſibilis, ſed impulſio, & tractio ſuauis, adeò tamen intenſa, vt voluntas neſciat non aſſentire: aliquando tamen efficacia etiam in auxilio diuino eſt conſecutio effectus, ad quem datur, & tunc efficacia auxilij diuini eſt à voluntate creata. Ad auctoritatem D. Auguſtini, iam plures dictum eſt, cum dicit, Deum facere, vt faciamus intelligere, nos ex nobiſmetipſis non poſſe facere, nec velle, ſed Deum facere, vt faciamus, quia præuenit nos gratia ſua, & eadem adiuuat nos facere, & ſic facit nos facere: non autem quia prædeterminat, ita vt auferat poſſibilitatem actus oppoſiti. Ad nonã.

15 Ad decimam, reſpondetur, vt ſuperius prima ratione contra aduerſarios dictum eſt, ſcilicet quòd non eſt par ratio de Chriſto Domino, B. Virgine, ac confirmatis in gratia: quia in his fatemur, liberum arbitrium prædeterminatum eſſe ad actus ptos præceptorum, & non poſſe deficere, quia non poſſunt peccare, ideò in his Ad decimam.

non

non est contingentia, licèt sit libertas. Vnde Christus Dominus non est purus Viator, sed Viator simul, & Comprehensor; & B. Virgo, & alij confirmati in gratia sunt Viatores priuilegiati, non autem sunt Viatores secundũ legem ordinariam; at nos loquimur nunc de Viatoribus secundum legem ordinariam, in his enim debemus seruare non solum libertatem, sed etiam contingentiã, & indifferentiam actiuam agendi, & non agendi actualiter. Ad illud D. Pauli dicimus fuisse vocationem eximiam, & valdè intensam, non tamen prædeterminauit liberum arbitrium; vndè cum dixisset ei Dominus, *Saule, Saule cur me persequeris? durum est tibi contra stimulũ calcitrare.* Respondit. *Domine quid me vis facere?* Ecce quod non prædeterminauit liberum arbitrium Pauli, sed terrore nimio ipsum, perterrefecit, & hoc timore ab eius voluntate extraxit consensum in fidem Christi. Ad illud de Bono perseuerantiæ dicetur infrà in responsione ad decimamquartam.

Ad vndecimam. 16 Ad vndecimam patet ex dictis suprà disputatione, An prædestinatus possit damnari. Respondetur tamen, quòd diuina prouidentia, & diuina prædestinatio habent infallibilitatem ex decreto diuinæ voluntatis, quod decretum non transit in præteritum, & supponit scientiam conditionatam eorum, quæ voluntas est volitura cum auxilijs diuinis: habent etiam infallibilitatẽ ex præsentia rerum in esse cognito, ideò stat certitudo, & infallibilitas executionis effectus intenti simul cum contingentia, & libertate, vt in disp. de certitudine sciẽntiæ Dei in 1. Sent. diximus. Quod si quis dicat, Prouidentia, & prædestinatio non pendent à libero arbitrio nostro, sed sunt causa, vt prædestinatus rectè agat, est enim prædestinatio secundum D. August. de Bono perseuerantiæ cap. 14. Præordinatio beneficiorum Dei, quibus prædestinati certissimè liberantur, ne peccent & promouentur, vt rectè viuant, iuxta illud. *Quos prædestinauit, hos vocauit, & iustificauit*, hoc beneficium autem est gratia, & medium efficax nullo modo pendens à libero arbitrio. Respondetur, hoc esse verum de prædestinatione ad gratiam, & de hac loquitur D. August. At falsum est, prædestinationem ad gloriam non pendere ex præscientia boni vsus liberi arbitrij, ideò quos Deus præuidit benè vsuros gratia, & donis suis, hos prædestinat ad gloriam, in tempore autem liberaliter, & non quia præuidit benè vsuros gratia, dat illis ipsam gratiam, qua liberentur à peccatis, & rectè agant; ex hoc autem non habetur, quòd prædestinatis det gratiã prædeterminantem physicè eorum liberum arbitrium, quam non dat non prædestinatis.

Ad duodecimam. 17 Ad duodecimam, respondetur, auctoritates illas concludere, voluntatem creatam non posse resistere quidem voluntati diuinę efficaci, & beneplaciti, cum Deus sit omnipotens, ideò potest facere quicquid vult; etsi voluntas creata se illi opponat, non potest illam impedire: & rursus si velit efficaciter voluntatem creatam aliquid efficere, ipsa non potest resistere, cum ne dum illam suauiter inducere possit ad actum, sed etiam possit eam destruere. Etiã concedimus, posse eam prædeterminare ad aliquem actum, vt dictum est in disp. 53. cap. 4. num. 43. sed negamus regulariter, & cõmuniter in omnibus actibus bonis sic eam prædeterminare; id solum concedimus in eximijs quibusdam vocationibus: regulariter autem stat ad ostium, pulsat, & si aperimus ei per consensum, nos iustificat: regulariter non concurrit ad actus nostrę voluntatis beneplaciti, & absoluta de facto eos ponendo in esse, sed voluntate conditionata, scilicet accedente consensu nostro: ideò oramus Deum, vt efficaciter, & non solum sufficienter, moueat, & assistat voluntati nostræ, vt faciat opus pium. Nec tamen opinio nostra coincidit cum opinione Catherini, vt eadem disputatione dictum est.

Ad decimã tertiam. 18 Ad decimamtertiam, respondetur, bonum vsum liberi arbitrij reduci in Deum tãquam in primam causam suo auxilio præmouentem, & adiuuantem, non autem tanquam in causam elicientem effectiuè consensũ: actus enim consentiendi effectiuè, verè, & propriè est ab ipso libero arbitrio, hic enim est concursus eius partialis ad opus piũ; est verò à Deo dispositiuè, quia Deus suo auxilio præmouet, & adiuuat liberum arbitrium ad eliciendum opus pium. Ad D. Aug. respondetur, quòd non negat, hominem liberè assentiendo se discernere ab impio, sed negat, hominem prius se discernere, quàm Deus suo auxilio eum præueniat, vt dicebant Pelagiani.

Ad confirmationem. Ad confirmationem, respondetur, nos nihil habere, in quo nos gloriari possimus, posse intelligi dupliciter. Vno modo in initio operationis bonæ, & sic cõcedimus nos nihil habere, in quo possimus gloriari, quia initiũ totum est à Deo, non à nobis; & sic intelligitur auctoritas, & procedit contra Pelagianos, qui dicebant, initium benè operandi esse ex nobis. Alio modo post vocationem, & excitationem gratiæ, & sic cum assentimus possumus gloriari quod assentimus; & sic gloriabatur D. Paulus cum dicebat, Gratia Dei in me vacua non fuit; & hortabatur alios dicendo. *Videte fratres, ne gratiam Dei in vacuum recipiatis.* Non debemus tamen gloriari, neque re vera possumus superbire, quod assentiamus, & faciamus opus bonum, quia nisi Deus nos pręuenirēt sua gratia, nos non possemus assentire, neque facere opus bonum, ac nosmetipsos discernere ab his, qui non operantur bonum, & ideò iure D. Paulus ait. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?*

Ad decimã quartam. 19 Ad decimamquartam. Negatur maior, nimirũ perseuerantiam esse proprium donum prædestinatorum omnium: est enim speciale donum, non autem cõmune. Quod probatur ex eo, quia perseuerantia, dę qua loquitur D. August. & dę qua loquitur Concilium Tridentinum, est illa, secundum quã scriptum est. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*; hæc autem secundum D. Th. 2. 2. quæst. 137. art. 1. est perseuerantia actualis in fide, spe, & charitate, vsque ad finem vitę & dicit diuturnitatem temporis in actu istarum virtutum; virtus enim perseuerantiæ consistit in insistere diù alicui bono difficili. Ex hoc elicitur, quòd persistere in actu charitatis per vnum quadrantem horæ, non est propriè perseuerantia, quia non habet diuturnitatem tẽporis, sed requirit aliquod spacium temporis, in quo persistat in actu difficili: at non est necesse, vt quicumque saluatur diù persistat in actu charitatis, vt per menses, vel annos, vt faciunt aliqui Sancti, quibus Deus dat hoc speciale donum perseuerantię in charitate, qui nunquam peccant mortaliter, sed semper faciunt opera meritoria, quibus thesaurus Ecclesiæ repletur: quia contingere potest, quod quis in extremo vitæ suæ pœniteat peccatorum suorum, & consequatur remissionem illorum, & statim perfecto actu pœnitentiæ absque mora vlla moriatur; hic saluabitur, & tamen nullam diuturnitatem habebit in gratia, sed statim accepta gratia decedit è vita. Præterea. Statim habita gratia per actum pœnitentiæ, potest contingere, quod non insistat actui alicui virtutis, sed vel nullam habeat tentationem, circa quam laboret, vt vincat; potest etiam non cogitare de aliquo actu virtutis, & ita per horam viuere post actum pœnitentiæ, deinde mori, hic non potest dici habere perseuerantiam, quia in illa hora non insistit circa aliquod difficile ad vincendum; perseuerantia autem propriè requirit diuturnitatem temporis circa bonum difficile; ergo hic saluabitur absque dono perseuerantiæ. Perseueratio ergo est duratio in charitate per aliquod tempus, in quo multas tentationes superet, & actus virtuosos exerceat, quæ per dies, menses, & annos quibusdam electis ex speciali priuilegio datur, vt suprà diximus, non autem omnibus. Quod autem Sacrum Concilium Tridentinum loquatur de perseuerantia, quæ importat diuturnitatem temporis hominis in gratia, patet ex verbis

eius

eius ſeſſ. 6. can. 22. quæ ſont. *Si quis dixerit, iuſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta iuſtitia perſeuerare poſſe, vel cum ea non poſſe, anathema ſit.* Volt ergo Concilium quod ſi quis v. g. in anno ætatis ſuæ 25. iuſtificetur, non poſſit ad extremum vitæ ſuæ, quæ e. g. ſit 50. annorum perſeuerare ſine auxilio ſpeciali Dei; non eſt autem neceſſarium ad hoc vt ille ſaluetur, toto illo vitæ curſu permaneat in gratia, ſed poteſt cõtingere, quod verſus finem vitæ ſuæ peccet; & tamen ſi ſtatim pœnitentiam agat, & recepta gratia moriatur, ſaluabitur; neque tamen in iuſtificatione accepta perſeuerabit.

Ad decimã quintam.

20 Ad decimamquintam, reſpondetur, ibi D. Aug. per gratiam communem, quæ datur bonis, & malis, intelligere dona naturalia, & ait, abſurdum eſſe exiſtimare, quòd cum D. Paulus ait. *Quid enim habes, quod non accepiſti?* &c. intelligere hoc dictum de donis naturalibus, quæ ſunt cõmunia omnibus; ſed ait, debere intelligi de gratia data electis, & præcipuè Chriſtianis primitiuæ Eccleſiæ, quos ibi Apoſtolus reprehendit, quia gloriabantur de donis gratiæ, vt de fide in Chriſtum, & huiuſmodi; adeoquod ſenſus D. Aug. non eſt, quòd Deus det gratiam quandam ſpecialem electis prædeterminãtem liberum arbitrium, quam non det alijs non electis, & per hanc diſcernatur electus à reprobo, ſed intentio eius eſt oſtendere, quòd gratia, qua Chriſtiani, tàm boni, quàm reprobi diſtinguuntur ab infidelibus, non ſunt dona naturalia, ſed ſupernaturalia, ſcilicet, fides, ſpes, charitas: iſta enim dona ſupernaturalia, aliquando etiam dantur reprobis, licèt finaliter in illis non permaneant; & hæc ad intentionem D. Auguſt. & ad auctoritatem in ſe.

Ad rationem autẽ abſolutè quæ formari poſſet, Deus per ſua dona ſpecialia diſcernit electos à reprobis, dat enim illis vehementiorem gratiam, & adiutorium, quàm reprobis; ergo Deus eſt, qui diſcernit. Reſpondetur, proculdubio ſæpe Deum diſcernere electos à reprobis, quia maiorem gratiam dat electis, quàm reprobis, ſed negamus, ſemper, & regulariter hoc Deum facere: immò ſæpè reprobis Deus dat maiora auxilia, quàm electis; & ſi reprobi nolunt credere, nec operari bonum, non eſt, quia illis auxilium neceſſariũ deficiat; ſed quia nolunt, vt ait D. Aug. tractatu 53. in Ioannem, his verbis, vbi loquitur de Iudeis, qui noluerunt credere in Chriſtum, alijs credentibus. *Quare autem non poterant,* ſupple, credere, *ſi à me quæratur, cito reſpondeo, quia nolebant: malam quippè eorum voluntatem præuidit Deus, & per Prophetam prænunciauit ille, cui futura abſcondi non poſſunt,* vt magis patebit ex ſolutione argumenti ſequentis.

Ad decimã ſextam.

21 Ad decimamſextam, reſpondetur, omnino falſum eſſe, Reprobationem non habere cauſam ex parte reprobati; immò ſuſtinemus hoc aſſertum omnino eſſe impium in diſputatione de reprobationis cauſa: & ex hoc maximè conuincitur, falſam eſſe hanc opinionem, cum ad eam ſequatur hoc magnum incõueniens, quòd reprobationis prima cauſa ſit ex parte Dei: excæcatio enim, & obduratio in malo, in qua moritur reprobus, prouenit ex malis meritis reproborum ex D. Auguſtino tractatu 53. in Ioannem, vbi ſuper illa verba Prophetæ Iſaiæ 6. *Excæcauit oculos eorum, vt non videant,* &c. inquit *etiam hoc eorum voluntatem meruiſſe, Reſpondeo, ſic enim excæcat, & obdurat Deus deſerendo, & non adiuuando, quòd occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt.*

Reprobatio hẽt cauſam proximã ex parte reprobati.

22 Ad auctoritatem autem illã Apoſtoli Romanorum 9. &c. infrà reſpondetur ſoluendo rationes eorum, qui ponunt gratiam efficacem moraliter prædeterminantem; ſunt enim communes vtrique iſtarum opinionum, quæ aſſerunt, gratiam in eo, qui conuertitur, ſemper eſſe maiorem, quàm in eo, qui non conuertitur. Pro nunc dico, Apoſtolum intelligere in illis auctoritatibus, quòd Deus gratiam ſuam dedit Iacob non Eſau, non propter eorum merita, vel demerita, ſed ex ſua mera benignitate; quod eſt veriſſimum, & ad hoc adducuntur à D. Auguſt. contra Pelagianos. Rurſus habetur, quòd cum Deus aliquibus dat gratiam pluſquam ſufficiẽtem, qua omnino ſaluentur, vt fecit Iacob, & alijs, hoc non facit ex vllis eorum meritis; & cum eam non dat reprobis, quod tamen facere poſſet, ſed ſolum dat ſufficientẽ, & tantam, vt eorum peccatũ non habeat excuſationem, hoc non prouenit ex eorũ demeritis, ſed ea beneplacito Dei; quod tamen eſt iuſtum, quia apud Deum nõ eſt iniquitas, ait Paulus, ſed eſt occultũ, quia *Iudicia Dei abyſſus multa.* Illi tamen conqueri de Deo iuſtè nõ poſſunt, quia dedit eis gratiam, adeò ſufficientem, quòd potuiſſent ſaluari, ſi voluiſſent.

23 Ad decimamſeptimam, reſpondetur, falſum eſſe, Deum ab æterno decreuiſſe abſolutè non dare auxilia gratiæ iis, quibus non dat antecedenter ad mala opera: dicimus enim nos hoc aliquando decreuiſſe, quia præuidit eos illa demerituros fuiſſe prauis operibus. Preterea, negamus Deum non dare omnibus, etiam reprobis, auxilia ſufficientia, vt diximus ex D. Aug. in ſolutione præcedentis rationis, & ſuprà propria diſputatione. Ad decimã ſeptimam.

24 Ad decimamoctauam negatur, Deum prędeterminare quid in particulari liberum arbitrium ſit acturum ante præuiſionem cooperationis liberi arbitrij: nã vt ſupra ratione prima, & alijs oſtendimus, tunc auferret libertatem voluntati creatæ, quod eſt abſurdum; ſed hoc clarius explicatum eſt, & fuſius in diſputatione de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis liberis. Ad auctoritatem illam Prouerb. reſpondetur, illam concludere, Deum poſſe ſuauiter vertere voluntatem quocumque voluerit, quia ſcit omnes vias, quibus voluntas ad aliquid faciendum ſinit ſe diſponere: tamen negatur hoc regulariter facere ſine præuiſa cooperatione liberi arbitrij Regis. Ad decimã octauam.

25 Ad decimamnonam negatur, noſtram opinionem eſſe contrariam principijs fidei, & doctrinæ D. Auguſt. vt ſuprà oſtendimus. De D. Th. dicam ſoluendo ſequentem rationem. Quod verò ait, Quæ ſunt de fide non poſſe ſciri lumine naturali, eſt vniuerſaliter falſum: nàm licet de quampluribus articulis fidei non poſſimus habere aliquam rationem demonſtratiuam, & neceſſariam, tamen de aliquibus poſſumus habere aliquas rationes; vel demonſtratiuas, vt de vnitate Dei: vel ſaltẽ probabiles, vt de aliquibus alijs, de quorum numero eſt præſens articulus, de concordia liberi arbitrij cum gratia Dei. In hoc autem videtur poſitum munus Theologi Scholaſtici, qui ſecundum rationem ſimul cum auctoritate procedit, vt declaret, articulos fidei non implicare contradictionem, vt fit de miſterio incarnationis, Trinitatis, Euchariſtiæ, &c. Ideò etiam in præſenti articulo, qui maximè pertinet ad ſalutem noſtram, debet laborare, vt declaret, illum non implicare contradictionem, & debet illum explicare eo modo, quo intellectus quieſcat, ſi poteſt abſque vlla falſitate; hoc autem optimè fit ſuſtinendo noſtram opinionem; ergo illa eſt approbanda. Ad decimã nonam.

26 Ad vigeſimam, reſpondeo. Primò, D. Th. nõ fuiſſe illius opinionis, ſed noſtræ, vt oſtendi ſuprà ca. præcedenti ratione octaua. Secundò, dato quòd D. Thomas oppoſitum aſſeruerit, dico, doctrinam quidem D. Th. eſſe mirabilem, præſertim enim ipſe copioſius de omnibus rebus diſſerit, quàm quiuis alius Theologus, & hac cauſa maximam vtilitatem præbet Eccleſiæ, & præſertim in moralibus, de quibus nullus alius ita copioſè diſſerit. Præterea. In nullam hæreſim vnquam lapſus eſt, ſed doctrinam catholicam docuit, & propter hoc meruit Encomia, quæ Summi Pontifices de ipſo protulerũt, atque ipſe Dominus Chriſtus, dum ei dixit, Benè de me Thoma ſcripſiſti. Non tamen prædicti Pontifices voluerunt decernere, totam doctrinam D. Th. continere veritatem ipſam, atque ipſum in nullo erraſſe; & eum, Ad vigeſimam.

qui

qui in aliqua re ei est contrarius, esse suspectum de hæresi, vel de veritate, alioquin sequeretur quandoque communiorem opinionem Theologorum, quam etiam Ecclesia sequitur, esse suspectam de hæresi, vt omnes sustinentes, Beatam Virginem conceptam fuisse sine peccato originali, quod est erroneum, quod ostendere sufficiat in vna sola assertione reliquas ommittendo.

D. Thom. 3. p. quæst. 78. art. 3. ait, quòd omnia illa verba formæ consecrationis calicis, *Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum,* sunt de substantia, & essentia formæ, itaquòd si aliquod illorum verborum ommittatur nihil fit; tamen opinio communior Theologorum est, quod non omnia illa verba sint de essentia consecrationis, & maximè illæ particulæ, *æterni & mysterium fidei,* quia istæ particulæ non habentur in forma, qua vtuntur Græci, & tamen Ecclesia Latina nunquam dixit, Græcos non consecrare; neque Ecclesia Romana de hoc Ecclesiam Græcam reprehendit, quod tamen fecisset, si in hoc erraret, vt fecit in Dogmate de Spiritu Sancto, de Primatu Pontificis Romani, & alijs, in quibus errarunt. Quod autem in forma Ecclesiæ Græcorum omnes illæ particulæ non habeantur, patet ex forma Græcorum, quam ex missa D. Basilij Durandus in 4. dist. 8. quæst. 2. num. 16. adducit; & Suarez ex D. Iacobo, & D. Ioan. Chrisostomo in 3. p. disput. 60. sect. prima, quæ est hæc. *Bibite ex eo omnes, hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionē peccatorum.* Vbi appatet, quòd forma Græcorum non habet illa verba *æterni*, nec illa *mysterium fidei*, nec illa *calix*, quæ tamen omnia sunt in nostra forma; & D. Tho. ait esse de essentia: illa autem forma approbata est in sexta Synodo can. 31. in canonibus qui habentur paulò post sextam Synodum; intercedunt enim Concilium Toletanum 12. & 13. & deinde sequuntur isti canones. Sed quidquid sit de illis canonibus, est enim dubium, an sint legitimi, hæc forma approbatur dist. 2. de consecratione cap. *Iacobus*.

Responsio Capreoli, & Paludani reijcitur. Respondet Capreolus, quòd Deus dispensauit cum illis Ecclesijs: sed hæc responsio est sine fundamento, neque enim vllibi apparet hæc dispensatio. Ex quo magis reijcitur responsio Paludani, qui asserit, illas Ecclesias non conficere: hoc enim est maximum absurdum; primò enim ille canon D. Chrisost. non approbatus, nec confirmatus esset dist. 1. de consecratione cap. *Iacobus*.

Præterea. Aliquando Ecclesia Romana Græcam reprehendisset, sicut reprehendit de articulo processionis Spiritus sancti, & alijs. At in Concilio Florentino nihil de hac re dicitur, vt patet ex literis Sanctæ vnionis Eugenij. Est ergo dicendum, quod Summi Pontifices aliqua dixerunt vt priuati Doctores, non autem vt ex cathedra, vt Innocentius VI. qui illa verba protulit in sermone quodam de laudibus eius. Et si qua alia dixerunt commendando D. Thom. hoc dixerunt non definiendo, nec aliter sentientibus, aliquam notam inurendo. Oraculum autem illud Crucifixi debere intelligi de tota doctrina D. Th. non est vllibi ab Ecclesia, idest à Summo Pontifice cum Concilio generali, vel particulari definitum; tunc enim esset de fide, & ideò non debet vniuersaliter, & de quacumque assertione D. Th. intelligi.

Secundus modus explicandi priorem opinionem adducitur, & reijcitur. Caput V.

Opin. Vasquez. Suarez. & aliorum. 1 VIdentes ergo nonnulli alij Theologi, non posse sustinere gratiam, in eo qui assenit, esse maiorem ea, qua quis non assentit, eò quia prædeterminet physicè liberum arbitrium, dixerunt esse maiorem eo, quia est congrua ei, cui datur, illa verò, qua quis non assentit, non est congrua: præuidet enim, inquiunt, Deus scientia conditionata quale auxilium, & qualis vocatio congruat Petro, vt consentiat illi tali tempore, & quale

Gratia maior, quia congrua. non sit illi congruum, vt consentiat, ideò cum vult efficaciter saluare Petrum, dat ei auxilium adeò congruum illis quòd Petrus assentiet; ei verò quem non vult efficaciter conuertere, dat auxilium, quod quidem in se quandoque erit maius, idest intensius, quàm auxiliū datum Petro; sed quia non est congruū illi, quia non est datum loco & tempore, & alijs circunstantijs cōgruis, hinc est, quòd ille non conuertitur. Hanc tamen opinionem explicat Vasquez p. p. disput. 98. cap. 6. per tres conclusiones, quarum prima est. Vasquez.

1. Conclusio. Gratia in eo, qui assentit, est maior, quàm in eo, qui non assentit: quia motus, quo intellectus, & voluntas illius mouetur habet aliquid, quo potest dici maior gratia, maius beneficiū, maius auxilium, quàm motus, quo mouetur intellectus, & voluntas illius, qui non assenit; hæc autem sunt quædam circunstantiæ, quæ talem motum concomitantur. Exemplum. Præuidet Deus quid Sortes sit facturus tali tempore, si tali motu, & auxilio excitetur; quid verò sit facturus Petrus si eodem tempore tali motu excitetur, immò, & maiori. Videt ergo, quod Sortes est taliter dispositus, quòd assentiet, Petrus verò non assentiet; Deus vtrique in illo tempore largitur illud auxilium, Sortes conuertitur, Petrus non, hoc auxilium ex se fuit æquale in vtroque, tamen absolutè auxilium istud in Sorte est maior gratia, & maius beneficium, quia habet circunstantiam illam annexam, quod datum fuit Sorti in tempore, quo Deus videbat Sortem debere assentire: auxiliū verò illud in Petro est minor gratia, quia datum fuit illi à Deo in tempore, quo Deus sciebat ipsum non debere assentire. Sic ergo patet, quomodo gratia, qua quis assentit, semper est maior gratia, quàm ea, qua quis non assentit, non solum quia est quandoque intēsior motus, sed quia congruo tempore datur, quo ille assentit: vndè ab Aug. appellatur congrua vocatio.

2. Conclusio. 2 Secunda Conclusio est, quòd posita tali vocatione efficaci, voluntas ita consentit, quòd semper potest dissentire; propter hanc conclusionem dissentit ab opinione Thomistarum.

3. Conclusio. 3 Tertia Conclusio. Ista gratia peculiaris congrua, & maior, quæ efficax dicitur, est aliquo modo necessaria, vt conuertamur. Hanc tertiam conclusionem sic declarat, quòd intelligit talem gratiam esse necessariam necessitate consequente, non antecedente, siuè esse necessariam, non ex parte causæ, sed ex suppositione effectus: de quibus terminis infrà in examine huius opinionis erit declaratio, ita quòd rectè colligitur hoc modo. Si aliquis vocanti gratiæ consentit, necessariò sequitur, illum à Deo fuisse vocatum vocatione congrua, siuè hac maiori gratia: posito ergo effectu, quod aliquis consentiat, sequitur necessariò, ipsum habuisse gratiam illam maiorem, & efficacem: hæc ergo necessitas est necessitas consequens, qua rectè inferimus, esse impossibile, quòd aliquis consentiat, & non fuerit hac maiori gratia vocatus: non est autem necessitas antecedens, & causæ, ita quòd antequam iste assentiat, nulla alia gratia reperiatur, qua possit assentire, nisi illa peculiaris, & proindè hæc antecedenter, & in ratione causæ sit necessaria ad hoc, vt quis assentiat, quia sic antecedenter sufficit gratia preueniens sufficiens. In hanc eandem sententiam apertè inclinare videtur Suarez in opusculo de auxilijs lib. 3. c. 14. & 20. & alij eandem viam sequentes de prædeterminatione morali. Pro hac opinione sunt omnes rationes, & auctoritates adductæ primo cap. Insuper faciunt rationes adductæ pro opinione Thomistarum, nunc supra confutatæ; dicunt enim, illas non concludere gratiam efficacem prædeterminare physicè liberum arbitrium, sed solum prædeterminare moraliter; & gratiam efficacem esse efficacem, quia est congrua. Suarez. Fundamenta huius opinionis.

4 Prædictus modus exponendi, quomodo sit maior gratia in eo, qui assenit, non incidit in absurda adducta contra præcedentem opinionem; asserit enim in secunda conclusione, quòd licet gratia efficax, qua quis assen-

tit,

Opinio allata reijcitur.

tit, sit maior gratia sufficienti, qua quis non assentit, tamen non est talis conditionis, quòd liberum arbitrium eam abijcere, & respuere non possit, immò in sua libertate ait, esse, illam abijcere, & respuere, & illi assentire. Solum ergo contra hanc opinionem probandum est, esse falsum illud, in quo ambæ istæ opiniones conueniunt, quòd scilicet gratia, qua quis assentit, semper sit maior absolutè, & ordinariè, quàm gratia, qua quis non assentit, & quòd talis gratia sit semper necessaria, quod asserunt in tertia conclusione.

1. Ratio.

5 Prima ratio sit hæc. Si gratia, qua quis assentit, est maior semper gratia, qua quis non assentit, & hæc maioritas gratiæ, & auxilij, est ex parte ipsius gratiæ, quia scilicet sit intensior, vel ex parte Dei, vtputa, quia sit collata cõgruo tempore &c. vt dicit hæc opinio, sequitur, quòd gratia sufficiens non est sufficiens, & quòd homo adiutus gratia sufficienti tantum non possit conuerti; Consequens est falsum, quia tunc gratia sufficiens, non esset sufficiens; ergo &c. Consequentia facilè deducitur sic. Quandocunque ad productionem alicuius effectus requiritur in causa cũ producente determinata perfectio, & requiruntur determinatæ conditiones, causa deficiẽs secundum aliquem gradum ab illa perfectinne, & deficiens in aliqua condinone requisita, dicitur esse insufficiens ad producẽdum illum effectum; sed sic est, quòd ad hunc actum, assentire vocationi requiritur in gratia, quæ est altera causa concurrens, determinata perfectio, & determinatæ conditiones, quæ sunt in gratia efficaci, non autem in gratia sufficienti; ergo gratia sufficiens non est sufficiens causa iustificationis. Maior est euidẽs. Minor probatur, quia in gratia efficaci, qua quis conuertitur, est semper maior excitatio ex parte intellectus, & voluntatis, vel saltem, secundum aduersarios, semper est conditio aliqua, qua hæc gratia congrnit illi, cui datur, & qua hic de facto assentit: hæc autem congruentia, vel conditio non est in gratia, qua quis non assentit, & propter hoc non assentit; ergo gratia sufficiens secundũ rem, & verè non est sufficiens, sed solum secundum nomen: & proindè vana est illa distinctio in gratiam sufficientem, & efficacem: & falsum est asserere, hominem cum gratia sufficienti posse assentire, & conuerti, quia gratia, qua excitatur, non est illius perfectionis, nec habet illas conditiones, quas habet gratia, qua quis de facto conuertitur, sed est vilior, & minor illa, ideò est insofficiens, quia non est congrua.

Responsio tacita reijcitur.

6 Sed aliquis forsan respondebit huic rationi, quòd gratia, qua quis conuerti potest; non requirit omnẽ perfectionem necessariò, vel illas conditiones, quas habet gratia efficax, sed gratia sufficiens, licèt sit minus intensa, nec habeat omnes conditiones gratiæ efficacis, tamen habet omnia requisita ad hoc, vt aliquis per eam possit conuerti.

7 Contrà. Quęro, propter quid in gratia efficaci ponitur illa maioritas, & illę cõditiones, vt sit congrua &c. certè ponunt illas ad hoc, vt infallibiliter sequatur effectus conuersionis: vndè in hoc differt gratia efficax à sufficienti, quòd ad efficacem infallibiliter sequitur effectus, sed ad sufficientem nunquam: tunc quæro; vel ista maioritas perfectionis, & illæ conditiones, ponuntur in gratia efficaci, quia gratia illa sine illis non esset potens completè conuertere hominem, vel non, sed alia de causa: si primum, ergo gratia sufficiens, quæ caret illa intensione, & illis perfectionibus, non est sufficiens: si secundum, ergo superflua est illa maioratio, & illæ conditiones, vtputa congruitas vocationis, quia gratia sine illa maioratione habet eandem virtutẽ, & vim ad suum finem obtinendum, scilicet, peccatoris conuersionem: & sic frustrà ponitur esse maior gratia efficax, qua quis cõuertitur, quàm sufficiens, qua nemo conuertitur. Breuiter igitur frustrà videtur poni gratiam, qua quis conuertitur, esse maiorem gratia, qua quis non conuertitur, nisi ponatur esse maior, vt possit efficere opus conuersionis, quod non potest efficere gratia illa minor, qua quis non conuertitur & tunc sequitur, gratiam minorem esse insufficientem.

Confirmatio.

8 Confirniatur. Quando sunt aliquę duę causæ eiusdem ordinis, ad quarum vnam sequitur effectus, ad alteram verò non sequitur effectus, & nullum adest impedimentũ extrinsecum, hoc euenit, quia causa, ad quam non sequitur effectus, non est sufficiens, nec valens producere effectum illum, sicut altera causa. Exemplum. Rusticus vnico ictu securis percutit plantam, sed illam non incidit; alter verò rusticus vnico ictu alteram omninò similem, vel eandem scindit, & eodem instrumento: si quis quærat, quare secatio sequitur ad hunc secundum ictum, non ad primũ, cum nullum sit impedimentum extrinsecus? Respondendum est certè, quia secundus ictus habet intensionem, & virtutem requisitam; primus ictus verò fuit insufficiens, nec habuit virtutem requisitam. Ita ad propositum, ad gratiam efficacem sequitur conuersio semper, ad sufficientem verò nunquam, & tamen cętera sunt paria, dempta gratia; ergo signum est, quòd gratia efficax est potens, & sufficiens causa conuersionis; gratia verò, qua quis non conuertitur, quæ dicitur sufficiens, non est sufficiens, nec causa habens requisita ad producendum conuersionem, sed est insufficiens.

2. Ratio principalis

9 Secundò principaliter. Est communior sententia, & isti doctores admittũt, quòd quilibet gratiæ sufficienti potest respondere, sicut & gratiæ efficaci, tunc sic. Ergo in potestate nostra est facere quamlibet vocationem congruam, & efficacem: & consequenter gratia, qua quis assentit, non est maior in se illa, qua quis non assentit, sed fit maior, & minor ab electinne nostra; illa enim, cui quis assentit, est maior, cui verò non, est minor, quia non assentit.

Responsio aduersariorum.

10 Huic argumento respondet Vasquez p.p. disput. 98.c.8.& alij, nos posse loqui de vocatione, & gratia excitante secludendo scientiam Dei, vel includendo scientiam Dei: si primo modo, nulli dubium est, quòd quilibet potest facere vocationem suam congruam, & assentire, & dissentire tàm gratiæ sufficienti, quàm efficaci, sicut fore rem, & non fore, est in potestate liberi arbitrij; sed includendo scientiam Dei, qua Deus scit, quæ gratia sit effectum habitura, & quæ non, dicit, non esse in potestate nostra facere hanc vocationem cõgruam, & illam non; hoc enim esset facere, quòd futurum, quatenus supponitur esse futurũ, nõ sit futurum: & hęc est distinctio, quam semper præ manibus habet Vasquez, quòd duplex est possibilitas, & necessitas, antecedẽs, & sequens; possibilitate antecedenti vnusquisque potest assentire gratiæ, & vocationi cuicunque, sed possibilitate sequenti, solum gratię efficaci.

Reijcitur.

11 Verùm hæc responsio nõ tollit difficultatem, sed potius descendit in opinionem nostram: ex hac enim responsione habetur, quòd liberum arbitrium, quãtum est ex se, & ex virtute propria, quatenus est causa concurrens ad iustificationem, ante ipsam iustificationem potest facere vocationem quamcunque sibi congruam, & assentire, & dissentire: in quantum verò consideratur, vt subest scientiæ diuinæ, qua Deus cognoscit res futuras, veluti si essent præsentes, non potest sic in sensu composito non assentire illi gratiæ, cui assentit: quia iam supponitur, assentire huic, & non illi, & esse deductum ad actum, omne autem quod est, quãdo est, necesse est esse: tamen non sequitur, quòd vt antecedit in se ipsum assensum etiam in sensu composito, non possit non assentire, & dissentire illi gratiæ, cui assentit: si enim non posset facere gratiam sufficientem sibi congruã & efficacem, non haberet possibilitatem antecedentem, quæ seruat libertatem arbitrij, sed haberet necessitatem antecedentem, non sequentem, quod ipsi nolunt: vndè; licet distinctio de necessitate, & possibilitate antecedẽti, & sequenti sit bona, tamen in proposito aduersarijs non suffragatur,

tur, sed potius eos conuincit. Sufficit ergo nobis, quòd antecedenter, idest, voluntas antequam se determinet, possit cuicunque gratiæ assentire, vel dissentire; tunc enim sequitur, quòd respectu ipsius voluntatis non est semper, & de lege ordinaria vna gratia maior altera; nec semper aliquid est in vna gratia, propter quod possit dici maior altera; & hoc est, quod nos intendimus. Quando verò voluntas est determinata, & actu assentit vni gratiæ, alteri verò dissentit, concedo, quòd gratia, qua quis assentit, potest dici maior, & sic illa, quæ fuit sufficiens, non est efficax, nec efficax est sufficiens, & est aliqua differentia inter ipsas, propter quam vna potest dici maior altera; sed hæc maioritas non prouenit tunc ex parte gratiæ præuenientis, sed ex ipsa voluntate, quæ fecit illam gratiam sibi efficacem, & consequenter maiorem. Vndè breuiter possumus dicere, quòd est maior altera non in ratione gratiæ in se, sed ratione voluntatis, quæ illam gratiam, & auxilium acceptauit. Hoc modo etiam intelligitur illud dictum, cum communi auxilio sufficienti quemlibet posse saluari possibilitate antecedenti, & ex parte causæ, sed neminem de facto saluari; quia auxilium sufficiens non efficax, est illud auxilium, quod Deus cognoscit effectum non habiturum: est enim ac si dicatur, quòd quilibet cum quacunque gratia præuenienti potest saluari, & vna non est semper magis apta saluare hominem, quàm alia, sed quandoque omnes æqualiter inducunt ad salutem: tamen homo nulla gratia præuenienti saluatur, nisi illa, cui assentit, & quam ipse facit sibi efficacem, hæc enim sola habet effectū, & ideò hæc sola dicitur congrua, & efficax.

3. Ratio principalis. 12 Tertiò. Auxilium sufficiens secundum aliquos istorum auctorum non est aliqua natura, & entitas peculiaris, aut mensura auxilij determinata, quæ ex se dicatur omnibus sufficiens; neque auxilium efficax est alia aliqua entitas, & natura, & mensura auxilij specie diuersa, quæ sit efficax; sed illud est auxilium sufficiens, cui liberum arbitrium assentire potest, & non assentire, & auxilium efficax est illud auxilium, cui assentit; ergo ex parte ipsius auxilij præuenientis non est differentia inter ipsa, sed talis differentia est ex parte voluntatis, quæ vnum facit efficax, aliud verò nequaquam. Quòd si gratia efficax, qua quis assentit, semper esset in se maior gratia sufficienti, qua nunquam quis assentit, essent ex se diuersæ naturæ, & speties auxiliorum antequamcunque operationem voluntatis, & intellectus, vt dicebant Thomistæ.

4. Ratio principalis. 13 Quartò. Vel hæc gratia maior, quæ efficax dicitur, est necessaria adhoc vt quis conuertatur, vel non: si est necessaria; ergo sufficiens per se est inualida, & vocare illam sufficientem est contradictio aperta: si verò nō est necessaria; ergo siuè adsit, siuè non adsit, dummodo adsit gratia sufficiens, sequetur conuersio, & iustificatio, si liberum arbitrium voluerit; immò vlterius, quòd homo per gratiam efficacem conuertatur, erit per accidens, non per se, quia illa non necessariò requiritur, vndè est accidentale quando adest.

Responsio Vasquez. 14 Respondet Vasquez loco citato, quòd est necessaria necessitate consequenti, non antecedenti; idest (vt ibi ipse exponit, & toties dictum est) est necessaria illa necessitate, qua dicimus, omne quod est, quando est, nō potest non esse. Hæc responsio non tollit argumentum, vt dicebamus suprà, quoniam nemo dubitat, gratiam efficacem esse hoc modo necessariam; difficultas est de necessitate antecedente. Reijcitur. Vndè, licet gratia efficax sit necessaria necessitate consequenti, non colligitur propter hoc, ipsam necessariò debere adesse, & concurrere in quacunque conuersione, sed stat, quòd accidētaliter cōcurrat, & tamen necessitate consequenti erit necessaria: supposito enim quòd adsit, necessariò aderit, quia omne, quod est, quando est, necesse est esse: at non colligitur, quòd necessariò semper adesse debeat.

5. Ratio principalis. 15 Quintò. Arguitur communiter, vt suprà contra Thomistas. Frustrà tunc fierent comminationes, & reprehensiones, si enim aliqua gratia, qua quis conuertitur, est maior ex parte gratiæ, & Dei donantis, quā illa, qua quis non conuertitur, & hoc est verum semper lege ordinaria, & in quacunque conuersione, & sine illa conuersio haberi non potest, frustrà moneretur homo, vt conuertatur, nisi enim haberet illam maiorem, seù congruam gratiam, non posset conuerti. Videtur etiam magna iniuria irrogari misericordiæ Dei, de qua tot Encomia habentur in Sacra Scriptura. Dum etiam dicunt isti ex D. Aug. quòd Deus sciret, si vellet, vocare eos, qui non conuertuntur, vocatione, quæ congruit illis, & tempore, quo infallibiliter conuerterentur, videtur magnum absurdum: mirum est enim aliquo tempore Deum videre, quòd si Iudas tunc haberet gratiā præuenientem, assentiret, & tunc illam ei non tribuere, sed tribuere postea altero tempore, quo præscit eum nō esse illam acceptaturum; sic enim videretur Deus illudere homines hac sua gratia, & magna iniuria irrogaretur Dei misericordiæ.

16 Sed respondent, quòd non dicunt, per gratiam sufficientem non posse conuerti homines, sed quòd de facto non conuertuntur. Responsio tacita reijcitur. At contra rectè arguitur, quòd hæc gratia esset frustrà, quia potentia est frustrà, quæ nunquam reducitur ad actum, quando defectus prouenit ex potentia: at hæc gratia sufficiens nunquam reducitur ad actum, quia per illam nullus conuertitur, & defectus prouenit ex ipsa, quia non est congrua; ergo est frustrà. Vbi notandum est, quòd sensus istius propositionis; Frustrà est illa potentia, quæ nunquam reducitur ad actum, est hic, vt patet ex Phylosophia. Frustrà est illa potentia, quæ nō reducit ad actum, quo modo intelligitur. Illa potentia, quæ non reducitur ad actum, non est verè potentia, sed falsò, & abusiuè dicitur potētia. Exemplum. Si quis diceretur habere potentiam generandi, & tamen nunquam, licèt attentaret, generaret, & defectus proueniret ex ipso, non ex alijs causis concurrentibus ad generationem, posset dici, non verè, sed falsò habere potentiam generandi: si enim haberet verè, & realiter potentiam generandi, actu generaret aliquando, dùm attentaret, & essent alia requisita. Ita in proposito; cum gratia sufficiens nunquam aliquem conuertat actu, & de facto licèt hoc semper attentet, signum est quòd non est verè, & realiter gratia sufficiens, sed abusiuè; sequitur ergo clarè, quòd si de facto nunquam quis conuertitur cum gratia sufficiente, quòd gratia sufficiens abusiuè dicitur gratia sufficiens, non verè, & realiter. Dictum autem illud D. Aug. intelligitur de gratia plusquam sufficienti: manifestum est enim, quòd si Deus vellet, posset omnes reprobos saluare, quia posset eos vocare adeò vehementi vocatione, quòd non resisterent; tamen ex hoc non sequitur, quòd Deus non vocet eos vocatione adeò sufficienti, quòd si vellent, non possent conuerti, vt diximus cap. 3. hac eadem disputatione.

17 Sextò. Adsunt multæ auctoritates contra eos, vt illa; *Deus vult omnes homines saluos fieri*: quæ etsi ab Augustino alicubi intelligatur de voluntate beneplaciti, & 6. Ratio principalis ex auctoritatibus. consequente, itaquòd interpretatus sit eam de aliquibus ex singulis generibus, non de omnibus: tamen cōmuniter secundum Sanctos Patres, intelligitur, & est vera de voluntate antecedenti; itaquòd sensus est, quòd Deus, quantum est ex se, vult omnes homines saluos fieri. Item in Euangelio Matthei 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Item exodi 34. *Dominator Domine Deus Misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationes, ac verax, qui custodis misericordiam in millia.* Et Dauid. *Magnificata est vsque ad cęlos misericordia tua.* Item Ezechielis cap. 18. & 33. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Et Apoc. capite 3. *Ego sto ad ostium, & pulso si quis mihi aperuerit, intrabo, & cenabo cum illo.* Isaiæ 5. *Quid est quod debui vltra facere vineę meæ, & nō feci?* Et cap. 65. *Expandi tota die manus meas ad populum incredulum.*

lum. Ioannis 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*. & aliæ innumeræ auctoritates, quas non est opus adducere. At si Deus cum in æterna sua scientia præuideat quodnam sit congruum auxilium Iudæ, & non congruum, largiatur autẽ auxilium non congruum Iudę, congruum verò auferat, certè prædictæ auctoritates non verificarentur de Deo, sed oppositæ. Non enim Deus esset misericors, ita vt misericordia eius se extenderet in millia, sed in paucos electos; nõ fecisset omne, quod debuit vineæ suæ, quia non dedisset auxilium congruum; non expandisset manus ad populum incredulum, sed retraxisset negando ei auxiliũ congruum, & efficax; non illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, sed aliquos tantum electos; non reficeret omnes, qui onerati sunt peccatis, & laborant, sed paucos; & denique non staret ad ostium expectando nostrum consensum, & dispositionem, sed nollet prorsus nos conuertere, quia non pręberet nobis auxilium conueniens, & congruum, & consequenter neque etiam verè sufficiens.

18 Adhùc alij arguunt sic. In Deuteronomio habẽtur hæc verba. *Mandatum, quod ego pręcipio tibi hodie nõ suprà te est, neque procul positum, vel in Cœlo situm, vt possis dicere, Quis nostrum valet ad cælum ascendere, vt deferat illud ad nos, vt audiamus, atque opere compleamus?* Et Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce vtatur Dei præcepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis*. At si requiritur gratia quædam efficax, congrua, quam Deus ex decreto suo dat ijs tantum, quibus sibi placet, certè illis, qui eam non habent, est impossibile seruare præceptum quod est suprà eum, & in cęlo, idest non est in potestate sua.

7. Ratio principalis 19 Septimò. Ex D. Aug. 52. de Ciuit. Dei cap. 6. vbi habet hæc verba. *Si enim aliqui duo æqualiter affecti in animo, & corpore videant vnius corporis pulchritudinẽ, qua visa vnus eorum ad illicitè fruendum moueatur alter in voluntate pudica perseueret stabilis, quid putas esse causam?* Et cum multas causas, quas aliquis assignare potuisset, ipse D. Aug. attulisset, aliis rejectis ex propria mẽte sic respondet. *Quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere?*

8. Ratio principalis 20. Octauo. Item libro de prædestinatione, & gratia 15. vbi de Nabucdonosor, & Pharaone inquit. *Quãtum ad naturam, ambo homines erant: quantum ad conditiones, ambo Reges: quantum ad causam, ambo captiuum populum Dei possidentes: quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti; quid ergo fecit fines eorum esse diuersos, nisi quòd vnus monitum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero arbitrio contra misericordissimam veritatem pugnauit?* Hęc D. Aug. Ex quibus patet, nullam aliàm causam assignare diuersi effectus, quàm libertatem arbitrij.

9. Ratio principalis 21 Nonò. Confirmatur alijs auctoritatibus clarissimis eiusdem D. Aug. quem aduersarij pro se ipsis esse tantum gloriantur: nàm tractatu 26. in Ioan. non vnico verbo, sed diffusè hanc doctrinã tradit: nàm super illa verba. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me traxerit eum*, post multá explicationem, habet hęc verba. *Quare illum trahat, & illũ non trahat noli velle iudicare si nõ vis errare, semel accipe, & intellige nõ traheris, ora vt traheris*. Aduersarij adducunt priora verba, sed tacẽt illa, *non traheris, ora ut traheris*. In quibus manifestè apparet, eum, qui non trahitur, habere tantum auxilium diuinum, vt possit facere, idest orare vt Deus eũ trahat: hoc est auxilio plusquam sufficienti vocet, & inducat ad bonum. Et ibidẽ paulò infrà ostendens, quod ex eo, quod Deus trahit homines ad se, non propter hoc cogit eos, sed ita trahit, vt possint resistere, subiungit hęc verba. *Porrò si Poeta licuit dicere, trahit sua quemque voluptas non necessitas, sed voluptas, non obligatio, sed delectatio; quanto fortius nos dicere debemus trahi hominẽ ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita quod totum Christus est*. Quicunque ergo vult delectari Deo facit auxilium suum sufficiens efficax, & facit se a Deo trahi.

22 Decimò. Item in Manuali cap. 16. dicit adoptionem Regni Cœlorum positam esse in potestate nostra, & habet hæc verba. *Hac secura mente cogitemus hæc toto desiderio desideremus, vt ad ea citò peruenire valeamus; si quæras quomodo istud fieri potest, vel quibus meritis, quibusvè auxilijs, audi. Res ista posita est in potestate facientis, quoniam regnum Cælorum vim patitur*. 10. Ratio principalis

22 Vndecimò. Item tractatu 53. in Ioan. super illa verba. *Cum tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, vbi adducit verba Isaiæ cap. 6. *Excæcauit oculos eorum*, &c. dicit Deum præscium futurorum per Prophetam prædixisse peccatum eorum, non fecisse, & habet hæc verba. *Et ideò si non malum, sed bonum facere voluissent non prohiberentur, & hoc facturi præuiderẽtur ab eo, qui nouit quid sit quisque facturus & quid sit ei pro eo opere redditurus*. Adducit deinde alium locum Isaiæ exaggeratum à D. Paulo. *Quod quærebat Israel non est consecutus, electio autem consecuta est, cæteri verò excæcati sunt*, &c. Et respondet his verbis. *Non poterant credere, quia hoc Isaias Propheta prædixit: hoc autem Isaias prædixit, quia Deus hoc futurum esse præsciuit: quare autem non poterant, si à me quæratur, ita respondeo: quia nolebant; malam quippè eorum voluntatem præuidit Deus, & per Prophetam prænunciauit*: deindè arguens contra hoc, quia scriptura assignat aliam rationem, scilicet quia Deus excæcauit cor eorum, subiungit hæc verba. *Etiam hoc eorum voluntatem meruisse respondeo, sic enim excæcat, sic obdurat deserendo, & adiuuando, quod occulto iudicio facere potest, non iniquo, hoc omnino pietas religiosorum inconcussum habet*. Et paulò infrà dicit, quæstionem istam esse difficilem, hoc tamen esse seruandum in ea, Vt non ita quis defendat liberum arbitrium, vt audeat tollere orationem, qua præcamur Deum, ne nos inducas in tentationem, idest vt neget nos ægere diuino auxilio; deindè nemo debet ita libertatem negare, vt excuset peccatum. Verba autẽ eius sunt. *Si quis autem istam quæstionem liquidius, & melius nosci se posse, & confidit exponere, absit vt non simparatior discere, quàm docere tantum ne audeat quisquã liberum arbitrium sic defendere, vt nobis orationem, qua dicimus, ne nos inferas in tentationem, conetur auferre. Rursus, ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum: sed audimus Dominum, & præcipientem & opitulantem, & iubentem quid facere debeamus, & adiuuantem, ut implere possimus: nàm, & quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbium, & quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia deiecit in negligentiam. Illi dicunt, ut quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt, ut quid conamur benè vincere, quod in Dei est potestate? ò Deus, ò pater, qui es in cęlis, ne nos inferas in quamlibet illarum tentationum, sed libera nos a malo. Audiamus Dominum dicentem, Rogaui pro te Petre, ne deficiat fides tua: nec sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut diuino non egeat adiutorio, audiamus, & Euangelistam dicentem, Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. Verumtamen in utroque illius beneficium cognoscamus, nàm & agenda sunt gratia, quia data est potestas, & orandum, ne succumbat infirmitas*. Hæc auctoritas mirabiliter conuincit; quia si ad iustificationem est necessarium auxilium efficax, & illud à Deo datur electis tantum, sequitur apertè peccatum reproborum esse excusatũ, quia non habuerunt auxilium necessarium ad vitandum peccatum, quod est impia blasphemia.

Scientia conditionata hic cõceditur à D. August.

Regula D. Aug. seruãda in materia de auxilijs diuinis.

12. Ratio principalis

24 Duodecimò. Item D. August. libro expositionis quarundam propositionum Epistolę D. Pauli ad Rom. quę habetur Tomo quarto in fine super illa verba, *Quos vocauit ipsos, & iustificauit*, inquit, Non omnes vocatos iustificatos esse, sed illos tantùm qui sunt vocati secundum propositum Dei. Declarans autem quid sit illud propositum Dei, habet hæc verba. *Hoc enim propositum ad præscientiam, & prædestinationem pertinet, nec prædestinauit aliquem nisi quem præsciuit crediturum, & secuturum esse Sanctorum vocationem, quos electos dicit; multi enim non ueniunt cum uocati fuerint, nemo autem uenit, qui uocatus non fuerit.* Ecce quod apertè D. Aug. fatetur, prędestinationem Dei, & æternum propositum, habere causam ex parte prædestinati, scilicet bonum consensum liberi arbitrij in vocationē, & auxilium Dei. Ex quo clarissimè deducitur efficaciam prædestinationis ad gloriam, & efficaciam gratiæ pendere à libero arbitrio: idest, quòd auxilium, & prædestinatio Dei habeat effectum pendere ex nobis.

Locus obseruandus.

13. Ratio.

25 Tertiodecimò. Item ex D. Hieronymo in Epistola 150. quæst. 11. qui explicans illud ad Corint. *Alius odor vitæ in vitam*, ait. *Ideò odor noster, qui per se bonus est, virtute eorum, & vitio, qui susceperint, siue non susceperint in vitam transit & mortem*: at si ex peculiari aliqua gratia prouenirer, prædicationem Pauli aliquibus esse odorem vitæ, & ex defectu illius alijs esse odorem mortis, diuersitatem illam non virtuti, & vitio eorum tribueret, sed gratiæ peculiari, & negationi illius.

Responsio aduersariorum.

26 At hic sunt variæ responsiones, sed præsertim, quòd D. August. in alijs libris, postea non contentus hac determinatione, vltimò definiuit, causam vltimam diuersitatis effectus non esse voluntatem, sed pręparationem voluntatis factam per gratiam.

Reijcitur.

Contrà. Tunc se retractaret D. August. at non se retractat, vt ostendi in disput. de Prædestinatione cap. 7. auctor. 4. ergo est exponendus D. August. & concordandus; concordatur autem optimè, dicendo, gratiam esse necessariam, & esse primā causam operis boni; tamen voluntatē suo assensu, & cooperatione illam ordinariè facere sibi efficacem; & sic saluamus gratiam, & concursum liberi arbitrij absq; vlla difficultate, & obscuritate.

24. Ratio principalis

27 Quod denique confirmatur efficacissimè auctoritate D. Petri 2. cap. 1. *Fratres satagite, vt certam faciatis vocationem vestram* &c. Ergo gratia, siuè vocatio fit à nobis certa, & efficax; quæ auctoritas licèt exponatur à D. Tho. ita vt illud verbum *certam*, non significet firmam, & stabilem, sed compertā, & notam, vt sensus sit, Satagite, vt per opera bona vestra, de vestra salute certiores reddamini, quantum humana coniectura patitur; & Oecumenius, & Beda intelligant de manifestatione apud alios, vt sensus sit, Nos satagere debere, vt per opera bona nostra certos alios faciamus nostræ vocationis. Tamen obuius, & clarus sensus est, vt ibi *certam* significet, stabilem & firmam, vt sensus sit, Nos satagere debere, vt per bona opera nostra, faciamus vocationem Dei non esse inanem, & vacuam, sed esse stabilem, & firmam, iuxtà illud Apostoli. *Gratia Dei in me vacua non fuit* &c. Quem sensum verum esse non est dubium, consensus enim noster est causa partialis nostrę iustificationis, & hanc expositionem approbat ipse Vasquez p. p. disput. 93. cap. 3.

Alię rationes contra prædictam opinionē.

28 Contra eandem opinionem faciunt rationes adductæ contra præcedentem opinionem, præsertim autem secunda, quinta, & sexta. Denique argumenta, quæ probant, primā causam reprobationis non esse ex Deo, sed ex nobis, hanc eandem opinionem impugnant; si enim requiritur ad opus bonum gratia congrua, & hāc Deus nō dat omnibus, sed quibus placet, patet, quòd reprobationis prima causa est Deus, hoc autē est falsum, vt in disput. de reprobationis causa dicimus.

29 Prætereà. Certum est, in potestate hominis esse, dùm est in hac vita, & in statu viæ posse facere bonum, & malum: at si ad faciendum opus bonum requiritur gratia specialis, quæ prædeterminet liberum arbitrium physicè, vel moraliter, & hanc Deus dat solū aliquibus, non omnibus hominibus saltem adultis, sequitur, minimè esse in potestate hominis facere bonum. Antecedens autem est de fide, & confirmatur ex illo Io. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* &c. & ex Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, &c. anathema sit.* Dum autem dicit in potestate hominis esse, facere vias suas malas, intelligit quoque, esse in potestate sua cum gratia Dei facere eas vias bonas; si enim non haberet potestatē ad vtrumque oppositum, non diceretur alterum oppositum esse in potestate sua. Prætereà. Concilium Tridentin. sess. 6. cap. 13. habet hæc verba. *Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debēt, Deus enim nisi illius gratia defuerint, sicut cępit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* At si necessaria est gratia prædeterminans, vel congrua, quam Deus decreuit dare solum paucis, scilicet electis, quomodo omnes possunt habere firmam spem in Dei auxilio?

Exponitur sententia probabilior ex mente Scoti, reiectis duobus alijs modis dicendi. *Caput VI.*

1 PRopter rationes adductas in præcedenti cap. mihi videtur verior aliorum sententia, qui asserunt, æqualem quandoque esse gratiam in illo, qui assentit, & in illo, qui non assentit, & proindè ex duobus in æquali gratia constitutis, vnum quandoque assentire, & alium non assentire, & licet quandoque Deus maiorem gratiam vni concedat, quàm alteri, non tamen hoc euenire semper nec ordinariè; tamen auctores, qui hanc opinionem defendunt, non eodem modo ipsam explicant.

Primus modus dicēdi.

2 Sunt ergo quidam, qui asserunt, quòd respondere Deo vocanti, non tantum est à libero arbitrio, sed etiam à gratia: tamen prima origo & causa determinationis ad consensum est voluntas creata, ad quam Deus se accommodans gratia sua cooperatur. Hanc opinionem nonnulli seuerius notant, quàm par sit, dicunt enim, esse Semipelagianam, eo quod concedit, prius nostram voluntatem se determinare, quàm Deus cooperetur. Verum etsi hæc opinio non sit approbanda, tamen re vera (vt notauit etiam Vasquez) non est insimulanda talis erroris, quoniam quàm maximè distat à Semipelagianorum errore; nàm Semipelagiani dicebant, initium bonorum operum esse ex nobis sine gratia vlla, vt superius visum est: at ista opinio concedit, initium esse ex gratia præueniente, & ait quod habita gratia præueniente liberum arbitrium se determinat ad assentiendum, & tunc Deus cooperatur. Solum ergo hæc opinio mihi videtur falsa in hoc, quod ponit liberum arbitrium in aliquo momento priori natura operari, quàm Deus secum cooperetur, quod tamen falsum est, vt latè probat Scotus in 2. sent. dist. 37. vbi quærit, An Deus sit causa peccati? in corpore, determinat enim ibi, quòd ad operādum concurrunt duæ causæ, scilicet Deus, vt voluntas creata, & quod Deus est, qui dat rectitudinem actui antecedenter, & sic semper daret rectitudinem cuilibet actui etiā consequenter, si homo respōderet, & cooperaretur: non ergo prius natura homo dat rectitudinem actui, & operatur bonum, quàm Deus cooperetur: quomodo autem nos differamus ab his auctoribus patebit infrà explicando tertium modum.

Reijcitur.

Secundus modus dicendi.

3 Secundus modus explicandi hanc opinionem est quorundam, qui non solum volunt, volūtatem creatam esse primā causam, & originem determinationis liberæ, sed volunt ēt liberum consensum ab illa solum prodire, adeò quod isti Doctores volunt, gratiam solum esse necessariam ad pręueniendum, & excitandum liberum arbitrium, non autem ad cooperandum illi ad bonum.

Verum

4 Verum hæc opinio nullo modo est approbanda, quia negat gratiam Dei nobiscum cooperari, quod est falsum, vt ostendit Scotus 2. sent. dist. 37. loco nunc suprà citato, vbi probat, voluntatem nostram non esse dominam omnino sui actus, sed Deum cum illa cooperari; sed hoc dimisso, apertè hæc sententia reijcitur à Sacris Concilijs: nàm in Concilio Arausicano cap. 9. dicitur. *Quoties bonum operamur, Deus in nobis, atque nobiscum operatur, vt operemur.* Præterea. Communiter à Theologis diuiditur gratia in operantem, & cooperantem; operans est præueniens, cooperans est auxilium gratiæ, quo concomitatur nostram operationem voluntatis, & deducitur ex illo D. Pauli ad Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Et ex Ezechielis 36. *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis.* Multa alia argumenta habes apud Gabrielem Vasquez disput. 98. cap. 2. & alios.

Reijcitur.

Tertius modus dicēdi.

5 Tertius modus explicandi hāc opinionem, qui est verus meo iudicio, est quorundam, qui dicunt consensum voluntatis simul esse à gratia, & à libero arbitrio nō solum tempore, sed etiam causalitate. Tamen ex parte gratiæ excitantis, & præuenientis, reprobum aliquando esse æqualem cum prædestinato, nec semper peculiare beneficium recipere. Hæc sententia mihi videtur vera, & rationes pro ea superius adductas nos cogere; asserere enim semper & ordinariè gratiam, qua quis conuertitur, esse maiorem nūquam æqualem, & ex duobus in æquali gratia constitutis, vnum nunquam conuerti, & alterum conuerti, videtur nō nihil misericordiæ Dei, quæ amplissima prædicatur, derogare. Porrò aliquando gratiam, qua quis conuertitur, esse maiorem non dubito, vt contingit in Paulo, Magdalena, & alijs; sed quòd semper & ordinariè sit maior, rationes superius adductę me retrahunt. Vbi est notandum, hanc nostram opinionē non coincidere cum opinione Catherini de prædestinatione, sed esse longè diuersam, vt in disput. An prædestinatus possit damnari, ostendimus.

Notādum.

Quid dicendū quò ad modum mouendi.

6 Quantum verò ad modum mouendi, dicendū est, quòd auxilium sufficiens mouet quidem liberum arbitrium præueniendo, dum Deus sine nobis aliquid efficit in nobis, vt immittendo bonas cogitationes, & inspirationes congruas, qui est motus moralis, & etiam cooperando, & adiuuando physicè, idest verè, & realiter influendo in actum bonum partialiter cum libero arbitrio, sed non prædeterminando liberum arbitrium efficaciter, & absolutè, vt Thomistæ dicunt, sed tantum adiuuando, vt expositum est suprà, modo conuenienti notissimo ipsi Deo, de quo non est multum curādum: nàm vt inquit Cęlestinus Papa epist. 1. satis est ad fidem Catholicam fateri nos nihil boni posse nisi auxilio diuino præueniri, & adiuui fuerimus: an verò hoc, vel illo modo relinquitur Scholis disputandum. Vndè hic motus auxilij diuini partim est moralis, partim physicus, sed tamen diuerso modo se habens, ac auctores duarum opinionum præcedentium dicant: neque enim negamus Deum auxilio suo mouere nos physicè, & moraliter, sed negamus contra primam opinionem, ita nos mouere physicè, vt prędeterminet omnino volūtatem nostram, & quòd electorum tantum voluntates sic moueat, & contra secundam, negamus, auxilium diuinum mouere moraliter congruè solum electos, & non alios, vt dictum est.

Discrimen hui⁹ opinionis à duobus præcedentibus.

Primū dubium.

7 Verum adhuc non quiescit animus, quia dicere, quòd Deus prius natura agat ad actum bonum, & deinde expectet voluntatem creatam, videtur pugnantia. Deinde actus ille consentiendi creatæ voluntatis est actus positiuus; ergo ille quoque est à Deo prius natura quàm à creatura; ergo semper omnis actus est à Deo prius, quàm à voluntate creata; ergo nō expectat Deus voluntatem creatam, sed ipse est, qui primò determinat omnes actus efficaciter ex se.

Secundum dubium.

Contradictio apparens.

8 Respondetur ad primum. Deum prius natura agere volūtate creata, intelligi potest dupliciter. Vno modo propriè, ita quod Deus in vno instanti naturæ causet, & creata voluntas non causet; & hoc modo negatur, vt docet Scotus in 2. dist. 37. §. *ad solutionem*, vt in disputatione de concursu causæ primæ cum causa secunda cap. 4. diximus. Alio modo impropriè, & sic, Deum prius natura agere est, Deum esse paratum ad ponendum in esse actum liberum voluntatis creatæ, si ipsa coagat; & hoc modo concedimus, Deū prius natura agere: adeò quod Deus semper quantum est ex se, quasi agit, & influit in actum, sed non sequitur actio, quia deficit ei altera causa, scilicet voluntas creata, sine qua actus non potest habere esse. Prius ergo natura agit, Deus hoc secundo modo, sed tamen simul natura, & tempore priori modo; & sic non pugnant quòd Deus agat prius natura, & tamen expectet voluntatem creatam: immò hoc est necessariū, stante decreto Dei, quòd voluntas creata sit libera in suis actionibus.

Ad primū dubium.

Quod egregiè docuit, & exemplo pulchrè declarauit D. Io. Chrisostomus hom. in Psal. 50. super illa verba *Laua me ab inquitate mea:* nàm loquens de misericordia Dei, inquit. *Prouocat nos & dicit, da & tu aliquid; ut puta mille scelera perpetrasti habes onera delictorum, nolo alleuiare pondus, da & tu m[...] tuam, non quia tui egeo, sed quia volo & te aliquid conferre ad tuam utilitatem.* Et D. Cyprianus Epist. 50. quæ est ad Cornelium fratrem super illa verba Ioan. 6. *Nunquid & vos vultis abire, inquit, seruans scilicet legem, qua homo libertati sua restitutus, & in arbitrio proprio constitutus sibimetipsi, vel mortē appetit, vel salutem.* D. Augnst. in Manuali cap. 16. idem habet, quam auctoritatem suprà adduximus, & idem elicitur ex alijs auctoritatibus adductis cap. præcedenti.

9 Ad secundum dubium respondetur, quòd actus ipse assensus, & determinatio volendi est quidem ens reale, sed vt dictum est contra Durandum in disput. de concursu primę causæ cum secundis, actus ipse pendet à duabus causis partialibus diuersorum ordinum; sicut generatio prolis pendet à patre, & matre, quę sunt causæ diuersorum ordinum: tamen causalitas vnius non pendet à causalitate alterius: causalitas enim mulieris non pendet à causalitate viri, nec è conuerso, sed vnaquæque est ex se causa in suo ordine. Ita in proposito, causalitas causæ secundæ, quæ est actus secundus, scilicet assensus, seù determinatio volendi, & assentiendi, nō pendet à causalitate primę causæ, sed à causa ipsa secunda, quia causalitas primæ causæ qua concurrit ad causandum actum secundum voluntatis creatæ, est diuersa causalitas à causalitate ipsius causę secundę, quo ad ipsum actum secundum; & hoc est necessarium fateri, sustinēdo, causas secundas habere proprias causalitates distinctas à causalitate primæ; alioquin tolleremus à causis secundis proprium concursum cum concursu causæ primæ, quod est contra omnem Philosophiam, & Theologiā; & in hac re multum decipiuntur aduersarij.

Ad secundum dubiū

10 Ex dictis patet in quibus hæc opinio nostra dissentiat ab alijs. Dissentit enim quàm maximè ab Hæreticis Pelagianis, & Semipelagianis quia nedum concedit, gratiam per Christum esse necessariam ad faciendū opus pium, sed etiam ipsam præuenire liberum arbitriū simul cooperari, & magis principaliter ad idem opus. Dissentit etiam à nonnullis Catholicis, qui etsi fateantur, gratiam Dei præuenire liberum arbitrium, ac initium actus boni, vt fidei, & operis pij, esse à Deo per gratiam præuenientem: tamen cum hoc asserunt vocationem, & excitationem internam multum pendere à libero arbitrio, ac bono vsu eius; quæ est sententia Molinæ in libro de concordia, præsertim disputatione 9. & 10. vt diximus disput. An detur meritum de congruo; hæc enim opinio est à nobis reiecta: quia plus nimio videtur accedere ad Hæresim Semipelagianam. Asserimus ergo nos gratiam præuenientem, & auxilia Dei ad

In quibus hæc opinio dissētiat ab alijs.

incoandum opus bonum nullo modo pendere à bono vsu liberi arbitrij, sed merè liberaliter donari à Deo ante quamcunque vel minimam operationem bonam, etiam præuisam liberi arbitrij; neque bona moralia, vt naturalia sunt, esse dispositiones ad gratiam; sed ea, quę bona sunt, vt illa, quæ ordinantur ad finem supernaturalē pendere quoque ex gratia Dei præueniente, vt dicemus infrà disp. An ad opera bona moralia requiratur gratia specialis. Differimus deindè à Thomistis, quia negamus, gratiam illam præuenientem, qua quis conuertitur prædeterminare physicè liberum arbitrium: itaut dissensus sit incompossibilis cum illa. Differimus etiam à Vasquez, Suarez, & sectatoribus atq; alijs, qui in hoc cum illis conueniunt quia negamus, gratiam efficacem congruam dari electis solum, & non alijs, vt suprà dictū est. Asserimus ergo gratiam Dei præuenientem esse initium bonorum operum, atque Deum illam congruè dare omnibus; & licet aliquando vni intensiorem, quā alteri det, tamen omnibus dare tantam, quanta re vera sufficit, vt actu operetur bonum; itaquod peccatum nullam habeat excusationem.

Scoti opinio.

11 Ego puto, Scotum fuisse huius opinionis; licet enim nullibi apertè de hac re locutus sit, tamen in reportatis libro 2. dist. 7. quæst. 1. in corpore quæst. videtur hanc opinionem innuere, dùm inquit, tenendum esse quartam viam, scilicet, *quod si sint duo æqualiter dispositi utrique Deus æqualiter assistit coagēdo secundum generalem influentiam, & tunc unus mouetur effectiuè in Deum à libero arbitrio, alter non*, &c. Neque enim negat ibi gratiam præuenientem per Christum, sed negat ipsam specialiter conferri vni, & non alteri, vt patet ex superius dictis: quia inquit, esset acceptio personarum apud Deum. Neque negat, propter hoc aliquando maiorē vni conferri, quàm alteri; sed negat regulariter, & semper esse maiorem in vno quàm in alio. Præterea, vt suprà vidimus in materia de pœnitentia tenet hominem cum communi influentia, idest cum gratia præueniente generali, posse iustificari: ideò videtur negare expressè aliquam gratiam particularem, & peculiarem ordinariè prædeterminantem; vt diximus in disputatione, An auxilium speciale sit necessarium ad iustificationē. Eandem sententiam nō obscurè tradit 1. Sent. dist. 17. in solutione primæ quæstionis §. *Sed tunc est ulterius dubium*, &c. versu, *Ad primum dico*, & versu, *Et primum exemplum esset omnino*, &c. vbi enim inter alia exempla maximè commendat exemplum D. Aug. quòd gratia se habet ad liberum arbitrium, vt sessor ad æquum; & ait, quod si æquus esset liber, & posset pro sua libertate sessorem deijcere, vel præter eius directionem in terminum alium se mouere, exemplum esset idem, vel simile. Verba Scoti sunt hæc. *Et primum exemplum esset omnino idem, vel simile; Si equus esset liber, & sessor per modum naturæ esset dirigens equum ad certum terminum: tunc magis placere posset, & hoc alicui ordinatè volenti cursus equi ex hoc, quod est secundum inclinationem naturalem ipsius sessoris ad certum terminum, quàm ex hoc, quod equus vi sua motiua velociter curreret: tunc etiam posset equus ex sua libertate sessorem deijcere, vel præter eius directionē in aliū terminū se mouere, & in primo quidem fieret equus omnino non acceptabilis, quia non haberet sessorem, ꝑꝑ quem acceptaretur à tali uolūtate. In secundo licet equus talis esset acceptabilis, nō tamen cursus eius acceptaretur, quia non esset secundū directionem sessoris.* Licet aūt ibi loquatur de gratia habituali, & de actu meritorio, qui elicitur ab homine iustificato: tamen idem intelligi de cōcursu auxilij diuini: actus enim meritorius producitur à libero arbitrio, ne dum mediante gratia habituali, sed etiam mediante auxilio diuino, vt docet ibidem Scotus, & nos diximus, agendo de contritione, & opere meritorio, & fusius in materia de pęnitentia. Habemus ergo ex hoc loco, Scotum sustinere, voluntatem motam à gratia, & auxilio Dei, tamquam à sessore posse abijcere illam, vel ei non parere: non ergo prædeterminatur ab illa physicè, sed est in potestate sua facere illam sibi efficacem, idest obtinere suum effectum.

D. Thomę Sententia.

12 Hoc idem videtur esse sentiendū de D. Th. quia loquens de gratia pręueniente, & auxilio, quo nos Deus adiuuat in iustificatione nunquam vsus est hoc nomine, *speciale auxilium*, vt disp. 14. de pœnitentia notauimus: sed solum dixit, esse necessarium auxilium Dei; neque apud alios Scholasticos antiquos habetur mētio de hoc auxilio speciali, sed tantummodo de auxilio Dei.

D. Bonau. Sententia.

13 D. Bonauentura 4. Sent. dist. 15. part. 1. art. 1. quæst. 5. asserit gratiam præuenientem esse necessariā ad iustificationem: sed nullum verbum facit de gratia speciali, sed ait absolutè esse necessariam gratiam præuenientem ad hoc, vt quis iustificetur: neque 2. dist. 28. art. 1. docet oppositum, vt multi putant: quia ibi dicit quidem, liberum arbitrium non posse se disponere ad gratiam gratum facientem ex puris viribus naturalibus, sed egere aliqua gratia gratis data, & per gratiam gratis datam exponit se intelligere aliquod donum superadditum viribus naturalibus, quodcumque illud sit. At hæc gratia gratis data, non est auxilium illud speciale Gregorij Ariminensis, & aliorum prædeterminans physicè, vel congruum datum ijs, qui saluantur tantum, & non alijs: sed est gratia præueniens per prouidentiam particularem Dei omnibus hominibus, saltem adultis, collata, vt se ad gratiam gratum facientem disponere, & efficere opera bona pietatis possint, vt expositum est prædicta disput. Idem dicunt cęteri Doctores citati disput. Vtrum detur meritum de congruo, in materia de pœnitentia.

Conc. Tridentinum.

14 Etiam Sacrum Concilium Tridentinum, sess. illa 6. vbi difusè loquitur de gratia præueniente, nunquā appellat ipsam gratiam præuenientem, gratiam specialem, sed absolutè gratiam; si autem in iustificatione quacunque peccatoris semper, & ordinariè esset necessaria specialis gratia, Concilium hoc declarasset sicuti declarauit, quòd omnis qui perseuerat, habet speciale donū, quod est perseuerantia. Sicut ergo Concilium appellat perseuerantiam speciale donum, quia est re vera speciale donum, ita appellasset gratiam præuenientem speciale donum, si esset speciale donum datum electis tantum, & non omnibus: immò cum auxilium præueniens omnibus donetur, est donum commune, vt superius sępè probatum est. Eandem sententiam tenēt ex professo Melchior cano libro 12. de locis cap. 12. ad 7. Ricardus art. de iustificatione pagina 5. citati à Medina 1. 2. quæst. 113. art. 3. in fine. Sotus in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 1. Stapletonus in Epist. ad Romanos cap. 9. per totum.

Opin. Melchioris Cano, Ricar. Soto, Tho. Stapletoni

Rationes aliæ ꝓ hac sententia.

15 Pro hac opinione sunt rationes superius cap. pręcedenti adductæ; & præter illas est auctoritas Sapientiæ 11. quæ dicit. *Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* sed misericordia accipitur in Sacra Scriptura pro gratia, quæ peccatores iustificat, vt colligitur ex D. August. libro 1. ad Simplicianum quæst. secunda, vt etiam sustinet Vasquez p. p. disp. 98. capit. quarto, sed hac vtitur in omnibus; ergo vni non dat gratiam maiorem, qua ille conuertatur, alter verò non conuertatur, sed dat omnibus gratiam, qua re vera conuertantur si velint. Item. *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere.* Item. *Nolo mortem peccatoris.* Item Apostolus 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari suprà id quod*, &c. Ergo quicunque tentatur habet omne auxilium necessarium ad vincendum tentationem, & si vincitur, eius est culpa. Licet ergo in gratia Dei sit disparitas, vel propter ordinem Ecclesiæ, vel ex speciale beneplacito Dei: tamen omnes, etiam reprobi, habent gratiam congruam, & adeò sufficientem, vt verè, & actu sit compossibilis assensus liberi arbitrij cum illa.

Hanc

Aliæ auctoritates pro eadem sententia.

16 Hanc eandem sententiam possumus expressè confirmare alijs auctoritatibus D. Aug. nàm libro de vera & falsa pœnitentia cap. 16. multa dicit in confirmationem huius sententiæ, quas in disputatione, An prædestinationis detur causa capit. 7. cum multis alijs adduximus: libet nunc hæc verba tantum referre. *Idcirco enim culpa nostra est, quia fugimus gratiam, quam possumus habere perpetuam; semper inuitu recedit, & nunquam aliquem spontanea deserit: cui tamen sententiæ non contradicit, sed omnia quæcumque voluit fecit, creauit enim quicquid voluit, nec plus creauit, quàm voluit, vult tamen in vnoquoque bonum, & in nullo malum, sed sic vult, vt homo, quem non vult peccare, non desinat esse homo: non tamen vult ita hominem non peccare, vt eum velit Bouem statuere*, &c. Et paulò infra. *Prestò semper est gratia, quæ nunquam defuit, nisi prius expulsa; continuè, & necessariò quod suum est inspirat si est qui recipiat, & expulsa reuertitur per pœnitentiam.* Ecce apertè ait gratiam suam Deum continuò inspirare, si est, qui recipiat, ait, culpam nostram esse, quia fugimus gratiam, quam possemus habere perpetuam; ergo Deus omnibus largitur, etiam Reprobis, gratiam verè congruam, & talem, qua verè possent peruenire ad actum, & habentem omnes conditiones requisitas ex parte Dei ad conuersionē; itaquod ex parte gratiæ nullus est defectus: dicit etiam quòd inspirat quod suū est, si est qui recipiat: nec recedit nisi expulsa: ergo gratia expectat nostrum consensum.

17 Præterea. In sermonibus de tempore sermone 89. qui est primus fer. 4. post tertiam Dominicam in Quadragesima, super illa verba, Induerauit cor Pharaonis, sic inquit. *Primò hoc fideliter, & firmiter credat dilectio uestra quia nunquam prius deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur, cum enim & semel, & secundò & tertiò vnusquisque, & grauia peccata commiserit, expectat tamen illum Deus, sicut per Prophetam dicit, ut conuertatur, & uiuat.* Ecce quod ait, cum vnusquisque peccat, quod Deus eum expectat: & adducit auctoritatem Ezechielis cap. 18. & 33. vbi dicit. *Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed ut conuertatur impius à uia sua, & uiuat.*

18 Ex hoc loco habemus duo. Primum quòd Deus expectat peccatorem vt conuertatur, idest vt consentiat suæ vocationi. Secundum quòd non dat solum gratiam suam, & auxilium electis, sed vnicuique, & omnibus, qui peccant; ergo non est dicendum, quòd aliquibus certis det gratiam congruam, & non omnibus; & in hoc sensu dicere, Deum nos expectare non repugnat D. Aug. & veritati catholicæ, sed dicere, quòd Deus expectat vt incipiamus, hoc repugnat D. Aug. & veritati.

Præterea. In enarratione secunda in psal. 32. inquit. *Nec se excuset qui audire non uult, ne quasi non sit quod ab illo exigatur, idipsum enim exigitur quod noluit accipere, cum daretur: aliud est enim non posse accipere, aliud est nolle: illic excusatio necessitatis est, hic reatus voluntatis.* At si ei, qui non assentit, daretur gratia incongrua, nec omnino completa, profectò haberet excusationem; & paulò infrà inquit. *Vbi iam Euangelium non prædicatur? Vbi sermo Domini tacet? Vbi salus restat? opus est, vt velis accipere, plena sunt horrea: hæc ipsa plenitudo, et abundantia non te venientem expectauerunt, sed ad dormientem venerunt*, &c. Ecce, quod ait, oportere nos velle, quia Deus est paratus, & non expectat nos, vt accedamus ad eum, sed ipse præuenit nos.

19 Præterea. Libro 2. de peccatorum meritis, & remissione, cum primis quatuor capitibus docuisset, præcepta Dei non esse impossibilia, quia Deus dat, quod non possumus, & adiuuat, quod possumus, in fine capitis quinti habet hæc verba. *Nec ideò tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur ad benè viuendum etiam nostra efficacia voluntatis. Adiutor noster enim Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui sponte aliquid conatur; quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, nec voluntatem cōdidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* In hoc loco habes, requiri cum gratia Dei efficaciam quoque voluntatis creatæ.

20 Vbi nota, quòd cum dicit D. Aug. Deum aliquē non adiuuare, vel non dare ei suam gratiam, non est ita intelligendus, quòd alicui neget gratiam congruam, & completè sufficientem; sed est intelligendus de gratia plusquam sufficienti, vt sæpius supra dictum est: habes etiam præcepta non esse impossibilia, quia Deus dat, quod nos non possumus, quòd reperit libro de natura, & Gratia cap. 43. his verbis. *Non igitur Deus impossibilia præcipit, sed in iubendo admonet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.* At præcepta dantur quoque reprobis, at si ad illa obseruanda requiritur gratia cōgrua, & efficax, & Deus eam illis non dat, proculdubio præcepta illis sunt impossibilia, quod est absurdum. Notandū.

21 Præterea. Sermone 15. de verbis Apostoli, habet ista verba. *Qui ergo fecit te sinè te, non iustificabit te sinè te; ergo fecit nescientem, iustificat uolentem.* Libro de natura, & gratia pluribus in locis, dicit non solam voluntatem operari bonum, tamen sine ipsa voluntate neminem iustificari posse, & cap. 27. super illa verba Apostoli, Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & operari pro bona voluntate inquit. *Quare ergo cum timore, & tremore, & non potius cum securitate, si Deus operatur? nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua benè non possumus operari, citò potest subripere animo humano, vt quod bene operatur, suum tantum existimet & dicat in abundantia sua, non mouebor in æternum: ideò qui in voluntate sua præstiterat decori suo virtutem, auertit paululū faciem suam, vt qui hoc dixerat, fieret conturbatus, quoniam ipse est ille tremor lauandus doloribus.* Ecce quòd ait, sinè nostra voluntate nos non posse operari bonum, licet Deus sit, qui operatur in nobis velle, & operari. Et eodem libro cap. 23. loquens de his, qui à peccatis vocantur, ait, *Donec dicatur eis si dicto obaudiant, surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.*

22 Tandem. Libro 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 18. declarat optimè, quomodo intelligat, quòd Deus operatur in nobis velle, & perficere: & quòd voluntas præparatur à Domino his verbis. *Non enim est homo bonus, si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc adiuuatur ut uelit, quoniam non inaniter scriptum est; Deus est enim, qui operatur in nobis uelle & operari pro bona uoluntate, & præparatur uoluntas à Domino*, similia vbique habet. Ex quibus patet, quòd cum D. August. ait voluntatem hominis præparari à Deo, non vult inferre, quòd gratia totum operetur, vt dicunt aduersarij, sed quòd adiuuat partialiter, & magis principaliter concurrit, sed voluntas hominis quoque partialiter concurrit, itaquod si ipsa non it, nihil fit: tamen tota gloria tribuenda est Deo, & nihil nobis, quia nisi Deus inciperet, & promoueret, nos nihil possemus: & hoc modo est intelligendum illud in Enchyridion, & alijs locis, cum dicit, totum esse tribuendum Deo: aliud est enim, totam gloriam tribuere Deo, & aliud est, tribuere totam operationem Deo: primum admittit D. August. non secundum.

Rationes Primo Capite adductæ soluuntur. Caput Septimum.

1 Illud, quod facit maiorem difficultatem in hac materia, est auctoritas D. Aug. quæ est maxima in omnibus rebus, sed præsertim in materia de Gratia, de qua acerrimam habuit cum Pelagianis, & Semipelagianis, contentionem, & proindè maximè fuit versatus in ea: D. Aug. autem videtur apertè velle, quod maior sit gratia in illo, qui actu iustificatur, quàm in illo, qui actu non assentit, nec iustificatur, vt videtur colligi ex aucto-

ritatibus superius adductis in hac disputatione cap. 1. tamen reuera ego non puto, D. Aug. fuisse huius sententiæ, neque enim hoc vertebatur in controuersia inter D. Aug. & Pelagianos, siuè Semipelagianos; sed satis erat D. Aug. ostendere contra Semipelagianos, & Pelagianos, esse necessariam gratiam, & eam esse initium nostrorum bonorum operum, vt etiam ostendit Gabriel Vasquez parte prima disput. 98. capit. 5. & 6. ex Fausto Regiensi, & alijs; sed quia ipsi Pelagiani, & Semipelagiani dicebant, liberum arbitrium nostrum non esse liberum, si egeat auxilio præuenienti Dei, & gratia ipsius, ideò D. Aug. contra eos sæpè dicit, quòd etsi liberum arbitrium nostrum sit liberum, non tamen per gratiam violentatur, & ad hoc exprimendum sæpè dicit, quòd si Deus vellet misereri eorum, qui malum operātur, sciret vtique illos tali auxilio, & gratia vocare, quòd vocantem non respuerent, licet possent, vocaret enim eo modo, quo scit illis congruere, & quomodo illis est aptū moueri, vt assentiant, & tunc illi liberè assentirent, nec violaretur eorum libertas, nec cogerentur, sed blandè inducerentur ad assentiendum voluntati Dei, vt etiā homines inducunt alios ad assentiendum sibi. Non vult ergo D. Aug. per hunc modum loquendi inferre, quòd illi, qui iustificantur, semper habeant peculiare donum, & peculiarem gratiam, quę sit maior gratia, quàm gratia illius, qui non conuertitur: quia, vt dictum est, hoc facit iniuriam misericordiæ diuinæ; sed voluit innuere, & ostendere, quòd gratia non aufert libertatem ab arbitrio; licet enim Deus moueat aliquem, ac trahat sua gratia ad aliquod opus non propter hoc vim infert, sed trahit suauiter. Vndè si vellet etiam misereri eorum, qui operantur malum, idest, vltrà gratiam sufficientem quam eis largitur, & eam respuunt, vellet etiam intensissimo auxilio eos vocare, vt videtur fecisse in Paulo, adhuc non inferret vim: quia Deus nouit omnes modos, qui congruunt voluntati nostræ, vt ipsa liberè assentiat, & sic eos Deus liberè traheret; non ergo gratia infert vim libero arbitrio. Hoc modo puto, posse exponi D. Aug. multas auctoritates, quibus videtur velle, esse auxilium maius ex parte illius, qui conuertitur, quàm illius, qui non conuertitur.

Primū notabile.

Secundum notabile.

Distinctio notanda.

3 Notanda est secunda distinctio, quam suprà sæpè præmisimus, quòd auxiliū Dei est duplex. Aliud, quod est sufficiens, quo vnusquisque saluari potest, si velit, & hoc omnibus datur, alioquin peccatum haberet excusationem, quod est impium dicere. Aliud est auxilium maius auxilio sufficienti, quod est tale, vt illo aliquis de facto conuertatur, licet posset resistere, & non conuerti, & hoc auxilio multi conuertuntur. Hoc enim auxilium continuò petit Ecclesia à Deo, cum orat Deum, vt conuertat fideles, & faciat, nos facere voluntatem suam: & hoc potest dici auxilium efficax, sed hoc non est necessarium omnibus; neque est dicendum, quòd omnes, qui saluantur, semper hoc auxilio saluentur.

Vndè vt clarè, & distinctè satisfacere possimus multis auctoritatibus, notanda est hæc distinctio: auxilium efficax est duplex; aliud, quod consequitur finem suum, & ita quodcunque auxilium, quo quis conuertitur, dicitur efficax, & hoc modo auxilium sufficiens, quando eo aliquis conuertitur, dicitur efficax; aliud est auxilium, quod est plusquam sufficiens, quo Deus vtitur, vt fuit vocatio D. Pauli, & multorum aliorum, & hoc est auxiliū, quod continuò Ecclesia petit, vt suprà diximus, & nos continuò petere debemus; sed hoc non est necessarium semper, vt vnusquisque saluetur, vt suprà ostendimus. Ad propositum, multę auctoritates D. Aug. intelliguntur de hoc auxilio, vt est illa ex libro de Bono perseuerantiæ cap. 10. & cap. 6. suprà adducta ex Bannes. (Qui vt crederent, non erat datum eis, & vndè crederent negatum est eis.) Non enim vult D. Aug. dicere, quòd aliquibus omnino negatum sit auxilium, quibus credere possent, vt est auxilium sufficiens, sed quia negatum est auxilium istud maius sufficienti, quo omnino conuertantur. Idem dicendum est de alijs auctoritatibus similib. quibus aliæ expositiones accomodari non possunt. Auxilium autem istud maius nō tenetur dare, sufficit enim adhoc quòd peccatum non habeat excusationem, quòd det auxilium sufficiens. Quòd autem illud auxilium efficax det huic, & non illi, hos saluet, & non illos, cum possit, sunt iudicia inscrutabilia, tamen iusta: quia apud Deum non est iniquitas, ait Paulus, vt suprà diximus.

4 Notandum est tertiò, quod in hac materia de auxilijs potest esse duplex quæstio. Altera, An is, qui conuertitur, & saluatur, habeat semper maius auxilium, quā qui non conuertitur, neque saluatur; seù, An prædestinatis det solum auxilium efficax, non autem reprobis, quæ est quæstio excitata, & tractata hìc à Scholasticis, & de qua hìc hucusque locuti sumus. Altera ab omnibus mota, & omnes turbans, est, cur Deus non saluat omnes homines, etiam reprobos, cum proculdubio possit: potuisset enim proculdubio saluare Iudam, & alios damnatos, si voluisset: cur ergo illos quoque non saluat, cur illis nō dat auxilium adeò efficax, vt et ipsi saluētur? Ad propositum illę auctoritates Sacræ Scripturæ, *Nemo potest uenire ad me nisi Pater meus traxerit eum; Non est uolentis, nec currētis, sed miserentis Dei; Antequam quidquam boni aut mali egissent. Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, & similes Sanctorum Patrum, maximè D. August. possunt duplici modo intelligi. Vno modo, vt Sacra Scriptura, & Sancti intelligant soluere quæstionē primam hìc motam, vt sensus sit, quòd qui saluatur, seù quòd prędestinatus maiorem gratiam semper habeat, quàm qui non saluatur, nec est prædestinatus; & in hoc sensu intelligitur communiter à Thomistis, & alijs, sed hic sensus est falsus, vt contra vtramque opinionem Thomistarū, & Vasquez, Suarez, & aliorum ostendimus, quia peccatum haberet excusationem. Alio modo, quòd per illas auctoritates Sacra Scriptura intēdat soluere secundam quæstionem, scilicet; cur omnes non saluet, cum possit etiam reprobos, & sensus earum est, quòd saluat eos, qui sibi placent, trahit quos vult; nemo potest saluari, nisi ille qui placuerit Deo, & hic est sensus obuius Pauli, *Potestatem habet figulus faciendi alia uasa in honorem, alia in contumeliam*. Et hic sensus est verus, nec ponit in Deo aliquam iniustitiam, quia licèt non saluet omnes, tamen omnibus dat tantam gratiam, vt omnes saluari possint, licet vni maiorem, quàm alteri: at si intelligerentur in primo sensu, esset iniustitia in Deo. Nō est ergo sensus quòd Deus det vni gratiā efficacem prædeterminātem physicè, vel moraliter voluntatem, alteri non, & tamen illa sit necessaria ad salutem; sed sensus est, quòd etsi posset Deus eos saluare, tamen solum saluat illos de facto, quos vult, dando nedum eis auxilium sufficiens verè, sed si opus sit, plusquam sufficiens, omnibus tamen dat sufficientem gratiam, itaquod si non saluantur, nullam habent excusationem, nec Deus est culpandus. Et hæc est doctrina D. Aug. Epist. 1. ad Simplicianum quæst. 2. apertè. Quæstio enim mota, quæ valde turbabat B. Simplicianum, sicuti turbat omnes, erat: cur scilicet Deus alicuius miseretur, & alterius non, hunc trahit, & non aliū, vt ait Scriptura, & non saluat omnes, D. August. autem eam modo prædicto soluit, scilicet, quod nō ideò Deus misereri dicatur, cuius vult, nec ideò dicitur, *Non est uolentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, quia liberum arbitrium illius, cuius miseretur, non concurrat ex parte sua liberè, itaquod possit non concurrere, & ab ipso non pendeat consensus; quia, vt ibi ait D. August. frustrà diceretur. *Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis: & Sic currite, ut comprehendatis*. Neque, quia liberum arbitrium illius, cuius non miseretur, non moueatur ab auxilio Dei, ita vt si vellet, non possit, & non sit sui iuris assentire, & non assentire: quia paulò infrà, ait. *Noluit ergo Esau, & non cucurrit, sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui etiā uelle, & curre-*

Tertiū notabile.

currere uocando præstaret, nisi uocatione cõtempta reprobus fieret; aliter enim Deus præstat, ut uelimus, aliter præstat, quòd uoluerimus: ut uelimus enim, & suum esse uoluit, & nostrum, suum uocando, nostrum sequendo: quòd autem uoluerimus, solus præstat, idest, posse benè uiuere, & semper beatè uiuere. Idest, solus dedit nobis principia merendi, scilicet gratiam, & voluntatem, sed actum ipsum bonum merendi non voluit solus dare, sed voluit, ipsum prouenire, & ab ipso, & à nobis.

5 Solutio ergo est ista, per illas auctoritates Apostolũ satisfacere quæstioni, Cur Deus nõ saluat omnes, etiam reprobos cum possit, non autẽ intendit ibi soluere quæstionem nostram, & determinare, quòd Deus electis solis det gratiam efficacem, quæ sit necessaria actu ad salutem, eam verò reprobis deneget. Vndè sensus est. Non miseretur omnium, neque saluat reprobos, quos procul dubio posset saluare, potuisset etiam Esau ita mouere, vt non respueret voluntatem, quia suæ diuinitati non placet. Cur autem ei non placeat, nõ potest assignari aliqua causa in particulari, tamen nos non debemus iudicare Deum: certissimum est enim hoc fecisse propter aliquam iustam causam, quia apud Deum iniquitas non est, aiunt Apostolus, & D. August. ibidem; quæ autem illa sit, non potest sciri in particulari, solum in vniuersali possumus dicere, vt ostendat suam misericordiam, & iustitiam simul.

6 Longè autem diuersæ sunt istę duę quęstiones. Cur Deus non saluat omnes homines, cum posset, si vellet? & ista. An solis electis det auxilia efficacia, non reprobis; quæ est quæstio, quam nunc tractamus. Nam ad primã quæstionem possumus respondere vt suprà, absque ullo absurdo, & iniustitia Deum quidem posse omnes homines saluare, tamen noluisse, quia suę prudentię visum est melius esse quibusdam dare auxilia, quibus omnino saluentur, quæ efficacia appellare possumus, quibusdam verò dare tantum sufficientia, vt sic appareat misericordia Dei, & iustitia. At secundam quæstionem, quæ est ea, quam præ manibus habemus, non possumus saluare per hanc responsionem; si enim dicamus, Deum dare electis gratiam efficacem, quæ est necessaria ad salutem, quia sibi placet, reprobis autem non dare, quia sibi non placet, facimus peccatum reproborum excusatum, & ponimus in Deo iniustitiam, quia punit peccatum non puniendum.

Responsio formalis, & gñralis ad omnes auctoritates. 7 Et sic ad auctoritates formaliter respõdetur, quòd non est sermo de Collatione efficacis, vel non efficacis gratiæ prædestinatis, vel reprobatis, sed de voluntate vltimata saluandi hos, & non illos: istæ autem duæ quæstiones non sunt eædem, quia in prima esset iniustitia, in secunda nequaquam, vt dictum est; & per hanc distinctionem absque vlla difficultate satisfit prædictis aucto ritatibus difficilioribus: tamen intelligendo eas de auxilio gratiæ, possumus ad eas respondere per allatas distinctiones, vt patebit in sequentibus, & præsertim per hanc, quòd intelliguntur non absolutè, sed comparatiuè, idest, cum dicit. *Iacob dilexi, Esau odio habui*. Non vult dicere, quòd absolutè habuerit odio Esau, itaquod non dederit ei auxilium sufficiens, & omnino completum, & cum omnibus requisitis ad faciendum bonum, sed quia in comparatione ad auxilium datum Iacob, quod fuit plusquàm sufficiens, videtur nullum auxilium dedisse, & odio absolutè habere Esau. Dedi exemplum de patre habente duos filios, quorum vnum particulari affectione diligit, & alterum non ita, tunc enim solemus dicere, patrem diligere vnum, & alterum odio habere, hoc enim sic intelligitur, non quòd re vera vtrumque nõ amet, sed quia vnum in comparatione alterius amare videtur, alterum odio habere.

Ad rationes in oppositum. Ad primã. 8 Ad primam auctoritatem in oppositum, respondetur, per illam haberi solum, quòd nemo potest conuerti ad Deum, nisi Deus auxilietur illi, & cum sua gratia sufficienti, vel plusquam sufficienti præueniat, & disponat; at verò ex hoc non habetur, quòd gratia, & auxilium istud debeat esse aliquod speciale auxilium maius auxilio collato alteri, qui non conuertitur.

Sed aliquis dicet. D. August. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 3. interpretatur hunc locum hoc modo. *Ille quippè trahitur ad Christum, cui datur, vt credat in Christum*; ergo ille, qui credit, habet aliquod peculiare donum, quod non habet ille, qui non conuertitur. Respondetur, quòd per hanc auctoritatem non habetur, quòd qui trahitur, habeat peculiare donum, sed solum, quòd ipsum trahi est donum Dei: an verò sit peculiare, vel commune, non habetur ex eo loco.

Sed aliquis dicet. D. August. in eodem libro cap. 19. exponens eundem locum habet hæc verba. *Trahitur ergo miris modis, vt velit ab illo, qui nouit intus in ipsis hominum cordibus operari, non vt homines (quod fieri non potest) nolentes credant, sed vt volentes ex nolentibus fiant.* Modo hæc verba indicant D. August. velle, quòd Deus miris modis, idest, specialibus donis disponat homines, qui credunt, ad credendum; ergo datur speciale donum in ijs, qui assentiunt. Respondetur, quòd in hoc loco D. Aug. non astruit, eum, qui assentit, habere peculiare dodum gratiæ, sed eum, qui assentit, liberè assentire, etiam si auxilietur ei Deus, contra id, quod dicebant Pelagiani, auxilium Dei inferre vim libero arbitrio. Ait ergo D. August. quòd Deus, qui nouit corda hominum, scit homines vocare miris modis, quibus non violententur, & cogantur velle, sed quibus ipsi liberè mutent voluntatem, & ex nolentibus volentes fiant: auxilium enim, & gratia Dei non vnco trahit, sed suauiter, ita vt homo excitatus illo, liberè se disponat ad iustitiam, & iustificationem.

9 Ad Confirmationem, respondetur, in primis retorquendo auctoritatem contra aduersarios. Ipsi dicunt, quòd gratia sufficiens dat tantum posse, non autem actum, gratia verò efficax dat actum: at gratia, de qua allata auctoritate loquitur Christus Dominus, dat posse, inquit enim, *Nemo potest uenire ad me*; ergo gratia, de qua est sermo, eo loco non est gratia efficax, sed sufficiens: concedunt enim aduersarij, quòd gratia sufficiens dat posse, sed negant dare velle, & actum, hoc enim esse munus gratiæ efficacis, volunt. Præterea. Si illi Iudei, non habebant gratiam, & donum illud speciale à Patre, quod erat necessarium ad credendum Christo, erãt excusandi, & immeritò à Christo Domino redarguti fuissent: at hoc non est dicendum; ergo non est dicendum, quòd illis defuerit aliquod speciale donum necessarium ad credendum: secundum aduersarios autem, & veritatem, habebant gratiam pręuenientem sufficientem; ergo illa non differt à gratia efficaci quantum ad substantiam, & entitatem, sed solum quantum ad effectum, quia in illis non consequebatur suum effectũ propter obstinationem voluntatis Iudeorum: & sic colligitur, quòd gratia sufficiens, & efficax substantia sunt idem, differunt solum pęnes effectum: quando enim consequitur effectum, dicitur efficax, quando non, dicitur inefficax, sed sufficiens. Ad confirmationem.

10 Est ergo dicendum, vt suprà, quòd ex illa auctoritate habetur solum, credere in Deum, & conuerti ad ipsum, esse donum Dei: an verò sit speciale donum distinctum à gratia sufficienti, & sit semper maius in eo, qui finem assequitur, quàm in illo, qui non assequitur nequaquam, solum concedi potest eo loco haberi, quòd non omnes quocumque dono, & gratia conuertuntur, sed aliqui ægent maiori vocatione, quàm alij propter eorum obstinationem voluntatis. Vndè ad propositam auctoritatem respondendo dicitur, quòd Christus Dominus reprehendit eos ex eorum superbia, & simul docet, eos viribus humanis non posse percipere opera Dei supernaturalia, cuiusmodi erat misterium, quod tunc prædicabat, scilicet, de sacramento Altaris, adducens ad hoc probãdum, auctoritatem Scripturarum, est scriptum in

Pro-

Propheti, *Et erunt docti à Deo*, vbi manifestat quod percipere arcana Dei, est donũ Dei, & quod si ipsi non intelligebant illud mysteriũ, hoc proueniebat quia non habebant donum Dei, vel si habebant donum sufficiẽs ad intelligendum, tamen non habebant donum plusquam sufficiens, quo omnino intelligerent, & crederẽt: sæpè enim multis, vt maximè fuerunt Iudei, habuerunt dona sufficientia ad credendum Christo Domino, & tamen noluerunt: noluit autem Dominus dare plusquã sufficientia omnibus, vt omnino actu crederẽt, quia non tenebatur ex iustitia: satis enim erat dare sufficientiã, & propter alias occultas causas, quas nos ignoramus, & D. Paulus repositas esse in abysso sapientię diuinæ dixit. Sensus ergo istorum verborum Christi Domini est, ac si diceret; Iudei, nolite murmurare inter vos de doctrina tradita vobis, quòd sum panis de cęlo descendens, &c. quia ex vobismetipsis nõ potestis hæc secreta percipere, sed opus est auxilio, & dono supernaturali, & sæpè non quodcumque donum supernaturale valet ad hoc, vt donum datum vobis, sed opus est auxilio, & dono plusquã sufficienti, vt quis mysteria hæc credat.

11 Ad aliam auctoritatem ex Io. cap. 10. & sequentem, dico, quòd loquitur de prædestinatis, qui sequuntur Dei vocationem, & certò saluabuntur, sed non sequitur, quòd saluẽtur, quia auxilio illo speciali efficaci peculiari moueantur, sed quia gratię sufficienti assentiunt, & illa Regi, & Duci se sinũt, & propter hoc oues Dei sunt, & prædestinati ad vitam æternam; vt in disput. de prædestinatione diximus.

Ad secundam.

12 Ad secundam respondeo, & reflecto argumentũ contra aduersarios: nàm si ideò hic conuertitur, quia habet maiorem gratiam, quàm ille, qui non conuertitur nõ deberet mirari Paulus, quia possemus dicere statim: hic saluatur quia habet efficacẽ gratiam, ille verò non, quia non habet efficacem gratiam; & sic cessaret admiratio. Rursus, vt ait D. Bonauent. in primo sentẽtiarum vbi suprà, si esset verum, quod dicunt aduersarij, iudicia Dei non essent incomprehensibilia, & abyssus, sed essent voluntaria, quia saluarentur ij, quos vellet Deus absolutè: sed dicendo, vt nos dicimus, iudicia Dei sunt incomprehensibilia: quia cum Deus velit, omnes homines saluos fieri, neque creet creaturas vt damnentur, tamen non omnes saluantur; & licet in adultis possit assignari ratio ex parte ipsorum, scilicet quia operãtur, vel nõ operantur bonum, tamen pueri decedentes sine baptismo, non saluantur, nec ex parte ipsorum scimus assignare causam, & tamen cum voluntas Dei sit ratio nobilissima, dicendum est, ibi esse aliquam causam particularẽ, quam ignoramus, tamen illam Deus optimè nouit, & propterea Paulus appellat iudicia Dei incomprehensibilia, quia facta sunt cum ratione, & causa, sed illã creatura inuestigare nescit: vndè in iudicio manifestabit omnia iudicia sua iusta esse, iuxtà illud. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, & in hoc cõsistit admiratio. Ad secundam auctoritatem, respondetur, quòd ibi loquitur de ijs, qui iam iustificati sunt, & sunt in gratia; illis enim Deus dat particularia dona, quæ non dat peccatoribus ipsis.

Ad tertiã, & quartam

Expositio epistola ad Rom. magna ex parte.

13 Ad tertiam, & quartã, quæ videntur difficiles, & pęne concludere pro aduersarijs, cũ quibus etiam possumus aliam auctoritatem adiungere eiusdem tenoris ex eodem Paulo ad Rom. cap. 9. *Cum nondum nati essent, nec quicquam boni, uel mali egissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est. Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. Respondeo, quòd si intueamur sensum, & mentem Apostoli in illo cap. clarum est, quòd ex his auctoritatibus non habetur, gratiam, qua quis assentit, semper esse maiorem gratia præueniente, qua quis non assentit, sed solum habetur, quòd cum Deus dat nobis auxilium suæ gratiæ, non dat illud ex meritis nostris, neque ex debito, sed ex mera sua liberalitate, & nullis pręcedentibus nostris meritis. Hoc solum habetur ex illis auctoritatibus, nihil amplius, quod ostenditur sic. Conquerebantur aliqui Iudei quòd ita pauci ex Iudeis fidẽ Christi acceptarent, vndè putabant promissiones olim factas à Deo Abrahæ, & semini suo, esse irritas, & nullas, & sic Deum non obseruare, quod promiserat. D. Paulus hãc prauam opinionem ex eorum cordibus euellere nititur, ideò ostendit, quòd promissiones illæ firmæ manent, quia illę non fuerunt factæ semini Abrahæ secundum carnem, sed semini Abrahæ secundum spiritum; idest, factę fuerunt non illis, qui carnaliter ex Abraham geniti sunt, (nàm, & Ismael ex Abraham carnaliter fuit genitus, nec tamẽ fuit filius promissionis) sed illis, qui fide, & operibus propagabãtur ex Abraham, vt Iacob, Natanael, & alij, qui viuebant spiritualiter, vt Pater eorum Abraham. Verum, quia hæc responsio nõ expectabatur à Iudeis, eam Apostolus veram esse probat.

Primò, quia Isaac natus est Abrahæ in senectute sua, & sic natus est nõ ex virtute naturali, sed ex gratia: Isaac autem fuit Patriarcha, & in illo promissiones verificantur. Ecce ergo, quòd promissiones factæ fuerunt semini Abrahæ, non secundum carnem, alioquin Ismaeli, & alijs filijs debebant obseruari, sed seruantur in Isaac, qui per gratiam Dei est natus; ergo signum est, quòd hę promissiones factæ sunt filijs Abrahæ secundum spiritum, idest, qui viuebant rectè in fide, & operibus, vt Abraham. Et quoniã potuissent aliqui respondere, quòd ideò Isaac habitus fuit filius Abrahæ, & habuit promissiones, Ismael verò non, quia Isaac natus est ex Sara, quæ erat libera, Ismael verò ex Agar, quæ erat ancilla, & ideò hoc discrimen prouenire non ex gratia Dei, sed ex parte naturę carnalis ipsorum, D. Paulus adducit exẽplum de Iacob, & Esau, qui ex eadem matre eodem cõcubitu nati sunt, & proinde ex se erant æquales quantũ ad carnem; vtrinque erant æquales quantum ad operationes, quia nondum nati erant, nec aliquid boni, vel mali egerant, attamen vnus eligitur, alter verò reprobatur. Signum est ergo, quod non ex natura, nec ex operibus eorum, sed ex vocante, idest ex gratuita Dei voluntate, dictum est ei, scilicet Rebeccę, maior seruiet minori, idest, Populus natus ex maiori, scilicet Esau, seruiet minori, idest Populo nato ex Iacob: neque enim legitur, quod Esau vnquam seruierit Iacob, sed solum posteri eius. Et in hunc sensum locutus est Propheta Malachias dùm dixit. *Iacob dilexi, & Esau odio habui*; & sic promissiones Dei permanserunt in filijs Abrahæ, nec exceduntur; & hoc quantum ad historiæ literam.

Sed quia hęc litera scripturæ Malachiæ haud dubiè habet sensum allegoricum, scilicet de spirituali dilectione Iacob, & reiectione Esau, hunc sensum, dimissa historia, prosequitur Apostolus, & altius hanc distinctionem considerat, & ostendit, Deum ex suo beneplacito, non ex meritis, alios diligere, & alios odio habere, alijs misereri, & alios indurare: & quia hęc videbatur quibusdam iniquitas apud Deum, scilicet quòd Deus nulla habita consideratione operum, vel alia aliqua ratione ex parte ipsorum, sed ex sola volũtate, & electione Dei, alios diligeret, alios odio haberet, D. P. non statim soluit hanc difficultatem, sed magis auget adducens auctoritatem Moisis, *Miserebor, cuius miserebor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor*; & concludit. *Igitur non est uolentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Et iterum. *Cuius uult miseretur, quem uult indurat*. Denique respondet ad difficultatem dupliciter. Primò quòd homo, qui est figmentum Dei, non debet contendere cum suo factore, nec operum eius rationem exigere, & adducit exemplum de figulo: potest enim Deus sine iniuria auxilia sua, & dona alteri dare, & alteri negare; sicut & figulus absque iniuria potest ex eadem massa, alia vasa formare in honorem, alia in contumeliam: quia est omnino Dominus sui, nec cuiquam est obligatus;

tis; omnia ergo dona eius liberaliter dantur, non ex aliquo debito.

14 Secunda responsio est, quòd propter hoc non debemus accusare Deum iniustitiæ, si respiciamus quomodo se gerit circa reprobos, neque enim statim illos perdit, nec statim exardet in peccatores, sed patienter eos expectat ad pœnitentiam multis naturæ, & gratiæ beneficijs, illis collatis, qui tamen omnibus illis abutuntur, ex quo patet, quòd Deus etiam reprobis dat quandoque maxima auxilia, & maiora, quàm electis, & tamen ipsi indurant se, vt euenit de Pharaone, & multis alijs. Vndè ait Apostolus, quòd Deus *expectat ad pœnitentiam patienter*: nam maxima est patientia Dei, qui peccatores quandoq; tot auxilijs vocat, nec tamen conuerti vellent, vt Pharao, qui tot correptionibus, & vocationibus Dei spretis, voluit obstinatus manere, & se ad interitum aptare. Vnde D. Aug. c. 5. de prædestinatione, & gratia dixit. *Nam misericordissimam Dei voluntatem libero suo arbitrio Pharao pugnauit*. Vide Stapletonum super hunc locum.

15 Quantum verò ad iustos attinet, subiungit Paulus, quòd reprobi non debent conqueri, quia in his iustis Deus voluit ostẽdere diuitias misericordiæ suæ. Hęc est breuiter tota disputatio Pauli, in qua pro principali conclusione habet, quòd Deus largitur dona suæ gratiæ huic, & non illi, non quia hic illud donum, & auxilium promeruerit, ille verò non, sed quia sic sibi placuit: propter hoc dicit, quòd, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. D. Paulus ergo hic loquitur de prædestinatione, & electione ad gratiã, & negat, ipsa opera esse causam meritoriam collationis auxiliorum Dei; & hanc eandem fuisse sententiam D. Aug. latè ostendit Thomas Stapletonus in eum locum contra Caluinum.

16 Ex hoc ad propositum nostrum colligo, quòd ex his auctoritatibus non habetur, quòd semper maior gratia sit illa, qua quis conuertitur, quàm illa, qua quis non conuertitur, sed solum, quòd Deus gratis hæc sua dona largitur. Vnde D. Aug. aduersus Pelagianos sæpè has auctoritates inculcat ad ostendendum, quòd gratia nõ datur nobis à Deo ex præcedentibus meritis, sed merè liberaliter, non ex debito; at multum distant hæ duæ propositiones, Gratia præueniens nobis datur gratis, &, Gratia, qua quis conuertitur, semper est maior gratia, qua quis non conuertitur: prima habetur ex auctoritatibus allegatis, nõ secunda, quã eliciunt aduersarij. Sẽsus ergò illius auctoritatis, *Deus cuius vult, miseretur, & quẽ vult, indurat*, est quod Deus illius, cuius miseretur, non ex debito, sed ex mera liberalitate miseretur; & ideò nõ est ex debito currentis, neque volentis sed ex mera liberalitate Dei miserentis. Nõ vult ergo dicere, quòd Deus sit talis conditionis, quòd vnius misereatur, & ideò illi maiora, & peculiaria auxilia donet, & alterũ despiciat, quia alibi, vt Sapientiæ ij. dicitur. *Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum quæ fecisti*. Si ergo Deus miseretur omnium, non miseretur vnius, vel alterius, alios despiciendo, sic enim aliquos odiret eorum, quos fecit; & Ecclesia canit in quadam oratione, *Deus cui propriũ est misereri semper, & parcere*. Et alibi sæpè. Quippè cõcedo, quòd aliquibus eximiè electis, vt Iacob Deus dedit peculiaria dona, & hos dicitur dilexisse; alijs nõ sed solum sufficientia & hos dicitur odisse; sed nego quod hoc faciat semper; itaquod qui conuertitur habeat semper maiorem gratiam, quàm qui non conuertitur.

Ad quintũ.

17 Ad quintũ respondetur, quòd loquitur de reprobis quos Deus deserit nec elegit, non quia illis non det aliquando æqualem gratiam cum aliquibus prędestinatis, sed quia illa abutuntur; ideò indigni fiunt alijs donis, quibus à malo ad bonum declinent, & rectè viuunt. Potest etiam dici, ibi esse sermonem de Gratia plusquã sufficienti, quam Deus non dat omnibus; at ex hoc nõ sequitur, quod reprobi non habeant aliquando æqualem gratiam cum electis, sed semper minorem. Ad illud quod ait Apostolus, *Esau odio habui*, vbi videtur negare reprobis gratiam, quia conuertantur, præter dicta superius, habes solutionem infrà ad sextum.

Ad sextum

18 Ad sextum respondetur, verum esse quidem D. Aug. asserere, quod ex multis audientibus verbũ Dei, vnus conuertitur, & alter nõ conuertitur, quia vnus vult & alter non vult, sed hic vult, quia eius voluntas pręparatur sibi à Deo per sua auxilia gratiæ, & alter non vult, quia illi non præparatur voluntas, vt contingit in obduratis; sed ex hoc nõ habetur, quòd ille, qui assentit, semper habeat maiorem gratiam quàm ille, qui non assentit: sed habetur quòd ille, qui assentit, habet gratiam, qui verò non assentit, nõ habet gratiam; vbi videtur negare in illo, qui non assentit, non solum gratiam minorem, sed prorsus omnem gratiam: & forsam D. Aug. putauit illis obduratis Deum subtrahere omnem gratiam, ne dum maiorem, quam efficacem appellant, sed etiã minorem, quam sufficientem vocant, vt ostendimus in materia de pęnitentia, in disputatione illa, An auxilium speciale requiratur ad iustificationem; sed sustinendo, Deum nunquam denegare auxilia sufficientia cuicunque, & quantumcunque obdurato, possumus dicere. Primò quòd vtique Deus præparat voluntatem æqualiter quantum est ex se, tamen tantum illi, qui vult conuertere se, Deus dicitur præparare voluntatem, quia dè facto assentit, quod esse non poterat, nisi habuisset gratiam. Quia ergo gratia in hoc fuisse apertè manifestatur, ideò dicitur habere gratiam, illi verò, qui non assẽtit de facto, nec conuertitur, dicitur Deus non pręparasse voluntatem, quia gratia in ipso non apparet.

Quomodo intelligatur, Deum obdurare peccatorem.

Secunda responsio.

Secundò, possumus dicere, quòd licet vtrique præparetur voluntas æqualiter, tamen semper effectus in bonum tribuitur gratiæ, conuersio enim tribuitur Deo, non libero arbitrio, vt vitemus Pelagianos; & ideò D. Aug. inquit quòd ille, qui vult, habet voluntatem pręparatam; quia non ex proprijs viribus vult, sed adiutus gratia; effectus verè in malum tribuitur libero arbitrio totus, & ideò, qui non vult, ex se ipso nõ vult, non ex defectu gratiæ, ideò hoc prouenit ex iudicio, sicut conuersio prouenit ex misericordia; & propter hoc dicitur non habere præparatam voluntatem per gratiam, vt alter.

Tertia responsio.

Tertiò possumus dicere, dato quòd in aliquibus contingat, vt qui assentit habeat maiorem gratiam, quàm qui non assentit: tamen hoc non est verum vniuersaliter: & hoc est, quod nos cõtendimus, & hoc modo possumus satisfacere multis huiusmodi auctoritatibus.

Quarta responsio.

Tandem, possumus respondere per distinctionem assignatam in principio huius capitis, notabili secundo, quòd auxilium est duplex, scilicet sufficiens, & plusquã sufficiens, siuè efficax eo modo, quo exposuimus, quòd vnus conuertitur, & alter non conuertitur, quia vni pręparatur voluntas per auxilium plusquam sufficiens, alter verò non conuertitur, non quia illi non præparetur omnino voluntas: quia eius peccatum haberet excusationem, sed quia non præparatur auxilio illo plusquam sufficienti (quod efficax dici posse, dixi) vt omnino actu, & de facto conuertatur: & hæc responsio quietat animum, quia saluatur misericordia, & iustitia in Deo: misericordia, quia sua dona dare potest, cui placet, nec vlli tenetur iustitia, quia omnibus dat sufficientia, ideò nõ est culpandus. Vndè formaliter ad auctoritates respõdetur, quòd intelliguntur comparatiuè, non absolutè, vt dictum est notabili tertio huius cap. nec secundum legem communem, sed specialem.

Ad septimum.

Ad septimum respondetur, quòd illæ auctoritates reprehendunt Semipelagianos, qui dicebant gratiã Dei esse necessariam, vt conatus nostri non sint irrito: dicebant ergo esse necessariam tantum, vt illa permanere, & proficere possemus: at D. Aug. vult quid amplius, scilicet vt gratia sit principium, quo velimus, idest quo incipiamus, & proficiamus.

Ad aliam ex libro de Bono perseuerantiæ, dictum est su-

est suprà in hoc cap. notabili secundo, & patet ex dictis ad præcedentem tertia responsione, & quarta; loquitur enim ibi de gratia plusquam sufficienti quam quare det vni, & non alteri, pertinet ad iudicia Dei occulta.

Ad octauū. Ad octauum probat, esse necessariam gratiam, & diuinum auxilium ad operandum bonum, & vitandum malum, sed non probat esse semper maius in vno, quàm in altero. Concedit ēt, eos, qui perseuerant, habere speciale donum, quod est perseuerantia: verum ex hoc nō sequitur, in iustificatione illum, qui conuertitur, semper habere maiorem gratiam eo, qui non conuertitur, sunt enim dona diuersa.

Ad nonum 20 Ad nonum dico, quòd Semipelagiani volebant, Deum partiri, & distribuere gratiam suam secundum merita liberi arbitrij tanquam ex debito. Ita quod præuisio boni, vel mali vsus liberi arbitrij nudi esset ratio, & causa, propter quam Deus daret suam gratiam, vel illam negaret; vndè licet faterentur, sine gratia actualiter nos non posse incipere, nec perficere opus bonum, tamen volebant, quòd gratia daretur à Deo ex debito, scilicet ratione boni, vel mali vsus nudi præuisi, & secūdum maiorem, vel minorem dispositionem illius maiorem, & minorem gratiam daret. Et hoc est, quod elicitur ex illa epistola D. Hilarij, scilicet hanc fuisse mētem Semipelagianorum, vt gratia Dei secundum merita nostra daretur. Et hoc est diligenter obseruandum, quia hic est vnus punctus principalis inter D. Aug. & Semipelagianos, vt suprà sæpè dictū est: nimirū, quòd gratia Dei detur secundum merita nostra, siuè ex debito, quia scilicet Deus præuideat bonum motum liberi arbitrij vnius, & non alterius, & intuitu illius det graiā illi, non alteri, vel maiorem illi, & minorem alteri. Et quia Semipelagiani errabant in hoc, ideò negabant distinctionem de gratia sufficienti, & efficaci accipiendo gratiam efficacem pro plusquàm sufficiēti, quæ verè est gratia efficax secundum D. Aug. distinctio enim illa in hoc sensu negabatur à Semipelagianis non in sensu aduersariorum, quem nec D. Aug. nec Semipelagiani vnquam intenderant neque poterant percipere, quòd Deus ex mero beneplacito suo, & gratis det gratiam maiorem vni, qua certo conuertatur, non alteri, sed solum tantam, quæ re vera sufficiat, si peccator velit, ita quod ex parte gratiæ nullus sit defectus; in quo manifestè errabant, & D. Aug. efficacissimè probat, dari hanc distinctionem gratiæ ex mero beneplacito Dei. D. Aug. ergo confutat eos, & probat gratiam suam, & sua auxilia Deū diffundere pro libito, & ex mera gratia, non ex vllo debito: ideò si dat gratiam Petro, non dat illi eam ex merito vllo præuiso, quo esset debitor Deus, sed ex mera liberalitate: non tamen D. Aug. excludit merita gratię ab electione hominum ad gloriam, sed eorum præscientiam includit. Aliud est enim loqui de electione, seù prædestinatione ad gratiam, & aliud loqui de prædestinatione ad gloriam; prima est sine meritis, quia si illa esset ex meritis, esset ex meritis puri, & nudi liberi arbitrij, non ex meritis gratiæ. & sic re vera gratia non esset gratia, vt in materia de prædestinatione diximus.

Ad decimū. 21 Ad decimum respondetur, quòd D. Th. ibi loquitur de gradibus in Ecclesia, in qua alij sunt maiores, alij sunt minores, ideò maiores habent maiorem gratiam; non quia se magis disponant, sed quia Deus illis maiora auxilia gratię donat, sinè quibus non possent esse maiores in Ecclesia; alij verò sunt minores, quia etiā Deus minora auxilia donat, vt consurgat pulchritudo, & perfectio in Ecclesia ex diuersis gradibus: at ex hoc non sequitur, quod semper ille, qui assentit, habeat maiorem gratiam, quàm ille, qui non assentit, neque hoc elicitur ex doctrina D. Thomæ.

Ad vndecimum. 22 Ad vndecimum respondetur, gratiam esse maiorē in eo, qui assentit, quàm in illo, qui nō assentit, potest intelligi duobus modis. Vno modo, quòd sit maior circumscripta cooperatione liberi arbitrij, sed solum pensata ex parte gratiæ, & ex parte Dei donantis, & hoc modo nego, semper esse maiorem gratiam, & maius beneficiū in eo, qui assentit, quā in eo, qui non assentit. Alio modo potest accipi gratia in se cum omnibus circunstātijs Dei donantis simul cum concursu liberi arbitrij illi assentientis, & hoc modo cōcedo, quòd gratia, qua quis assentit, est maior, quia est efficax: sed hæc maioritas, & efficacia prouenit ex libero arbitrio, quod illā sibi facit efficacem. Cum verò ait, quòd Deus dat gratiam vni tempore congruo, & gratiam congruam, alteri verò nequaquam, hoc est falsum, & magnam iniuriam misericordiæ Dei facit, de qua prædicatur, quòd Deus miseretur omnium. Vndè mirum est, quod si Deus cognoscat aliquem cum tali auxilio, & tali tempore accessurū ad pœnitentiam, Deus illi auxilium hoc congruum deneget, & aliud incongruū largiatur. Ad D. Aug. dico, quod dicit, iustos conuerti auxilio congruo, vt intelligant Pelagiani, Deum non cogere voluntatem nostrā, vt impiè blasphemabant, sed suauiter, & congruo modo liberum arbitrium ad consensum deducere.

23 Ad rationes adductas à Soto, dico, quòd illæ concludunt, Deum incipere, & nos subsequi non autem vllam esse ex nobis dispositionem præuenientem gratiā; sed esse necessariam gratiam præuenientem, & auxiliū Dei, quod nobis gratis sine vllis meritis nostris datur. An verò sit maior ista gratia præueniens in vno, quàm in altero semper, de hoc nec verbum quidem facit; illud concedimus, non hoc secundum, quod in disputatione tractamus. Ad rationes Soti.

DISPVTATIO LXI.

Vtrum homo in statu naturæ corruptæ, sine auxilio speciali Dei, possit facere opus moraliter bonum, implere præcepta, & vitare omnes tentationes.

Rationes dicentium, ad opus moraliter bonum, requiri speciale auxilium. Caput Primum.

1 Licet ex dictis facilè haberi possit, quid sit respondendum ad hanc quæstionem, tamen quoniam fusè tractatur à Recentioribus; & magis manifesta fient ea, quæ suprà diximus de auxilio Dei, quo nobiscum concurrit ad opera bona; ideò breuius, ac potero, illam explicare decreui, & cō magis, quia mens Scoti magis declarabitur. Licèt autē hæc tria diuersis quæsitis à Theologis tractentur; tamē quia ex eodem fundamento dissoluuntur, ea simul pertracto: seruare enim præceptum Dei, quantum ad substantiam operis, & vitare tentationem, sunt opera moraliter bona, & sub primo membro continentur. Notandum est autem hic, per auxilium speciale, nos intelligere illud auxilium, quod ipsi appellant efficax, & ab aliquibus dicitur prędeterminare physicè nostrum liberum arbitrium, ab alijs moraliter, & dicitur auxilium congruum, de quo in superioribus disputationibus ęgimus.

2 Hic ergo sunt duæ extremæ opiniones. Aliqui sustinent partem negatiuam, & in hanc sententiam citatur Alexander Alensis 3. p. quæst. 69. m. 1. art. 2. sed Alexander ibi non loquitur de auxilio Dei ad opera moralia, sed de fide, quæ est alia materia diuersa. Hanc verò partē ex professo tenet, & prius adinuenit Gregorius de Arimino 2. Sent. dist. 26. 27. 28, quem postea secuti sunt plures, vt Capreolus in eodem 2. dist. 28. quæst. 1. art. 1. & ex Recentioribus multi, quos citat, & sequitur Vasquez p. 2. disp. 190. licèt ipse nitatur media quadam via incedere, vt videbimus. Opinio asserentiū, necessariū esse auxilium speciale.

3 Alij ex aduerso sustinent oppositum, nimirum, hominem sine auxilio isto speciali, & gratia efficaci, quæ dicitur etiam gratia per Christum, posse facere opus perfe- Opinio asserentium, non esse necessariū auxilium speciale.

perfectè moraliter bonum, & cum omnibus circunstantijs implere præcepta, & vitare tentationes, non meritoriè, sed quo ad substantiam actus; in hoc enim sensu loquimur, quia clarum est, ad opus meritorium requiri auxilium præueniens, & gratiam habitualem; & hanc sequuntur apertè D. Bonauent. 2. sent. dist. 28. art. 2. q. 3. & 2. Caietan. & Medina 1. 2. quæst. 109. art. 2. Soto de natura, & gratia lib. 1. cap. 20. & multi, licèt nõ eodem modo hanc sententiam declarent, vt videbimus. Quid verò in hac re S. Thomas senriat, non est apertè clarum; vndè auctores vtriusque sectæ eum in suam sententiã pertrahere conantur. Caietanus, Medina, & Soto enim pro seipsis habere volunt; Capreolus, Vasquez, & alij eum sibi quoque fauere apertè contendunt. Quæ etiam sit opinio Scoti, non est ita clarum. Gregorius, Soto, Vasquez, & alij asserunt, ipsum negare auxilium speciale ad opera supernaturalia, & multò magis negare ad opera naturalia. Cæterum infrà eius mentem declarabimus.

Quid senserit Diuus Tho. difficile.

De opinione Scoti q̃d alij dicant.

Auctoritates pro prima opinione.

4 Pro prima opinione adducuntur innumeræ ferè auctoritates, & variæ rationes; ego præcipuas adducam. In primis, omnes auctoritates Sacræ Scripturæ, quę adducuntur ab his auctoribus, & ab alijs ad probandum, dari auxilium efficax, quod maius sit semper in illo, qui conuertitur, quàm in illo, qui nõ conuertitur, etiam adducuntur pro necessitate talis auxilij ad opera moralia, vt sunt illa Ioan. 16. *Sine me nihil potestis facere.* Paulus Corint. 4. *Quid habes, quod non accepisti.* Et infrà. *Non sumus sufficiẽtes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et iterum 2. Corint. 3. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Ex his arguitur. Ergo nihil habemus ex nobis, nihil sine Christo facere possumus, neque etiam cogitare; Deus operatur in nobis velle, & perficere. At nullum opus moraliter bonum potest esse sine cogitatione, & velle; ergo nullum opus moraliter bonum fieri potest sine auxilio speciali Dei. Adduntillod Ephes. 2. *Ipsius enim factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt ambulemus in ipsis.*

Secunda ratio ex Concilijs petita.

5 Secundò adducunt auctoritates ex Concilijs, & Pontificum Decretis: primò in Concilio Palestino fuit oblata Pelagio hæc retratactio. *Vt fateatur, gratiã Dei, & adiutorium etiam ad singulos actus dari, eamque non dari secundum merita nostra,* quam retractationem refert D. August. epist. 106. & 107. Præterea, in Concilio Arausicano can. 9. ita diffinitum est. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, & nobiscum operatur, vt operemur,* & can. 20. *Multa bona fiunt in homine, quæ non facit homo; nulla bona verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Ad quod confirmandum adducitur illud Io. 15. *Sine me nihil potestis facere,* & multa alia similia adduci possent. Ex Pontificum decretis multa adducũtur: sufficiat auctoritas Cęlestini Papę in prima sua epist. ad Episcopos Galliæ cap. 9. vbi habet hęc verba. *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, vt sancta cogitatio pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit: quia per illud aliquid possumus, sine quo nihil possumus.* vbi non solum merita, sed omne bonum voluntatis, in Deum refert. Quod si aliquod opus morale bonum possemus operari, nõ omnis motus voluntatis esset referendus in Deum, & ascribendus diuinæ gratiæ.

3. Ratio ex Patribus.

6 Tertiò. Adsunt innumera testimonia Patrum: primò D. Cyprianus apud D. August. lib. 2. retractationum c. 1. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil est.* Item epist. 47. D. August. habet hæc verba. *Legimus eis,* scilicet Pelagianis, *vt eos conuinceremus librum Beatissimi Cypriani de oratione dominica, & ostendimus, quemadmodum docuerit omnia, quæ ad mores nostros pertinent, quibus rectè viuimus, à Patre nostro, qui in Cęlis est, esse poscenda, ne de libero præsumentes arbitrio à diuina gratia excidamus.* Præterea sermone 13. de verbis Apostoli. *Cum dico tibi sine adiutorio Dei nihil agis, nihil boni dico; nam ad male agendum habes sine adiutorio Dei liberam voluntatem.* Alias breuitatis causa ommitto, quæ eundem sensum habent, & à recentioribus maxima diligentia referuntur.

Responsio ad has auctoritates.

7 At respondẽt auctores contrariæ sententiæ responsione generali ad omnes has auctoritates Patrum, & Conciliorum, Patres hic loqui de auxilio Dei generali, nõ de auxilio speciali; quod probant auctoritate D. Hieronymi in epistola ad Ctesiphontem aduersus Pelagiũ, vbi probans, necessarium esse auxilium Dei, dat exemplum eorum operum, quæ sine speciali auxilio, sed cum solo concursu generali fieri possunt, vt est temperare calamum, pumice illum terrere, ipsum manu ad scribendum aptare, & huiusmodi.

Reijcitur ab aduersarijs.

8 Contrà, arguit Vasquez vbi suprà: quia Pelagius nunquam negauit auxilium generale, & Sancti Patres arguentes aduersus eum, non exposcunt ab eo, vt fateatur auxilium generale, sed vt fateatur auxilium per Christum, quod est auxilium speciale, & efficax. Ad Hieronymum dicunt, eum ibi loqui de auxilio speciali; atque tale auxilium per Christum requiri ad illa opera enumerata, vt temperare calamum &c.

4. Ratio.

9 Quartò arguunt rationibus, quę ferè omnes desumuntur ex Gregorio de Arimino loco citato: prima autem sit hæc, quæ reputatur principalis, & ab omnibus adducitur, licet diuerso modo formetur à diuersis, & apud eum sit valde prolixa. Opus moraliter bonum requirit, vt non solum sit circa debitam materiam, & sit bonum in genere, sed etiam, vt habeat circunstantias bonas, & præsertim circunstantiam finis; debet enim fieri quando, & quantum, & gratia cuius oportet, vt habet Aristotiles 2. Ethicorum cap. 4. At circunstantia finis in operibus moralibus est, vt fiant propter amorem Dei; ergo opus, quod non fit propter Deum, non est mortaliter bonum: subsumo; sed ex viribus puris naturæ, sine auxilio speciali Dei, non possumus diligere Deum propter se. Ergo nullus homo ex puris viribus naturæ sine speciali auxilio Dei, potest facere opus moraliter bonum. Maior primi syllogismi est probata, & communiter concessa. Minor supponitur vera à Gregorio ex cõmuni consensu Theologorum: finis enim vltimus nostrorum operum, & actionum videtur esse Deus, in quem omnes actiones nostras dirigere debemus. Vasquez tamen 1. 2. disp. 191. cap. 1. eam probat ex ipso Gregorio in eadem q. 1. ar. 1. conclus. 2. sed Gregorius in ea 2. conclus. de hac re nihil agit: secunda enim conclusio eius est hæc. Nullus homo, sine speciali Dei auxilio, potest cognoscere quid volendum, vel agendum de rebus moralibus, quæ, vt patet, est diuersa ab hac. Deum non posse diligi propter se viribus naturæ. Rationes tamen sunt hæ, quia solus Deus est propter se diligendus; ergo, si quid creatum ametur propter se, & non referatur in Deum, tanquam in finem, actus ille erit vitiosus: quia carebit proprio fine. Confirmatur, quoniam si actus virtutis potest diligi propter se, etiam multa alia bona honesta creata possent diligi propter se, scilicet fama, honor, diuitię, & huiusmodi: at hoc est falsum, quia est peccatum diligere hæc bona propter se, & non propter Deum: quia esset frui vtendis, quod est maxima peruersitas. Et confirmatur auctoritate D. August. 19. de Ciuitate Dei cap. 25. vbi sic ait. *Nam licet à quibusdam tunc verè, atque honestè putentur esse virtutes, cum referuntur ad seipsas, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, ac superbæ sunt: & ideò non virtutes, sed vitia iudicandæ sunt.* Assumptum verò in subsyllogismo, scilicet, quòd non possimus ex viribus naturæ diligere Deum propter se, excluso speciali auxilio, probat multis auctoritatibus Sanctorum, præsertim D. Aug. qui lib. 5. contra Iulianum sic ait. *Quando Deo donante ex vera uniuntur fidei ipse Deus adest, & menti illuminandæ, & concupiscentiæ superandæ, & molestię perferendæ: Hoc enim to*

tum

tum rectè fit, quando fit propter ipsum, idest quando gratis amatur, qualis amor ipse nobis esse non potest nisi ex ipso. Præterea, in epistola ad Vitalem, inquit. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Adduceret alias auctoritates multas, quas ego omitto, quia eundem sensum habent.

Confirmatur.

10 Confirmatur ratione, quia homo ex puris naturalibus non potest sufficienter cognoscere quid sit agendum, & quid volendum circa res morales, vt sint bonæ; ergo non potest agere aliquod bonum morale sine auxilio Dei. Antecedens probatur, quia si habet hanc cognitionem, hoc euenit, vel quia homo pro damnatione culpæ Adam non incurrit ignorantiam agendorum, vel à tali pęna ipse absque gratia potest surgere. Vtrumque est falsum; ergo, falsitas quo ad vtramque partem probatur per multas auctoritates D. August. sed præsertim primo retractionum cap. 9. vbi ait, quòd ad miseriam iustæ damnationis pertinet ignorantia, & difficultas, quas patitur homo omnis ab exordio natiuitatis suæ, nec ab illo malo quisquam, nisi gratia Dei, liberatur.

5. Ratio.

11 Quintò principaliter. Si sine auxilio speciali posset homo facere opus bonum moraliter, sequeretur, vanum esse, nos orare Deum, vt nos adiuuaret ad hęc opera facienda. Consequens est contra praxim Ecclesiæ, & destrueret totum Christianismū. Consequentia est euidens, quia in vanum à Deo petitur, quod nos ipsi viribus nostris præstare possumus, frustrà etiam gratias ageremus Deo de operibus bonis moraliter factis.

6. Ratio.

12 Sextò. Sequeretur, hominem posse sine auxilio Dei vitare omnes tentationes. Consequens est falsum. Consequentia probatur, quoniam tentatus posset elicere actum oppositum tentationi, & bonum moraliter, & sic vitare tentationem. Falsitas consequentis probatur, quia Pelagius in Concilio Palestino coactus fuit anathematizare hanc propositionem. Victoriam tentationū, nobis, non ex Dei adiutorio esse, sed ex libero arbitrio; ergo solæ vires liberi arbitrij non possunt vitare tentationes. Vndè in quotidiana oratione petimus à Deo, Et ne nos inducas in tentationem.

7. Ratio.

13 Septimò. Posset homo adimplere præcepta diuina. Consequens est falsum. Consequētia probatur, quia adimpletio præcepti est opus moraliter bonum. Falsitas consequentis patet, quia Pelagius in Concilio Palestino compulsus fuit confiteri, gratiam Dei ad singulos actus dari, & oppositum huius tanquàm erroneum reuocare, vt recitat D. Aug. ad Paulinum Nolanum. Præterea. Cęlestinus Papa, & Concilium Mileuitanum diffiniunt, necessarium esse ad quodcunq; peccatum vitandum auxilium gratiæ Dei.

8. Ratio.

14 Octauo. In Philosophis, & alijs, qui natura duce viuebant, non potuerunt esse veræ virtutes, vt ait D. August. 19. de Ciuitate Dei cap. 25. cuius verba adduximus hoc cap. ratione quarta. Ergo ex viribus naturæ non potuerūt habere actus virtutis bonos, & moraliter rectos.

9. Ratio.

15 Nonò. Sequeretur, hominem posse se disponere ad iustificationem, & ad primam gratiam. Consequens est damnatum in pluribus Concilijs, & præsertim Tridentino vltimo sess. 6. cap. 6. vt vidimus suprà disput. de merito de congruo. Consequentia probatur, quia moraliter operātι bonum, & facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam suam.

10. Ratio.

16 Decimò. Sequeretur, Deum eodem auxilio concurrere nobiscum ad opus bonum moralis virtutis acquisitæ, quo concurrit ad opera mala. Consequens est absurdum, vt patet. Consequentia probatur, quoniam Deus concurrit ad opera vitiosa, etiam suo auxilio generali.

Vasquez quos rationes vrgeat.

Inter has rationes Vasquez loco citato, & multi ex Recentioribus maximè vrgent quintam, sextam, & nonam. Aliæ rationes adducuntur infrà c. 3. in fine ex Vasquez, quæ cap. vltimo cum istis dissoluentur.

Allata sententia refellitur. *Caput II.*

2 AVctores superius citati pro opposita sententia, contra hanc opinionem validissimè arguunt, & eam esse falsam, vt mihi videtur, efficacissimè concludunt: nonnullæ harum desumuntur ex Scoto in 2. sent. dist. 7. quæst. 1. vbi probat, quòd dęmones possunt velle aliquod bonum morale: si enim hoc possunt dęmones, multo magis homines viatores, qui non sunt in statu ita infęlici, sicut damnati; eas autem ibi adduximus, & efficaciam earum ostendimus. Quo autem ad homines viatores, de quibus est præsens disputatio, primò adducemus auctoritates, deindè rationes; in auctoritatibus enim est præcipuè vis huius disputationis. Scotus.

Prima auctoritas ex D. Paulo ad Rom. 2.

3 Prima ergo auctoritas sit simul Sacræ Scripturę, & D. Aug. eam interpretantis: Paulus ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt.* Ecce D. Paulus ait, infideles naturaliter facere opera legis: at opera legis sunt bona moraliter, & fiunt naturaliter; ergo nō ex auxilio speciali, & supernaturali, vt Gregor. & alij volunt. Et cōfirmatur ex auctoritate D. Aug. lib. de spiritu, & litera cap. 27. & 28. qui interpretās hęc verba, non ait, absolutè intelligi de gentibus conuersis ad fidem, vt vult Vasquez disput. illa 190. cap. 1. 17. & 15. sed licet propendat multum in hanc sententiam, attamen etiam admittit, posse intelligi de gentibus permanentibus in infidelitate, & impietate sua; & subiungit, quod etiam si hoc modo intelligantur, tamen non obstant intento suo ibi, quod erat ostendere, nouum testamentum à veteri differre: illa autem auctoritas videtur astruere oppositum, vt ibi.

Auctoritas ex D. Aug. lib. de spiritu, & litera c. 27. & 28.

Latè D. August. tractat. Quod autem D. August. ibi asserat, illa verba intelligi posse de gentibus non conuersis (contra Vasquez loco citato, qui omnino hanc expositionem non vult admittere) patet, quia D. August. ibi habet hæc verba. *Si autem hi, qui naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, nondum sunt habēdi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia, sed in eorū potius, quorum etiā impiorū nec Deum uerū veraciter, iustèque colentium, quædam tamen facta, vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundum iustitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, rectèque laudamus, quanquam si discutiatur quo fine fiunt, vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem, defensionemvè mereantur.* In his verbis apertè ostendit D. August. illam auctoritatem Apostoli posse intelligi de gentibus nondum conuersis: neque hanc expositionem reijcit; sed declarat, quomodo sit verū, huiusmodi infideles, qui in impietate viuunt, & naturaliter posse facere quędam, quæ secundū iustitię regulam non solum non possunt vituperari, sed debent laudari: & ratio est hæc, quam statim subiungit in initio cap. 28. sic. *Quia in humana anima non usque adeò imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea uelut lineamenta extrema remanserint: undè meritò dici possit, etiam in ipsa impietate uitæ suæ facere aliqua legis, uel sapere: si hoc est, quod dictum est, quia gentes, quæ legem non habent, hoc est legem Dei, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, & quia huiusmodi homines sibi lex sunt, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, idest non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei cum crearentur, impressum est; etiam sic illa differentia non perturbabitur, qua distat à vetere testamentū nouum,* &c. Ratio ergo ex D. August. propter quam homines infideles existentes in sua infidelitate, & in impietate possunt naturaliter operari aliqua opera secundum iustitiæ regulam, non vituperabilia, sed bona, est, quia imago Dei in anima non est omnino detrita; quam postea ibidem ait, per gratiam Dei renouari, non tamen ait, vt vult Vasquez, illos infideles facere hæc opera bona, postquàm anima imago per gratiam fuit renouata, sed antequàm renouetur; ait enim. *Undè possit etiam in ipsa impietate*

vita sua facere aliqua legis, uel sapere. Vult ergo D. August. ipsos infideles in sua impietate permanentes, antequam gratia sint renouati, posse facere aliqua opera bona: quoniam imago Dei per peccatum non est omnino deleta in illis, licet sit multum deformata. (Vbi videtur illud idem asserere, quod Dionysius de dæmonibus dixit, scilicet naturalia per peccatum in illis esse vulnerata, sed tamen integra permansisse) licet ergo primam expositionem hic, & 4. lib. contra Iulianum cap. 3. & alibi approbet, tamen hanc secundam non damnat, sed probabilem putat, & docet quomodo intelligi debeat; & sic clarissimè patet, eum sensisse, infideles naturaliter potuisse facere opera bona moralia; ergo non requiritur necessariò, ex mente eius, auxilium speciale. Patet etiam, quòd D. August. ibi interpretatur, naturaliter, vt contra distinguitur à gratia, quoniam inquit, naturam postea renouari per gratiam; ergo quando infidelis permanet in impietate, & est destitutus gratia, & operatur bonũ, non operatur ex gratia, quia illa est destitutus; ergo per puram naturã cum auxilio generali. Et certè hic est germanus sensus D. August. ibi. Missos facio alios Sanctos Patres, qui eodem modo hanc auctoritatem intelligũt, quia sufficit D. August. super quem aduersarij faciunt totam vim. Multa alia subiungit D. August. ibi, quæ hoc idem clarissimè ostendunt: nam paulò infrà in eodem cap. 28. asserens, naturam humanam propter peccatum deformatam renouari per gratiam Christi, habet hæc verba. *A cuius,* scilicet Christi, *gratia alieni sunt illi, de quibus agimus qui secundum illum modum, de quo superius satis diximus naturaliter quæ legis sunt faciũt. Quid eis proderunt excusantes cogitationes in die, qua iudicabit Deus occulta hominum, nisi fortè vt mitius puniantur? sicut enim non impediunt a vita æterna iustum peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur, sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cuiuslibet pessimi hominis inuenitur.* Ecce ait, opera ista, sine gratia Dei facta, non esse omnino supernacanea, licèt non promereantur vitam æternam; sed ad illud prodesse, vt mitius puniantur. Et rursus confirmat, vitam impijssimi difficilè inueniri sine aliquibus operibus bonis. Ergo clarissimè D. August. sustinet, hominem destitutum gratia Dei per vires naturæ, & auxilium generale posse facere opera bona: hoc non potest intelligi de operibus bonis meritorijs, neque de disponentibus ad iustificationem, quia loquitur de eo impio, qui permanet in impietate sua; ergo intelligi de moralibus. Vbi est notandum, quòd licet sensus c. 27. perficiatur per verba sequentia cap. 28. tamen non sequitur, quod ille sensus sit imperfectus, & non ad mentem D. Aug. vt vult Vasquez loco citato c. 17. nam hæc vltima verba adducta ex eodem c. 28. ostendũt clarissimè D. Aug. illud dixisse ex propria mente: quod confirmatur, quia statim subiungit hæc verba. *Veruntamen sicut in Regno Dei stella à stella in gloria differunt Sancti; sic & in damnationem pœnæ sempiternæ tolerabilius erit Sodomæ, quã alteri Ciuitati; & erunt quidã duplo amplius quibusdã gehennæ filij: ita nec illud in iudicio Dei vacabit, quod in ipsa impietate damnabili, magis alius alio, minusvè peccauerit.* Hæc autem verba non dicent aduersarij, non dici à D. Aug. secundũ propriam mentem, quia sententia in illis explicata est certissima; at hæc cõfirmant expositionẽ nostram, & verba præcedentia; ergo illa quoque dixit secundum propriam mentem. Et consequenter ét patet, illã particulam *(vix)* positã in vltimis verbis c. 27. habere maximã vim pro nostra opinione: ex illa enim denotatur, quòd quamuis plura opera infidelium sint mala, aliqua tamen, quamuis pauca, esse bona.

Tertia auctoritas.

4 Confirmatur auctoritate D. Pauli ad Rom. 1. vbi ait, Phylosophos esse inexcusabiles; *Quoniã cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Vbi videtur D. Paulus condẽnare Phylosophos ex eo, qđ cum viribus naturæ, absque speciali auxilio, sed communi influentia Deum cognouerint, non tamen eum glorificauerunt; ergo supponit quòd sicut viribus naturæ eum cognouerunt, ita potuerunt eum glorificare, & colere; ergo ex viribus naturæ potuerunt aliquod opus morale bonum facere. Hoc testimoniũ confirmat opinionẽ Scoti, quòd homo viribus naturalibus possit diligere Deum super omnia, quam infrà explicabimus.

5 Præterea. Christus Dominus ait. *Si diligitis eos, qui vos diligunt quam mercedem habebitis? nam etiam Ethnici hoc faciunt.* Item, *Si salutaueritis fratres vestros, quam mercedem habebitis?* At isti sunt actus virtutis amicitiæ, qui moraliter sunt boni; ergo. Quarta auctoritas.

6 His accedit auctoritas D. August. lib. 3. Hypognosticon non longe a principio, vbi dicit, in nobis esse liberum arbitrium, quo possimus, *in operibus vitæ præsentis, tam bonis quàm malis, bonis dico, quod de bono naturæ oriuntur id est velle laborare in agro, velle manducare, & bibere velle habere amicum, velle habere indumenta, velle fabricare domum, velle vxorem ducere, pecora nutrire artem discere diuersarum rerum bonarum, velle quicquid ad præsentem vitam pertinet.* At nulli dubium est, hæc opera omnia posse esse bona, & mala moraliter: possunt enim fieri propter bonum finem, & malum, & tamen concedit, illa posse fieri à nobis, & non dici malè fieri; ergo intelligit benè; ergo erit opus moraliter bonum, & præsertim cum secundum aliquos, non detur opus medium, quod neque sit malum, nec bonum, sed indifferens. Quinta auctoritas.

7 Respondet Vasquez, hunc librum non esse Augustini, sed quicquid sit de hoc, sufficit quòd est auctoris probati. Respondet deindè, auctorem illum velle, vt homo suo libero arbitrio sine Deo possit facere non opera, quæ pertinent ad virtutem moralem, (vndè nullum opus virtutis enumerauit) sed solum ea, quæ pertinent ad aliquod commodum nostrum. Responsio Vasquez.

8 Sed hæc responsio est nulla: quia licet illa opera enumerata nõ sint opera aliqua virtutis, possunt tamen benè, & malè agi; concedit autem à nobis benè fieri posse; ergo erunt bona moraliter. Præterea vtitur illa clausula generali, posse velle quicquid ad præsentem vitam pertinet: at actus iustitiæ pertinẽt ad præsentem vitam, sine enim actibus iustitiæ vita humana non posset conseruari, nec homines vita ciuili viuere: iustitia autem est virtus moralis; ergo. Reijcitur.

9 Verba autem illa, quæ subiungit hic auctor Hypognosticon loco citato post verba superius adducta, quæ sunt hæc. *Quæ omnia,* scilicet hactenus enarrata, *non sine gubernaculo diuino subsistũt; immò ex ipso, & per ipsum sunt, vel esse cœperunt. De malis verò quæ peccata sunt, vt velle homicidium, colere idolum,* &c. inquit, *sed ista non pertinent ad substantiam vitæ præsentis, quia non sunt à Deo,* &c. ostendunt, quòd auxilium Dei concurrit ad illa opera superius enarrata; sed illud non est auxiliũ speciale adinuentum a Gregorio, & alijs, sed auxilium generale, non creationis, sed prouidentiæ, de quo nos in præcedentibus disputationibus disseruimus; ideò nostræ opinioni infrà explicandæ maxime fauent. Auxilium generale astruitur.

10 Præterea arguitur ratione. Illud potest natura humana viribus naturalibus absque auxilio speciali, quod dicitur gratia efficax, quod est proportionatum viribus naturalibus. Sed opus moraliter bonum est huiusmodi; ergo. Maior est euidens. Minor probatur; nisi opus morale bonum esset proportionatum viribus naturalibus, sequeretur, naturam humanam per peccatum non esse vulneratam, sed extinctam; si quidem nullum opus bonum posset efficere. 6. Ratio.

11 Respondet Vasquez cap. 17. opus morale esse accommodatum, & proportionatum viribus naturæ, neque eas excedere, non tamen sequi, quòd natura absque auxilio gratiæ illud possit efficere: quoniam natura non requirit auxilium gratiæ ad faciendum opus morale bonum, eo quia hoc opus excedat vires naturæ, sed quia Responsio Vasquez.

nequit homo operari bonũ sine cogitatione boni: quòd autem applicetur ad cogitationem boni potius, quàm mali, gratiæ Dei est. Quod ostendit eadem disput. c. 12. & disput. 189. c. 15. quia liberum arbitrium vi suæ creationis, & conseruationis non inclinatur potius in cogitationem bonæ operationis, quàm malæ; sed Deus ipse sua prouidẽtia, qua cuncta disponit, est, qui immittit cogitationem vnamquamque homini; ideò quòd aliquis habeat cogitationem ita vehementem, & congruam, quod impellat liberum arbitrium ad opus bonum, est beneficium, & gratia specialis; posset enim non immittere cogitationem ita congruam, & sic non operaretur opus moraliter bonum.

Reijcitur. 12 Cæterum hæc responsio nullius est momẽti: quoniam concedimus quidem, Deum suo auxilio prouidentiæ gubernare omnia, & concurrere cum actionibus voluntatis creatæ, & secundarum causarum, sed illud est auxilium generale, non speciale: vndè falsum est, Deum se solo immittere cogitationem bonam; & sic specialiter se solo mouere intellectum hominis semper, & secundum viam ordinariam, siuè per aliquid ordinis naturalis, siuè per aliquid ordinis supernaturalis; potest enim prouenire, immò de facto prouenit à libertate liberi arbitrij: vndè sic argumentor. Licèt obiectum necessariò debeat mouere prius ipsum intellectũ, antequam voluntas imperet cogitationem illius, tamen non potest intellectus se postea applicare cogitationi illius obiecti, nisi voluntas illud præcipiat: potest enim voluntas pro hoc statu auertere cogitationem intellectus à quocumque obiecto, & applicare illum alteri obiecto, quoniam voluntas est libera, neque determinatur, nec necessitatur ab aliquo obiecto; & eadem ratione, salua sua libertate, non potest Deus determinare voluntatem ad hanc cogitationem, vel illam, sed potest solum suggerere obiectum intellectui in prima intellectione, & motu: at quòd intellectus postea maneat in illa cogitatione, est in libertate voluntatis. Deinde stante cogitatione obiecti boni, est in potestate voluntatis illud obiectum prosequi, vel fugere, & illam cogitationem amplecti, vel non amplecti; ergo illa cogitatio non est causa per se, vt voluntas faciat opus bonũ, vel malum, sed tantum per accidens, & occasionaliter. Vndè cum opus morale bonum non excedat vires naturæ creatæ, ipsa poterit cum communi concursu causæ primæ illud opus bonum efficere; & sic non est necessarium auxilium speciale, siuè gratia efficax prædeterminans voluntatem physicè, vel moraliter, siuè quæ sit congrua. Pluribus rationibus etiam disput. superioribus reiecimus illam gratiã efficacem cõgruam.

13 Verùm, quoniam ista responsio est maximum fundamentum Vasquez, notandum est, vt diximus disput. illa, An voluntas sit nobilior intellectu, cap. 13. in resp. ad 13. in materia de pœnitentia, ex Scoto quodlib. a 1. falsum esse, primam cogitationem boni nobis inesse semper à Deo: nam vt habet Scotus ibi vers. *Respõdeo, prima ratio*. &c. contra Henricum, prima cogitatio non est à Deo sicut nec prima volitio, sed prima volitio est ab ipsa voluntate determinante se, vt eadem disput. c. 12. latè ostendimus, & prima intellectio est aliquo modo à casu, & aliquo modo à natura; est à casu, quia accidentaliter euenit, quòd tale obiectum primò obijciatur intellectui, & non aliud: vndè D. August. citatus ibi à Scoto lib. 3. de libero arbitrio, inquit, non est in potestate nostra quin visis tangamur; ergo non est in potestate nostra in primis motibus moueri ab hoc, & non ab illo obiecto: tamen non sunt semper casuales prima intellectio, & primi motus, sed etiam aliquãdo à natura: nam obiectum fortius mouens secundum phantasmata magis impressa, est id, quod primò mouet intellectum, & sic prima intellectio habet causam naturalem motiuam in nobis, quæ, quia non est in potestate nostra, nec est à ratione deliberante, non imputatur nobis absolutè: subiungit tamen Scotus, quòd interpretatiuè nobis est imputabilis, quia in potestate hominis fuit facere obiectum fortius mouens ex frequentata consideratione alicuius obiecti boni, ex qua fortius imprimatur phantasma obiecti boni, non mali in memoria, quod deindè fortius moueat, & prius quàm aliud: vndè experiẽtia videmus, quòd dum sæpè de aliqua re cogitamus, statim cum à somno surgimus, illa in mentem venit; & ideò, qui in bonis cogitationibus exercentur, bonas cogitationes, & bonos primos motus, vt plurimum, primò habent, & qui in malis malos.

14 Ex hoc sequitur, quòd etsi aliquando Deus per gratiam specialem ex sua prouidẽtia particulari immittat alicui aliquam bonam cogitationem, & vehementem propter aliquod opus bonum, quod debet esse principium aliorum bonorum, tamen non semper, & regulariter hoc facit, sed solum concurrit generali suo concursu, & prouidentia cum causis secundis, & ita obiectũ, quod naturaliter fortius mouet, vel de quo quis habuit vehementiorem cogitationem, primò mouet: habita autem illa motione adhùc voluntas est libera ad assentiendum, vel non assentiendum. Non ergo ex hoc cap. est necessarium auxilium speciale ad faciendum opus bonum morale, sed potest habere bonam cogitationem sine eo: quia falsum est, bonam cogitationem posse prouenire à solo Deo speciali auxilio, & prouidentia: nam potest prouenire ex aliqua prædictarum causarũ: alioquin si prima cogitatio esset mala, etiã illa esset à Deo; quoniam secundum aduersarium intellectus non est magis determinatus ad bonum, quàm ad malum; sed à Deo determinatur per immissionẽ cogitationum, quod est absurdum, vt patet. Denique habita cogitatione prima bona, vel mala, cogitationes sequentes sunt in potestate nostra, vt diximus in eadem disp. caput. 12. & inde: ideò hoc fundamentum Vasquez est omnino falsum.

15 Sed replicat loco citato, hanc responsionem auferre prouidentiam Dei, & fauere Atheistis, qui dicunt, omnia casu euenire: dixit enim Scotus, quòd primi motus sunt aliquando à casu: sed hæc obiectio est nulla, quia, vt diximus disput. An prædestinatus possit damnari cap. 4. non est necesse, quòd Deus antecedenter præfiniat omnes actus, & omnes res voluntate efficaci, & beneplaciti, sed sufficit, quòd definiat eas voluntate, vel efficaci, vel permissiua, & non antecedenter, sed concomitanter ad causas secundas, hoc enim optimè saluat diuinam prouidentiam: ideò non est necesse, quòd prædefiniat omnes primos motus antecedenter ad causas secundas, sed sufficit, quòd concomitanter cum illis eos determinet. Propter hoc diximus cum Scoto, obiectum aliquod casu primò mouere intellectum, non quia sine concursu generali prouidentiæ diuinę moueat, sed quia non concurrit prouidentia, & auxilio speciali, nec prius quàm causa secunda, sed quia simul cum causis secundis operantibus secundum earum ordinem, & cursum naturalem generali prouidẽtia concurrit, vt facit ad monstra, & huiusmodi. Casus enim fortuitus secundum fidẽ est à Deo vt ab exteriori principio, at non est necesse, vt sit ab eo secundum prouidentiam particularem, sed sufficit, quòd reducatur ad eum secundum prouidentiam vniuersalem.

16 Pręterea, sequeretur, naturam humanam esse ma- 7. Ratio.
gis imperfectam quàm quęcumque alia natura creata irrationalis, & inanimata; immò videretur esse figmentum diaboli. Consequentia probatur, quia ex proprijs viribus non posset facere, nisi malum, nullum autẽ bonum, nõ solũ supernaturale, sed nec naturale, & ordinis inferioris: cæteræ autem creaturæ ex viribus suis naturalibus cum influentia generali possunt efficere bonum opus sibi proportionatum; ergo. Quòd si quis dicat, Natura humana post peccatum est corrupta. Contrà. Natura humana non differt à seipsa in statu innocentię, nisi quia tunc natura creata in se habebat negationem gratiæ, nunc autem habet priuationem illius: at hæc differen-

differentia non minuit vires naturæ; ergo, si pro illo statu potuit facere aliquod opus bonum sine auxilio, etiam nunc.

Responsio Vasquez.

17 Respondet Vasquez, neque pro hoc statu, neque pro statu innocentiæ naturam humanam potuisse efficere aliquod opus bonum morale ex proprijs viribus; sed indiguisse semper auxilio speciali, & congrua cogitatione, & vocatione, hanc tamen indigentiam non prouenire ex imperfectione eius, sed quia, vt ait disp. 193. cap. 3. natura rationalis humana, & Angelica propter magnã suam dignitatem est capax gratiæ, & diuini beneficij, & subditur diuinæ prouidentiæ, vt ab illa gubernetur.

Reijcitur.

18 Contrà. Hæc indigentia gratiæ, & auxilij specialis, est indigentia naturalis ex Vasquez: adeo quod natura ex propria conditione est sic effecta à Deo, vt nõ possit operari bonum absque auxilio speciali Dei; ergo qui non operantur bonum moraliter, sunt excusati, licet habeant gratiam sufficientem: quia naturalibus non meremur, neque demeremur: sed natura humana ex proprijs viribus non potest operari bonum, sed requiritur auxilium speciale; ergo ille, cui hoc auxilium deficit, nõ potest operari bonum, Deus autem illud auxilium speciale non dat omnibus; ergo illi excusantur, si non operantur bonum; & ille defectus non est ex culpa propria sed ex defectu naturæ creatæ à Deo sub hac lege; ergo ille est excusatus. Consequens autem hoc destruit fidẽ Christianam, & impijssimum est; ergo hoc auxilium speciale positum ab his, non est necessarium.

8. Ratio.

19 Præterea. Infidelis potest ex naturali cõpassione facere eleemosinam pauperi, nullo alio fine, nisi quia opus ipsum in se sibi videtur bonũ, potest cognoscere, bonum esse, parentes amare, & illos honorare, quia iudicat esse bonum opus in se. At hæc opera sunt bona moraliter; ergo homo ex puris viribus naturalibus potest operari bonum moraliter. Maior patet, & conceditur à Gregorio Ariminensi. Minor verò probatur: quia si illa opera non essent bona moraliter, hoc esset præsertim propter rationem primam Gregorij, scilicet quia non referuntur in Deum, vt in vltimum finem. At hæc ratio non valet, quia ad hoc, vt opus sit moraliter bonum, sufficit, quod fiat propter honestatem virtutis, nec opponetur aliqua circumstantia mala: habebit enim omnes conditiones requisitas, quas Aristoteles 2. Ethicorum cap. 4. assignat, nempè vt quis operetur, sciens, eligens, & propter ipsum. Non est ergo necessarium, vt referatur in Deum, vt in finem vltimum. Præterea. Cum opus non vitiatur malo fine, & est conformis rectæ rationi, est etiam conformis diuinæ rationi, & ordinatur ex se in Deum, licet operans actu illud in Deum non referat.

Responsio Vasquez.

20 Respondet Vasquez vbi supra, non propter rationem Gregorij, quam etiam ipse confutat; quia scilicet, ad opus morale requiratur, vt ordinetur in Deum tanquam in finem, se asserere, hominem non posse operari bonum aliquod morale, sed quia propter suam dignitatem eget auxilio, & motione diuina: vndè negat et, infidelem posse facere hæc bona sine auxilio speciali Dei.

Reijcitur.

21 Sed superiori ratione hoc fundamentũ Vasquez reiecimus. Præterea. Certè maximæ indignitatis, & imperfectionis est, quod natura humana non habeat omnia requisita ad faciendum opera sibi connaturalia, vt ad subueniendum pauperem ad honorandum patrẽ, ac illi in suis necessitatibus obsequendi: ignis autem ad comburendum, & aqua ad madefaciendum habeat omnia requisita, & auxilium Dei generale paratum, & possit operari opera conuenientia suæ naturę, & speciei. Neque ego vnquam puto, aliquis dicet, hoc esse perfectionis in natura humana, & præsertim quia Deus non omnibus dat hoc auxilium speciale, sed certis hominibus secundum doctrinam aduersariorum.

9. Ratio.

22 Insuper. Homo iure naturali tenetur operari bonum; ergo facultate naturali poterit hoc præstare. Consequentia probatur, quia alioquin natura obligaret ad impossibile; non enim dedisset sufficientia principia. Dices, Præsto est Deus suo auxilio speciali. Contrà, hoc nõ dat omnibus, nec vult dare, & hoc quia Deo non placet; ergo illi qui carent illo, obligantur ad impossibile. Dices, Habent sufficientem gratiã. Iam hoc supra pluries est impugnatum: quia esset auxilium sufficiens de nomine, non de re: reuera enim non sufficit, quia iam statutum est, hominem sola gratia, & auxilio efficaci operari posse bonum.

10. Ratio. Quinta, & sexta ratio aduersariorum ducuntur ad oppositum.

23 Decimò. Ego adduco ad oppositum principales rationes aduersariorũ, & eas, quas magis vrget Vasquez. Rationes autem eorum præcipuæ sunt quinta, & sexta, nimirum, quia vtile est orare, & postulare gratiã Dei ad vincendum tentationes, & operandum bonũ, vt patet per D. Aug. multis in locis contra Pelagianos. Frustra autẽ postulamus à Deo, quod est in virtute nostra: Secundò gratias agere debemus de singulis operibus bonis; ergo non facta sunt viribus nostris, sed auxilio speciali Dei; eas autẽ reflecto sic contra aduersarios. Oramus, vt Deus nobis det abundantiam panis, & vini, in oratione enim dominica, Panem nostrum quotidianũ petimus: item gratias agimus de conseruatione in vita, quod dat nobis pluuiam, dat serenitatem, dat prosperum iter: de huiusmodi enim rebus Ecclesia in Missis habet proprias orationes: tunc sic argumentor; ergo ad producendum panem, & vinum, ad pluuiam faciendã, ad serenitatem, & cætera huiusmodi, requiritur speciale auxilium, & gratia per Christum: at hoc dicere est omninò absurdum, quia gratia hæc per Christum ex D. Aug. prout Vasquez ipse tradit disp. 188. cap. 2. est illa, ad quam nobis promerendam mortuus est Christus. At Christus non est mortuus ad impetrandum nobis serenitatem, vel pluuiam, vel abundantiam panis, & vini; ergo absurdum est omne id, quod per orationem petitur, procedere ab auxilio particulari per Christũ, & qđ ad omne illud, de quo gratias agimus Deo requiratur auxilium speciale: auxilium enim per Christum concurrit cum operibus humanis ad bonum supernaturale, non autem cum operibus causarum inanimatarum. Immò gratias agere debemus Deo de conseruatione in vita, de prosperitate filiorum, de actionibus naturalibus prosperè factis; vt de bona dormitione, de scientijs humanis perceptis, de actionibus publicis rectè gestis; ex quibus nobis comparamus honorem aliquem mundanum, vel vtilitatem, & tamen non arbitror, aduersarios dicturos ad omnia hæc requiri gratiam specialem, & efficacem per Christum, sed solum auxilium generale.

Modus dicendi proprius Vasquez impugnatur.

24 Sed fortasse quis respondebit cum Vasquez allata disp. cap. 12. & disp. præcedenti cap. 16. Duplex esse auxilium, & gratiam per Christum. Aliud supernaturale, siuè ordinis supernaturalis, quod datur à Deo ad faciendum opera virtutum infusarum, vt fidei, spei, charitatis, & si quæ alia sunt. Aliud verò est naturale, siuè ordinis naturalis, scilicet, quo Deus disponit ita causas naturales, vt nos adiuuent ad obeundum aliquod opus, quod suaptè natura est ordinis naturalis; dicitur tamen auxilium peculiare, quia gratis nobis datur à Deo, & ex misericordia, & est distinctum à dono creationis; & si Deus non daret, non faceret iniuriam nobis; & ita his causis remouet nos à peccatis, quæ sciebat nos esse perpetraturos: ita ad propositas actiones diceret, concurrere auxilium hoc speciale, sed ordinis naturalis.

Reijcitur.

25 Contra hanc responsionem, & modum dicendi valent rationes adductæ: hoc enim duplex auxilium, licet ponatur duplicis generis, tamen conuenit in hoc, quod est auxilium speciale, & per Christum, & efficax, & congruum: ratio autẽ facta impugnat, dari aliquod auxilium speciale huiusmodi, siuè sit ordinis naturalis, siuè supernaturalis: quia, vt dictum est, Christus non est mortuus, vt promereatur nobis pluuiam, vel seren-

tatem, vel bonum iter, vel huiusmodi, & tamen de his omnibus orationes facimus ad Deum, & ipsi gratias agimus de impetratis. Præterea. Parum prodest illa distinctio de auxilio speciali ordinis naturalis, vel supernaturalis: cum enim Deus speciali modo determinat, & adiuuat aliquem ad aliquod opus faciendum, siuè illum adiuuet mediantibus causis naturalibus, siuè supernaturalibus, nihil refert: huiusmodi autem gratiam efficacem, siuè congruam, siuè prædeterminantem physicè reiecimus superioribus disputationibus quo ad actus supernaturales: multo magis autem est reicienda quo ad actus bonos morales, de quibus est sermo in præsenti.

11. Ratio. Ratio nona aduersariorum ducitur ad oppositum.

26 Vndecimò. Denique rationem nonam, in qua multam vim facit Vasquez duco ad oppositum sic. Si omnia opera bona moralia sunt facta ex speciali auxilio gratiæ per Christum, sunt dispositiones congruæ ad iustificationem, & gratiam gratum facientem; ergo quicunque facit opus morale bonum, erit dispositus de cōgruo ad iustificationem, & ad gratiam gratum facientem; ergo quilibet faciens huiusmodi opera, deberet iustificari. Consequens tamen est falsum, neque enim infidelis faciens eleemosinam, vt pauperi subueniat, vel faciens actum iustitiæ, vel temperantiæ, vt abstinendo à cibo, & potu, vel Venere immoderatè, est dispositus ad gratiam iustificantem. Prima consequentia probatur: quia Vasquez arguebat; si homines possent viribus naturalibus absque auxilio gratiæ facere opus bonum morale, sequeretur, eos ex viribus naturalibus absque auxilio speciali se posse disponere ad gratiā; ergo benè sequitur, quòd quicunque facit opus bonum, moraliter se disponat ad gratiam iustificantem, & gratum facientem. Alia consequentia quoque patet. Existente dispositione sufficiēti, & merito de congruo Deus largitur gratiam gratum faciētem: ad perfectam enim dispositionem sequitur introductio formæ, & in materia de iustificatione certum est, habita vocatione, & cōsensu voluntatis, Deum immittere gratiam gratum facientem, & iustificantem quia ille assensus gratiæ vocāti est sufficiens dispositio ad iustificationem. Et confirmatur sua probatione: quia faciēti, quod in se est, Deus non denegat gratiam; sed faciendo opus morale bonū, facit, quod in se est; ergo deberet iustificari.

27 Præterea. Absurdum est etiam, hominem faciētem opus moraliter bonum, esse dispositum ad iustificationem: quia dispositio, quæ requiritur ad iustificationem est ea, quam Concilium Tridentinum docet: nimirum, vt homo diuina gratia excitatus liberè moueatur in Deum, credendo præsertim à Deo impium iustificari per gratiam Christi, atque intelligens, se esse peccatorem, vtiliter concurrat ad misericordiam Dei, conuertendo se, atque fidens Deum sibi propitiū, mouetur aduersus peccata per pęnitentiam, quam ante baptismū agere oportet, ac proponit suscipere baptismum, inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata: hanc dispositionē sequitur postea ipsa iustificatio. Ecce qualis sit dispositio ad iustificationē; non ergo facere aliquod opus bonum morale est dispositio sufficiēs ad iustificationē, sed requiritur motus in Deum, & detestatio peccatorū.

Hominem posse diligere Deum super omnia, non tamen secundum omnes conditiones requisitas, & facere alia opera moraliter bona absque auxilio speciali, est opinio Scoti, & vera. Cap. Tertium.

Opin. Scoti.

1 QVantum ergo ad propositas difficultates, nulli dubium est, hanc posteriorem opinionem esse veriorem; vndè licèt Scotus eam apertè non tractauerit tamen non est dubium, cum conuenire cum auctoribus huius secundæ sententiæ, qui asserunt, hominem ex puris naturalibus absque auxilio gratię speciali, sed cum communi influentia, posse efficere opus morale bonum, & secundum omnem circunstantiam perfectum. Hanc sententiam tenet in 2. Sent. dist. 7. quest. vnica artic. vltimo de Dæmonibus, ait enim eos posse habere actum moraliter bonum ex puris naturalibus. Et 3. Sent. dist. 27. quæst. 1. art. 3. tenet, hominē ex puris naturalibus posse diligere Deum super omnia, qui est actus moraliter optimus. Et 2. dist. 28. tenet, quòd libe rum arbitrium potest vitare peccata mortalia: hæc autem vitatio peccatorum est opus moraliter bonum; ergo ex puris naturalibus potest homo secundum Scotum facere opus moraliter bonum.

2 Verùm notandum est, quod, vt superiorib. disputationib. vidimus, nō datur hoc auxiliū speciale efficax in uentū à Greg. quod sit secundum substantiam distinctū ab auxilio generali, neque illud auxilium generale est auxilium creationis, vel conseruationis, vt putant aduersarij, sed diximus, esse auxilium diuinæ prouidentię, quo Deus, vt causa prima, concurrit cum omnibus causis secundis, vt suos effectus producere valeāt: diximus autem, solum dici posse speciale auxilium, quatenus in exordio iustificationis, & ad opera supernaturalia, speciali illo modo Deus adiuuat creaturam rationalem, illam scilicet præueniendo, & mouendo siuè ipsam excitando medio aliquo ordinis naturalis, vel supernaturalis, non curo, vt diximus in disp. An sit necessarium auxilium speciale ad iustificationem. Modo ad propositū, secundum Scotum, hoc auxilium generale est influentia generalis, quæ concurrit ad opera omnia moralia cum voluntate nostra, neque in his efficiendis modo speciali & peculiari se habet, vt euenit in iustificatione, & operibus meritorijs: ideò iure cum Scoto dicere possumus, cum puris viribus naturalibus, exclusa gratia habituali, & cum influentia ista communi, hominem posse facere opus moraliter bonum.

3 In hanc sententiam descendere quoque D. Thomam in 1. 2. quæst. 109. art. 2. ostendimus suprà in disp. eadem, Vtrum ad iustificationem requiratur auxilium speciale? ostendimus enim D. Thomam nunquam vti hoc nomine auxilij specialis; sed solum dicere, esse necessarium concursum Dei, tanquam primi mouentis, concursus autem Dei ad res, tanquam primi mouentis, est concursus generalis, non specialis. D. Th. Sententia. Disp. 14. de pœnitentia

4 Quod autem hæc opinio, quo ad actus moraliter bonos, sit vera, probatur per rationes superiori capite adductas, quę enim reijciunt opinionem oppositam, nostram confirmant. Opin. Scoti, quibus rationibus probetur.

Verum, præter prædictas rationes, in speciali probatur: quia homo non solum in statu naturæ integræ, sed etiam in statu naturæ lapsæ potest diligere Deum super omnia absque speciali auxilio gratiæ; sed ex communi influentia Dei etiam absq; eo quod speciali modo Deus illa influentia concurrat ad hunc actum, vt præueniendo voluntatem, vel intellectum, vel aliquo alio modo particulari, vt facit in iustificatione. Hæc autem assertio est Scoti in 3. dist. 27. quæst. 1. art. 3. vbi apertè hoc dicit de natura in statu naturæ integræ; sed & de natura corrupta etiam idem asserit in eodem ar. §. *De primo dico*, versiculo, *Dico igitur, quod illud præceptum extensiuè, & intensiuè secundum viam prædictam potest impleri in via*, &c. Et 2. d. 28. §. *Ad quęstionem*, versu, *De hoc in* 4. An homo ex virib. naturę cum cōmuni influētia possit diligere Deum super omnia.

5 Antequam autem probemus hanc assertionem, oportet declarare, quid sit diligere Deum super omnia; nullus est autem Doctor, qui melius hoc declaret, quā Scotus, quem communior sententia sequitur: ait ergo in 3. Sent. dist. 27. quæst. 1. art. 3. §. *De primo dico*, &c. quòd illud super omnia potest intelligi duobus modis, scilicet extensiuè, & intensiuè. Extensiuè est plus diligere Deum, quàm omnia alia, & citius velle, omnia alia non esse, quàm Deum non esse, & de hoc membro nulla est difficultas inter Theologos: quia omnes communiter concedunt, quòd nihil aliud à Deo, nec omnia simul sunt æquè appreciandæ, sicut Deus; sed Deus ipse in ma- Quid sit diligere Deū super omnia.

in maiori precio eſt habendus, quàm quæcunque alia res, & omnes aliæ res creatæ ſimul; & pro maiori malo reputandum eſt damnum peccati, & offenſa Dei, quàm quodcunque aliud malum; & hic actus diligendi Deũ ſuper omnia includit ſaltem implicitè actualem voluntatem obſeruandi omnia præcepta Dei, & vitandi omnia peccata, vt patet: qui enim vellet facere aliquod peccatum, in quo eſt offenſa Dei, non diligeret Deum ſuper omnia, & hoc eſt, quod dicitur in Euangelio Io. 14. *Qui diligit me, mandata mea ſeruat*. Intenſiuè verò diligere Deum ſuper omnia, eſt velle maiori affectu eſſe benè ipſi Deo, quam alicui alteri.

Opinio Adriani. Verum in hoc membro eſt difficultas, ſcilicet quomodo intelligatur illud, ex maiori affectu. Aliqui dixerũt, ſignificare totum conatum ipſius voluntatis in deteſtando peccatum, & in diligendo Deum: quæ opinio tribuitur Adriano in 4. quæſt. 2. de Sacramento Pęnitentię.

Reijcitur. 6 Sed hæc ſententia reijcitur communiter, & præſertim ratione Scoti in eodem loco in fine: hoc enim præceptum Deuteronomij. *Diliges Dominum Deum tuũ*, &c. quantum ad omnes conditiones eius, quæ exponũtur per illas additiones ex toto corde, & ex tota anima, &c. non poteſt adimpleri in hoc ſtatu: quia non poteſt in hac vita eſſe tanta recollectio virium, vt amotis impedimentis, poſſit voluntas toto conatu ferri, quanto poſſet, ſi vires eſſent vnitæ, & non eſſent impeditæ. Vndè D. Aug. & Anſelmus citati a Magiſtro Sent. illa diſt. 27. in hoc ſenſu, dicunt, hoc præceptum non poſſe impleri in via, neque eſſe præceptum: nam pronitas viriũ inferiorum pro ſtatu iſto impedit ſuperiores ab actibus perfectis. Quod ſi Adrianus intelligat de toto conatu poſſibili haberi pro hoc ſtatu, etiam eſt falſa: tum quia hoc eſſet difficillimum: tum quia dolor de peccatis in contritione habet quandam latitudinem, neque conſiſtit in indiuiſibili; licet ignoremus, quantum ſe extendat hæc latitudo, vt docet Scotus in 4. in materia de cõtritione, de qua & ibi egimus.

Alij dicunt, quòd diligere Deum ſuper omnia intenſiuè eſt diligere Deum intenſiori modo, quàm res alias omnes. Fundamentum eſt, quia quod intenſius diligimus, magis volumus eſſe, quam id quòd non ita intẽsè diligimus: adiungunt tamen, amorem eſſe intenſiorem, poſſe intelligi duobus modis; vel quo ad feruorẽ, vel quo ad teneritudinem, vel quo ad firmitatem; ſiuè vt alij dicunt, vel quo ad partem ſenſitiuam, vel quo ad partem intellectiuam: intelligunt debere eſſe intenſiorem quo ad firmitatem, & ſecundum partem intellectiuam, non quo ad teneritudinem, & partem ſenſitiuam; & hæc opinio fuit Varronis, vt citat magiſter Scoti, atque in ea citantur D. Bonau. in 4. diſt. 16. art. 1. quæſt. 1. Alexander 4. p. quæſt. 17. membro 2. art. 1. §. 2. & 5. & multi alij ex Recentioribus. Dant exemplum de matre diligente filiũ intenſius quo ad teneritatẽ, quã pater, non tamen firmius: quia pater ſe exponeret maiori periculo pro filio, quàm mater; & exemplum de muliere diligente tenerius catellum, quàm filium, non tamen firmius, quia magis nollet eſſe mortẽ filij, quàm catelli.

Reijcitur. 7 Scotus hanc opinionem reijcit, quia ſolum illud magis diligitur, quod firmius diligitur: illud enim intẽſius, & verius diligo, cui minus volo accidere malum, & pro cuius bono ſaluãdo magis me expono periculis, hic enim eſt actus voluntatis, ille autem actus teneritudinis non eſt actus voluntatis, & appetitus naturalis, ſed paſſio ſenſitiuę virtutis. Vndè, vt ait Scotus, multi ſolidiores in amore Dei non ſentiunt dulcedinem in actu dilectionis; quidam alij verò minus diligentes Deum, ſentiunt dulcedinem aliquam in actu eorum dilectionis: quia Deus illam paſſionem dulcedinis retribuit, quaparuulos allicit, & nutrit, ne deficiant in via. Multi huiuſmodi adducuntur, vel poſſe adduci oſtenditur à Recentioribus, qui facilè reijciuntur.

Opin. Scoti. 8 Ideò breuiter cum Scoto dicendum eſt, quòd diligere Deum ſuper omnia intenſiuè eſt velle magis eſſe Deum, & bonum Dei, quàm quæcunque alia, & omnes res ſimul, & magis malum eſt nolle, Deum eſſe, & velle malum Dei, quàm non eſſe cuiuſcunque rei, & malum quodcũque alterius rei, & omnium rerum creatarum ſimul, vt declaratum eſt nunc ſuprà explicando quid ſit firmius diligere Deum; hoc autem patet intelligi de amore amicitiæ, cum enim volo aliquid magis eſſe, quàm quæcunque alia res, etiam quàm vita mea, vel bonum meum non diligo illud amore concupiſcentiæ, ſed amore amicitiæ. Vndè cum hoc modo intelligatur eſſe dilectio Dei ſuper omnia intenſiuè, patet, hunc amorem eſſe amorem amicitiæ, non concupiſcentiæ.

9 His præmiſſis ad propoſitam difficultatem eſt triplex modus dicendi. Aliqui enim omnino negant, hominem ex puris viribus naturalibus, idest ſine auxilio ſpeciali, & efficaci, poſſe hominem diligere Deum ſuper omnia abſolutè abſque vlla diſtinctione, & huius ſententiæ ſunt Gregorius Ariminenſis, & alij auctores ſuperius citati 1. cap. pro prima opinione, & eam enixè ſequitur Vaſquez p. 5. quæſt. 194. cap. 4. Fundamenta eius ſũt omnia illa, quæ adduximus 1. cap. ad probandum hominem non poſſe viribus naturalibus facere aliquod opus bonum moraliter: ſi enim ibi concluderent, multo magis concluderent de hoc actu nobiliſſimo, & præſtãtiſſimo, quorum aliqua infra nunc breuiter tangemus, & diſſoluemus poſtea cap. vltimo. — Ad propoſitam qõnẽ eſt triplex modus dicendi. 1. Opinio, quę eſt Gregorij de Arimino, Vaſquez, & aliorum.

10 Alij ſunt in alio extremo, dicunt enim ex viribus naturalibus puris, ſcilicet ſecluſo illo auxilio ſpeciali efficaci Gregorij, & aliorum, hominem poſſe diligere Deum ſuper omnia in vtroque ſtatu, ſcilicet naturæ, integræ, & naturæ corruptæ, & hæc opinio eſt Scoti, quã infrà explicabimus. — 2. Opinio, quę eſt Scoti.

11 Alij, vt Soto lib. 1. de natura, & gratia cap. 21. Medina 1. 2. quæſt. 109. art. 3. & alij multi, quos citat Vaſquez 1. 2. diſp. 194. mediare videntur inter has extremas opiniones; nam primò diſtinguunt dilectionẽ Dei ſuper omnia in dilectionem naturalem, & in dilectionem ſupernaturalem. Dilectio naturalis eſt dilectio, qua diligimus Deũ, vt eſt finis naturalis hominis, ſiuè vt eſt finis, & principium naturæ. Dilectio ſupernaturalis eſt dilectio Dei, quatenus eſt finis ſupernaturalis hominis, ſiuè quatenus eſt obiectum noſtræ beatitudinis, & quatenus eſt vnus, & trinus, quatenus eſt redẽptor, & huiuſmodi, dilectionem Dei ſuper omnia ſupernaturalem dicunt eſſe meritoriam vitæ æternæ, quia eſt perfecta amicitia Dei, & oritur hic actus, quantum ad ſubſtantiam ſuam, à potentia rationali, & gratia gratum faciente: dilectio verò naturalis non eſt meritoria vitæ æternæ, neque procedit ex gratia gratum faciente. — 3 Opinio, quę eſt multorum Thomiſtarum.

Hæc autem dilectio naturalis eſt duplex. Alia imperfecta, ſiuè obiectiua, quæ explicatur hac oratione, volo in omnibus placere Deo; ſed hæc volitio eſt inefficax, & ſine effectu: & ſecũdũ alios explicatur hac oratione; vellẽ placere Deo. Perfecta verò, & efficax eſt, quæ non ſolũ continet ſimplicem affectum complacentię erga Deũ, ſed executionem, & obſeruationem omnium præceptorum Dei.

12 Tunc loquendo de dilectione Dei ſuper omnia. Primo modo apertè dicunt, non poſſe hominem ſine auxilio ſpeciali diligere Deum ſuper omnia, neque in ſtatu naturæ corruptæ, neque in ſtatu naturæ integræ, quam aſſertionem probant multis rationibus, & auctoritatibus, quas omnitto: quia licèt illa diſtinctio, quòd Deus poſſit dici finis naturalis, & ſupernaturalis, non probetur à Scoto, vt ſuis locis dictum eſt: tamen ea admiſſa, prout in præſenti declaratur, in hac concluſione nulla eſt controuerſia nobiſcum: nam, vt diximus cum Scoto in diſp. de cauſis concurrentibus ad actum meritorium, non ſolum requiritur gratia habitualis, ſed auxilium Dei cooperans potentiæ creatæ, & ſimul habitui infuſo. — 1. Aſſertio Thomiſtarum. 3. Sent. diſtinct. 18.

2. Assertio.

13 Secundò. Dicunt, loquendo de dilectione naturali imperfecta, & inefficaci, nos posse diligere Deum super omnia sine auxilio speciali, quam probant: quia hunc actum inefficacem possumus habere circa parentes, & amicos; ergo multo magis circa Deum, ad quem, tanquam ad bonum vniuersale, inclinamur naturaliter, neque in hac assertione est difficultas, vel controuersia vlla.

3. Assertio.

14 Tertiò. Asserunt, loquendo de dilectione Dei naturali, efficaci, & perfecta, Adam in statu innocentię potuisse diligere Deum sine auxilio speciali; at hominem in statu naturæ corruptæ nequaquam. In prima parte huius assertionis non est controuersia nobiscum, eam enim apertè concedit Scotus in 3. dist. 27. art. 3. non solum de homine, sed etiam de Angelo, vt ibi videre est.

Tota difficultas est, An homo in natura corrupta possit diligere Deū super omnia.

Sed tota difficultas est circa secundam partem; quia Scotus, vt nunc suprà dicebamus, tenet, hominem in statu naturæ corruptæ potuisse adimplere præceptum hoc; vndè videtur aduersari huic assertioni.

Fundamentum Thomistarum.

15 Fundamenta aduersariorum sunt illa eadem, quæ adducta sunt supra ad probandum, hominem non posse efficere aliquod opus moraliter bonum: hæc enim magis concludere videntur. Probatur autem specialiter à Medina, & Soto; quia dilectio Dei super omnia continet obseruantiam omnium mandatorum Dei, hanc autem non potest præstare homo sine auxilio speciali Dei, licèt enim possit aliquod præceptum in particulari obseruare vna vice, vel duabus, non tamen omnia, & semper: ideò neque potest diligere Deum super omnia. Adducit etiam auctoritates ex D. August. qui in epistola ad Vitalem ait. *Liberum arbitrium ad diligendum Deum peccati granditate perdidimus.* Et in lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 18. condemnat tanquam Pelagianum asserentem, dilectionem Dei non esse donum eius his verbis. *Vndè est in hominibus charitas Dei, & proximi, nisi ex ipso Deo? nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani. si autem ex Deo, vicimus Pelagianos;* & subdit verba Ioan. 4. *Charissimi mei, diligamus nos inuicem, quia charitas ex Deo est.*

Conciliantur Thomistæ cū Scoto in hac assertione.

16 Cæterum, neque in hac parte assertionis ego puto inter Thomistas, & Scotum esse discrimen quantum ad rem, sed solum quo ad modum loquendi, quoniam isti viri dum dicunt, hominem non posse viribus naturalibus sine auxilio speciali diligere Deum super omnia perfecta dilectione naturali, per dilectionem perfectā intelligunt, non solum actum simplicem dilectionis Dei super omnia, sed etiam obseruationem omnium mandatorum Dei toto tempore vitæ huius: intelligendo autem sic dilectionem Dei super omnia, etiam Scotus consentiet cum eis; quia licèt ipse sustineat, hominem sine auxilio speciali posse habere aliquem actum dilectionis Dei super omnia, & pro illo tunc velle obseruare omnia præcepta Dei, atque in illo ei displicere, & dolere de offensis, nō tamē tenet, quod semper, & pro tota vita sua quotiescumque se obtulerit occasio, possit illud adimplere, atque in tota vita seruare omnia præcepta Dei, & nunquàm peccare mortaliter, vt nunc videbimus; & ideò in hoc conueniunt. Quòd autem ista sit intentio horum auctorum, patet ex ratione eorum nunc suprà adducta pro hac secunda parte conclusionis. Quod etiam sustineant, hominem in statu naturę corruptę posse aliquando habere aliquem actum dilectionis Dei super omnia, patet præsertim ex Medina loco citato, conclusione quarta de dilectione naturali, & in probatione quintæ conclusionis, ait, superioribus conclusionibus tm̄ docuisse, quod qn̄ se offert speciale præceptum dilectionis naturalis, potest aliquando homo illud implere ex viribus naturæ, non tamen omnia præcepta legis potest implere per totam vitam. Sunt ergo in re concordes, discrepant solum quo ad modum explicandi.

Opi. Scoti explicatur.

17 Ex Scoti ergo doctrina respōdendo ad hoc quæsitū, dico, quod dilectio Dei super omnia, & alia opera moralia bona possunt tribus modis cōsiderari. Vno modo quatenus sunt actus meritorij, & tunc proueniunt non solum à libero arbitrio, sed etiam à gratia habituali, & ab auxilio gratiæ, non solum quo ad esse meritorium, sed etiam quo ad substantiam actus. Hanc assertionem habet apertè Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *sed tunc est vlterius dubiū*, vers. *Ad primum dico*, &c. & hoc idem habet in 4. dist. 14. & 2. dist. 28. vt in 3. Senten. quæstione de causis concurrentibus ad actum meritorium diximus. 1. Assertio.

Alio modo dilectio Dei super omnia, & alia opera bona moralia possunt considerari quantum ad substantiam actus nudam; & tunc est altera assertio ad mẽtem Scoti: Homo non solum in statu naturæ integræ, sed corruptæ potest diligere Deum super omnia intensiuè, & extensiuè; sed non quantū ad omnes cōditiones, quę exponuntur per illas particulas additas in toto corde, &c. Et idem dicẽdum est de alijs operibus bonis moraliter. 2. Assertio.

Hæc assertio habet tres partes. Prima est, quòd homo in statu naturæ integræ potuit diligere Deum super omnia quo ad substantiam actus. Secunda, quod idem potuit in statu naturæ corruptæ; & hoc idem intelligitur de alijs operibus bonis moraliter, quæ sunt minus perfectę. Tertia, quod non potuit tamē diligere Deum super omnia quantum ad particulas illas additas *in toto corde* &c.

Hæc tertia pars patet ex dictis suprà in hoc cap. explicando, quid sit diligere Deum super omnia, quæ non oportet repetere. Prima pars verò, & secunda habentur expresè à Scoto in 3. dist. 27. quæst. 1. art. 3. & 2. & dist. 28. §. *ad quæst.* versic. *de hoc in 4 dist.* 16. vbi asserit, quòd non solum voluntas sine auxilio speciali potest implere hoc præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. sed ait, de facto hoc aliquando implere; inquit enim, *Quandocumque autem voluntas actum huius præcepti exequitur, licet informis, & disponit se de congruo ad gratiam gratificantem cui oblatæ, vel resistet, & peccabit mortaliter, vel consentiet, & iustificabitur.*

Pro dilucidatione autem huius loci, & aliorum, & totius mentis Scoti in hac materia ponitur tertia assertio, quæ est. Dilectio Dei, & cætera opera moraliter bona, tertio modo possunt considerari quatenus sunt dispositiones ad iustificationem, & gratiam habitualem, atque vt ordinantur in Deū, & hoc modo considerata nō possunt elici ab homine ex nudis viribus naturalibus, sed solum auxilio Dei, siuè illud dicatur auxilium generale, sed sub speciali ratione ordinans ad vltimum finem, qui est Deus, vt nos diximus disput. 14. de pœnitentia; siuè vocetur auxilium speciale, dummodo non intelligatur in sensu Gregorij Ariminensis, vt eadem disputatione, & infrà dicetur. 3. Assertio.

Hæc tertia conclusio patet ex ijs, quæ diximus prædicta disput. 14. in materia de pęnitentia, & alia, in qua disputauimus, vtrum meritum de congruo detur, & infrà cap. 5. num. 10. & ex hac conclusione habetur responsio ad omnes auctoritates, & rationes aduersariorum, vt patebit infrà cap. 5. nu. 10. & tota difficultas in hac materia dissoluitur. Nunc ad declarationem secundæ assertionis est redeundum.

18 Notandum est ergo circa secundam Conclusionem, quòd licet Scotus dicat, hominē ex puris naturalibus posse adimplere hoc præceptum modo explicato, non tamen vult Scotus, quod pro tota vita, & semper, vel diù possit adimplere absoluè; quod ostendo, quia ibidem statim subiungit hæc verba. *Hæc igitur opinio non ponit partem negatiuam, quasi propter impotentiam liberi arbitrij absolutè: sed inquantum ipsum comparatur ad Deum, liberaliter gratiam offerentem libero arbitrio, aliqualiter tamen disposito;* quæ verba sunt difficilia, ita vt aliqui dicant, non posse colligi, quis sit sensus Scoti, alij verò vario modo illum exponant: tamen hic videtur esse sensus eorum, quod ipse non tenet partem negatiuam in illa quæstione, quæ erat, hominem non posse

Vult Scotus, hominem posse adimplere hoc præceptum, non tamen semper, & pro tota hac vita.

vitare

Quæ sit vera ratio, propter quam liberum arbitriũ non posset vitare oĩa peccata, & sẽper facere opus bonũ moraliter.

vitare omnia peccata mortalia, sine gratia cum alijs Theologis, hac ratione, nimirum; quia liberum arbitrium sit absolutè impotens ad vitandum omnia peccata toto tempore vitæ suæ, vt alij Doctores dicunt; sed propter aliam rationem, quam nunc infrà dicam: nàm hæc ratio est falsa, nisi melius declaretur, quod probat Scotus ibidem contra Henricum asserentem, posse hominem vitare singula peccata, non tamen omnia; in qua conueniunt Medina art. 2. illius quæstionis 109. & multi alij, hac ratione. Si in hoc tempore potest homo cauere ab hoc peccatu mortali, & ab illo, & similiter de tempore consequente, & sic de semper; ergo simul potest cauere omne peccatum mortale, & toto tempore vitæ suæ. Antecedens est concessum. Consequentia probatur, quia voluntas non potest habere plures actus simul, sed vnicum tantum; ergo dum vitat vnum peccatum, non potest committere aliud simul. Si itaque pro quolibet tempore potest vitare quodcunque peccatum particulare sibi oblatum, sequitur, eam posse vitare omnia toto tempore vitæ. Quod dictũ est de vitando quodlibet peccatum, dicendum est etiam de diligẽdo Deum super omnia: si enim quotiescunque sibi offertur, occasio diligendi Deum, & faciendi bonum opus morale, potest illud facere sine auxilio speciali; ergo semper, & in tota vita; ergo falsum est, liberum arbitrium esse absolutè impotens ad seruandum omnia præcepta, & ad semper operandum opus bonum moraliter.

Ratio propter quam Scotus sustinent cõmunẽ sententiam.

19 Quæ ergo est ratio, propter quã Scotus tenet partem negatiuam illius quæstionis, quæ est communis? est hæc: quia licet liberum arbitriũ absolutè posset, tamen relictum sibi, nisi Deus vltrà influxum generalem det auxilium speciale, & suam gratiam habitualem, quæ & ipsa vltrà id, quod facit actum moraliter bonum esse meritorium, etiam influit ad substantiam actus moraliter boni, rarissimè operabitur bonum opus moraliter, quia inclinatur vehementer ad malum, & de facili sequitur vim sensitiuam, quæ inclinat ad malum. Vndè Deus, qui videt ęgentiam liberi arbitrij, liberaliter suam gratiam offert. Quia ergo liberum arbitrium non habet in potestate sua hanc gratiam Dei, quæ ipsum adiuuat, dicitur impotens ad operandum semper bonũ moraliter, & ad vitanda omnia peccata, & hoc est illud, quod intendit in illis verbis. *Hæc igitur opinio, non ponit partem negatiuam*, &c. quæ supra adduximus. Hanc esse opinionem Scoti deduco etiam, quia in 2. Sent. dist. 7. tenet, dęmones posse habere aliquem actum rectum, & moraliter bonum ex puris naturalibus, tamen inquit, credibile esse, eos nunquam actu elicere aliquem actũ bonum moraliter perfectè propter ingentem eorum malitiam, propter quam semper apponunt aliquam circumstantiã deformẽ. Ita homines, etsi absolutè possint operari bonum moraliter, tamen propter corruptionẽ naturæ, & inclinationem ad malum nõ eliciunt huiusmodi actus moraliter bonos; sed sinunt se duci saltem, vt plurimum, ad actus malos.

Opinionẽ allatã Scoti esse probatur.

D. Tho. inclinat in eã dem sentẽtiam.

20 D. Thomas idem insinuat 1. 2. quæst. 109. art. 8. dicens, quòd homo in peccato mortali existens, diù manere sine peccato non potest. Et per hoc patet ad primã obiectionem Soto, & Medinæ; ad auctoritatem autem D. August. clarum est loqui de dilectione meritoria vitæ æternæ, ea enim est, quæ prouenit ex habitu charitatis, & à Deo immittitur nobis, vel loquitur de dilectione Dei fructuosa, quæ est via ad gratiam iustificantem quã dixi non posse haberi sine gratia speciali; non loquitur autem de dilectione naturali Dei super omnia.

Ad primã obiectionẽ Soto, & Medinæ.

Hominẽ ex viribus naturæ posse diligere Deũ super omnia probatur.

Quod ergo homo quandoque possit ex solis viribus naturæ habere hunc actum dilectionis Dei super omnia, probat Scotus in tertio, præsertim duabus rationibus, quarum prima est.

1. Ratio.

21 Ratio naturalis ostendit naturæ intellectuali esse aliquid summè diligẽdum, & illud esse summũ bonum; ergo voluntas ex puris naturalibus potest illud sic super omnia diligere. Antecedens, quo ad primam partem, probatur, quia in omnibus actibus, & obiectis essentialiter ordinatis est aliquid supremum; ergo in actibus dilectionis est aliquod obiectum supremum, & aliquis actus dilectionis supremus. Quo ad secundam partem, probatur: quia ratio naturalis non ostendit, nec dictat aliquid aliud esse volendum summè, nisi bonum infinitum. Hoc probatur: quia naturalis ratio non potest dictare, & inclinare in oppositum illius, quod dictat charitas; charitas autem infusa dictat, & inclinat voluntatem ad diligendum Deum super omnia, & nihil aliud; ergo ratio naturalis idem ostendit, & dictat. Cõsequentia verò probatur: quia nihil potest intellectus rectè dictare naturaliter, in quod non possit voluntas naturalis naturaliter tendere, aliàs voluntas esset naturaliter mala, vel saltem non libera ad tendendum in quodlibet secundum illam rationem boni, secundum quam ostenditur sibi ab intellectu, quod est absurdum.

Responsio Vasquez.

22 Respondet Vasquez disput. 194. cap. 5. & disput. 195. cap. 4. Primò falsum esse, rationem naturalem dictare, Deum esse amandum super omnia, quoniam nullus Phylosophus gentilis hoc dixit vnquam, & Aristot. negauit inter Deum, & homines esse amicitiam, quia inter illos non cadit familiaritas: nec minus aliquis Phylosophus docuit, dolendum esse de peccatis propter Deum summè dilectũ, sed hæc est perfectio fidei Christianæ, & reuelationis. Secundò respondet, dato, quòd ratione naturali ostenderetur, Deum esse diligendum super omnia, adhùc esset necessarium auxilium speciale, quoniam licet intellectus haberet illam cognitionẽ, tamen quia indiget applicatione, vt potius hoc, quàm illud ita cogitet, vt cogitatio moueat affectum, ideò ęget auxilio speciali Dei applicãte ipsum intellectũ ad hanc, & illam cogitationem aptam mouere voluntatem ad diligendum Deum super omnia.

Reijcitur.

23 Neutra responsio est alicuius momenti; negat enim maiorem, & adducit instantias contra illam: at illam probauit Scotus, neque ad probationem aliquid dicit: probauit autem Scotus, quo ad vtramque partem, quia scilicet, si ratio naturalis hoc non dictaret, charitas infusa, & ratio naturalis opponerẽtur, quod non est dicendum: quia ratio, & lex naturalis est recta in nobis; ergo dictat illud, quod dictat charitas esse diligendum. Insuper, ratio naturalis dictat in obiectis diligendis essentialiter ordinatis esse aliquod supremum bonum; ergo dictat illud esse diligendum super omnia.

Ad primã obiectionẽ inter Deos & homines nõ est amicitia secundum Arist.

24 Ad obiectiones respondetur, Aristot. 8. Ethicor. cap. 7. non negare, Deos amari ab hominibus amore amicitiæ, idest propter se; sed negat, inter Deos, & homines esse veram amicitiam: quia Aristot. ibi ait, perfectam amicitiam constare in æqualitate inter personas: vndè quanto personæ sunt magis æquales, tanto inter eas est perfectior amicitia, quanto verò minus personæ sunt æquales, tanto minus etiam in illis est amicitia: vndè personæ, quæ maximè distant inter se, non habent amicitiam. Dat exemplum de Rege, & subditis; de Dijs, & hominibus: licèt enim inter hos sit mutuus amor, quia tamen non adest æqualitas personarum, ideò non est amicitia, & sic patet huius amoris esse vestigium inter Phylosophos gentiles.

Ad secundam obiectionem.

Quantum ad aliam obiectionem fateor, gẽtiles non nouisse, Deum esse diligendum super omnia quo ad omnes circunstantias inclusas in illa dilectione propter se, scilicet, quòd sit dolendum de peccatis propter Deũ, &c. quia istæ includuntur implicitè in illo, non explicitè: dolere autem de peccatis explicitè propter Deum habet rationem propriã virtutis pęnitentiæ: ideò est alius actus à dilectione Dei: ideò non sequitur, quòd qui diligit Deum, & habet hunc actum dolendi de peccatis implicitè, debeat illum habere etiam explicitè.

Secunda responsio reijcitur.

Secunda responsio, superius cap. 2. reiecta est ratione sexta, ideò hic non est immorandum.

Secunda

2. Ratio.

25 Secunda ratio Scoti ibidē. Phylosophus 9. Ethicorum cap. 9. & 3. Ethicorum cap. 3. vult, quòd fortis politicus secundum rectam rationem debet se morti exponere pro bono Reipublicæ: tunc sic. At secundum rectam rationem magis est diligendum bonum diuinum, quàm bonum alicuius particularis, ergo secundū rectam rationem quilibet debet velle magis se non esse, quàm non esse Deum: hoc autem est diligere Deum super omnia; ergo naturaliter possumus diligere Deum super omnia. Huic argumento nihil dicit Vasquez, quia illud alio modo, & ex alio medio format, cui non multum innitor, neque adducitur à Scoto, & ideò illud ommitto.

3. Ratio.

Tertiò. Arguit persuasione Theologica Scotus. Si nullus posset ex viribus naturalibus diligere Deum super omnia, sequeretur, quòd qui se inueniret pronum ad talem actum, posset scire se esse in charitate: Consequentia probatur, quia sine charitate non esset talis pronitas. Consequens autem est falsum, vt patet; ergo dicendum est, ex viribus naturalibus hunc actum haberi posse.

4. Ratio.

26 Quartò. Adducit Vasquez argumentum aliud ex Scoto in 1. dist. 17. quæst. 2. §. *Ad primum quæstionem*, & est secunda ratio, quam Scotus ibi facit pro opinione Magistri, & est hæc. Si ostenderetur bonum supernaturale voluntati creatæ in puris naturalibus, volūtas illud sufficienter diligeret; ergo voluntas in puris naturalibus absque aliquo supernaturali auxilio posset diligere Deum super omnia. Consequentia est euidens. Antecedens verò probatur, quia minus bonum ostensum voluntati nudæ absque habitu supernaturali potest diligi; ergo multo magis maius bonum posset ab illa diligi, si sibi ostendatur. Et licet hoc argumentum faciat Scotus ibi pro Magistri opinione, quam postea non tenet, tamen in solutione illius sustinet, voluntatem in puris naturalibus, sine habitu charitatis, posse habere actū circa obiectum istud sibi ostensum, etiam clare contra Henricum: quod etiam probauit efficaciter in eodem 1. dist. 1. quæst. 4. art. 4. vt eodem loco nos diximus.

Responsio Vasquez.

27 Respondet Vasquez vbi suprà ex suo fundamento, quòd in tali casu voluntas quidem diligeret Deum, sed in tali dilectione deberemus agnoscere congruam cogitationem intellectus, quæ esset ex auxilio speciali, siuè supernaturali, siuè naturali: & ideò illud antecedēs est falsum, excludendo omnino auxilium speciale supernaturale, & naturale; vt superius ex ipso diximus.

Reijcitur.

28 At hæc responsio superius reiecta est, & per hoc argumentum impugnatur apertè: nam facta illa ostensione à Deo sui ipsius, habet obiectum sufficienter sibi approximatum, & ostensum, & obiectum est magis conueniens, quam obiectum minus bonum, & illa est principium elicitiuum actus circa illud obiectum ex propria natura; ergo si potest sine speciali auxilio diligere obiectum minus bonum, multu magis poterit diligere obiectum magis bonum, & sibi conuenientius absque auxilio supernaturali. Requiritur quidem auxilium generale prouidentiæ Dei, quo cuncta gubernat, & quo tanquam causa prima concurrit cum causis secundis; sed auxilium istud speciale, & prouidentiæ specialis nequaquam. Firma ergo manet ista assertio Scoti, hominem sine auxilio speciali posse diligere Deum super omnia, q est actus moralis bonus, licet nō sit actus meritorius.

1. Ratio cōtra allatam sentētiā Scoti, ex Vasquez.

29 Tamen contra hanc assertionem Scoti vltra rationes illas generales, quæ probant, nullum opus morale bonū posse fieri sine auxilio Dei, adhuc his arguitur. Primò ex Vasquez 1. 2. disp. 194. cap. 4. Ad nullū opus veræ religionis, & pietatis liberum arbitrium nostrum nudum valet ex D. August. testimonijs superius adductis, sed requiritur auxilium gratię per Christum: at nullus negabat, dilectionem Dei super omnia, siuè naturalis sit, siuè supernaturalis, esse actum pietatis, & religionis; ergo. Minor probatur, tùm quia D. Aug. epistola 29. inquit. *Pietas est cultus Dei, qui pręcipuè diligendo exhibetur*, tùm quia, si opus religionis, vt votum, sacrificium laus, &c. quæ sunt opera pietatis, requirunt auxilium speciale, multò magis dilectio Dei.

30 Secundò. Si aliquo opere bono moraliter possumus initium, & occasionem tribuere Deo, vt ipse ex gratitudine nobis retribuat dona sue gratiæ, multo magis id præstare poterit dilectio Dei super omnia: quia hic actus est excellentissimus, & summè conciliat Deū nobis: sed antecedens est Pelagianum; ergo. 2. Ratio.

Tertiò. Detestatio peccatorum propter Deum summè dilectum est donum Dei ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 4. & sess. 6. cap. 5. & etiam vt extenditur ad detestationem peccatorum propter turpitudinem peccati, & pœnam gehennæ est donum Dei: quia vtiliter hoc timore concutitur homo, excitante diuina gratia; ergo multo magis ipsa dilectio Dei, ex qua talis detestatio oritur, est donum Dei. Multa alia adduci possent, sed istæ sunt rationes potiores. At istę rationes infrà soluentur, solutis rationibus adductis primo capit. ab aduersarijs. 3. Ratio. Rationes istæ soluuntur in fine cap. vltimi.

Quid senserit Scotus de potestate vitandi peccata omnia. Caput Quartum.

1 EX eisdem fundamentis dissoluitur alia quæstio, An homo possit vitare omnia peccata sine gratia. Antequàm verò quæstionem hanc enodemus, notandum est, hic esse disputationem de gratia habituali, siuè gratum faciente, & iustificante, quæ inhęret animę nostræ, non de auxilio gratiæ præueniente, qua excitamur, & disponimur ad recipiendum huiusmodi gratiā habitualem: de gratia enim habituali fuit principalis disputatio inter Catholicos, & Pelagianos, Pelagianis illam negantibus, & Catholicis, præsertim D. Aug. illā dari apertissimè ex scriptura contendentibus; licet enim etiam de auxilio præuenienti quoque fuerit controuersia, illa potius fuit cum Semipelagianis, quam cum Pelagianis: tamen principalis fuit de gratia habituali, & hæc est communis mens Scholasticorum antiquiorum, cum disputant de necessitate gratiæ contra Pelagium, vt patet ex Scoto 2. Sent. dist. 28. §. *Hic dicitur, quod propter verba Augustini, quæ adducit cōtra Pelagianos, non potest caueri ab omni peccato sine gratia; sed hoc diuersimodè ponitur*, &c. Sanctus Thomas etiam 1. 2. quæst. 109. art. 4. intelligit auctoritatem D. Aug. libr. de correptione, & gratia, de gratia habituali, & in argumento ad oppositum dixit ex D. August. lib. de hæresibus, pertinere ad hæresim Pelagianorum, vt credant hominem sine gratia posse facere omnia mandata diuina. In illo autem articulo determinat, hominem in statu naturæ corruptæ non posse implere omnia mandata diuina sine gratia sanante, quæ est gratia habitualis, & iustificans. Idem est videre apud D. Bonauenturam in 2. dist. 28. art. 1. quæst. 3. & per totam illam distinctionem, & alios Scholasticos antiquiores.

An homo possit vitare oīa peccata sine gratia.

Disputatio inter Catholicos, & Pelagianos fuit non solū de auxilio gratiæ, sed pricipaliter de necessitate gratiæ habitualis.

2 Vnde miror Soto in 4. dist. 14. art. 5. Gabrielem Vasquez 1. 2. disp. 194. cap. 3. & alios, sed pręsertim Vasquez cum nouerit Scholasticos antiquiores hoc modo intellexisse disputationem Catholicorum cum Pelagianis, audeat eos omnes ignorantiæ huius disputationis, & historiarum reprehendere: inquit enim, nunquam fuisse controuersiam inter Pelagium, & Catholicos de necessitate gratiæ habitualis, sed solum de necessitate auxilij gratiæ, quod ipse vult esse efficax: quod probare nititur, præsertim ex epistola 105. D. August. aliquantulum à principio, vbi cum meminisset retractationis subdolæ, quam fecerat Pelagius in Concilio Palestino, admonet deinceps, vt rectè consideretur, quàm gratiam Pelagius confiteatur; & subiungit hæc verba. *Possunt quidem*, scilicet Pelagiani, *dicere, remissionem peccatorum esse gratiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur:* Cēsura Soto, & Vasquez.

datur: quid enim habere possunt boni meriti peccatores? & respondet; sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat &c. Ecce, quòd ait, gratiam remissionis peccatorum, quæ est gratia habitualis, esse ex meritis; contra Pelagianos autem disputat de gratia, quæ est omninò sine vllis meritis; huiusmodi est solum auxilium gratiæ, non gratia habitualis.

Reijcitur Vasquez.

3 Cæterum. Vana est hæc opinio Vasquez, quoniam in eadem epistola D. August. aperiens ipsi Sixto, quæ sit gratia, quam ipsi, & Sedes Apostolica contendunt, Pelagium debere confiteri, habet hæc verba. *Ea est enim*, scilicet gratia, *qua iustificatur impius, idest fit iustus, qui prius erat impius.* Et epist. 95. in principio, loquens de gratia, quã confiteri debebat Pelagius, inquit, *eum confiteri debere, sine dubio gratiam, qua iustificamur ab iniquitate, & qua saluamur ab infirmitate, non qua creati sumus cum propria voluntate.* Et paulò infrà loquens de eadem retractatione subdolè facta, inquit. *Nam si intellexissent illi Episcopi iam illum dicere gratiam, quam etiã cum impijs habemus, cum quibus homines sumus, negare verò eam, qua Christiani, & filij Dei sumus, quis eum patienter Catholicorum Sacerdotum non dicimus, audiret, sed ante oculos suos ferret?* Et multa alia similia habes: at gratia, qua Christiani, & filij Dei sumus, est gratia habitualis, & hæc est sola propria iustis, non communis nobis cum impijs. At auxilium gratiæ non facit formaliter nos filios Dei, nec Christianos, nec separat ab impijs, nisi causaliter, & originatiuè. Gratia verò habitualis nobis inhærens est, qua formaliter iustificamur, & sumus filij Dei, vt patet ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 7. Auctoritas autem illa adducta à Vasquez probat, non solum gratiam gratificantem esse donum Dei, & eam Pelagiũ debere fateri; sed etiam adiutorium ad incipiẽdum bona opera, quæ est gratia præueniens, quod nos non negamus. Et confirmatur, quia gratia præueniens, & hoc adiutorium non semper facit vocatum, & adiutum, esse filium Dei, neque iustificat: quia quandoque vocatus resistit, & sic non iustificatur: datur etiam fidelibus, & infidelibus, quia gratia præueniente, & adiutorio sufficienti, omnes adiutos vocat, vt suprà diximus, vel saltem multos qui postea non iustificantur; ergo de illo solo non loquitur, sed principaliter de gratia habituali, quę intrinsecus *subministratione Spiritus Sancti, & occulta misericordia dat incrementum*, vt habet eadem epistola 105. paulò post.

4 Tandem confirmatur, quia D. August. non solum contendebat aduersus Pelagianos, hominem iustificari ex gratia, sed etiam opera meritoria vitæ æternæ esse ex gratia; ergo disputabat quoque de gratia habituali, quia hac præsertim innititur opus meritorium. Antecedens probatur, quoniam epist. 105. quæ est ad Sixtum, dicit, vitam æternam, quæ cõfertur ex meritis, esse gratiã, quia merita præcedentia, quibus illa redditur, non sunt ex sufficiẽtia nostra, sed ex gratia Dei: & ideò est gratia ex gratia; verba aũt eius sunt. *Vndè & ipsa vita æterna, quæ vtique in fine sine fine habebitur; & ideò meritis præcedentibus redditur; tamen quia eadem merita, quibus redditur, non a nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupantur*, &c. Ex his conspicitur, eum non solum loqui de operibus disponentibus ad iustificationem, sed de operibus meritorijs vitæ æternæ, quæ, dicebat Pelagius, prodire ex solo libero arbitrio: D. August. autem, & Catholici dicunt, prouenire ex gratia; proueniunt autem nõ solum ex auxilio Dei, sed etiam ex gratia habituali secundum omnes; ergo D. August. aduersus Pelagianos disputauit quoque de necessitate gratiæ habitualis.

Responsio Scoti ad propositã quæstionem.

5 Hoc ergo supposito, respondet Scotus ad propositam quæstionem, hominem sine gratia habituali non posse vitare omnia peccata, posse duobus modis intelligi. Vno modo vt vitare peccatum mortale sit surgere à peccato mortali, & in hoc sensu nulli dubium est, quòd homo non potest vitare peccatum vllum mortale sine gratia habituali, quia sola gratia habitualis sanat hominem. Alio modo vt vitare peccata, sit non committere peccata, & tunc respondet Scotus quoque negatiuè, quæ conclusio est communis alijs pluribus Theologis, præsertim D. Tho. 1. 2. quæst. 109. art. 8. Henrico, D. Bonau. & alijs grauioribus: vndè miror, Medinam prima secundæ loco citato, & quosdam alios Recentiores tribuere Scoto, vt asserat, hominem sine gratia posse vitare omnia peccata mortalia: nam licèt Scotus sit obscurus in prædicta quæstione, tamen in fine illius apertè se declarat illis verbis superiori cap. adductis. *Hæc igitur opinio non ponit partem negatiuam, quasi propter impotentiam liberi arbitrij absolutè*, &c. Manifestè enim ostendit, se contradicere Henrico, D. Bonauent. & alijs non in conclusione illa, quæ est negatiua, sed in modo, quo illam ipsi declarant, & in rationibus, vt suprà dicebamus de operibus moralibus: idem est enim vitare peccatum, & facere [illegible]s moraliter bonũ; explicant. n. eam sic, Aiunt, hominem sine gratia posse vitare singula peccata, non tamen omnia: hic autem modus dicendi implicat repugnãtiam, quia si potest vitare singula peccata, cum non possit voluntas simul, & semel plures actus elicere, sed vnicum tantum: dum vitat vnum peccatum, non potest facere aliud: potest autem per ipsos vitare singula; ergo omnia; ergo hic modus dicendi implicat repugnantiam.

Alius modus dicẽdi reijcitur.

6 Alij dicunt, (qui tamen isti sint, non est manifestũ, margo Scoti hanc opinionem tribuit D. Tho. & Henrico, sed illi hanc opinionem non habent locis ibi citatis) quod liberum arbitrium potest cõsiderari in duplici statu, vel ante tẽpus deliberationis, vel post tempus deliberationis. Primo modo nõ potest peccare mortaliter, sed solum venialiter: nam actus peccati debet esse ex deliberatione perfecta, & ex debita animaduersione circa actum; hæc autem deliberatio requirit certum tempus: vndè magis rudis requirit maius tempus, subtilior autẽ ingenio requirit minus tempus. Cum ergo consensus voluntatis in actum peccati, si fiat ante hoc tempus, nõ possit prouenire ex deliberatione perfecta, sed ex primis motibus, erit tantum peccatum veniale. In secundo statu verò potest considerari adhùc dupliciter. Vno modo post tempus deliberationis transactum, & post ipsam deliberationem simul, & hoc pacto, ait, posse vitare omne peccatum: quia tunc potest discernere, quod est peccatum mortale, & illud vitare, & similiter quodcumque aliud peccatum committendũ: quia adest completum iudicium, & cognitio peccati. Alio modo potest considerari quatenus est post tempus deliberationis, sed non post deliberationem; potest enim cõtingere, quod transeat tempus, in quo completè deliberare potest, & tamẽ non deliberet, & tunc, ait, hæc opinio, liberum arbitriũ non posse vitare peccatum, quoniam dùm non deliberat in illo tempore rectè, præstat consensum peccato interpretatiuè; & illud peccatum excæcat intellectum, ita vt non possit amplius rectè deliberare; & sic non poterit non peccare: quia vbi deest recta deliberatio, & adest excæcatio, non potest esse actus bonus, sed necessariò adest peccatum. Hunc esse huius opinionis sensum collegi partim ex hac quæstione, partim ex reportatis eadem dist. & quæstione.

Confutatio eiusdem ex Scoto.

7 Eam cõfutat Scotus, quia similiter ex ipsa sequitur, liberum arbitrium posse simpliciter vitare omne peccatum, quod est oppositum conclusionis, quam illa opinio intendit probare; ratio autem Scoti est hæc. Completo eo tempore, quo deliberatio debebat fieri, & non est facta, vel liberum arbitrium potest deliberare de peccato A. non committendo, & tunc actu non peccabit, & poterit non peccare; completa etiam illa deliberatione per se potest cauere peccatum illud A. & pro illo tunc omne aliud; ergo simpliciter potest vitare omne peccatum. Vel pro illo tempore nõ potest deliberare de vitan

do pec-

do peccato A. & tunc sequeretur, eum pro illo tunc non habere vsum rationis, quod est absurdum. Quòd si quis respondeat: transacto illo tempore, licèt possit liberum arbitrium deliberare circa peccatum A. tamen non potest deliberare rectè, scilicet de vitando peccato, quia est excæcatum. Contrà arguit Scotus; videtur hoc esse absurdum, quoniam vnum peccatum mortale intẽperantiæ non facit aliquem intemperatum generali intemperantia: quia vna hirundo non facit ver, nec vnus actus virtuosus, vel vitiosus facit hominem virtuosum, vel vitiosum generaliter, neque per consequens excæcatum generaliter circa omnia principia operabilium; ergo potest habere rectam deliberationem de multis, de quibus tentatur, non obstante, quòd sit in vno peccato mortali. Præterea. Vitia non sunt ita connexa, vt vnum peccatum excæcet circa omnia principia operabilium ad benè agendum: nõ enim vnum peccatum deprauat appetitum circa omnes alios actus virtutis, immò cum vno peccato potest manere virtus acquisita contraria illi peccato: quia vnum peccatum mortale non corrumpit totum habitum virtutis acquisitę, non sic de virtute infusa. Ex his concludit Scotus contra hanc opinionem, quòd stante ea, liberum arbitrium existens in peccato mortali potest simpliciter vitare omnia peccata: nam ex dictis liberum arbitrium ante tempus deliberationis non potest peccare nisi venialiter, in tempore verò præcedente deliberationem potest deliberare rectè, potest etiam nõ peccare consensu interpretatiuo: quia potest non sinere transire illud tempus, & rectè deliberare, transacto etiã tempore deliberationis, sed non facta deliberatione potest vitare peccatum, & tandem facta deliberatione potest vitare peccatum quodcumque; ergo simpliciter liberum arbitrium, etiam in peccato mortali, potest vitare omne peccatum, & consequenter sine gratia.

Opinio D. Bonauent.

8 Alij, vt D. Bonauent. in 2. dist. 28. art. 1. q. 3. conuenientes in eadem conclusione generali, nimirum, quod existens in peccato mortali, siuè quòd homo ex puris naturalibus sine gratia habituali, non potest vitare omnia peccata, illam probant, & declarant in hunc modum. Manens in peccato mortali potest quidem seruare præcepta Dei; quantum ad substantiam actus, siuè quãtum ad explicationem eorum, non tamen quantum ad intentionem mandãtis, quæ est, vt seruentur in gratia, qui autem est in peccato mortali non potest illa seruare in gratia, & consequenter neque quãtum ad intentionem mandantis, & sic non potest vitare omnia peccata: quia non seruare mandata, est peccare; quod autem intentio Dei mandantis illa præcepta obseruari, sit, vt obseruentur in gratia, probatur: quia ideò mandauit illa præcepta, vt qui seruaret ea, mereretur vitam æternam, at nullum opus bonum meretur vitam æternã, nisi fiat in gratia; ergo intentio Dei fuit, vt in gratia habituali obseruarentur.

Reijcitur. 1. Ratio.

9 Hunc modum dicendi reijcit Scotus. Primò. Quia si Deus intendisset obligare quemlibet ad seruandum hæc præcepta in gratia, quicumque faceret opus præcepti, non existens in gratia, sed in peccato mortali peccaret mortaliter, quod est maximum absurdum, & non videtur aliud, quàm peruertere omnes, qui semel commiserunt peccatum mortale, vt nullum aliud opus bonũ ex genere, ad quod tamen tenentur, faciant, nec peccẽt; & sic, qui semel peccauit mortaliter, non deberet abstinere ab homicidio, à blasphemia, non deberet custodire Sabbatum, honorare parentes, & huiusmodi: quia semper peccaret mortaliter nouo peccato, quòd est nimis horrendum.

2. Ratio.

10 Secundò. Aliquis existens in charitate potest facere aliquod opus præcepti, non motus ex charitate, sed ex pietate, & mansuetudine naturali, vel ex alio honesto motiuo, non referendo illud opus actualiter ad finem vltimum, qui est Deus ipse; ita quod illud opus esset bonum ex genere moraliter, & adimpleret præceptum, ad quod tenetur: at si præceptum obligaret ad obseruandum illud ex charitate, sequeretur, huiusmodi hominem non adimplere præceptum, immò amittere gratiã per hoc opus, & peccare mortaliter, quod est absurdum euidens. Adducit alios modos dicendi in reportatis, quos breuitatis causa ommitto.

11 Reiectis aliorum opinionibus ergo, Scotus tenet conclusionem negatiuam, quæ est. Homo sine gratia habituali, non potest seruare totam legem, & semper, (possumus addere, nec diù) siuè vitare omnia peccata; quòd hęc sit opinio Scoti patet ex verbis eius in fine illius quęstionis adductis superiori capite. *Hac igitur opinio non tenet partem negatiuam*, &c. sed quæ sit ratio eius, propter quam tenet hanc conclusionem, nõ est ita clarum: vndè Andreas Vega ait, non posse percipi, quæ sit mens Scoti. Ego tamen dico ex mente eius posse assignari duplicem rationem. Prima est, causam veritatis conclusionis negatiuæ non esse impotentiam liberi arbitrij absolutè, vt alij velle videntur, quia contra duas priores opiniones ostensum est liberũ arbitrium habere potentiam absolutè vitandi quodlibet peccatum, & consequenter omnia, vt deductum est; sed causam veritatis conclusionis esse impotentiam eius secundum quid: hanc insinuat Scotus, dum ait, liberum arbitrium non posse vitare omnia peccata, non *quasi propter impotentiam liberi arbitrij absolutè, sed in quantum ipsum comparatur ad Deum liberaliter gratiam suam offerentem*. Si ergo nõ potest seruare totam legem propter suam impotentiam absolutè, & tamen non potest; ergo est aliqua impotentia eius secundum quid, quæ potest dici esse eadem, quam assignat D. Thom. p. 2. quæst. 109. art. 8. scilicet, quia peccatum mortale est pondus, quod aggrauat liberum arbitrium, & inclinat ad peccatum aliud, & aliud: vndè D. Gregorius ait. *Peccatum, quod mox per pęnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit*. Insuper, quia tunc ratio hominis non est totaliter subiecta Deo: ideò in illa contingunt motus inordinati, & præsertim quia liberum arbitrium est maximè connexum virtutibus sensitiuis, & facillimè sequitur id, quod dictat sensus, cõtemnendo rectum dictamen rationis. Vndè Deus decreuit iustificatis dare habitum gratiæ, qui est talis conditionis, vt inclinet, & impellant ad opus bonum; dicemus enim infrà, gratiam habitualem concurrere non solum ad actum, quatenus est meritorius, sed etiam ad substantiam actus: vndè cum illo careat, non diù permanebit, quin peccet; & hic modus dicendi est communis Thomistis, & alijs multis Theologis.

Modus dicẽdi Scoti.

12 Alio modo possumus dicere, quòd liberum arbitrium existens in peccato mortali non potest vitare omnia peccata, nõ quia sit impotens absolutè, sed quia oblata occasione seruandi præceptum aliquod, adiutum gratia præueniente, vel illud transgredietur, & peccabit nouo peccato, vel illud seruabit, & se disponet de congruo ad gratiam iustificantem; & tunc Deus non patietur, illud permanere sine gratia, sed statim iustificabitur: vndè non poterit diù permanere in peccato, & seruare omnia mandata, quia iustificatetur; cito Deus enim libero arbitrio aliqualiter disposito, statim dat gratiam iustificantem. Hanc esse mentem Scoti, ac etiam Henrici, ait Vasquez, & eam ipse sequitur disput. 196. cap. 3. Et reuera mihi videtur esse multum conformis verbis Scoti; ait tamen Vasquez, se differre à Scoto, quia Scotus, & Henricus putant, liberum arbitrium posse se disponere de congruo ad gratiam habitualem ex viribus solis naturæ, quod est Pelagianum; sed superioribus disputationibus exposuimus, & probauimus, meritũ congruum positum à Scoto esse meritum gratiæ, non liberi arbitrij: tametsi Scotus auxilium diuinum præueniens appellet influentiam generalem. Vbi nota, quòd, vt elicitur ex reportatis dist. 7. quæst. 1. vbi quæstionem de exordio iustificationis viatoris clarius tractat, quàm alibi gratiam præuenientẽ appellat pro tanto influentiam genera-

Alius modus dicẽdi.

Vasquez.

Locus clarus Scoti de exordio iustificationis i reportatis d. 7.

generalem, quia ille motus liberi arbitrij factus ex adiutorio Dei, non est motus factus ex gratia habituali, neque meritorius; & propter hoc appellat ipsum bonum moraliter tantum, & negat specialem motum, siuè auxilium illud speciale positum à Gregorio, & alijs, quo qui iustificatur, specialiter moueatur: non autem negat gratiam præuenientem, quia hæc omnibus viatoribus adultis datur, siuè iustificentur, siuè non, vt dictum est suprà.

Prædicta cōclusio & intelligitur de auxilio gratiæ præuenientis.

13 Notandum est autem, quòd hæc conclusio, etsi intelligatur de gratia habituali, tamen potest etiam intelligi de auxilio gratiæ præuenientis: etsi enim liberū arbitrium possit vitare aliqua peccata, & facere opera aliqua moralia auxilio generali, tamen non potest vitare illas tentationes, & peccata, & facere opera illa bona, quæ disponunt ad iustificationem, & ad receptionem gratiæ habitualis; nisi Deus hoc auxilio generali, quo, vt prima causa cōcurrit ad opus iustificationis, speciali modo moueat, & adiuuet liberum arbitrium, quo nomine, & munere tantum potest auxilium illud generale dici speciale, vt diximus in materia de pœnitentia disp. 14.

Allatā opinionem esse Scoti pbatur.

14 Quòd autem Scotus hanc communem conclusionem sustineat, scilicet, liberum arbitrium absque gratia habituali, & auxilio illo speciali non posse vitare omnia peccata, non propter impotentiam liberi arbitrij absolutè, sed propter illam impotentiam secundum quid, confirmatur ex ratione; quam facit Scotus in illa dist. 28. §. *Contra hoc arguitur*, &c. vbi arguit contra conclusionem ipsam (& hoc argumentum fortasse fuit in causa, vt Medina, & alij putauerint, Scotum non conuenire in conclusione ista) sic. Peccatum mortale non fit, nisi in transgrediendo præceptum Dei; sed secundum Hieronymum, qui dicit, impossibilia præcepisse Deum, anathema sit. At si homo in peccato ex puris naturalibus non posset seruare præceptum Dei, Deus præcepisset impossibilia ei; ergo.

Solutio quędam.

15 Huic argumento assignat Scotus vnam respōsionem, quæ est, quòd existenti in peccato, possibile est seruare omnia præcepta, & vitare omnia peccata: quia potest se disponere, & præparare ad gratiam habitualem, qua habita postea poterit seruare pręcepta diuina; quòd si non se præpararet, hæc impreparatio imputaretur sibi in peccatum.

Reijcitur à Scoto.

16 Hanc solutionem reijcit ipsemet Scotus ibidem versu, *Per idem argumentum*, &c. nam ponamus casum, quòd existens in peccato mortali non disponat se ad gratiam, tunc oblata occasione faciēdi aliquod opus præcepti, & bonum ex genere, non poterit se seruare à culpa, & à peccato nouo: quia si illud adimplet, cum sit in peccato mortali, per se peccat iterum peccato mortali; si etiam non implet, peccat per transgressionem præcepti: falsum est autem, quòd homo non possit se præseruare à culpa, quia omne peccatum est voluntarium. Si ergo dicas, quòd tunc etiam quando non se disposuit ad gratiā, potest se seruare à nouo peccato, sequitur argumentum prius factum, scilicet non esse impossibile, hominem seruare præcepta Dei sine gratia. Liberum ergo arbitrium non habet impossibilitatem, & impotētiam absolutè ad vitanda omnia peccata, sed secundum quid, vt suprà diximus: quia æget gratia habituali, quæ ipsum adiuuet, tùm ad substantiam actus, tùm ad esse meritorium. Hoc est illud idem, quod ait D. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 4. ad secundum, dum inquit, Illud, quod possumus cum auxilio diuino, non esse nobis omnino impossibile, secundum illud Phylosophi 3. Ethicorum. Quæ per amicos possumus, aliqualiter possumus; videtur enim velle, quòd licet liberum arbitrium sit aliqualiter impotens, non tamen sit absolutè impotens, sed tantum, secundum quid. Eget etiam auxilio gratiæ mouente ipsum ad opus bonum, & ad vitandum peccatum, quod, vt diximus, secundum substantiam est auxilium generale; sed ad opus iustificationis habet peculiarem modum, propter quem potest dici auxilium speciale, vt supra exposuimus. At ad opera supernaturalia, siuè ad opus iustificationis, & ad alia, quæ ordinantur ad vitam æternam, habet simpliciter impotentiam: quia requiritur auxilium diuinum præueniens; & eum magis particulari modo mouens, ac faciat secundum legem, & modum generalem, vt disp. illa 14. diximus.

Rationibus aduersariorum primo, & tertio cap. adductis, satisfit. Caput Quintum.

Ad tres priores rationes ex auctoritatibus.

1 Reliquum est, vt rationibus aduersariorum satisfaciamus. Non desunt autem variæ responsiones ad tres primas auctoritates, omnibus tamen omissis, eam afferam, quæ mihi vera videtur, & ex dictis in superioribus disputationibus facilè colligi potest. Et quia tota vis aduersariorum est in auctoritatibus Sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum præsertim D. Aug. contra Pelagianos, vt illis satisfaciamus, reuocandum est in memoriam illud, quod diximus disp. illa, Vtrum ad iustificationem requiratur auxilium speciale, & disp. sequentibus: quòd auxilium Dei, quo nos adiuuat ad opera moralia, & etiam supernaturalia, & dicitur auxilium gratiæ, non est auxilium speciale substantia distinctum ab auxilio, & influentia generali, qua Deus gubernat, regit, & administrat per suam prouidentiam cunctas creaturas, sed est idem; dicitur autem prouidentia particularis, auxilium speciale, & auxilium gratiæ per Christum, quatenus speciali modo concurrit ad opera supernaturalia, scilicet iustificationis nostræ, & ad opera meritoria, per Christum enim meruimus, vt Deus nos præueniret sine nobis, monendo ad credendum, & ad operandum, sicut conuenit ad iustificationē.

Ad tres primas auctoritates.

His sic stantibus, ad omnes auctoritates adductas tribus primis rationibus possumus respondere, quòd illæ loquuntur de auxilio generali Dei, non de auxilio speciali: quia illud non datur, vt superioribus disputationibus latè probauimus: putant enim ipsi, illas auctoritates debere intelligi de illo auxilio speciali physicè, vel moraliter determinante voluntatem ad bonum, quod omnibus non datur, sed solum electis, & prædestinatis: hoc autem nullo modo dari superius probauimus; & de hoc Scotus loquitur, dū negat in 2. Sent. & in Reportaris dist. 7. quæst. 1. & in 4. in iustificato, specialē motū, & admittit solum influentiam generalem communē, quæ secundum ipsum est gratia præueniens, quæ omnibus saltem adultis datur.

3 Tamen conformando nostrum modum loquendi cum modo dicēdi Recentiorū, possumus distinguere auxiliū hoc generale Dei, in auxiliū generale, & auxiliū speciale. Auxilium generale erit hoc auxilium consideratum secundum suum concursum vniformem, quem habet vt causa prima cum omnibus rebus creans. Auxilium speciale erit, quatenus speciali quodam modo concurrit cum homine ad opera supernaturalia; & sic auxilium necessarium ad opera omnia causarum secundarum appellabimus auxilium generale; auxilium verò necessarium ad opera supernaturalia appellabimus auxilium speciale per Christum. Sed istud auxilium speciale per Christum adhuc duobus modis potest accipi, vt disp. illa 14. de pœnitentia diximus. Vno modo pro gratia sufficienti, quæ omnibus saltem Adultis datur. Alio modo pro gratia illa speciali efficaci, vel congrua physicè, vel moraliter prædeterminante, quam adstruere nituntur Vasquez, & alij, & de hac non loquimur, cū concedimus ad opera supernaturalia dari gratiam specialem, sed loquimur de gratia speciali primo modo dicta, idest de gratia sufficienti: & cum negamus, ad opera moralia bona requiri auxilium speciale, de vtroq; intelligimus, vt patet ex dictis; & tunc ad auctoritates adductas tribus primis argumentis respondetur, quòd illæ auctoritates loquuntur de auxilio speciali per Christum

stum, & de operibus supernaturalibus, scilicet de omnibus operibus, quæ ordinantur ad vitam æternam consequendam, vel ad illam disponunt, aut aliquo modo habent relationem, vt sunt motus ad iustificationem, ipsa iustificatio, & opera meritoria vitæ æternæ facta à iustificato; ita quod sensus est, esse necessarium auxiliũ gratiæ per Christum ad faciendum opera bona, quæ habent relationem ad vitam æternam, & beatitudinẽ. Quæ responsio in substantia est eadem, quam afferunt Caietanus, Medina in 1. 2. quæst. 109. art. 2. Soto lib.

Responsio allata confirmatur efficaci ratione.

de natura, & gratia, & alij, quæ etiam confirmatur hac efficacissima ratione ab omnibus adducta: quia Christus non est mortuus, vt possimus efficere bona moralia purè, quæ licet non sint peccata, sed bona humana, tamen non habent relationem ad vitam æternam, neque ad illam ordinantur: considerata enim opera moralia præcisè, vt habent bonitatem omnem moris, non prosunt ad vitam æternam, sed necesse est, vt operans actu, vel habitu, illa referat in Deum verum; vt ergo carent hac relatione, non iuuant ad vitam æternam, sed Christus mortuus est, vt possimus consequi vitam æternam. Ideò auxilium gratiæ, quod nobis meruit Christus, est illud auxilium, quo nos promouet, & adiuuat ad vitam æternam consequendam, vt suprà cap. 2. ratione 10. & alijs diximus & de hoc loquuti sunt Sancti Patres, & Concilia aduersus Pelagianos, & Semipelagianos.

Obiectiones ex Vasquez cõtra allatam solutionem.

4 Cæterum, Vasquez aduersus hanc responsionem insurgit disp. illa 190. c. 8. & 9. multipliciter; & primò sic. Aut nullum opus moraliter bonum ex genere, & ex circunstantia pertinet ad vitam æternam, vel ad iustificationem, non habet ordinem, aut aliquod pertinet: si nullum omnino, sequitur, solum opera illa pertinere ad vitam æternam, & fieri per Christum, quæ suapte natura sunt ordinis supernaturalis, nempè sola opera virtutum infusarum, vt credere, sperare, diligere, & similia, si aliæ dantur virtutes infusæ, non autem opera moralia quantumcunque perfecta acquisita: vnde neque de his, neque de victoria tentationum obtenta solum ex fine virtutis esset gratias agendum Deo. Consequens est absurdum, vt patet, & conceditur. Consequentia verò probatur: quia non fierent ex auxilio speciali, neque ex speciali beneficio Dei, sed ex proprijs viribus liberi arbitrij: de eo autem, quod nobis non donatur, non tenemur gratias agere: si verò dicat, solum opera moralia egregia fieri ope gratiæ, non autem opera moralia exilia. Contrà. Omnia opera moralia proueniunt ex eodẽ fine virtutis moralis acquisitæ; ergo est par ratio de omnibus. Quòd si quis dicat, in hoc differre, quia egregia opera moralia sunt impetratoria vitæ æternæ, non exigua. Contrà. Sæpè sæpius neque opera egregia impetrant iustificationem. Deindè omnibus operibus moralibus, etiam exiguis, Deus potest retribuere aliquod beneficium, & iustificationem ipsam.

2. Ratio.

5 Secundò. Sequitur, quodcunque votum, & cultum religiosum erga verum Deum, factum ex solo fine honesto moralis virtutis, naturali lumine nobis notum, non esse opus gratiæ. Consequens est contra Concilium Arausicanum secundum can. 11. vbi, omne, quod Deo rectè vouemus, Dei gratiæ adscribit. Confirmatur, quia hoc est opus veræ pietatis: at opus veræ pietatis ex sententia D. Aug. fieri non potest sine gratia speciali. Consequentia est euidens: quia votum est opus religionis, Religio acquisita est virtus moralis; insuper pietas est virtus moralis acquisita; ergo.

3. Ratio.

6 Tertiò. Sequeretur, posse adimpleri omnia præcepta Decalogi, & vitari omnes tentationes, etiam graues sine auxilio gratiæ. Consequens est falsum, vt supponitur: quia, hominem posse implere mandata omnia, & posse vitare omnia peccata, & superare omnes tentationes, videtur esse Pelagiana hæresis. Consequentia verò probatur: quia opera illa mandatorum sunt opera moralia. Possent ergo impleri ex fine honesto, & sic non esset necessaria gratia per Christum.

4. Ratio.

7 Quartò. Patres, & Concilia frustrà dicerent, hominem sine gratia nihil posse, nisi peccatum: nam opus morale, non est propriè nihil, neque peccatum, sed est aliquid bonum, licet non pertineat ad vitam æternam. Similiter Concilium Arausicanum secundum, can. 22. frustrà dixisset, liberum arbitrium nihil habere ex se sine gratia, nisi mendacium, & iniustitiam: vndè cum Cõcilium hoc modo loquatur, sequitur etiam, D. August. hoc modo loquutum fuisse. Præterea, multa loca D. Aug. adduci, sed hic sufficiat. In epistola ad Hilarium, quæ est 89. dicit D. Aug. Arbitrium destitutum gratia

Auctoritas D. Aug.

Dei nullo modo habiturum iustitiæ soliditatem; sed *inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem*. At hoc nimis absurdè dixisset, si arbitrium sine gratia Dei posset facere opus moraliter bonum: posset enim arbitrium habere aliquem affectum humilitatis ex fine solum honesto virtutis moralis, aut opus aliud huiusmodi: nemo autem auderet huiusmodi opus cum D. August. appellare inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem.

5. Ratio.

8 Quintò. Est communis sententia Patrum, nos sine auxilio gratiæ nihil posse cogitare, velle, aut perficere, quod ad veram iustitiam. pietatem, aut ad. Deum, & ad æternam vitam spectet: sed sic est, quòd opus moraliter bonum ex fine, & omni circunstantia est huiusmodi; ergo. Maior conceditur, sed etiam probatur. D. Aug. lib. contra duas epistulas Pelagianorum cap. 5. habet hæc verba. *Liberum arbitrium dicimus ad bene, pieque viuendum non valere nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adiuta*. Et lib. de prædestinatione Sanctorum cap. 2. ait. *Quod attinet ad pietatem, & religionem non sumus sufficientes cogitare aliquid quasi ex nobis, & nemo sufficit sibi ad incipiendum* &c. Et lib. de gratia Christi cap. 26. & cap. 27. dicit. Nihil, quod ad pietatem, veramque iustitiam pertineat, sine auxilio gratiæ fieri posse. Minor probatur multis auctoritatibus Sanctorum Patrum, sed sufficiat hæc ex D. Aug. 4. de Ciu. Dei cap. 23. & alibi sæpè. *Pietas est verax cultus veri Dei*. 10. de Ciuitate Dei cap. 1. habet hæc verba. *More autem vulgi hoc nomen in operibus misericordiæ frequẽtatur; quod ideò arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè Deus mandauit, eoque sibi, vel pro sacrificijs, vel præ sacrificijs placere testatur*. Ergo ex D. Aug. opera misericordiæ pertinent ad pietatem, tanquàm cultum ipsius Dei. Præterea. Isaiæ 1. ait Deus. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam*, & deinde promittit illis remissionem peccatorum his verbis, *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur*, &c. Ex his verbis habetur, quòd opera moralia, qualia sunt illa subuenire pupillo, viduam defendere, & similia, pertinent ad veram pietatem, & iustitiam: sunt opera etiam Decalogi, atque impetrant veniam peccatorum; ergo opera moralia bona perfectè non possunt fieri sine auxilio speciali gratiæ. Confirmatur, quia quælibet opera bona, quæ secundum normam virtutis fiunt, dicenda sunt iusta, & sancta opera; ergo ad veram pietatem pertinent.

6. Ratio.

9 Sextò. Apud D. August. opera nostra omnia reducuntur ad duas classes, vel sunt opera vitæ æternæ, vel opera huius vitæ. At opera moralia bona perfectè non sunt opera huius vitæ in schola D. August. ergo sunt vitæ æternæ. Maior est clara. Minor probatur. Maxentius in confessione fidei inquit. *Liberum arbitrium ad nihil aliud valere credimus, nisi ad discernenda tantum carnalia siuè secularia quæ non apud Deum, sed apud homines, possunt fortassis videri gloriosa; ea verò, quæ pertinent ad*

vitam

vitam æternam, nec cogitare, nec velle, nec perficere posse, nisi per infusionem, & inspirationem intrinsecam Spiritus Sancti. Ergo si opus morale perfectè bonum non pertinet ad vitam æternam, sed præsentem, erit appellandum opus carnale, & seculare, quod nullus dicet. Item. Prosper in lib. contra collatorem cap. 19. de homine primo post peccatum, ac proindè de tota eius posteritate sic ait. *Quid ei remansit, nisi quod ad temporalem pertinet vitã, quæ tota est damnationis, & pœnæ?* At quis dicet, opera bona moralia esse opera damnationis, & pœnæ? Multa alia eiusdem generis adduci testimonia; quę cum idem asserant, ommitto.

Solutio generalis ad omnes rationes adductas.

10 Omnes istę obiectiones vnica distinctione soluuntur, quæ suprà tacta est. Notandum est ergò, quòd opera bona moraliter à Sanctis Patribus, & communiter à Concilijs quandoque dicuntur bona, & opera vitæ ęternæ, quandoque opera humana, & nullius valoris: hoc autẽ prouenit, quia opera moralia possunt duobus modis considerari. Vno modo quatenus ordinantur ad vitam æternam ab ipso operãte actu, vel habitu. Alio modo quatenus non ordinantur ad vitam æternam, neque actu, neque habitu. Exemplũ primi. Si quis faciat eleemosynam, subueniat ęgeno, &c. quia hoc pręcipit Deus, & vt his operibus consequatur gratiam Dei, & tandem vitam æternam. Exemplum secundi, vt si infidelis perseuerans in sua infidelitate, nec volens credere fidei Christianæ, subueniat ægeno, defendat viduam, &c. quia iudicat, hæc esse opera in se bona, & conformia rectæ rationi naturali, quod enim infidelis possit facere huiusmodi opus morale bonum, etiam Vasquez fatetur: quia non requiritur ad opus morale bonum, vt fiat propter Deum, vt putauit Gregorius, sicut infrà dicemus. Opus ergo morale bonum, sine relatione ad Deum, potest dici bonum naturale; opus verò morale bonum relatum ad Deum potest dici opus supernaturale bonum, vt habeamus distinctionem breuem, & commodam ad respondendum. Hæc distinctio potest probari per auctoritates D. August. adductas quarta ratione principali cap. 1. pro aduersarijs in probatione minoris, & assumpti, vbi D. August. ait. Opera virtutis tunc solum esse bona, quando fiunt propter Deum: hæc distinctio sumitur ex Scoto in 4. dist. 14. quæst. 2. in responsione ad vltimũ principale. Tunc generaliter ad omnes auctoritates Sanctorum Patrum, asserentium, opera moralia esse bona, respondetur, eos pro tanto ea appellare opera bona, pro quanto fiunt in ordine ad vitam æternã, vel ad iustificationem consequendam: quando verò appellant ea opera huius vitæ, & esse nihil, tunc considerantur, vt fiunt sine hac relatione ad Deum, licet enim in se sic sint opera bona moraliter, & propter hoc non sint peccata; tamen quia non ordinantur ad iustificationem, neque ad vitam æternam appellantur opera humana, & nihil; immò non est inconueniens ea appellare mala opera, quatenus sunt priuata hoc bene, scilicet relatione ad vitam æternam, quæ ipsis dat maximam bonitatem: vndè possunt dici mala nõ positiuè, eo quia habeant aliquam circunstantiam deformem, sed priuatiuè: quia scilicet, priuata sunt magno bono, quod est relatio hæc ad Deum: tamen ad vnamquamque rationem sigillatim respondeamus.

Distinctio breuis.

Ad primã rationẽ solutio specialis.

11 Ad primam ergo respondetur, opera moralia bona considerata in esse puro morali non pertinere ad vitam æternam; sed secundo modo tantum: vndè nego consequentiam. Ad probationem dico, quòd opera moralia facta in relatione ad iustificationem, & ad vitam æternam fiunt, & auxilio generali præueniente Dei, sed speciali modo mouente, vt contingit in exordio iustificationis, & ne hoc sæpius repetamus in sequentibus, illud appellabo auxilium speciale, quia licèt quò ad substantiam sit idem quod generale auxilium, tamen quia speciali modo concurrit ad iustificationem, illud speciale appellabo. Ad rationem verò contra hoc: quia de operibus moralibus purè, & carentibus hac relatione ad vitam æternam, non essent agendæ gratiæ Deo, &c. Respondeo, hoc nihil esse: quia nos debemus gratias agere Deo non solum de ijs, quæ speciali Dei auxilio facimus, vt sunt opera iustificationem impetrantia, & opera meritoria; sed etiam de ijs, quæ ex communi influentia facimus, & etiã eorum quę prouenient à Deo ratione creationis, conseruationis, & gubernationis: quia homo tenetur Deo non solum propter beneficium redemptionis, sed propter beneficium conseruationis, & gubernationis; inter hæc autem, quæ ad gubernationem rectam humanam requiruntur, enumerari debent opera moralia bona purè. Ergo de illis Deo gratias agere debemus, non quia illa fecerimus auxilio speciali, sed auxilio generali, vt dictum est: hæc enim omnia habemus ex beneficio Dei, non particulari, sed generali, & communi cum alijs rebus creatis.

12 Ad secundam, respondetur per idem, votum, & cultum quemcunque factum erga Deum, vt præcisè est opus bonum morale, sed non habet relationem ad vitam æternam, nec ad iustificationem, nõ esse opus gratiæ, vt esset in infideli, vel in aliquo fideli, qui illud opus faceret, quia videret esse bonum, tamen non intenderet illo consequi iustificationem, neque vitam æternam actu, vel habitu; difficile tamen est inuenire huiusmodi opus in fideli aliquo, & illud non ordinare actu, vel habitu ad vitam æternam. Concilium autem Arausicanum non loquitur de his operibus, prout sunt bona præcisè moraliter, & excludunt relationem actualem, & habitualem ad vitam æternam, sed de voto, & cultu includente huiusmodi relationem.

Ad secundam rationem.

13 Ad tertiam, iam dictum est præcedenti cap. Consequentiam non valere: quia licèt possit vitare singula peccata, & singulas tentationes, quatenus sunt opera moralia bona præcisè, & consequenter absoluiè posset omnia præcepta moralia sic implere: tamen secundũ quid est impotens, scilicet propter inclinationem, quam habet ad malum, & propter coniunctionem ad vim sensitiuam, quæ inclinat ad operandum contra rectam rationem. Præterea. Ad solutionem argumenti sufficit, quòd non possit sine speciali auxilio adimplere præcepta, & vitare tentationes, quatenus sunt opera disponentia ad iustificationem, & habentia ordinem ad vitam æternam: hoc autem nos asserimus; sed negamus, tantum requiri auxilium speciale ad illa opera, vt sunt præcisè opera moralia naturalia excludentia omnino relationem ad vitam æternam.

Ad tertiam rationem.

14 Ad quartam, iam dictum est, Sanctos Patres, & Concilia sæpius appellare opera bona etiam moralia, quæ tamen nullum habent ordinem ad vitam æternã, esse opera vana, nihil valere, non esse opera iustitiæ, sed iniustitiæ: quia illud opus solum est verè bonum, & pertinet ad veram iustitiam, quod ordinatur ad salutem, & ad vitam æternam: omnis enim actus virtutis priuatus relatione in verum Deum, potest dici peccatum, & malum priuatiuè: quia priuatur vera ratione bonitatis, quę est relatio in Deum verum. Præterea. Etsi liberum arbitrium possit aliquod opus bonum moraliter facere, tamen rarò facit, sed semper sequitur appetitum, & sensum; & ideò aiunt, quòd liberum arbitrium sine auxilio Dei gratiæ, non habet nisi superbiam, iniustitiam, & peccatum.

Ad quartã rationem.

15 Per idem ad quintam, auctoritates enim adductæ ad probandam maiorem, confirmant nostram sententiam, nimirum secundum Patres, & Sanctos, illa esse opera bona tantum, & iustitiæ, quæ pertinent ad veram iustitiam, & pietatem; illa autem est vera iustitia, & pietas, quę facit homines iustos apud Deum, nõ apud homines. Ergo opera moralia facta cum relatione ad Deum, sunt verè iusta, & pia, & bona, non exclusa illa relatione. Negatur ergo minor; ad probationem dico, probari tantum, illa opera esse bona materialiter, & po-

Ad quintã rationem.

ſitiuè, ſiuè ex genere, & ideò eſſe materiam idoneam præceptorum Dei, ſed non probat, illa eſſe bona formaliter, & abſolutè bonitate vera, & ſupernaturali, quæ eſt bonitas apud Deum. Sunt ergo bona poſitiuè, ſed mala negatiuè, & ideò non ſunt abſolutè bona: & ideò nego, illa, vt ſic ſine relatione ad vitam æternam eſſe diſpoſitiones ad vitam æternam.

Ad ſextam rationem.

16 Ad ſextam reſpondetur, per illam confirmari noſtram ſententiam, quoniam illa opera moralia præcisè ſic cõſiderata ſine relatione ad Deum, ſunt opera huius vitæ pertinentia ad viuere naturaliter, & ad viuere ciuiliter benè: & ideò poſſunt dici opera ſecularia, carnalia, & opera damnationis negatiuè, non poſitiuè, ideſt non quia habeant aliquam circunſtãtiam inducentem mortem, & damnationem, ſed quia non habent circunſtantiam tollentem pœnam, & damnationem, quam poſſent habere, & hoc clariſſimum eſt. Sunt enim quidam infideles obſtinati, & hæretici, qui tamen aliqua opera moralia pręclara faciunt, non quia illa credant ſibi prodeſſe ad vitam æternam; ſed faciunt illa, quia ſecũdum lumen naturæ cognoſcunt eſſe opus in ſe bonum; & licèt ſit veriſimile, illa ſemper ordinare ad malum finem, vt etiam dęmones faciunt; tamen non eſt impoſſibile, vt aliquando careant fine malo, ſed faciant illa propter finem ipſum virtutis.

Ad quartã rõnẽ principalem ex primo cap.

17 Ad quartam rationem principalem adductam primo cap. quæ eſt Gregorij Ariminenſis, negatur illa minor propoſitio, ſcilicet, quod finis moralis virtutis acquiſitæ, vt pręcisè eſt habitus bonus naturalis, ſit, vt opus ordinetur in Deum, & propter amorem Dei fiat: eam enim omnes receotiores negant, & iure, quia verum eſt quidem, omne opus bonum moraliter debere referri in finem debitum, ſed dicimus, hunc finem debitum eſſe ipſum bonum virtutis: qui enim facit actum continentiæ, quia in ſe eſt actus bonus, & honeſtus, dat actui illi debitum finem, & hæc eſt intentio Ariſt. 2. Ethicor. c. 4. vbi ait, Tunc agens agere iuſtè ea, quę ſunt in virtutibus, *Si ſic ſe habens agat primo quidẽ ſi ſciens, deindè ſi eligens propter ipſa, tertiò ſi firmo animo, ac immutabili agat:* pondera illa verba, *Deindè ſi eligens propter ipſa.* Non ergo alius finis requiritur in tantum moraliter bono, niſi honeſtas ipſius operis, ſcilicet vt fiat; quia eſt opus honeſtum. Non eſt ergo opus neceſſariò, vt referatur in Deum ſaltem explicitè ab ipſo agente; ſatis eſt, quòd implicitè, & natura ſua feratur in Deum: hoc enim ipſo, quòd opus bonum fit propter ſe, quia bonum, implicitè refertur ad Deum, & ſic propter Deum fit.

Ad primã probationẽ

18 Ad probationes illius minoris: ad primã reſpondetur, falſum eſſe, ſolum Deum eſſe amandum propter ſe; oſtenſum eſt enim, quòd etiam bonum virtutis eſt amandum propter ſe; verum eſt quidem, Deum ſolum eſſe amandum ſummè propter ſe, reliqua verò, quę propter ſe amantur, non ſunt ſummè amanda propter ſe. Vel dicamus iuxtà primam reſpõſionem, Deum ſolum eſſe amandum propter ſe explicitè, & implicitè, at bonũ virtutis eſſe amandum ſolum explicitè propter ſe, implicitè autem, & vltimatè propter Deum.

Ad primã cõfirmationem.

19 Ad primam confirmationem, reſpondetur, non eſſe parem rationem de bono honeſto, ſiuè virtutis, & alijs bonis, nimirum vtili, & delectabili: in appetitu enim honeſti non poteſt eſſe error, vt ſuaptè natura implicitè tendit in Deum: at bonum vtile, & commodi nõ ſuaptè natura tendit in Deum; poteſt enim in illis bonis eſſe error, & peccatum; ideò non valet conſequentia; bonum honeſtum, ſiuè virtutis, amatur propter ſe; ergo bonum vtile, & delectabile eſt amandum propter ſe. Fama autem, diuitiæ, & huiuſmodi pertinent ad bonum commodi, & delectabilis. Et cum ait, ſi diligimus bonum virtutis propter ſe, cum ſit res creata, fruimur vtendis, quod eſt maxima peruerſio, ſecundum D. Auguſtinum. Reſpondetur, quòd illa fruitio non eſt propriè, & rigoroſè fruitio, ſed rigoroſè eſt vſus, quia vltimatè, & implicitè terminatur ille amor in Deum, vt dictum eſt.

Ad ſecundam confirmationem

20 Ad aliam confirmationem ex D. Auguſt. iam dictum eſt, eum pro tanto virtutes non relatas ad Deum, vitia appellare: quia non profunt ad vitam æternam, & ſic ſunt vitia, & mala priuatiuè: quia carent relatione ad Deum, quæ daret illi omnem perfectionem debitam; vult enim ſolum illa opera virtutis eſſe bona, quæ fiunt ex charitate: quia habent oẽm perfectionem moralem, naturalẽ, & ſupernaturalem. Etiam dixit, eſſe vitia, cum propter ſe amãtur, quia Stoici, & alij ita virtutis bonum amabant propter ſe, vt putarent in illis eſſe vltimam felicitatem, non autem in Deo, & in hoc ſenſu ſunt vitia: at nos non dicimus appeti propter ſe, quia ſint vltimum bonum, ſed quia bonum virtutis explicitè propter ſe eſt appetibile, licèt non ſit ſummè appetibile; datur enim Deus ipſe, qui eſt ſummè diligibilis.

Ad ſecundam probationem aſſumpti.

21 Ad aliam probationem aſſumpti, licèt non ſit neceſſarium reſpondere propter ſolutionem argumenti: quia iam negatum eſt, opus morale bonum ordinari in Deum dilectum propter ſe explicitè: quia tamen iam ſupra oſtendimus, hominem poſſe diligere Deum ſuper omnia ſine auxilio ſpeciali. Reſpondetur auctoritates illas D. Auguſt. procedere de amore, ex charitate proueniente, & ordinata ad vitam ęternã, non de amore prouenient ex viribus naturæ, & ex dictamine rectæ rationis: perdidimus enim gratiam, & dona ſupernaturalia per peccatũ Adæ, & ideò non poſſumus diligere Deum dilectione, quæ nos ad vitam æternam, vel præparet, vel inducat, niſi Deus ipſe ſuo auxilio ſpeciali modo moueat, & adiuuet, & per hoc patet ad omnes auctoritates ſimiles.

Ad vltimã cõfirmationem.

22 Ad vltimam confirmationem, negatur, intellectum ex viribus naturæ non habere tantam cognitionem, quanta requiritur ad cognoſcendum, quæ requiruntur ad bonitatem operis moralis: nam Ariſtot. illam habuit, & docuit, vt patet eſt dictis ſuprà ad quartum. Ad probationem ex D. Auguſt. dicimus, eum non velle dicere, quod per peccatum homo amiſerit omnem cognitionem naturalem recti operis agendi: quia ſic non eſſet vitiata, & vulnerata natura, ſed eſſet omnino destructa. Voluit ergo dicere, quòd per peccatum Adæ intellectus noſter amiſit limpiditatem, & certiſſimam cognitionem, & magnam ignorantiam contraxit, non omnimam ignorationem.

Ad quintã rõnẽ principalem.

23 Ad quintam rationem principalem, illa confirmat noſtram opinionem, & poteſt reflecti contra aduerſarios, vt oſtendimus ſecundo cap. ratione decima. Reſpondetur ergo, nos indigere auxilio Dei generali conſeruationis, & gubernationis, & hoc titulo ſumus debitores Deo; ideò debemus eum rogare, ne illo nos deſerat: vndè in oratione dominica petimus panem noſtrũ quotidianum; nec tamen arbitror, Vaſquez dictum illud nobis dari ſpeciali illo auxilio, & gratia efficaci, nec de conſequutione huiuſmodi beneficij conſeruationis vitæ, & fructuum terræ, & ſimilibus, nos debere Deo gratias agere.

Ad ſextam rationem.

24 Ad ſextam iam dictũ eſt, nos poſſe implere præcepta, & vitare tentationes quo ad ſubſtantiam actus, & conſequenter liberum arbitrium non eſſe impotens abſolutè, non tamen poſſe ſecundum quid propter debilitatem eius, & inclinationem, ac motiua ad malum. Ad probationem ex D. Auguſt. contra Pelagium, reſpondetur, Pelagium, & D. Auguſt. loquutos fuiſſe de ſuperatione tentationis, ac opere bono, non quo ad ſubſtantiam actus præcisè, ſed quò ad eſſe meritorium vitæ æternæ. Vel dicamus, & magis confirmat ſententiam noſtram, quod D. Auguſt. loquebatur de auxilio generali Dei, non de auxilio ſpeciali; Pelagius enim non negabat ſolum auxilium ſpeciale, ſed negabat quoque auxilium generale Dei prouidentiæ concurrere ad ſingulas operationes noſtras, quod confirmatur ex probatione

adducta,

adducta, ex oratione dominicali dum dicimus. *Et ne nos inducas in tentationem:* nàm in hac oratione nō imploramus auxilium speciale Dei ad superandas tentationes, sed auxilium generale, sicut in illa petitione. *Panē nostrum quotidianum da nobis.*

Argumentum efficax contra aduersarios.

25 Immò ex oratione illa dominicali habemus argumentum magnum pro nostra opinione de auxilio generali: quia credibile est, quod in illa oratione petamus, & imploremus auxilium idem diuinum semper; sed modo proportionato rebus petitis. At certum est in illis petitionibus enumerari petitionem fructuum terrę, & conseruationis huius vitę, quę explicatur illis verbis. *Panē nostrum quotidianum da nobis.* Ergo, & in alijs petitionibus, cum dicimus. *Sanctificetur nomen tuū, adueniat regnum tuum*, &c. etiam imploramus auxilium generale, sed tamen vt cōcurrat eo modo, quo exigit natura operis. At sanctificatio Dei in Cælo, & in terra, & consequutio regni Cælestis requirit auxilium generale Dei, sed concurrente modo speciali, explicato supra in exordio iustificationis, scilicet vt nos Deus preueniat sine nobis; ergo opus necessarium ad opus morale simpliciter non requirit auxilium speciale Dei, neque generale modo speciali concurrente.

Ad septimam rationem.

26 Per idem ad septimam negatur enim falsitas cōsequentis; ad probationem dicimus, quod loquebantur de obseruatione præceptorum Dei, non quo ad substātiam operis, & vt præcisè sunt opera moralis virtutis, sed vt sunt opera meritoria vitæ æternæ, vel ad vitam æternam habent aliquam relationem, in quo sensu cōcedimus, Deum speciali modo concurrere auxilio suo generali, vt dictum est.

Ad octauā rationem.

27 Ad octauam dictum est iam suprà, D. August. solum appellare veras virtutes eas, quæ fundatæ sunt in charitate, & ordinantur ad Deum, non vt manent præcisè in esse bono morali operis.

Ad nonam rationem.

Ad nonam negatur consequentia, quia ad hoc, vt opus morale sit dispositio ad gratiam, & iustificationem, requiritur relatio ad Deum: opus autem morale, vt morale, non includit hanc relationem, vt dictum est cap. 2. ratione 11. & cap. 5. in principio, & tribus sequentibus solutionibus.

Ad decimā rationem.

Ad decimam, respondetur, concedendo, Deum eodem auxilio generali concurrere ad opera bona, & mala; tamen ad opera bona ordinata ad vitam æternam concurrere speciali modo, vt dictum est; sed ad alia omnia opera eodem modo.

Ad primū ex 3. ca. de dilectione Dei sup oīa ex Vasquez

28 Ad primum argumentum ex 3. cap. contra opinionem Scoti de dilectione Dei super omnia viribus naturæ, respondetur, opus dilectionis Dei super omnia in se, absque relatione ad Deum ipsum, nimirum, vt hoc actu consequatur vitam æternam, non esse opus religionis, nec pietatis verè, sicut neque alia opera bona moralia; sed esse tantum bonum materialiter, & positiuè: esse verò malam priuatiuè, idest non esse bonam completè formaliter, vt diximus in solutione trium primarū rationum 1. cap. & etiam in solutione quartæ rationis; idem dicēdum de voto, sacrificio, & huiusmodi quarenus fiunt sine relatione ad Deum: vndè qui faciunt hęc opera religionis, & diligunt Deum, vel ordinant illam dilectionem, & opera in Deum, secundum rectam fidē, vel reuelatam, vt Christiani Catholici, vel insertam in cordibus suis, vt in ijs, qui de fide Christi nihil audiuerunt, sed solum habent legem naturæ in cordibus suis, & operantur secundum dictamen illius; vel non ordinant hæc opera in Deum, vt ab illo consequantur gratiam, sed solum, quia sunt opera bona in se. Primo modo fiunt auxilio Dei generali speciali modo mouente. Secundo modo nequaquam. Præterea. Non est par ratio de dilectione Dei super omnia, & de votis, ac sacrificijs, quia ista includunt relationem ad illum, cui offeruntur, siuè benè, siuè male offerantur. At dilectio Dei super omnia non includit necessariò relationē ad Deū; scilicet, vt fiat propter amorē Dei, & vt placeat Deo explicitè, sed tantum implicitè: ideò sicut alia opera virtutis moralis possunt fieri propter se, ita, & hæc dilectio Dei, quia ratio naturalis iudicat esse in se opus bonum.

Ad secūdā rationem.

29 Ad secundam, negatur, nos asserere, aliquod opus factum ex viribus puris naturæ disponere Deum ad tribuendum nobis gratiam suam, vt diximus disp. de merito congruo.

Ad tertiam rationem.

30 Ad tertiam, respondetur, dilectionem Dei super omnia includere detestationem peccatorum, &c. sed implicitè: non est autem necesse, quòd qui diligit Deū super omnia, habeat explicitè hanc detestationem: potest enim ex simplici motu luminis naturalis, considerans Deum esse primam causam, & summum bonum, diligere illum sic propter se absque vlla alia cogitatione de suis peccatis, quibus ipsum offendit: quia potest contingere, vt ignoret, se eum offendisse, vt patet de puro Phylosopho. Dico ergo, quod Concilium, & ratio ex Concilio deducta, loquitur de dilectione Dei supernaturali, & christiana, quæ explicitè continet detestationē peccatorum, & ordinatur in Deum dilectum explicitè. Nos autem loquimur de dilectione Dei super omnia in se, vt explicitè excludit omnes istas circunstantias, qualem potuit habere purus Phylosophus, qui nullam cognitionem fidei reuelatæ habuit: propter hoc Scotus suprà dixit, posse nos ex puris viribus naturæ diligere Deum super omnia, sed non quantum ad omnes conditiones inclusas in illo præcepto. Illa autem conditio, scilicet detestatio peccatorum, &c. est inclusa in illo precepto: ideò quo ad hanc, & similia non tenet, nos posse diligere Deum super omnia ex viribus naturæ, vt capite tertio exposuimus.

Resolutio, & cōclusio dictorum.

DISPVTATIO LXII.

Vtrum prædestinatio, & reprobatio sit in potestate nostra, & auxilia sufficientia omnibus donentur?

Prædestinatio, & reprobatio est in potestate nostra aliquo modo. Caput Primum.

An prædestinatio sit in potestate nostra.

1 EX dictis, facilis est solutio illius dubij, Vtrum in potestate hominis sit sua prædestinatio, & reprobatio? Ad quod breuiter respondetur, per distinctionem: vel enim intelligitur, quod tota prædestinatio, siuè omnes actus concurrentes ad prædestinationem, de quibus diximus disputatione de predestinatione cap. 2. sint in potestate nostra: & in hoc sensu non possumus dicere esse in nostra potestate prędestinari, & non prædestinari: ratio est, quia inter actus, siuè effectus prædestinationis est collatio gratiæ primę, siuè gratiæ præuenientis, quæ procedit omnino ex mera liberalitate Dei, absque vllis nostris meritis præcedētibus, neque de condigno, neque de congruo, vt agendo de iustificatione, & contritione contra Pelagianos, & Semipellagianos diximus; & consequenter neque ęterna electio ad gratiam est in potestate nostra. Non ergo tota prædestinatio, idest omnes effectus, & actus eius sunt in potestate nostra. Neque rationes, quæ ab aliquibus pro opposita opinione adducuntur concludunt; vt infrà videbimus. Alio modo potest intelligi, vt non tota prædestinatio, neque omnes effectus eius, sed complementum, & efficacia prædestinationis sit in potestate nostra, & tunc dico, quod prædestinatio est in potestate nostra. Probatur, quia licet in potestate nostra non sit, vt Deus nobis det gratiam, & auxilium suum, tamen in potestate nostra est, vt postquam nos vocauit, & nobis contulit gratiam, illi nos assentiamus, & faciamus eam nobis efficacem, idest consequi effectum suū; nimirum iustificationem, vt suprà toties diximus. Si enim nos non assentiamus, vocatio, & prædestinatio est nulla.

nulla. Prædestinatio ergo ipsa, quæ est electio efficax ad gloriam æternam,& ad iustificationem in tempore, pendet ex potestate nostra, & à voluntate creata, non tanquam à causa, sine qua non: sed à causa partiali per se,& propriè illam efficienti. Accipiendo autem prædestinationem pro electione,& collatione primæ gratiæ, vt multi accipiunt, prædestinatio non est in nostra potestate vllo modo, quia illa collatio gratiæ est omnino gratuita; & oppositum asserere, est incidere in Pelagianorum,& Semipelagianorum hæresim. Et quia communior est acceptio nominis prædestinationis pro electione ad gloriam æternam, potest absolutè dici, nostrã prædestinationem pendere ex nobis. Prędestinationẽ enim ad gratiam illam efficacem physicè, vel moraliter, ac de congruo determinantem nostram voluntatẽ, in qua sola prædestinationem consistere dicunt Suarez & alij ex vna parte,& Thomistę multi ex alia parte, reijcietur in materia de auxilijs: atque hanc sententiam hoc modo declaratam complectitur Vasquez p.p. disp. 92. cap. 2. Et hæc est sententia Scoti, quam innuit in 1. dist. 40. vbi tenet, prædestinatum posse damnari in sensu diuiso, licèt non in sensu composito, vt suprà declarauimus: adducit enim præsertim hanc rationem, quia voluntas prædestinati propter prædestinationem, non est confirmata in gratia:& ita potest peccare, & in peccato finaliter permanere,& sic iustè damnari; ergo videtur esse in potestate hominis prædestinari, & reprobari; siquidem, qui est prædestinatus, potest damnari. Vnde è conuerso reprobatus, cum habeat semper gratiam præuenientem sufficientem paratã poterit saluari.

Prædestinatio nostra pendet ex nobis.

Hanc sententiã amplectitur Scotus.

1. Ratio.

2 Probatur autem hæc assertio, quo ad hanc secundam partem, præsertim auctoritate D. Petri epistola 2. cap. 1. vbi habet hęc verba. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera vestra certam vestram vocationem,& electionem faciatis.* Quæ auctoritas non probat, omnes effectus, siuè actus prædestinationis esse in nostra potestate, vt malè aliqui assumebant, volentes ex ea probare, liberum nostrum arbitrium incipere ex se ipso,& esse causam totalem, vel saltem principalem nostræ prædestinationis: hoc enim, vt Pelagianum, reiectum est; quia inter effectus prædestinationis est electio ad gratiam primam, & collatio illius in tempore, quam nullum omnino meritum præcedit, neque ex intuitu illius vllo modo datur, sed optimè probat, nostrũ liberum arbitrium esse causam partialem veram, qua ablata, prædestinatio ipsa nulla est, & ruit, neque in esse potest poni, sicut generaliter omnis effectus pendens à duabus causis partialibus, ablata altera, omnino ruit, vel in esse poni non potest. Et licet illa particula (*certã*) habeat varias expositiones, tamen literalis, & obuia est, vt significet idem, quod firmam,& stabilem, vt sensus sit. Vos, qui prædestinati,& electi estis ad gloriam, laborate, vt per opera vestra bona, faciatis stabilem, & firmam istam vestram prædestinationem: quasi dicat, si opera mala facietis, cadetis à prædestinatione, & reprobi eritis,& damnabimini.

2. Ratio.

3 Secundò. Pro eadem sententia arguitur sic. Vocatio,& præueniens auxilium, quod est primus effectus prædestinationis,& à quo iustificatio,& glorificatio pẽdent, non habet efficaciam, neque effectum, nisi nos assentiamus illi: nos autem habemus in nostra potestate assentire,& dissentire illi; ergo est in potestate nostra prædestinari,& non prædestinari.

Confirmatur.

Confirmatur. Gratia pręueniens sufficiens datur omnibus, & quicunque assentit iustificatur,& glorificatur: assentire autem,& non assentire est in potestate nostra; ergo prædestinatio est in potestate nostra.

Esse in potestate nostra reprobari.

4 Ex his patet, etiam in nostra potestate esse reprobari, quia nostrum est assentire vocationi,& non assentire: immò multo magis est in potestate nostra reprobatio, quàm prædestinatio, quia ad reprobationem sufficit non assentire, qui est actus totus positus in potestate nostra. Ad prędestinationẽ verò requiritur vocatio,& auxilium præueniens, quod non est in potestate nostra; licèt à Deo omnibus,& semper detur; ideo magis est in potestate nostra reprobatio, quam prædestinatio.

Patres Gręcos, & Latinos posse sic conciliari.

5 Ea hac ratione possumus Patres Gręcos,& D. August. ac latinos simul conciliare, qui tamen contraria docere videntur,& Vasquez, Græcos fuisse Semipelagianos, asserit pluribus in locis, sed præsertim p. p. disp. 91. cap. 8. & sequentibus, dum dicunt, nos prædestinari ex bono vsu liberi arbitrij, ac ex meritis illius. Latini autem,& maximè D. August. ait, nos prędestinari ex gratia, non ex meritis: nam quando Græci Patres (vt etiam diximus in disp. de prædestinatione) dicunt, nos prædestinari ex bono vsu liberi arbitrij, intelligunt, non de bono vsu sine gratia,& ex puris viribus liberi arbitrij, sed de consensu liberi arbitrij aduti gratia diuina præueniẽte. D. Aug. verò loquitur de meritis puris liberi arbitrij; & hoc modo etiam conciliat hos Patres Suarez p.p. lib. 2. de prædestinatione cap. 8. & cum D. Chrisostomus ait. *Deus nostras non præuenit voluntates, ne nostram euerteret voluntatem.* & iterum, *Deum expectare, vt nos incipiamus, vt ipse perfectionem adiungat,* & similia, nihil aliud vult intelligere in prima auctoritate, nisi, quod Deus nos non pręuenit determinando physicè voluntatem nostram ad hoc operandum, non illud: quia sic auferret nobis libertatem: in secunda loquutione vult inferre, auxilium gratiæ nos non iustificare, neque disponere ad iustificationem, neque ad gratiam habitualem, nisi liberum arbitrium cooperetur illi.

Patres Gręci non consentiunt Semipelagiani.

6 Quod verò Patres Gręci,& præsertim D. Chrisost. cõcesserint, omne meritum nostrum habere initium ex gratia non ex viribus liberi arbitrij, docet multis agẽdo de iustificatione,& merito de congruo; sed hic locus sufficiat pro nunc. Homilia 12. in 1. ad Corinth. super illa verba cap. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* habet hæc verba. *Non hoc, aut illud; sed omnia quæ habes: non enim hæc rectè facta tua sunt, sed diuina gratia; etiã si fidem dicas, ea existit ex vocatione.* Ergo fatetur, initium bonorum operũ esse ex vocatione, & gratia; proinde non est negandum, eos semper tenuisse doctrinã catholicam, atque Patres Græcos,& Latinos in hoc maximo dogmate consensisse.

An Deus omnibus paruulis det sufficientia auxilia ad salutem? Caput Secundum.

An Deus omnib. hominib. det auxiliũ sufficiens?

Quid dicẽdum de paruulis.

7 ALiud dubium est, An Deus omnibus hominib. det auxilia sufficientia ad salutem consequẽdã? Hæc quæstio potest intelligi de paruulis, & adultis. De paruulis autem est maior difficultas, quàm de adultis: nam certum est, remedium, siuè auxilium ordinarium ad tollendum peccatum originale in paruulis, esse baptismum aquæ, quod est Sacramentum, & etiam secundum aliquos martyriũ ex peculiari priuilegio, vt patet de innocentibus pro Christo occisis ab Hærode. Multi autẽ sunt paruuli, qui in vtero matris decedunt, nec possunt baptizari: vnde tale remedium,& auxilium procul dubio de se sufficiens ad saluandum puerum non potest ei applicari vlla humana diligentia; & proinde cũ Deus qui sua prouidentia omnia disponit, nõ ordinauerit causas naturales, ita vt baptismus illis applicari potuerit, nõ videtur prouidisse illis de remedijs,& auxilijs sufficiẽtib. ad salutem. Idem dicendum de ijs qui oriuntur quidem ex vtero materno, sed in tali dispositione, vt antequam aqua, vel minister sciens baptizare haberi possit, moriũtur. Et denique idem dicendum de omnibus ijs, qui sine culpa alicuius casu aliquo sine Sacramento Baptismi decedunt ex hac vita. Vnde pro hac opinione potest formari talis ratio ex dictis. Ille non habet sufficiens remedium ad tollendum peccatum originale, cui est impossibile applicare Sacramentum baptismi: sed multis paruulis (vt suprà diximus) non potest applicari baptismus

ali-

aliqua induſtria humana, neque ex ordine cauſarum naturalium; ergo non omnibus paruulis datur ſufficiens remedium, & auxilium ad tollendum peccatum originale. Maior huius argumenti eſt euidens; nā baptiſmus, licèt ſit remedium ſufficiens ad delendum peccatum originale, tamen non eſt remedium, niſi vt applicādum; ergo cui applicari non poteſt, non eſt remedium.

8 Pro eadem ſententia adducit Vaſquez p.p. diſput. 97. cap. 2. nonnullas auctoritates D. Auguſt. quibus ait, quoſdā paruulos ex hac vita exijſſe ſine baptiſmo, quia baptiſmus illis applicari non potuit: vndè lib. de natura, & gratia cap. 8. habet hæc verba. *Ego autem dico, paruulum natum in eo loco, vbi ei non potuit per Christi baptiſmum ſubueniri morte præuentū, idcirco talem fuiſſe, id eſt ſine lauacro regenerationis exijſſe, quia aliud eſſe non potuit.* Ex hac auctoritate, & ſimilibus habetur, impoſſibile eſſe applicare baptiſmum aliquibus paruulis; ergo Deus illis ſufficientia remedia non prouidit.

Gregor. de Arimino. Vaſquez.

9 Propter hoc Gregorius de Arimino in 1. diſt. 46. quæſt. 1. Bannes p.p. quæſt. 23. art. 3. diſt. 3. concluſ. 5. & nonnulli alij, quos citat Vaſquez p.p. diſp. 97. c. 2. & ſequitur, aſſerunt, Deum non tradere omnibus paruulis ſufficientia auxilia ad ſalutē; & proinde Deum noluiſſe abſolutè, eos conſequi gloriam æternam, atque hāc ſententiam, dicit Vaſquez, eſſe cōmunem omnibus Theologis, qui ſuo tempore ſcripta typis mandarunt.

Suarez.

10 E conuerſo Franciſcus Suarez p.p. lib. 4. de prouidentia gratiæ circa reprobos cap. 4. oppoſitam ſententiam ſuſtinet, atque Scotum, D. Tho. Ricardum, Sotum, & alios multos citatos à Vaſquez, aſſerit, ſentire ſecū, atque eam eſſe communiorem ſententiam Theologorum.

Opinio allata reijcitur, & oppoſita approbatur.

11 In hac re, quæ certè difficilis eſt, mihi ſemper placuit hęc poſterior opinio, & rationes pro ea adductę me planè conuincunt: nunquam enim ego mihi perſuadere potui, Deum creaſſe aliquos homines hac firma intentione, vt vitam æternam non conſequerentur, quæ tamen eſt finis vltimus, & ad quem à Deo benedicto eſt ordinata tota natura humana: & quidem ego puto hāc eſſe opinionem Scoti, nam in 1. Sentent. diſt. 46. ad primum exponens illam propoſitionem, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, inquit, quod, *etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad illum ſaluandum, tamen vult iſti illa adiutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium quibus iſte etiam poteſt ſufficienter benè viuere, & ſaluari propter quæ dici poteſt quod quantum eſt ex parte ſui, vult omnes ſaluos fieri.* Ex quibus verbis elicitur, Scotum ſuſtinere Deum dare omnibus auxilia ſufficientia: & licèt videatur præſertim loqui de adultis, tamen, cum auctoritas illa ſit vniuerſalis, & Scotus dicat, Deum velle omnibus auxilia communia ſufficientia antecedentia, non eſt, vt mentem eius reſtringamus ad adultos ſolum.

Opin. Scoti.

12 Probatur ergo, Deum dediſſe omnibus infantibus auxilia ſufficientia gratiæ, quibus à peccato originali liberarentur; & rationes probantes hanc opinionem oppoſitam deſtruent.

Principale fundamentum.

Principale ergo fundamentum huius opinionis eſt hoc. Quicumque vult aliquem ſaluum facere, quantum eſt ex ſe, etiam quantum eſt ex ſe, dat illi media neceſſaria, & ſufficientia ad ſalutem conſequendam: ſed Deus vult paruulos omnes, nullo excepto, ſaluos facere, quantum eſt ex ſe; ergo Deus dat illis media neceſſaria, & ſufficientia, quantum eſt ex ſe. Maior propoſitio eſt euidens: ſi quis enim vult aliquem finem, & rationabiliter, ac verè velit, neceſſariò quoque vult media ſufficientia ad illum finem, eo modo ſaltem, quo vult finem. Hæc propoſitio eſt euidens, quia ſi vellet finem, & non media ad finem, vellet, & nō vellet finem ei, & eodem modo, quod implicat contradictionem. Si ergo Deus voluit omnibus paruulis beatitudinem, eo modo, quo illis voluit beatitudinem, voluit etiam illis media ſufficientia ad eandem beatitudinem. Minor verò probatur ex auctoritate D. Pauli 1. ad Thimot. cap. 2. *Deus vult omnes homines ſaluos facere.* Hæc enim auctoritas eſt vniuerſalis, nullum hominem excipit; ergo intelligitur etiā de omnibus paruulis. Quod autem illa auctoritas intelligatur de omnibus hominibus, latè oſtendi diſput. de prædeſtinatione cap. 5. nam ex verbis ſequentibus Apoſtoli, id clariſſimè elicitur; ſubiungit enim, *Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Ieſus:* certum eſt autem, Chriſtum Dominum eſſe redemptorem omnium hominum, non ſolum in ſpecie, ſed in indiuiduo; ergo nullum eſt indiuiduum, quod Deus non velit eſſe ſaluum; & hoc modo vniuerſaliter intelligit Scotus hāc propoſitionem 1. Sent. diſt. 46. quia nullam exceptionem facit; & alij multi. Confirmatur auctoritate alia ex 2. Reg. cap. 14. *Deus non vult perire animam;* & alijs multis adductis eodem cap. 5.

Scoti.

13 At reſpondet Vaſquez vbi ſuprà, iſtas duas auctoritates intelligi de adultis, non de paruulis: nam in prima auctoritate Paulus ſubiungit, *& in agnitionem veritatis veniant;* hoc autem non poteſt competere paruulis, cum non habeant vſum rationis. Secunda verò eſt ſententia Sunamitis, qua voluit inducere Dauidem ad parcendum Abſaloni; Abſalon autem erat adultus.

Reſponſio Vaſquez.

14 Hęc ſolutio eſt mera fuga, quod probatio ex Apoſtolo conuincit, quia Chriſtus eſt vnus redemptor omnium: & confirmatur ex verbis antecedentibus, quibus hortatur Thimoteū ad operandum, vt in Eccleſijs fiant orationes pro omnibus hominibus. At paruuli ſunt homines; ergo non debent excludi ab hac oratione. Præterea D. Auguſt. lib. 4. contra Iulianum Pelagianum c. 8. expreſsè ſuſtinet, illa verba extēdi ad paruulos, ait enim. *Nunquid autem homines non ſunt, vt non pertineat ad id, quod dictum eſt, omnes homines?* loquebatur autem ibi de paruulis, qui decedunt ſine baptiſmo, & damnantur; & de illa auctoritate Pauli. *Deus vult. oēs homines ſaluos fieri;* & diſputat cōtra Iulianum qui omnia dubitent ſimul. Docet etiam in eodem loco D. Aug. paruulos venire in agnitionē veritatis: quia per baptiſmum veniūt ad vitam æternam, in qua eſt agnitio certa veritatis: vndè illa particula, non probat, eam auctoritatem intelligi de adultis tantum.

Reijcitur.

15 Altera etiam auctoritas ex 2. Regum debet intelligi de omnibus hominibus: quia licet illa mulier Teuitis dixerit illam ſententiam, vt faueret Abſaloni: tamen ſententia illa eſt generalis, quod conſpicitur ex verbis antecedentibus, tota enim ſententia eſt hæc. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: nec vult Deus perire animam, ſed retractat cogitans, nè penitus pereat, qui abiectus eſt.* Ecce, inquit, *omnes morimur;* ergo loquitur generaliter de omnibus hominibus, tàm adultis, quàm paruulis.

16 Alij reſpondent, maiorem eſſe falſam: ad probationem dicunt, illam concludere de voluntate efficaci, & abſoluta, non de voluntate ſimplicis complacentię, & antecedenti, qualis eſt hæc, qua Deus vult, omnes homines ſaluos fieri. Quod probant exemplo illius, qui proijcit merces ī naufragio; nollet enim proijcere, ſi poſſet ſaluare vitam aliter: vult ergo non proijcere merces voluntate ſimplici, & tamen nullum præparat medium ad non proijciendū, immò totus eſt in proiectione mercium. Ergo voluntas ſimplex non infert applicationem mediorum; immò cū huiuſmodi voluntate ſimplici ſtat voluntas efficax oppoſita non applicandi media.

Alia reſpōſio.

17 Contrà. Quod vult Deus antecedēter, vult etiam conſequenter, quantum eſt ex ſe; & ſic quātum eſt ex ſe, dat media ſufficientia ad conſequendum volitum: voluntas enim antecedens (vt diximus diſput. de prædeſtinatione cap. 5.) differt à conſequente, quia illa antecedit omnem operationem cauſarū extra Deum, & eſt ęqualis quo ad omnes. Conſequens verò complectitur operationem cauſarum ſecundarum, vt in adultis cooperationem noſtri liberi arbitrij; in paruulis verò cōcurſum

Reijcitur.

M 3 aliarum

aliarum causarum naturalium,& liberarum, quæ ad applicationem remedij requiruntur. Vndè (vt videbimus soluendo argumenta in oppositum) Deus dat remedia sufficientia omnibus paruulis,quę possent applicari paruulis; & licèt non applicentur de facto, hoc prouenit ex defectu causarum secundarum liberarum,& naturaliũ, non ex defectu Dei, neque ex impossibilitate rei. Vndè exemplum illud de proijciente merces, vel non est ad propositum,vel facit pro nobis. Non est ad propositum,quia nolle proijcere merces,est actus negatiuus,ad quem consequẽdũ non est opus adhibere, siuè applicare aliqua media: quia non est terminus alicuius factionis realis. Vel dicamus,quòd mercator adhibet, & applicat media ad non proijciendum merces: quia pręparat omnia media necessaria, & vtilia ad præseruandum se, & merces à tempestate; sed quando illis adhibitis, videt esse impossibile saluare se sine proiectione mercium,merces proijcit: quia fecit, quantum erat in se, vt non proijceret merces. Ita in proposito,Deus,quantum est in se, vult,omnes homines, etiam paruulos quoscunque saluare, & adhibet remedia sufficientia, quantũ est ex se;sed quia causę secundę liberę,& naturales obsistũt, & Deus non vult mutare ordinem rerum: quia sic res, quas condidit, administrat, vt suos motus agere sinat, paruulis nõ applicantur de factu illa remedia sufficientia: vndè si illa conditio adimpleretur,scilicet,quod causæ secundæ concurrerent in suo ordine, ita illi saluarentur sicut alij paruuli; & sic voluntas illa non solum esset simplicis complacentiæ,& affectus, sed omninò efficax.

Confirmatio prioris rationis.

18 Confirmatur hæc ratio ex verbis D.Pauli eadem epistola ad Thimoteum statim sequentibus, quæ sunt. *Vnus enim Deus,vnus & mediator Dei,& hominum Iesus Christus,qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus nobis*, & Ioan.2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris,non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*, & aliæ similes; ex quibus sic arguitur. Christus est redemptor omnium hominum sufficienter; ergo & illorũ paruulorum: quia & ipsi homines sunt;at ad hoc, vt sit sufficiens redemptor ipsorum, debuit non solum offerre mortem suam Patri, quæ erat remedium sufficiens de se; sed debuit per illam etiam illis pueris mereri applicationem illius remedij,alioquin non fuisset sufficiens redemptor: quia etsi obtulisset pretium, non tamen meruisset applicationem pretij, sine qua redemptio haberi non potest; non fuisset ergo redemptor sufficiens pro illis.

Responsio prima Vasquez.

19 Respondet Vasquez, Christum posse dici mortuum esse pro paruulis illis,qui non saluantur, tribus de causis. Prima,quia erat communis causa omnium hominum, & paruulorum, ob quam venerat, & ob quam orauit ad Patrem.

20 At hæc responsio non est vllius momenti; quia parum referret,quod causa esset communis, & tamen remedium sufficiens,& necessarium, quod Christus attulit,non esset commune omnibus; non esset autẽ commune,si non posset applicari omnibus: vndè semper firma manet consequentia,quod Christus pro illis non esset sufficiens redemptor.

Secunda responsio.

21 Secunda respõsio est, eum piè credere, Christum non expressè denegasse illis paruulis meritum suum, & à fructu suæ passionis apud Patrem eos exclusisse, sicut dæmones reiecit.

Reffellitur

Ex hac responsione arguitur. Si Christus non denegauit paruulis fructum suæ passionis; ergo non denegauit illis applicationem illius ad paruulos. Ergo falsum est, Christum noluisse his paruulis media sufficiẽtia,quantũ erat ex se; sed verũ est,ea voluisse,& nisi ex causis externis prouenisset impedimentum,illa efficaciter voluisset.

Tertia responsio.

22 Tertiò respondet,Christum affectu quidem simplici omnibus paruulis,nemine excepto, salutem desiderasse, sicut salutem sibi desiderauit, & pro illis orasse, sicut pro se ipso; sed cum illa conditione: veruntamen non mea,sed tua voluntas fiat,Patrem tamen non acceptasse,neque illam ordinasse.

Refellitur.

23 Sed neque hæc responsio satisfacit,& assumit falsum, vt etiam notauit Suarez vbi suprà, quia non minus Deus voluntate diuina,quàm Christus voluntate humana voluit salutẽ, & redemptionem omnium, iuxtà illud Ioan.3. *Sic Deus dilexit Mundum*,&c. Et 1.epist.ad Thimoteum cap.4. *Deus est Saluator omnium*. Ergo si Christus simplici affectu,& quantum est in se salutem,& media sufficientia ad eam consequendam voluit,etiã Deus eadem voluit. Subiungit Vasquez,illam oblationem,& orationem,& voluntatem simplicis affectus non habuisse erga omnes paruulos, sed solum erga illos, qui post Christum natum futuri erant, non pro illis,qui antecesserunt,quia pro illis orare non potuit, vt illis applicaretur illud remedium: quia iam mortui erant, nec vllum fructum passionis iam consequuti erant, & multis applicari non potuit. Cæterum, hoc est falsum apertè,(vt ibidem notauit quoque Suarez) quia Christus obtulit passionem suam nõ solum pro paruulis futuris,sed pro omnibus,qui à principio mundi fuerunt: alioquin non esset redemptor omnium, quod tamen repugnat auctoritatibus superius adductis. Nec valet,quod illis iam nõ posset applicari fructus passionis,nam satis est,quod suis temporibus per merita pręuisa Christi parata fuit salus, quantum erat ex parte ipsius Christi Saluatoris.

Ad rationem aduersariorum.

24 Ad rationem pro aduersarijs respondetur, quòd applicationem Baptismi ad paruulum mortuum in vtero matris,& in alijs casibus adductis, esse impossibilem, potest intelligi duobus modis: vno modo absolutè: alio modo stante actuali ordine, & dispositione causarum secundarum,tàm necessariarũ,quàm liberarum. Primo modo non est impossibile: quia potuisset mater illa per martirium occidi, & eo baptizari puerum, vel vterum diuidi, & puerum edi in lucem, & baptizari baptismo aquæ,quod est Sacramentum. Et in alio casu de eo,qui distat ab aqua,potuit illa mulier velle, vel eius maritus, & rectores eam parere in loco,vbi esset aqua,&c. Et ita licet de facto, & stante ordine præsenti rerum non potuerit applicari baptismus, & remedium, hoc non fuit propter impossibilitatem absolutam applicationis: quia causæ secundę,quarũ aliquæ sunt liberæ,poterant dirigere ita causas naturales, vt nõ adesset talis impossibilitas.

Quod si dicas; ergo Deus debebat illas ordinare sic per suam prouidentiam, vt illa impossibilitas præsentis ordinis,& dispositionis tolleretur. Respõdetur,hoc non decuisse Deum, postquam constituit in rerum natura, dari causas liberas, quæ suos effectus liberè producerẽt: vndè propter eandem causam permittit malum,& peccata. Quod ergo paruulus in vtero matris moriatur sine baptismo,est permissio diuina, sicut, quod adultus peccet; non quia Deus illi neget auxilia sufficientia,& nullo modo illius salutẽ velit, sicut est permissio diuina, quod adultus in aqua casu moriatur, vel ex aliquo loco præcipitetur,& huiusmodi: licet enim illi effectus,stante ordinatione,& dispositione causarum secundarum naturaliter eueniant; & stante illa dispositione, sit impossibile, quod non eueniant, vt quod aliquis nesciens natare cadat in mari, & à nullo adiuuetur, est impossibile quod non suffocetur: tamen non est impossibile absolutè,quia potuit ita se gerere per suã liberam voluntatem, vel alicuius alterius, vt non caderet in mari, nec subiret illud periculum: tamen nemo diceret, Deum nõ dedisse huic homini sufficientia auxilia,ne suffocaretur,sed solũ diceret permisisse eum suffocari. Ita etsi Deus permittat paruulum in vtero matris mori, non tñ negandum est, Deum illi dedisse sufficiẽtia auxilia: quia pensatis omnibus causis secundis poterat ille effectus non sequi,& hoc sufficit.

Ad D. August. auctoritatem.

25 Per hoc idem patet ad auctoritatem D. August. illa enim,& similes non plus probant,quàm applicationem baptismi ad huiusmodi paruulum esse impossibilem,stante ordine, & dispositione præsenti illarum causarum

sarum

ſarum ſecundarum; at non ſequitur ex hoc, Deum non dediſſe illi auxilia ſufficientia, atque omnino noluiſſe, eum ſaluari; ſed ſolum, hoc Deum permiſiſſe, ne cauſis ſecundis liberis, quarum ſemper aliqua in actibus humanis intercedit, vim inferret.

Quid ſit dicendum de adultis reprobis. Cap. III.

Quid ſit dicendum de adultis.

26 REmanet difficultas de adultis reprobis, An omnibus illis Deus prouiderit de ſufficientibus auxilijs ad ſalutem. Gregorius de Arimino in 1. Sent. diſt. 46. quæſt. vnica circa ſolutionem tertij. Henricus quolib. 8. quæſt. 5. & nonnulli alij tenent partem negatiuã, quam amplectuntur præſertim Bannes p. p. quæſt. 23. art. 3. dub. 3. conclu. 10. & clarius Aluarez diſp. 113. conclu. 1. apertè enim inquit, Deum ante præſcientiã, vel præuiſionem voluntatis creatæ abſoluta voluntate ſtatuiſſe non dare omnibus adultis auxilia ſupernaturalia, intelligit autem de ſufficientibus, vt patet ex Titulo diſputationis, & clarius diſp. 112. conc. 3. pro qua ſic arguunt; & primò ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ lib. 2. Machabeorum 9. Scriptura loquẽs de Antioco dicit. *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiã conſequuturus.* Eccleſ. 7. *Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem deſpexit ille.* Ioa. 12. *Propterea non poterant credere*, &c. & multa alia ſimilia.

1. Ratio.

Confirmatur ex D. Aug.

2. Ratio.

27 Confirmatur ex auctoritatibus Patrum, præſertim D. Aug. qui plura in ſuis operibus dicit huic opinioni fauentia, præſertim lib. 1. ad Simplicianum quęſt. 2. *Ad alios vocatio quidem peruenit, ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, uocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.* Præterea lib. ad articulos ſibi falsò impoſitos art. 7. ait. *Qui (ſcilicet Deus) niſi prius deſeratur, neminem deſerit, & multos deſertores ad ſe conuertit.* Ergo ex D. Aug. Deus deſerit aliquos, qui ipſum deſerunt; ille autẽ deſeritur à Deo, qui non habet auxilium ſufficiens. Multoties alibi hanc eandem ſententiam habet D. Auguſt.

3. Ratio.

Pręterea. Iſdẽ D. Aug. in expoſitione Epiſtolę ad Romanos in cap. 9. loquens de Pharaone, inquit. *Non ergo hoc illi imputatur, quòd tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat, ſed quia talem ſe præbuit, cui cor obduraretur.* Quibus verbis ait, Pharaonem ita derelictum fuiſſe à Deo, vt non potuerit obedire Deo, atque illud non obtemperare Deo, imputatum fuiſſe peccatum illi, non quia tunc nõ obtemperauit, tunc enim non poterat, ſed quia ipſe ſe in tali ſtatu conſtituit, vt non poſſet obedire. Ergo ex ſententia D. Auguſt. homo propter peccatum quandoque deſeritur à Deo, ita vt non poſſit facere bonum. Ergo tunc non habet auxilium ſufficiens: quia tunc poſſet obedire Deo, & facere bonum.

4. Ratio.

28 Præterea. libro de corrept. & gratia cap. 11. D. Auguſt. diſtinguit de duplici gratia. Prima eſt, quam, inquit, datam fuiſſe Adæ in ſtatu innocentiæ, & Angelis in prima ſua creatione, qua Adam, & Angeli permanere poſſent ſi vellent, & ſine qua non poſſent permanere, etiam ſi vellent. Hæc eſt gratia ſufficiens, qua nos indigemus in hac vita. De hac gratia habet ibi hæc verba. *Nunc autem quibus deeſt tale adiutorium, iam pœna peccati eſt, quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum.* Altera eſt gratia, qua non ſolùm poſſumus, ſi velimus, & ſine qua non poſſumus etiã ſi velimus, ſed qua omnino velimus. Hæc eſt gratia efficax, de qua ibidem hæc verba ſubiungit. *Et tanto amplius datur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id Deo dare placuit, vt non ſolum adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiam ſi velimus, verùm etiam tantum, ac tale ſit, vt velimus.* Ex prioribus verbis videtur elici, eum loqui de gratia ſufficienti, & aſſerere, eam aliquibus hominibus in hoc ſtatu poſt peccatum dari, aliquibus verò non dari; ergo gratia ſufficiens ex D. Auguſt. omnibus non datur. Eandem ſententiam habet D. Thomas 2. 2. quæſt. 2. art. 5. ad primum.

D. Tho.

5. Ratio.

Præterea. Paruulis infidelium, & qui moriuntur in vtero materno, auxilium ſufficiens non datur, quia interni auxilij non ſunt capaces, externum verò, ſcilicet Sacramentum baptiſmi applicari non poteſt.

6. Ratio.

Præterea. Sequeretur non dari infidelem negatiuũ. Conſequens eſt contra omnes, & contra D. Thomam 2. 2. quæſt. 10. art. 1. & nos ſuprà oſtendimus. Conſequentia probatur: quia omnes adulti tenentur ad fidẽ Chriſti; ergo ſi habent auxilium ſufficiens, & tamen non credunt, ſequitur quòd non credant, quia nolunt; & ſic ſunt infideles poſitiuè, & contrariè, non negatiuè.

7. Ratio.

Præterea. Gratia ſufficiens eſt vera gratia: at gratia ſecundum D. Aug. ideò aliquibus negatur, vt vera gratia monſtretur eſſe quibus datur; ergo gratia ſufficiens non datur omnibus. Propter has rationes Aluarez diſput. 112. concl. 3. cum Bannes p. p. quęſt. 23. art. 3. dub. 3. præſertim concl. 8. & 9. tenet, quod Deus non det auxilium ſufficiens omnibus adultis, accipiendo, dare, vt eſt correlatiuum ad recipere, id eſt tenet, Deum non dare auxilium ſufficiens aliquibus; ita vt illud intrinſecè recipiant.

Opinio Aluarez, Bannes, & aliorum

8. Ratio.

29 Præterea. Eadem opinio probatur ratione. Illud, quod Deus vult fieri in hoc mundo, omnino fit: quia non poteſt impediri à cauſis ſecundis; ergo ſi Deus omnibus adultis vellet dare auxilia ſufficientia, de facto omnibus illa darentur. Subſumo: ſed ſic eſt, quod de facto multis hæc auxilia ſufficientia non dantur; ergo ſignum eſt, quòd Deus non voluit illa ab æterno illis dare. Aſſumptum probatur. Primò. Quia, nec reprobis ſemel iuſtificatis datur perſeuerantia vſque ad mortem, quæ eſt neceſſaria ad ſalutem. Secundò. Non datur omnibus peccatoribus fidelibus Spiritus pęnitentiæ, vt iuſtificẽtur, vt dictum eſt de Pharaone. Tertiò. Infideles nõ illuminantur modo ſufficienti, vt habeant fidem: quia non habent viam ordinariam acquirẽdi fidem, quę eſt neceſſaria ad ſalutem; ergo Deus non dat omnibus auxilia ſufficientia ad ſalutem.

Reijcitur præcedens opinio, & oppoſita probatur.

30 Oppoſita ſententia eſt communior, & multi pręcedentem reputant errorem, & ex dictis in præcedentibus, præſertim in diſputatione de prædeſtinatione, & reprobatione patet eſſe vera. Nam ſi Deus prædeſtinat homines ad gloriam, quos præuidit facturos opera bona, & reprobat, quos præuidit facturos mala, & ad faciendum opera bona, & vitandum mala ſimpliciter eſt neceſſarium auxilium ſufficiens, ſequitur, Deum dare auxilium ſufficiens nedùm omnibus prædeſtinatis, quo operentur bonum, ſed etiam omnibus reprobis, alioquin eorum peccata haberent excuſationem, quod eſt impiũ, vt aliàs diximus, & infrà, reſpondendo ad quartum, dicemus.

Quod autem dicunt Bannes, Aluarez, & alij nonnulli, Deum dare reprobis auxilium ſufficiens, prout dare non eſt correlatiuum ad recipere, non dare autem, vt dare, eſt correlatiuum ad recipere, ego non intelligo. Nàm illud dicitur dari actu ab aliquo, quod actu recipitur in eo, cui datur; & proinde dare, quod eſt verum dare, concomitatur, & eſt correlatiuum ad recipere: dare autem, cui non correſpondet vt correlatiuum recipere, non eſt dare actu, ſed potentia ſiue eſſe paratum ad dandum, non tamen re vera actu dare. At in propoſito dicimus neceſſarium eſſe, Deum dare actu, & rè vera omnibus reprobis adultis auxilium intrinſecũ, ita quod illud in ſe actu recipiant, licèt illi deinde actu non conſentiant, ſed reſpuant. Hanc ſententiam ſequuntur ex recentioribus Vaſquez p. p. diſp. 97. qui etſi de paruulis cum Gregorio, & aduerſarijs ſenſerit, tamen de adultis ab eo, & alijs diſſentit, qui multos alios citat, Suarez p. p. lib. 4. de prouidentia gratiæ circa reprobos cap. 3. & multi alij.

Probatur ex D. Tho. 1. Ratio.

Ex antiquis autem D. Thomas 3. p. quæſt. 86. art. 1. eam tenet, dum ait, ſententiam eorum, qui dicunt, aliquod

quod

quod peccatum pœnitentia deleri non posse, esse errorem; & rationes eius ibi adductæ hanc nostram sententiam probant: & sunt, quia hoc prouenirer, vel quia esset aliquod peccatum in hac vita, de quo quis pęnitere non posset, quod est erroneum: quia per hoc tolleretur libertas arbitrij, & derogaretur diuinæ gratiæ, per quā moueri potest cor cuiuscunque peccatoris. Hæc autem duo absurda ad præcedentem opinionem sequuntur: quia liberum arbitrium sine gratia non est liberum ad opera meritoria, & derogatur multū gratiæ diuinæ; vel proueniret, quia pęnitentia non posset delere peccatū, quod etiam est absurdum: quia tunc peccatum superabundaret misericordiam, quod est erroneum. Patet autem in nostro casu hoc absurdum sequi: si enim propter peccatum commissum Deus subtraheret auxilia sua sufficientia, maior esset iniquitas hominis, quàm misericordia Dei.

Probatur eadem opinio efficaciter ex Scoto.

2. Ratio.

Scotus quoque in 2. Sent. dist. 36. quæstione illa, An peccatum sit pœna peccati §. *Sed iste modus, vt videtur*, &c. apertè hanc sententiam sustinet, & oppositam refellit; nam confutat ibi opinionem illam, quæ dicebat, Vnū peccatum esse pœnā alterius peccati; eo quia facto primo peccato, Deus ex demerito illius potest subtrahere, ne agat ad rectitudinem in secundo actu, sicut ageret si nullum præcessisset peccatum, & ita ex hac subtractione est carētia rectitudinis in actu secundo, ex qua sequitur, illū actum esse peccatum, & esse pęnā primi peccati. Refellit autem Scotus hanc sententiam; eo quia tunc voluntas in illo actu secūdo non posset non peccare, neque in potestate illius esset peccatū secundum, quod est absurdum euidens: nemo enim tali peccato demereretur: quia his, quæ non sunt in potestate nostra, neque meremur, neque demeremur. Consequentia autem est euidens: quia nisi Deus, quantum est ex se, assisteret actui secundo, causando in illo rectitudinem auxilio suo, voluntas creata causare non posset: quia deficiente causa prima, causa secunda nihil efficere potest. Vndè sustinet ipse, quòd pro tanto secundum peccatum potest dici pœna prioris peccati, pro quanto voluntas ipsa deficiendo à rectitudine debita illi secundo actui, & ad quā Deus, quantum est ex se, concurrit, priuat se illa rectitudine, quæ est bonum ipsius animæ. Non dat autem voluntas huiusmodi rectitudinem, quia per primum peccatum debilitatur; multi enim defectus sequuntur, & multæ perfectiones auferuntur, propter quæ omnia debilitatur, & trahitur ad secundum peccatum: & hoc modo peccatum est pęna peccati, non autem quia Deus propter primum peccatum auferat auxilium sufficiens ad vitandum secundum peccatum. Ratio ergo hæc allata à Scoto est potissima in hac materia.

3. Ratio.

31 Tertiò. Probatur hæc sententia rationibus suprà adductis pro paruulis. Illa enim propositio. *Deus vult, omnes homines saluos fieri*, est vniuersalis, & intelligitur, tàm de paruulis, quàm de adultis, immò multò magis de adultis, vt superius vidimus.

4. Ratio.

Quartò. Probatur auctoritatibus expressis Sacrę Scripturæ Ioan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis*. Vbi Christus inuitat omnes ad pęnitentiam; ergo omnibus quoque offert sufficiens auxilium: frustrà enim sine tali auxilio illos inuitaret. Secunda Petri cap. 3. vbi loquens de Deo habet hæc verba. *Sed patienter agit propter vos, nolens, aliquos perire, sed omnes ad pęnitentiam reuerti*. & multæ aliæ similes auctoritates, quæ apertè docent, nolle mortem peccatoris, sed eius vitam.

5. Ratio.

32 Quintò. Suarez vbi supra hanc opinionem probat ex illo axiomate sępè affirmato, & probato à D. August. præsertim lib. de natura, & gratia cap. 26. & approbatur à Concilio Tridentino sess. 6. cap. 11. & 13. *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso*, quod aduersarij adducunt pro seipsis, & argumētum est illud. Si Deus ex se aliquibus hominibus denegasset auxilium sufficiens, profectò prius Deus deseruisset hominem, quàm homo desereret Deum. Consequens est contra axioma propositum; ergo. Consequentiā probo: quia Deus est, qui incipit semper in operibus bonis suo auxilio pręueniente; ergo si Deus non dat auxilium sufficiēs præueniens, Deus ipse primus est, qui deficit; & sic ipse prius deserit hominem, quàm homo Deum. Non potest ergo prius deserere Deum, sed tunc solum deserit Deum, quando vocatus gratia, & auxilio sufficienti renuit, nec eum vult sequi: ideò non potest Deus auferre auxilia sufficientia alicui de lege ordinaria.

33 Sextò. Si Deus ad obseruanda præcepta, & vincendas tentationes, quotiescunque occurit occasio, non præberet auxilium sufficiens, sequeretur, aliquando hominem scienter transgredi præcepta Dei, & tamen illā transgressionem non posse imputari illi ad culpam. Cōsequens est falsum. Consequentia probatur, quia cum non habeat auxilium sufficiens, non potest ex se vitare opera mala, & facere bonum. Falsitas. Consequentis probatur, quia de tali, qui multo tempore perseueraret in peccato, dicitur illud Pauli ad Romanos 2. *Secundū autem duritiam tuam, & impenitens cor thesaurizas tibi irā in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei*. At si illa transgressio non imputatur ei ad culpam, eo quia auxilio sufficienti sit destitutus, non incurrit nouam culpā, & proindè iram Dei sibi in dies non thesaurizat.

6. Ratio.

34 Superest, vt rationibus in oppositum satisfaciamus, illis enim solutis magis opinio nostra manifesta erit. Ad primam auctoritatem ex lib. Machabeorum. Respondetur, illam auctoritatem tantum probare, illū non fuisse consequuturum misericordiam à Deo, licet postularet cum lacrimis, quia non postulabat eo modo, quo debebat; quia videlicet non pœnitebat peccati commissi, sed obstinatus manebat; postulabat autem misericordiam timore pœnæ; non autem quia esset destitutus auxilio sufficienti, quo posset rectè postulare à Deo misericordiam.

Ad rationes in oppositum.

Ad primā auctoritatē

35 Ad secundam auctoritatem, & Scriptura, respondet Vasquez in illis auctoritatibus, illā particulam (*non posse*) nō significare impossibilitatem, sed difficultatem; vel intelligi illas auctoritates de impossibilitate consequente, quæ præsupponit præscientiam; non de antecedente, quæ tollit libertatem. Sed melius respondetur dicēdo, auctoritates esse omnino veras absolutè. Pro cuius intelligentia notandum est, quod ille dicitur derelinqui à Deo, cui Deus obtulit auxilium præueniens gratiæ, & vocatus est sufficienter, & tamen renuit; iste enim destituitur gratia, & auxilio Dei quia illud spernit, fidit autem, & relinquitur suis viribus naturalibus, quibus solis non potest corrigi, nec operari bonum. Verè ergo, & propriè dicit Scriptura, non posse corrigi ab vllo, quem despexit, & deseruit Deus: quia ille, qui nō innititur gratia, & alijs donis, sed solis viribus suis, nō pōt simpliciter conuerti. Ex hoc autem non sequitur, Deum non præbere, & denegare auxilia sufficientia reprobis, & derelictis ab eo; sed solum eos spreta gratia, & auxilio Dei, non posse corrigi, & operari bonum.

Ad secundam auctoritatem.

Responsio Vasquez.

Responsio auctoris.

36 Ad secundam rationem ex auctoritatibus D. August. desumptam, Vasquez respondet, D. August. re vera fuisse illius opinionis, vt Deus aliquibus peccatoribus aliquando propter priora peccata deneget auxilia sufficientia ad salutem: verum quia non puto D. August. fuisse huius sententiæ propter rationes superius adductas, eius auctoritates sunt explicandæ.

Ad secundā desumptam ex auctoritatib. D. Aug.

37 Ad primam ergo, & similes, dimissa responsione, quam ibi innuit Vasquez, quæ est, D. Aug. ibi asseruisse impossibilitatem sequentē tantum, quæ nascitur ex pręscientia vocationis, & nullo modo tollit libertatem arbitrij; de qua necessitate, & impossibilitate sequēte, & antecedente, plura suprà dicta sunt. Respondeo, ex illa auctoritate non haberi, vocationem illam esse impotentē, & insuf-

Responsio auctoris.

& insufficientem ad eos conuertendum, sed denotari libertatem arbitrij vocati, & excitari, quoniam non dicit D. August. *Ad alios vocatio quidem peruenit, sed quia talis fuit*, quæ mouere non posset; *vocati quidem dici potuerunt, sed non electi*; sed inquit. Ad alios quidem vocatio peruenit; sed quia talis fuit, *qua moueri non possent*, vocati quidē dici potuerunt, sed nō electi. Innuit ergo, quod illa vocatio fuit talis, vt eos non cogeret (vt putabant Pelagiani, dicentes, gratiam tollere liberum arbitrium) sed ei liberè resistere possent; & qui de facto resisterunt, possunt dici vocati, sed non electi: quia ad hoc, vt sint electi, necesse est, vt nō solum vocentur, sed etiam vt ipsi assentiant libero arbitrio: isti non assenserunt, ideò fuerunt quidē vocati, non tamen electi. Et re vera hic est germanus sensus illius. Et confirmatur: quia si illa vocatio non fuisset sufficiens, ita vt in ipsa clauderetur defectus alicuius rei qua liberum arbitrium indigeret, excusari posset, nisi assentiret, & illa vocatio non esset sufficiens; & falsum diceret D. Aug. asserendo, illos posse dici vocatos, non electos: quia ille non vocatur verè, & propriè, cui sufficiens auxilium denegatur.

Ad aliam auctoritatem ex lib. ad articulos sibi falsò impositos, patet ex dictis nunc suprà in responsione ad illas duas auctoritates ex Sacra Scriptura, vbi exposuimus, quomodo homines deseruntur, & derelinquuntur à Deo; nō enim deseruntur homines, nisi quando vocationi, & auxilio sufficienti assentire nolunt: quia relinquuntur suis viribus naturæ, quæ sunt insufficientes ad opera supernaturalia. Ostendimus etiam suprà ratione quinta huius cap. illud axioma, *Deus neminem deserit, nisi prius deseratur*, facere pro nobis.

Ad tertiam rationem. 38 Ad tertiam, quę est auctoritas adhuc difficilis, D. August. in expositione Epistolæ ad Romanos, ex eodē fundamento respondetur; vult enim D. August. tollere quandam obiectionem, quæ sibi fieri potuisset. Aliquis enim fortasse dixisset ei: si homo renuens auxilio vocanti relinquitur puris viribus liberi arbitrij, liberum autē arbitrium per se non potest operari bonum se solo; ergo homo tunc operando malum, non peccat: quia non potest operari bonum: nemo autem peccat in ijs, quę non potest efficere. Respondet D. August. hominem illum non peccare, eo quia liberum arbitrium suum solū operatur malum, sed quia habebat auxilium paratum Dei, & præueniens, quo poterat operari bonum, & vitare malum, & illud abiecit; & se talem præbuit, cui cor obduraretur. Quam expositionem confirmat auctoritas alia D. August. lib. de correptione, & gratia cap. 11. adducta etiam à Vasquez ibidem, vbi ait, quod si Angelo, & homini, cum primum creati fuerunt, non fuisset datum hoc adiutorium, peccassent quidem, quia illa natura facta erat talis, vt non posset non peccare sine gratia Dei: at illud peccatum non fuisset illis imputatum, quia sua culpa non peccassent: nunc autē illis, qui carent hoc adiutorio, & peccant, imputatur ad culpam peccatum, quia illud adiutorium est sibi datum, & tamen repellūt: vndè carentia illius adiutorij in ijs, qui modo peccant, est pęna peccati. Dum enim expellunt adiutorium, obdurant se, & impellunt se ad peccatum; & sic illa resistentia, siuè expulsio adiutorij, est pęna ipsi peccanti: quia illo adiutorio derelictus, peccat. Non ergo qui modo peccat, punitur, quia ex viribus liberi arbitrij non operetur bonum, ac vitet peccatum, quia hoc est impossibile, sed quia, cum Deus det auxilium sufficiens, quo liberum arbitrium posset operari bonum, & vitare malum, liberum arbitrium illud abijcit, & facit se impotens, quia priuat se adiutorio Dei, & relinquit semetipsum sibi: relictus autem sibi, & derelictus adiutorio Dei non potest vitare malum, & facere bonum; & sic iustè peccatum sibi attribuitur. Et illa carentia adiutorij diuini verè dicitur pœna peccati, vt dicebat Scotus nunc suprà in hoc cap. citatus.

Ad quartū. 39 Respondetur ad quartum, locum illum D. Aug. esse difficilem: tamen ex eo loco non haberi, Deum aliquibus hominibus adultis nunquam dare auxilium sufficiens, vt aduersarij intendunt, sed ad summum (interpretando mentem D. August. eo modo, quo Vasquez, & alij in solutione secundæ rationis superius adductæ, dicunt) haberi, Deum quandoque quosdam, quos sæpissimè gratia sua sufficienti vocauit, & ipsi eam spreuerunt, & repulerunt, tandem derelinquere in obcæcatione, & obstinatione, neque eis amplius gratiam sufficientem dare, quia illius indigni facti sunt: tamen ego non puto, D. August. fuisse illius sententiæ, licèt allata solutio satisfaciat argumento: nam contra illam solutionem procedit ratio quædam, quam eodem loco adducit D. August. & nunc supra præcedenti solutione tetigimus. Ratio autem est hæc, quam etiam Scotus pro sua opinione innuit, vt vidimus suprà. Si Deus desereret aliquando peccatorem, ita quod ei non præberet auxiliū sufficiens necessarium ad vitandum peccatum, & obseruandum præcepta, cum occurrit occasio sequeretur, hominem illum non obseruando præcepta, non peccare, quod tamen est absurdum. Consequentia probatur ex ratione, quam D. August. facit prædicto loco, quæ est. Si Deus, inquit D. August. adiutorium gratiæ non dedisset Adę, & Angelis, quo permanere possent, si vellēt, & sine quo non possent, etiam si vellent, non fuisset imputandum Adæ, & Angelo, quod permansisset, quia non talis facta fuerat natura Adæ, & Angeli, vt sine diuino adiutorio permanere posset, si vellet: Deus autem non dedisset huiusmodi adiutorium; ergo non culpandi, sed excusandi fuissent, quod peccassent. Verba D. August. ibidem sunt hæc. *Si autem hoc adiutorium vel Angelo, vel homini quam primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere nō possent.* Hæc D. August. quæ applicando ad propositum nostrum iure inferimus, quòd si Deus alicui peccatori negaret gratiam sufficientem pro aliquo tempore, quo teneretur obseruare præceptum, ille non esset culpandus, quia deesset adiutorium, sine quo non posset illud obseruare.

Quòd si quis dicat, peccator fecit sibi hanc impotentiam, ideò non excusatur, vt suprà ratione tertia ex D. August. argumentabamur. Contrà; tunc sequeretur, quod qui sua culpa se fecit impotentem ad seruandum aliqua præcepta, semper nouo peccato peccaret non obseruando illa præcepta. Exempli gratia, qui propria culpa incidit in amentiam, cum non ieiunat, nec audit missam tempore debito, peccaret; quod tamen est absurdum, neque illud asserit D. August. vt soluendo tertiam rationem diximus. Immò habet oppositum lib. 3. de libero arbitrio cap. 18. & 19. & lib. de Natura, & gratia cap. 67. vbi ait. *Quis enim in eo peccat, quod cauere nullo modo potest? & infrà. Non tibi deputatur ad culpā, quod inuitus ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.*

Vera solutio. Puto ergo dicendum, locum illum ex c. ij. libri de correptione, & gratia verificari, & intelligi de gratia efficaci, non de sufficienti: loquitur enim ibi D. August. de gratia, & adiutorio Christi in communi: hoc autem, licèt diuidatur in sufficiens, & efficax, tamen præcipuè de efficaci intelligitur.

Ad quintū. Ad quintum. Respondetur superius, paruulis dari gratiam sufficientem sibi congruam, quæ est extrinseca, non intrinseca. Præterea. Dato, & non concesso, quòd gratia sufficiens quibusdam paruulis denegetur. Respondetur non esse parem rationem de paruulis, & adultis; quoniam paruuli non tenentur ad seruandum aliqua præcepta, neque cum damnantur, puniuntur pęna sensus: at adulti tenentur ad obseruanda præcepta, ideò ęgent auxilio necessariò; & si illud deesset, iniustè punirentur.

Ad

Ad sextũ.

Ad sextum. Respõdetur infidelem negatiuum illum esse, qui nullam habet cognitionem de fide Christi: ideò ad eam habendam non tenetur iuxtà illud Ioannis. *Si non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberẽt;* ideò non requiritur auxilium sufficiens internum ad credendum; & consequenter non possunt esse infideles positiuè respectu fidei Christi: quo ad legem autem naturæ ad quam tenentur, habent auxilium sufficiens, quo si non benè vtantur damnantur, vt infrà ad vltimam rationem dicemus.

Ad septimum.

Ad septimum. Respondetur ibi loqui de gratia efficaci, & de alijs, quæ sunt dona specialia, quæ non sunt necessaria omnibus, non de dono, & adiutorio communi necessariò naturæ humanæ ad finem suum consequendum, cuiusmodi est gratia sufficiens.

Ad octauũ

40 Ad octauum negatur assumptum: diximus enim, auxilia sufficientia extrinseca, quorum solum sunt capaces etiam paruulis dari de facto à Deo, quantum est ex parte Dei; quod autem de facto non applicentur, prouenit ex defectu causarum secundarum. Idem multo magis est verum de adultis; quod magis declarabitur soluẽdo obiectiones istas tres. Ideò ad primam probationem illius assumpti, respondet Suarez vbi suprà cap. 3. perseuerantiam esse necessariam ad salutem: & ad probationem huius assertionis citat D. August. lib. de correptione, & gratia cap. 12. & Concilium Tridentinum sess. 6. can. 22. & cap. 13. Ego tamen sine præiudicio veritatis, non puto, hoc esse verum. Neque D. Aug. neque Concilium hoc dicit. Quod sit falsum, patet: quia perseuerantia essentialiter includit, vt diù quis insistat alicui difficili, ex D. Tho. 2. 2. quæst. 182. art. 1. & ex se patet, quia donum perseuerantiæ in gratia vsque ad mortem includit continuationem aliquorum actuum bonorum; at non est necessarium ad salutem, vt aliquis habeat plures actus continuatos bonos, sed sufficit, quòd in vltimo instanti vitæ, in quo potest habere vnicum actum tantum bonum, vel malum, habeat illum bonum, licèt enim statim postea moriatur, vel si viuat, careat rationis vsu; vel non occurrat tentatio superanda, vel occasio præcepti obseruandi, saluabitur, & tamen nulla aderit perseuerantia. D. August. autem, & Sacrum Concilium locis citatis aiunt, perseuerantiã esse donum speciale, & qui illud habent, saluari; neminem autem illud se habere debere gloriari, vt patet ex cap. 13. eiusdem Concilij. Canone verò 22. dicit solum, neminem posse perseuerare in accepta iustitia sine speciali auxilio Dei, & cum eo posse; & oppositum asserentes damnat. Verba Canonis sunt ista. *Si quis dixerit iustificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Non dixit ergo perseuerantiam esse necessariam ita ad salutem, vt sine illa nemo saluari possit.

An perseuerãtia sit necessaria ad salutẽ.

Ad secundam probationem assumpti.

41 Ad secundam probationem, respondet Vasquez disput. 97. citata cap. vltimo in fine, omnibus hominibus concedi, ac nulli denegari auxilia necessaria necessitate antecedenti, hoc est ex parte causæ, & omnia necessaria necessitate comitanti, esse in potestate nostra; & illis solum à Deo denegari, qui libertate sua nolunt adiuuari ijs. Inter auxilia autem necessaria necessitate antecedenti numerat vocationes, & excitationes. Vbi sibi contradicit, dum deinde disput. sequenti 98. dicit gratiam, & vocationem congruam solum dari electis, & prædestinatis; quam tamen ait esse ita necessariam, vt sine illa nemo saluari possit. Est ergo dicẽdum, nullo quantumcunque reprobo, & excæcato Deum denegare auxilium sufficiens, vt dictum est de Pharaone, & auctoritates D. Aug. quę videntur hoc probare, superius explicatæ sunt.

Contradictio Vasquez.

Quõ auxilium sufficiens cõferatur nobis à Deo.

42 Notandum est tamen, hoc auxiliũ sufficiens non conferri semper, & pro quocumque momento temporis ipsis reprobis; sicut neque etiam confertur hoc modo electis: quia licèt Deus stet ad ostium nostri cordis, & pulset, vt nobis stiam gratiam dei, tamen hoc non potest intelligi, vt quocumque momento temporis excitet cor, vel per bonam inspirationem, vel per externam vocationem, vel aliquid huiusmodi: quia dum dormimus, vel aliquo dolore ingenti sumus occupati, vel distracti aliqua alia operatione, huiusmodi inspirationibus non intendimus, licèt Deus, quantum ex se, quolibet momento temporis sit paratus. Sufficit ergo, vt tempore opportuno hanc vocationem, & auxilia conferat; vt cum occurrit tentatio, vel occasio præcepti obseruandi, vel faciendi aliquod opus bonum. Et denique supponendum est, vocationem, & collationem auxilij sufficientis, non esse vnam continuam operationem toto tempore, sed plures, propter rationem adductam, quia alijs operationibus distrahimur, vt dictum est. Ex quo sequitur, supponendum esse, dari sæpè aliquam vltimam excitationem, postquam nulla alia datur in tempore sequenti vitæ. Contingit enim, hominem morbo laborantem frequenter cogitare de morte, & de pœnitentia: tamen deuenit postea in alias cogitationes, quæ non pertinent ad pœnitentiam, sed ad res temporales, vel ad euadẽdam infirmitatem, vel aliquid aliud; & qui sani sunt, quandoque cogitant de morte; ea cogitatio autem paulatim discedit; & ea distractione perseuerante, aut occiditur, aut subito moritur. Datur ergo aliqua vocatio, & collatio auxilij diuini vltima, postquam alia in hac vita non datur; licèt quandoque hæc vocatio fiat in vltimo instanti vitæ huius. Sunt enim qui adhuc in illo vltimo instanti non habent sensus, nec mentem impeditam, & laudantes Deum, vel blasphemantes expirant: sufficit ergo, vt Deus succurrat illa vltima vocatione, & vltimo tẽporis momento, quo ipsi sunt cogitaturi de vita æterna, & morte, (quod Deus probè nouit) ipsis reprobis vocatione sufficienti, qua possint conuerti, si velint. Cum enim misericordia Dei superet impietatem nostram, non est credendum, in extremo vitæ nostræ hominem esse in aliquo momento subiectum tentationibus, & peccato, & periculo damnationis, in quo non habeat auxilium Dei sufficiens paratum, & actu collatum illi, quo se ab illis tentationibus possit liberare, & euadere damnationem, si velit; vt sic non de Deo, sed de se solo conqueri possit, qui damnatur.

Quomodo itelligatur Deum semper pulsare, & stare ad ostium cordis nostri.

Ad tertiã probationem.

43 Ad tertiam probationem de infidelibus, variæ sunt responsiones: & quidem de ijs, qui prædicationem Christi aliquando audierunt, non est dubium, eos habere sufficiens auxilium ad conuersionem: quia ipsa prædicatio exterior est sufficiens ad excitandum cogitationem eorum ad cõuersionem; neque est credibile, quod Deus internis sufficienti excitatione tunc, vel aliquo momento temporis sequentis eos non excitet.

De infidelibus. Primᵘˢ modus dicendi reijcitur.

44 De infidelibus verò, qui nunquam legem Christi audierunt, aliquid dixerunt, eandem esse rationem ipsorum, & de paruulis, qui sine baptismo ex hac vita decedunt: Deus enim quantum est ex se, præparauit remedia opportuna; & quantum est ex se, illa applicauit, licèt propter causas secundas, & ordinem vniuersi, qui non debuit immutari propter libertatem humanam seruandam, vel aliqua alia causa rationali occulta. Et hæc responsio videtur desumi ex D. August. lib. 4. contra Iulianum cap. 8. vbi quo ad hoc æquiparat paruulos cum adultis. Sed hic modus dicendi reijcitur: quia cum adulti per proprios actus possint saluari: vndè, cum damnantur, pœnam sensus patiuntur, quod non contingit in paruulis; nimis derogaretur diuinæ misericordiæ, si non præberet illis maius auxilium, quàm paruulis.

Discrimen inter adultos, & paruulos.

Secundus modus dicendi.

45 Ideò alij dixerunt, nullum esse adultum, qui non proximè illuminetur aliquando in hac vita, vt possit cõuerti. Quæ sententia approbatur: quia illæ loquutiones Sacræ Scripturæ. *Deus non vult mortem peccatoris,* & similes, hunc sensum præseferre videntur; & nulla adest repugnantia: quia hęc illuminatio potest fieri per

angelum

Angelum Custodem. Et hunc modum dicendi esse Scoti deducitur ex dictis suprà in explicatione illius propositionis, *Deus vult omnes homines saluos facere*.

Hæc opinio reijcitur à Suarez.

46 Hanc opinionem reijcit Suarez: quia supponendum est, esse necessariam fidem de aliquo obiecto supernaturali; vt quod Deus est vnus, & creator omnium, &c. hæc autem ab huiusmodi infidelibus non habetur, vt Scriptura testatur, & experientia patet; ergo non habent huiusmodi gentes infideles auxilia sufficientia.

Responsio ad rationẽ Suarez.

47 Sed hæc ratio est nulla quia diximus in 4. dist. 4. fidem Christi, & legem Euangelicam totam, vel partem, esse necessarium medium post promulgationem sufficientem: at non ijs, quibus non est promulgata, & eam ignorant ignorantia inuincibili; sufficit ergo eis lex, & cognitio naturæ, quam si seruarent cum auxilio Dei, saluarentur sine Sacramentis; vel Deus miraculosè mitteret Angelum, vel hominem ad illos illuminandos, & baptizandos, vt dicunt Theologi de eo, qui nutriretur in siluis, & seruaret legem naturæ. Sed de hac re egimus in tractatu de pœnitentia, agendo de ignorantia, quæ excusat à peccato, & in 4. loco citato, & cum hoc modo dicendi coincidunt alij; licet profiteantur dissentire.

Tertius modus dicendi.

48 Alij enim dicunt (& hunc modum dicendi sequitur Vasquez, & multos veteres in hanc sententiam citat vbi suprà) omnibus infidelibus istis, Deum dedisse auxilium quoddam generale gratiæ, quo possent credere ea, quæ de Deo naturaliter cognoscũtur; vt quod Deus est vnus, & quod est colendus, quo auxilio si benè vterentur, Deus alia auxilia proxima traderet; sed quia illis communibus malè vtuntur, Deus alia non concedit. Quæ opinio fundari videtur in illo Apostoli ad Romanos. *Qui Deum cognouerunt, nec tamen vt Deum glorificauerunt*. Ecce, quod concedit Deus illis præbere auxilia sufficientia ad salutem, quibus si consentiant, maiora daret.

Vltimus modus dicendi.

49 Vltimus modus dicendi, quem ponit Suarez, & ex D. Thoma lib. 3. contra Gentiles cap. 159. & ex Ferrariensi ibidem, colligit, in idem cecidit: ait enim Deũ præbere omnibus infidelibus auxilium aliquod gratiæ, quo licèt non eleuentur ad operandum aliquid supernaturale; tamen iuuantur ad seruandum legem naturæ, quia autem huic auxilio resistant, nec seruant legem naturæ, Deus illis non dat vocationem proximam ad perueniendum ad fidem Christi, & ipsam seruandã; quod si illam nõ despicerent, Deus altiora auxilia daret. Qua ergo ponunt impedimentum, ideò destituuntur auxilijs proximis; sicut fideles, qui resistunt vocationi præuenienti, destituuntur gratia habituali, & auxilio cooperante, quæ illis à Deo traderentur, si auxilium præueniens non abijcerent. Dat ibi D. Thomas exemplum de Sole, qui omnes illuminat, qui non præbent impedimentum, claudendo oculos; ergo omnibus infidelibus largitur auxilium sufficiens ad salutem, quo saluari possent, si vellent. Consentit ergo cum secundo modo dicendi superius explicato: omnes enim habent legem naturæ insitam in cordibus suis, quæ quo ad prima principia est indelebilis, & ignorantia inuincibilis eos excusat ab infidelitatis peccato, vt diximus in 4. in disputatione de obligatione legis Euangelicæ. Et Deus dat sufficientia auxilia ad illam seruandam quæ si non abijcerentur, daret maiora, ita quod ad veram fidem Christi peruenirẽt, & ad Sacramenta; vel sine illis Deus eos saluaret.

FINIS.

DE SACRAMENTO ORDINIS,

ET POENIS, AC CENSVRIS ECCLESIASTICIS Disputationes Theologicæ.

IN QVIBVS DOCTRINA SCOTI DILVCIDATVR, Et contra quoscunque Aduersarios defenditur.

AVTHORE
FRATRE PHILIPPO FABRO FAVENTINO
Ordinis Minorum Conuent.
In Vniuersitate Patauina Sacræ Theologiæ Professore.

Ad Illustriss. & Reuerendiss. D.

D. MARCELLVM LANTES
S. R. E. Cardinalem Amplissimum.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDCXXVIII.

Ex Typographia Marci Ginammi.

ILLVSTRISSIMO,
ET REVERENDISSIMO
DOMINO
D. MARCELLO LANTES
S. R. E. Cardinali Amplissimo.

Frater Philippus Faber Fauentinus Ordinis Min. Conuent. F. P. P.



IAM diù Illustrissime, & Reuerendissime Antistes in doctrina Ioannis Duns Scoti insudare, abstrusa sensa peruadere, abdita penetrare, latebrosa scrutari, & demùm subtilem, sed neruosam, atquè constantem eius doctrinam patefacere, & elucidare cœpi, vt eam viris doctis difficultate, & obscuritate depulsa nedùm delibandam præberem, sed omninò exsugendam, & exhauriendam propinarem, atquè ita omnes quotquot litteris seriò incumbunt, quàm iniuria quidam parum eruditi tanti Doctoris doctrinam vellificent, intelligerent. Eò autem perueneram vt circa doctrinam de Sacramento Ordinis, & Ecclesiasticis Censuris esset laborandum. Onus non subterfugiendum esse, sed maiori conatu suscipiendum iterùm cogitaui. Siquidem inter misteria Theologica doctrina huius Sacramenti, & de Censuris Ecclesiasticis non vltimum obtinet locum, & eius cognitio omnibus Christi fidelibus, sed præcipuè viris Deo dicatis est pernecessaria, Eò autem maximè huic operi incumbendum mihi esse cogitaui, quia Scotus de hoc Sacramento, & huiusmodi Censuris fortasse enucleatiùs, quàm quiuis alius ex antiquioribus Scolasticis (pace eorum dixerim) disseruit. Vtinam huic eminentissimo Doctori vsura huius lucis ità immaturè non defuisset. Neque enim studiosi in rebus quibuscunque difficilioribus perscrutandis tantopere laborare cogerentur. Non debuit autem hoc opus alio nomine, & patrocinio decorari, quàm Tuo, Illustrissime, & Reuerendissime Antistes insignis enim benignitas, qua nostræ Religionis litterarum professores, mequè iam diù prosequi, & omni officio complecti voluisti; nos & nostra omnia tibi dedita, & omnino deuincta reddit. Alia sanè pignora seruitutis & deuotionis meæ tua in me officia collata exposcerent; At quid amplius exhibeam non habeo. Verùm tua est humanitas carorum munuscula Neronianis dapibus præferre. Vale diù fœlix.

Patauij Kal. Febr. M DC XXVIII.

Cenſura.

PRæſens Opus, de Sacramento Ordinis, & de Cenſuris Eccleſiaſticis, Auctore Adm. Reuer. Patre Magiſtro Filippo Fabro, in Patauina Vniuerſitate Theologo, & in Bononienſi Prouincia Prouinciali Miniſtro, ſubtiliſſimè conſcriptum eſſe, dignumque exinde, vt illorum præſertim manibus feratur, qui Scoti mentem conſequi cupiunt, eiuſque doctrinam tueri, (poteſtate id mihi facta à Reuerendiſs. Patre Magiſtro Felice Franceſchino de Caſsia Generalis totius Ordinis Miniſtro) Teſtor die 25. Octobris Anno 1625.

Ego F. Sanctes Damiani
Venetus D. T.

INDEX DISPVTATIONVM, ET CAPITVLORVM.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO SECVNDA.

DISPVTATIO TERTIA.

DISPVTATIO QVARTA.

DISPVTATIO QVINTA.

DISPVTATIO SEXTA.

DISPVTATIO SEPTIMA.

Finis Indicis Disputationum, & Capitulorum.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

De excommunicatione quo ad absolutionem.

Ecclesia.

Episcopatus.

Exorcista.

Excommunicatio.

Con-

Irregularitas ex contumacia.

Irregularitas ex ordine.

Irregularitas ex Rebaptizatione.

Irregularitas ex susceptione quatuor sacramentorum.

Irregularitas ex hæresi.

Irregularitas, ex defectibus, qui non sunt crimina.

Irregularitas ex servitute.

Ab'i

INDEX.

Quid

Irregularitas ex accusatione.

Irregularitas ex testibus.

Irregularitas ex Bello.

Irregularitas ex Culpa.

Irregularitas ex Bigamia.

Interdictum.

Quale

L

Lectoratus.

Lex.

Legitimitas, vel illegitimitas.

M

Materia.

Minister.

Mutilatio.

Monogamia.

Metus.

N

Neophitus.

Nouitij.

Nothus.

Notorium factum.

O

Officium Diuinum.

An

Ordo.

Ostiariatum.

Oratio.

Opinio.

P

Pœna.

Præceptum.

Poligamia.

Potestas.

Papa.

Reli-

R

Religio.

Regula.

S

Sacerdos.

Subdiaconatus.

Simonia.

Seruitus.

Spurius.

Scientia.

Sepultura Ecclesiastica.

T

Tonsura.

Timor.

FINIS.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ

De Ordine Sacro, & Censuris.

F. PHILIPPI FABRI FAVENTINI, &c.

In Quartum Librum Sententiarum.

Distinctio XXIV. Quæstio Prima. Disputatio Prima.

VTRVM IN ECCLESIA SINT SEPTEM ORDINES eo modo, quo Ordo, vel Ordinatio ponitur Sacramentum.

Quid sit Ordo prout in præsenti sermo est de Ordine. Caput Primum.



1 SCOTVS in hac quæstione vnica huius distin. 24. explicat omnia ferè. quæ pertinent ad essentiam, & substantiam Sacramenti Ordinis. Tractat enim quatuor puncta, in quibus consistit declaratio totius huius materiæ: & in argumentis principalibus, & solutionibus eorum tangit potiores difficultates, & dubia, quæ circa illam occurrere possint. Declarat ergo primò, quid sit Ordo. Secundò quot sint Ordines in Ecclesia, accipiendo modo prædicto Ordinem. Tertiò An Ordo sit Sacramentum. Quartò quomodo septem Ordines sint vnum Sacramentum.

Quæ sit diffinitio essentialis Sacramenti Ordinis.

2 Quantum ad primum est aliqualis dissensio inter Doctores Scolasticos, quæ sit vera, & essentialis diffinitio Ordinis, accipiendo Ordinem in ea significatione, de qua loquuntur Theologi in proposito, cum disputant de Ordine, qui pertinet ad Sacramentum Ordinis. Pro cuius intelligentia est obseruandum, quod aliud est quærere, quęnam sit diffinitio Ordinis in se, & aliud quærere, quænam sit diffinitio Sacramenti Ordinis: hæc enim diuersa sunt. Vnde aliam diffinitionem assignat Scotus de Ordine, & aliam de Sacramento Ordinis art. 3. Vbi etiam dicit, quod Ordo non est Sacramentum propriè loquendo, sed Ordinatio, quod patet: quia per ordinationem promouemur ad ordinem sacrum: non ergo idem est Ordo, & Sacramentum ordinis, sed diuersa, vt infra patebit. Et quia Nonnulli hanc distinctionem non obseruauerunt, confuso modo de ordine, & Sacramento ordinis diffinitionem assignauerunt.

Aliud est ordo & aliud Sacramentū Ordinis.

Diffinitio ordinis assignata à D. Bonauentura.

3 Scotus ergo in 1. artic. huius quæst. adducit diffinitionem ordinis allatam à Diuo Bonauentura in hoc 4. distinct. 24. par. 1. artic. 2. quæstio. 2. quæ est. Sacramentum Ordinis est potestas spiritualis ad aliquem actum exequendum in ecclesiastica hierarchia; ex qua deducit deinde eadem distinct. par. 2. artic. 1. quæst. 2. quod Ordines in Ecclesia sunt distinguendi secundùm diuersas potestates ad diuersos actus spirituales exequendos. Hanc sententiam deinde confutat Scotus, vt videbimus. Vnde miror, quod Soto in 4. distin. 24. qu. 1. art. 1. tribuat hanc diffinitionem Scoto, cum sit Diui Bonauenturę, & Scotus eam apertè impugnet tribus rationibus. Sed de mala intellectione opinionis Scoti à Soto infra cap. 3. patebit.

Soto opinionem falsam tribuit Scoto

Prima ratio Scoti contra diffinitionē allatam à D. Bonauētura

4 Prima ergo ratio Scoti est hæc; si ordo est potestas, vt dictum est, sequitur quod Episcopatus sit ordo, quod est contra Diuum Bonauenturam in eadem distinct. 24. part. 2. artic. 2. quæstio. 3. vbi tenet, quod Episcopatus non est ordo sacer. Consequentia autem patet; quia clarum est, quod Episcopatus est potestas ad exequendum aliquem actum spiritualem in Ecclesia, nimirum ad actum confirmandi, & conferendi ordines sacros; & est potestas non tantum ad congruè faciendum, sed ad simpliciter faciendum, & exercendum, ita quod si non Episcopus attentet hos actus efficere, nihil efficit; ergo videtur dicendum, quod sustinendo Episcopatum non esse ordinem sacrum, Ordo non possit dici potestas exercendi aliquem actum in Ecclesia.

Secūda ratio

5 Secundò sequeretur, quod sub Ordine Sacerdotali non esset aliquis Ordo in Ecclesia; quod est falsum, & contra omnes. Consequentia probatur; quoniam loquendo de potestate simpliciter, Diaconus, & Subdiaconus nullam huiusmodi habent; quod patet, quia licèt possint aliquam actionem in Ecclesia congruè facere, quam laicus congruè facere non possit, tamen si laicus attentaret illam facere, licèt incongruè, tamen simpliciter faceret.

Tertia ratio.

Tertiò sequeretur, quod Sacerdotium esset duplex Ordo, quod est falsum, quia tunc essent octo Ordines sacri, non septem. Consequentia probatur: quia Sacerdoti competit duplex potestas spiritualis, nimirum consecrandi Eucharistiam, & absoluendi à peccatis. Quod autem sint duæ potestates, non vna, probatur, quia vna prior instituta fuit, quam altera scilicet vna in Cæna, altera post Resurrectionem Ioann. 20. Per hæc confutatur opinio allata Diui Bonauenturæ.

Opinio Thomæ Valdēsis

6 Alij vt Thomas Valdensis tomo secundo de Sacramentis cap. 116. quem sequitur Soto in 4. distinct. 24. quæstio. 1. artic. 1. assignant hanc diffinitionem. *Ordo est Sacramenta ministrantium habitudo legitima, cuique ratione ministerij conueniens.* Rationem huius diffinitionis assignat Soto: quia hoc nomen Ordo secundum propositam significationem significat relationem, & habitudinem inter superiores, & inferiores, vel personas ipsas, & status diuersos licèt autem hoc nomen ordo latius pateat ad res multas, dicuntur enim Religiosorum ordines, Coniugatorum, atque Virginum, & in Repub. ciuili sunt ordines: vnde Cicero,

& alij Senatum, amplissimum ordinem appellant, erant enim tres ordines, scilicet Senatorius, Equestris, & Plebeius, tamen per antonomasiam Sancti Patres hoc nomen gradibus Ecclesiæ accommodarunt, vt docerent, quod quamuis ad omnes alios magistratus ciuilis Reipubl. ad aliosque virtutum gradus extendatur: tamen inter Christianos per excellentiam ministris Ecclesiæ secundum diuersas eorum dignitates competit.

Reijcitur.

7 Verum stante hac opinione sequeretur, in Ecclesia esse tantum vnum ordinem, quod est falsum. Consequentia probatur: quia relatio, & habitudo inter superiores, & inferiores est vna in tota Ecclesia, sicut Ecclesia tota est vna congregatio sic ordinata secundum personas superiores, & inferiores, ideo res hæc melius est explicanda.

Opinio Magistri sententiarum.

8 Magister sententiarum hac dist. 24. assignat hanc diffinitionem. *Ordo est signaculum ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato.* Quam Soto vbi supra exponit vt ibi per signaculum, significetur sacramentum, & sit idem ac dicere. Ordo est sacramentum, quo potestas spiritualis significatur, & traditur in ordine ad sacrosanctum corpus Christi consecrandum. Vnde Soto deducit, quod in proposito idem sit Ordo, quod ordinatio; ordinatio enim est sacramentum vt videbimus. Atque hinc reprehendit Scotum, cui tribuit, vt supra dicebamus, quod asseruerit, ordinem esse potestatem spiritualem, quod tamen Scotus non dixit, sed eam opinionem, quæ fuit Diui Bonauenturæ reijcit, vt vidimus.

Reijcitur.

9 Cæterum hæc diffinitio non potest accommodari Ordini, vt loquimur in proposito: quia Ordinatio, quæ est sacramentum, transit, non permanet; at Ordo manet, vt patet de sacerdotio, & alijs personis ordinatis, retinent enim Ordinem, ad quem initiantur, ergo Ordo non est Ordinatio. Vnde Scotus hac quæstio. artic. 3. intendit Ordinem non esse sacramentum, seu Ordinationem.

Opinio Nauarri.

10 Eandem difficultatem patitur diffinitio adducta à Nauaro in Manual. cap. 22. num. 17. quæ est. *Ordo est sacramentum, quo traditur character, & potestas consecrandi Eucharistiam, vel in id administrandi.* Accipit enim Ordinem pro Ordinatione, quæ est sacramentum; hoc autem accidit; quia confundunt hos terminos, Ordinatio, & Ordo, vnum pro alio accipiendo.

Conc. Trident.

Concilium autem Tridentinum session. 23. canon. 3. hanc æquiuocationem innuit, dum inquit. *Si quis dixerit, ordinem, siuè sacram ordinationem non esse verum sacramentum, &c.*

Idem dicendum de diffinitione assignata à Valentia 4. par. quæst. de sacramento ordinis, de qua infra assignando diffinitionem sacramenti ordinis cum Scoto in tertio articulo.

Opinio Scoti.

11 Scotus ergo distinctius rem hanc explicat, & antequam assignet diffinitionem ordinis secundum propriam mentem, distinguit de ordine. Duobus enim

Duplex ordo

modis accipitur Ordo. Vno modo communiter, vt cum dicimus in vniuerso esse ordinem entium, siuè entia esse ordinata. De ordine in hoc sensu loquutus

Ordo communiter sumptus quid sit.

est Diuus Augustinus 19. de Trinitate Dei cap. 13. dum dixit, quod *ordo est rerum parium, dispariumque vnicuique sua loca tribuens congrua dispositio.* In eodem sensu loquutus est Aristoteles de ordine 12. Metaph. text. 52. cum dixit, omnia esse ordinata aliqualiter, & declarauit ordinem entium in vniuerso per exempla de exercitu, in quo alij sunt milites, alij centuriones, & alius Dux, & de familia, in qua sunt serui, & filij, & denique ipse Paterfamilias. Hoc eodem modo accipitur ordo in Politijs benè dispositis. Nam dispositio congrua personarum parium, & imparium in illa politia dicitur ordo illius politiæ, & ab illo denominatur ordinata.

Ordo strictè sumptus quid sit.

12 Alio modo accipitur ordo magis strictè, scilicet pro gradu præeminenti in aliqua politia. In omni enim politia dantur diuersi status, vt in Republica Romana status Senatorum, status Equestrium, & status Plebis. Et modò in omni Republ. datur status Principis, qui dicitur Principatus. datur status Prætorum, qui dicitur Prætorius. datur status Senatorum, qui dicitur Senatorius, & huiusmodi. Isti status dicuntur gradus, loquendo de eminentibus: status enim Plebeius, & inferior non dicitur gradus: neque enim ille, qui est in statu plebeio dicitur esse in gradu, vel habere gradum, sed solum status superiores, & eminentes dicuntur gradus, vt gradus Principatus, gradus Senatorius, gradus Prætorius, & similes. Vnde gradus, & dignitas idem sunt: ideò status, & gradus præeminentes dicuntur quoque dignitates. Denique illæ dignitates, & gradus solent quoque dici ordines: dicimus enim ordinem Senatorium, ordinem Equestrem, ordinem Prætorum, vel Prætorium, ordinem Principum, seu Principatum, & sic de alijs: & quando quis assumitur in Senatorem, dicimus esse de ordine Senatorio, seu habere gradum, & ordinem Senatorium, & cum quis assumitur in Prætorem, dicimus habere gradum, & ordinem Prætorium, & sic de alijs. Patet ergo, quod ordo accipitur etiam hoc secundo modo strictè, & hæc acceptio ordinis maximè in consideratione præsenti inseruit.

Secundus est ordo in ecclesia.

Diffinitio ecclesiæ catholicæ.

13 Ad propositum in Ecclesia est vterque ordo: Nam Ecclesia Catholica est quædam politia congruè disposita personarum parium, & imparium congruè loca sua vnicuique tribuens. Et sic ordo primo modo in ea reperitur. Insuper in eadem ecclesia sunt aliqui status, seu gradus, & dignitates præeminentes, vt Sacerdotium, Diaconatus, Subdiaconatus, & similes, ideò isti gradus dicuntur ordines, & personæ assumptæ ad hos gradus, dicuntur assumptæ ad ordinem sacerdotalem, Diaconatus, &c. & habere ordinem sacerdotij, Diaconatus, &c. sicut Senator dicitur habere ordinem Senatorium, vel Senatoris, & sic habent ordinem secundo modo dictum.

14 Obseruandum est tamen, quod etsi isti duo ordines sint in ecclesia, & vniuersaliter isti se concomitentur, vt vbi est vnus ordo, sit quoque alter; quia vbi est ordo primo modo, etiam necessariò reperitur aliqua persona, quæ habeat gradum præeminentem super alias: tamen non sunt vnus, & idem ordo, sed distincti, vt patet: quia primus est relatio quædam vniuersalis inter omnes personas in politia, secundus est relatio specialis vnius personæ ad alias secundum superioritatem illam specialem, quam habet. Cum ergo hic agitur de ordine, accipitur ordo secundo modo, scilicet pro gradu præeminenti in politia ecclesiastica, non autem pro ordine in prima significatione, licet ille quoque in ecclesia reperiatur vt dictum est.

15 Pergit adhuc Scotus, & obseruat, quod gradus hic, qui dicitur Ordo, de quo loquimur, habet relationem ad actum ecclesiasticum eminentem; qui enim habet ordinem, seu gradum hoc modo, habet illum in ordine ad aliquem actum ecclesiasticum, nimirum ad simpliciter, vel ad congruè, & debitè illum exequendum. Non tamen est potestas, vt dicebat Diuus Bonauentura, sed solum est dispositio ad exequendum prædictum actum vel simpliciter, vel congruo, & debito modo.

Diffinitio ordinis secundum Scotum.

Vnde ex hoc denique deducit Scotus, quod diffinitio ordinis prout in proposito loquimur, est hæc. *Ordo est gradus praeminens in ecclesia disponens ad aliquem actum ecclesiasticum eminentem.* Verum quia actus eminentes in ecclesia specialiter sunt actus respicientes sacramenta, potest assignari diffinitio specialior, & magis propria, dicendo, quod *Ordo est gradus disponens ad aliquem actum sacramentalem.*

Circa

Difficultas circa diffinitionem allatam.

16 Circa diffinitionem allatam oritur aliqua controuersia, secundum quod sunt diuersæ opiniones de episcopatu. Nam secundum asserentes episcopatum non esse ordinem, vt communiter (inquiunt aliqui) tenent Theologi, esset assignanda diffinitio specialior, & posset esse ista. Ordo est gradus eminens in ecclesia disponens de congruo ad actum aliquem pertinentem ad consecrationem, vel dispensationem Eucharistiæ. Ratio autem est, quia ratio, propter quam sustinent episcopatum non esse ordinem, est hæc: quoniam dicunt sacerdotium esse simpliciter ordinem supremum, eo quod disponit ad consecrandum Eucharistiam, qui est actus supremus, & excellentior omnibus actibus sacramentalibus, & ideo ratio omnium ordinum debet accipi in ordine ad illum. Vnde cum actus, ad quem disponit episcopatus, disponat quoque ad Eucharistiam, vt est ordinatio, & confirmatio, sit actus ordinatus ad populum vt præparetur, & corroboretur contra tentationes, vt cum puritate accedat ad Eucharistiam sumendam, inferunt, episcopatum non esse ordinem diuersum à sacerdotio. Sustinendo verò cum alijs, episcopatum esse ordinem, diffinitio ordinis erit ea, quam prius assignauimus, quia est communior, nec est restricta ad actus pertinentes ad Eucharistiam, nimirum ista. Ordo est gradus eminens in ecclesia disponens ad actum aliquem sacramentalem. Ratio huius diffinitionis est, quia episcopatus disponit ad aliquem gradum in ecclesia, qui non competit sacerdotio, cuiusmodi sunt confirmare, & ordines conferre, sunt enim actus proprij Episcopi, quos si simplex sacerdos attentaret, nihil faceret; ideò sustinendo episcopatum esse ordinem, non potest diffinitio ordinis restringi ad actus pertinentes ad cōfectionem Eucharistiæ. Quid autem sit dicendum de episcopatu, an sit ordo nec ne, in sequenti articulo explicabitur.

Ordinem sacrum dari i ecclesia probatur contra Hæreticos.

17 Quod autē hic duplex ordo detur in ecclesia Christi, inter Catholicos nulla est dubitatio, sed quanto Catholici sunt magis concordes, tanto acrius Hæretici aduersus eos insurgunt, præsertim Lutherus, qui eū hāc hæresim, vt multas alias, hausisset ab Vvicleph in libro pestilenti de Missa priuata (quam angularem vocat per irrisionem) ait, quod Hierarchia Ecclesiastica Catholicorum, in qua statuitur Summus Sacerdos ipse Pontifex Romanus, deindè Episcopi, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, &c. est similis gentilitiæ constitutioni de sacerdotibus Iouis, Veneris, & Saturni, vultq. populum Christianum debere esse simplicem, in quo nulla sit prorsus differentia personarum, nullus Laicus, nullus Clericus, nullus Monachus esse debet, sed solum Prædicatores, & sic vult ecclesiam Christi esse monstruosam quandam colluuiem hominum sinè capite, & sinè membris. Quamuis deindè quandam laicocephaliam coactus sit astruere, quia sinè ordine nulla multitudo rectè gubernari potest. Sed de his postea diligentius agemus contra Hæreticos, explicata cum Catholicis doctrina sana de ordine sacro.

Prima ratio

18 Pro nunc sufficiat illud Apostoli ad Rom. 12. *sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem mēbra nō eundē actū habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo.* Vbi hunc ordinem duplicem membrorum ecclesiæ ad vnum caput, & inter se per diuersos gradus clarissimè significat.

Secūda ratio

19 Præterea hos ordines, & gradus varijs in locis sacra Scriptura, præsertim ipse Paulus designat. Ad Timoth. cap. 3. describit qualitatem Episcopi. *Oportet Episcopum irreprahensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem. &c.*

De Sacerdote cap. 5. *aduersus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus, vel tribus testibus.* De Diaconibus in Actibus Apostolorum. De alijs ordinibus suo loco contra Hæreticos dicemus.

Tertia ratio.

20 Confirmatur authoritate Dionysij Areopagitæ, qui tempore Apostolorum floruit, & eorum discipulus fuit, qui hanc Hierarchiam ax Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus ad similitudinem cælestis Hierarchię descripsit in libro de Hierarchia Ecclesiastica cap. 5.

21 Confirmatur etiā ratione, quia Dei opera sunt perfecta: at sinè ordine, & varia dispositione graduum, & ordinū nō est possibile aliquam politiam rectè gubernari. Oportuit ergo in ecclesia sua dilecta esse ordines, & gradus debitos, & illos esse rectè dispositos, ita quod vtroque ordine esset ornata, & propter hoc, vt infra dicemus, non solum potestatem ordinis posuit in ea, sed etiam posuit potestatem iurisdictionis, sinè qua potestas ordinis nō sufficeret, atque hanc potestatem iurisdictionis sic istis ordinibus adaptauit, vt pulchra armonia in ecclesia consurgat inter supremum sacerdotem, qui est Summus Pontifex, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sacerdotes, & alios ordines, de quibus infra contra Hæreticos.

22 Vltimò confirmatur ex traditione Apostolica. Nam non solum in Concilio Florentino, & Tridentino sess. 23. cap. 2. & cano. 2. & 6. habetur determinatio de huiusmodi Hierarchia, & ordine duplici in ecclesia, sed à tempore Apostolorum per cōtinuam successionem de eadem Hierarchia, & ordinibus habetur mentio apud Sanctos Patres. Sufficiat testimonium Cornelij Papæ in epistola ad Fabium Episcopum Ecclesiæ Antiochenæ de Hæresi Nouati, quæ habetur apud Eusebium in historia Ecclesiastica lib. 6. cap. 35. de Hæresi Nouati in his verbis. *Illum igitur Lepidum Euangelij patronum Nouatum omnino preterit, scilices vnum omnino Episcopum oportere esse in hac Ecclesia Catholica, in qua tamen non ignorabat, (quomodo enim poterat) Presbyteros esse 46, Diaconos quinque, Subdiaconos septem, Acolytos 42, Exorcistas, & Lectores vna cum Hostiarijs 52, Viduas, & alios morbo egestate afflictatos mille, & quingentos, quos omnes gratia Domini, & benignitas abundè sustentat.* Hoc testimonium Cornelij Papæ, qui anno Domini 237. creatus fuit, & pro fide Christi martyrium subijt, pro omnibus satisfacere debet.

23 Sextò. Addere possumus rationē ex sacro Concilio Tridentino sess. 23. cap. 2. quæ est, quod cum tam sancti sacerdotij ministerium sit res diuina, consentaneum fuit, quo dignius, & maiori cum veneratione exerceri posset, vt in Ecclesia essent plures, & diuersi ordines, & gradus ordinatissima dispositione constitui, qui ex officio, sacerdotio inseruirent: & sic qui iam clericali essent tonsura insigniti, per minores ad maiores ascenderent, & proindè nomina, & ministeria vniuscuiusque ordinis in vsu fuisse cognoscitur ab initio ecclesiæ. Vnde de his minimè ambigendum est.

Quot sint Ordines in Ecclesia, & an prima tonsura, & Episcopatus sint Ordines.
Cap. Secundum.

24 Agit Scotus in secundo articulo huius quæstionis de numero Sacrorum Ordinum, accipiendo ordinem secundo modo, scilicet pro gradu præeminenti in ecclesia. In qua quidem enumeratione est inter Catholicos aliqua dissentio. Omnes quidem admittunt illos septem Ordines, scilicet Sacerdotium, Diaconatum, Subdiaconatum, Acolytum, Exorcistam, Lectoratum, & Hostiarium esse ordines sacros, sed discrepant, quod aliqui Catholici addunt episcopatum, quem dicunt esse ordinem sacrum separatum, & diuersum a sacerdotio, & ita isti dicunt esse octo ordines sacros. Alij addunt etiam primam tonsuram, & sic dicunt ordines sacros esse nouem.

Diffinit dunus Scotus

Qui dixerunt primam tonsuram esse ordinem, vt Maior distinct. 24. quæst. p. & Canonistæ, vt refert Nauarus in Man. cap. 22. numer. 18. adducunt pro se caput *Cum contingit*, de ætate, & qualitate. Vbi dicitur *per primam tonsuram iuxta formam ecclesiæ datam clericalis ordo confertur.*

25 Preterea prima tonsura est signum sacræ rei, signum autem sacræ rei est sacramentum.

Tertia ratio. Præterea habentes tonsuram clericalem gaudent priuilegio clericali; hoc autem videtur esse proprium ordinatis; ergo prima tonsura est sacramentum.

Reijcitur. Verum hæc opinio communiter reijcitur à Theologis, à Scoto hac dist. 24. q. 1. in responsione ad vltimum principale, à D. Thoma, D. Bonauentura, Richardo, & alijs, immò etiam Nauarus in Man. loco citato in hoc recedit à Canonistis. Ratio est, quia Ordo est gradus eminens in ecclesia, & disponens ad aliquem actum eminentem in ecclesia. At prima tonsura non est gradus eminens, immò infimus, nec disponit ad aliquem actum ecclesiasticum, sed solum est dispositio ad suscipiendum alios ordines.

Confirmatur, quia in forma conferendi primam tonsuram non fit mentio collationis alicuius potestatis, ergo nō cōfertur per eam aliqua potestas ad aliquem actum ecclesiasticum, & sic non esse Ordinem sacrum patet.

Ad primam rationem. Ad rationes in oppositum ad primam. Respondetur in eo capite accipi ordinem impropriè, scilicet pro dispositione ad suscipiendos sacros ordines.

Ad secundā. 26 Ad secundam Respondet Scotus negando primam tonsuram esse sacramentum. Ad probationem Respondet, duplex esse signum rei sacræ. Aliud practicum efficax rei sacramentalis, idest gratiæ, & hoc signum est sacramentum, vt supra visum est 1. dist. huius quarti. Aliud est signum rei sacræ, sed non practicum, vel efficax gratiæ sacramentalis, sed dispositionis ad ordines sacros, & hoc modo prima tonsura est signum rei sacræ, & hoc non est sacramentum.

Ad tertiam. 27 Ad tertiam Respondet concedendo habentem primam tonsuram gaudere priuilegio Clericali, at falsum est, gaudere de priuilegio clericali esse proprium ordinis sacri, quoniam illo priuilegio gaudent laici conuersi in Religionibus, nec tamen habent ordinem sacrum.

28 Preterea illud est priuilegium, quod Legislator posset concedere alicui simpliciter laico, ideò ex hoc non habetur quod sit ordo, & sacramentum.

Tonsura non est spernēda. 29 Obseruandum est tamen primò, quod licet prima tonsura non sit ordo, nec sacramentum, tamen nō est spernēda, vt heretici Lutherani, & alij obstrepūt vocātes clericos catholicos rasos, siuè tōsos. Ratio est, quia hic est ritus antiquissimus, quo sacratos Deo solitū fuit insigniri in memoriam coronę spineę, qua Saluator noster coronatus fuit in Cruce. Vnde Beda lib. 5. de gest. Anglorū hanc coronā in capite detulisse Petrum Apostolum refert, & subdit, q sicut omnis ecclesia per mortem sui viuificatoris facta est, ita oportet eos, qui monachi votum, vel gradum clericatus habentes altioribus se continentiæ frænis adstringunt, coronam in capite gestare. De hac tonsura habetur a 3. cap. *Prohibetur.* & in Concilio Toletano 4. cap. 41. & Dionysius lib. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. par. 2. ait, quod Episcopus dum quemlibet sacris initiat, consignans eum crucis signo tondet. Adhibetur etiam tonsura ad designādum sæculi renuntiationem, quam facit Clericus, cum diuino seruitio se adstringit, & dicit. *Dominus pars hæreditatis mea, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meā mihi.* Ad quam renuntiationem tamen nec de iure diuino, nec humano cogitur Clericus, vt ait Bonauentura hac distin. 24. art. 1. q. 3. Quia autem qui renuntiant mundo sunt in duplici discrimine, quia alij incumbunt contemplationi, vt Clerici, qui Choro addicti sunt; Alij verò seruitijs monasterij aptantur; primi tonsura in forma coronæ tōdentur, licet ad nullum ordinem, nec primæ tonsuræ sint initiati; secundi verò insigniuntur alia tonsura, sed non in modum coronæ, vt laici professi in Religionibus.

Prima tonsura non est de essentia sacramenti. 30 Obseruandum est secundo tonsuram nō esse de essentia sacramenti ordinis, illud enim perficitur ex sua materia, & forma, vt alia sacramenta, reliqua quæ adhibentur sunt sacramentalia, de quorum numero est prima tonsura; peccaret tamen mortaliter tam Episcopus ordinans, quam ordinatus, si ordinaret aliquem ad ordines minores, vel maiores omissa prima tonsura.

Qui tenētur deferre coronam. 31 Obseruandum est Tertiò. Clericos, qui receperunt primam tonsuram teneri ad deferendum coronam, seu capillorum tonsuram, quoniam hoc in multis capitibus iuris Canonici præcipitur, vt patet distinct. 23. de vita, & honestate, & cap. *Si quis*, habetur, *si quis ex Clericis comam relaxauerit, anathema sit.* Quod non intelligitur ita vt ipso facto non deferens coronam sit excommunicatus, sed est comminatoria, ita quod si admonitus innobediens sit, excommunicatur. Ad hoc præceptum tamen non omnes clerici tenentur, sed solum ij, qui gaudent priuilegio clericali, & habent aliquod beneficium; qui verò renunciāt beneficio clericali, etiamsi ad primam tonsuram, & ad quatuor ordines minores sint initiati, & velint viuere in statu laicali, non solum non tenentur, sed prohibentur eam deferre, vt patet cap. *contingit* 2. de senten. excommunicationis, & multò minus Clerici coniugati, vt in titulo de Clericis coniugatis cap. *Ioannes*. Clerici coniugati tamen habentes beneficium aliquod ecclesiasticum ex dispensatione Papæ, vbi est consuetudo, quod tales deferant tonsuram, illam ferre debent iuxta prædictum caput *Ioannes*, & glosam ibidem in verbo *Beneficium ecclesiasticum*, & qui nollent eam deferre, ter admoniti, vt in dicto cap. *contingit* secundo priuantur beneficio clericali. Bigamus etiam non solum non tenetur deferre tonsuram, sed non potest eam deferre: quia specialiter priuatur omni beneficio clericali, & prohibetur deferre tonsuram cap. *Altercationis* in sexto. Ex dictis habemus falsum esse, ordines sacros esse nouem, quia prima tonsura non est ordo sacer.

An episcopatus sit ordo distinctus à sacerdotio. 32 Maior difficultas est de episcopatu an sit Ordo distinctus à sacerdotio. Duæ enim sunt opiniones oppositæ. Altera asserit episcopatum esse ordinem distinctum à sacerdotio, & hanc sustinent omnes illi, qui dicunt ordines sacros esse octo, qui sunt Altisiodorensis in summa lib. 4. cap. de sacramento ordinis quæst. 1. Paludanus distinct. 24. quæst. 7. Durandus distinct. 24. quæst. 6. Valdensis tomo 2. de Sacramentis cap. 116. Nauarus in Manual. cap. 22. num. 18. & nonnulli alij. Pro hac opinione variæ rationes adducuntur. *Prima opinio.*

Prima ratio. 33 Primo loco fit authoritas B. Isidori lib. 7. Ethimologiarum adducta distinct. 21. cap. *Cleros*, qui enumerans ordines sacros, enumerat quoque episcopatum, ait enim. *Generaliter autem clerici nuncupantur omnes, qui in ecclesia Christi deseruiunt, quorum gradus, & nomina sunt hæc. Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.* Immò secundum B. Isidorum sunt nouem, quia enumerat Psalmistam, & 32. c. 1. ordines maiores quatuor enumerantur, & eorum primus statuitur episcopatus. Subdiaconatus enim dicitur quartus ordo à capite, quem statuit ibi esse episcopatum, secundus sacerdotium, tertius diaconatus. Et ille canon sumitur ex epistola D. Leonis Papæ 82. cap. 3. & 4. & Glosa in verbo *à capite*, citat alia iura, & Concilium Tridentinum sess. 23. canon. 7. decernit negantes Episcopos esse superiores Presbyteris, esse anathematizandos, & huic loco dicit Nauarrus vbi supra se non posse respondere bona fide. & cap. 4. eiusdem sessionis Concilium enumerat episcopatum inter alios ordines sacros.

Secūda ratio. 34 Secundò. Ideò Subdiaconatus, & Diaconatus sunt ordines sacri, quia immediatè ordinantur ad Eucharistiam, scilicet ad ministrandum sacerdoti in Eucharistia: At actus episcopalis, & functiones eius ordinantur quoque ad Eucharistiam conficiendam; ergo. Minor probatur: quia Episcopus ordinat ministros sacramenti Eucharistiæ; consecrat vasa, & vestes inseruientes ministerio Eucharistiæ; ergo.

Tertia ratio. 35 Tertiò. Sacramentum est signum efficax, & causa gratiæ sanctificantis suscipientem: At in consecratione, & ordinatione episcopali confertur Episcopo gratia ipsū sanctificās; ergo ordinatio episcopalis est sacramētū. Minor probatur, quia episcopus eget altiori gradu sancti-

ctita-

ctitatis, quam presbyter, quia habet ampliorem administrationem ecclesiæ, ergo sequitur, quod per suam consecrationem, gratiam recipiat eum sanctificãtem ad sua munera obeunda.

Quarta rõ. 36 Quartò est ratio fundamentalis, quã adducit Scotus in hac q. ar. 2. Episcopo cõuenit specialis potestas spiritualis inquantum Episcopus. Aut ergo illa potestas erit potestas ordinis, aut potestas iurisdictionis. At nõ est potestas iurisdictionis: quia hæc auferri potest per superiorẽ, si ergo potestas episcopalis esset iurisdictionis, posset illi auferri à superiore aliquo, vt ab Archiepiscopo, vel Pontifice sũmo, quod est falsum. Falsitas hæc patet: quia alia consecratio multo minor consecratione episcopali, non posset tolli per potestatem superioris, vt est consecratio Altaris, aquæ, & huiusmodi, vt habetur cap. *Aqua* in glosa. Relinquitur ergo quod sit potestas ordinis, ergo episcopatus est Ordo. Maior autẽ, quod potestas episcopalis sit vel ordinis, vel iurisdictionis probatur, quia omnis potestas vel est ordinis, vel iurisdictionis, & nulla alia datur.

Scotus putat hanc opinionem esse probabilem. 37 Propter has rationes, præsertim pp hanc quartã Scotus in hac q. a. 2. tenẽt hanc sententiam esse probabilem, sustinendo autem hãc opinionem potest dici, quod episcopatus sit ordo superior, & eminentior, quam sacerdotiũ, potest etiã dici, quod sit ordo inferior sacerdotio, & hoc secundum diuersa fundamenta. Quorum primũ est. Quod ille dicatur eminens gradus, & superior, qui respicit plures actus. Secundum fundamẽtum est, quod ille dicatur nobilior gradus, & eminens, qui respicit nobilissimum actum. Quod autem his duobus diuersis respectibus aliquis gradus dicatur nobilior, & eminentior altero in quacunque pollitia, probatur: quia verbi gratia potest quis in aliqua pollitia habere actum eminentiorẽ alijs, vt est iudex in aliqua pollitia: hic enim licet respiciat vnicum actum, tamen quia est actus excellẽtissimus, est gradus excellentior multis alijs gradibus, quibus cõpetunt plures actus, sed ignobiliores. E conuerso aliquis gradus potest esse eminentior altero, quia respicit plurea actus, in quibus ille quoque continetur, qui est eminentior. Vt si quis in aliqua pollitia sit simul iudex, & habeat aliqua munera inferiora. Ad propositum, qui vult sustinere, quod episcopatus sit ordo nobilior presbyteratu, potest illud sustinere hoc fundamento, quia est gradus eminẽtior, & superior sacerdotio ratione vniuersalitatis actuum, quos respicit: Quoniam licet sacerdotium respiciat actum nobilissimum, scilicet Eucharistiam, tamen episcopatus respicit nõ solum Eucharistiam, sed etiã alios actus, quos non respicit sacerdotium, scilicet confirmare, & ordinare. Qui verò vult sustinere, quod sit ordo diuersus à sacerdotio, & tamen non sit nobilior sacerdotio, potest sustinere hoc alio fundamento. Quia licet episcopatus includendo sacerdotium sit eminentior gradus sacerdotio, tamen consideratus præcisè secundum illud, quod addit episcopatus super sacerdotium, nõ est ita excellens gradus sicut sacerdotium: quia actus illi confirmare, & ordinare non sunt actus ita nobiles, sicut actus confectionis Eucharistiæ.

38 Quod si quis dicat. Actus imperfectior, seu ordo imperfectior non præsupponit perfectiorem, at ex dictis ordo episcopatus est imperfectior sacerdotio; ergo non potest illum præsupponere. Respondit Scotus, quod sustinentes episcopatum esse ordinem sacrum, non habent pro inconuenienti asserere, quod imperfectior ordo præsupponat perfectiorem, quando imperfectior addit aliquam vniuersalitatem ad actus ecclesiasticos, quam non includit ille, qui est perfectior, sed habet solum ordinem ad actum nobiliorem; episcopatus autem addit hãc vniuersalitatem super sacerdotium, quod habet solum ordinem ad actum nobiliorem, qui est Eucharistia.

Opinio asserẽs epi(s)copa- 39 Ex altera parte multi alij tenent, episcopatum nõ esse ordinem sacrum, siuè sacramentum distinctum ab ordine sacerdotij, vt D. Thomas in 4. dist. 24. Soto ibidem q. 2. art. 3. Richardus eadem dist. art. 5. q. 2. D. Bonauen. eadem dist. par. 2. art. 2. q. 3. citatur etiam à Valentia Alexander Alensis 4. p. q. 79. memb. 8. & qu. 80. memb. 4. sed ego in mea summa Alexandri de Ales, has duas quæstiones non inuenio. Citatur etiam Albertus Magnus in 4. dist. 24. art. 5. Bellarminus lib. 1. de Clericis cap. 11. Isti ergo cum quibus alij sentiunt, dicunt episcopatum non esse ordinem sacrum, neque imprimere characterem. Pro hac opinione adducuntur istæ rationes præsertim. *(tum non esse ordinẽ distinctũ a sacerdotio.)*

Prima ratio 40 Prima in qua faciunt vim est hæc addocta à Diuo Thoma, Diuo Bonauentura, Richardo, Soto, & alijs. Vnus ordo non dependet ab alio quantum ad necessitatem sacramenti, ita quod non est necessarium simpliciter suscipere priorem ad susceptionẽ posterioris: etenim si quis suscipiat Presbyteratum absque ordine Diaconatus, verè ordinatur ad sacerdotium, licet peccet, vt patet extra de Clerico per saltum promoto. At si quis ordinetur, seu consecretur in Episcopum sine sacerdotio, nihil fit, ergo signum est, quod episcopatus non est ordo per se distinctus a sacerdotio, quia tunc sinè alijs ordinibus posset recipi, & tamen non recipitur.

Secũda ratio 41 Secundò. In ordine episcopali non imprimitur character proprius distinctus à charactere sacerdotali; ergo episcopatus non est ordo. Antecedens probatur, quia si in ordinatione episcopali imprimeretur character, esset superior charactere sacerdotali, atque proindè contineret characterem sacerdotalem; hoc autem est falsum: quia tũc quis non sacerdos ordinatus in episcopum posset conficere Eucharistiam, quod est falsum. Consequentia aũt probatur, quia episcopatus si est ordo, est superior sacerdotio, ergo etiam character esset superior sacerdotali charactere. Prima autem consequentia patet, quia in quolibet cum sit irreiterabilis imprimitur charactere.

Tertia ratio. 42 Tertiò. Sacramentum ordinis confertur in Sabbathis quatuor temporum, episcopatus verò non nisi diebus Dominicis, ergo apparet non esse ordinem propriè dictum sicut alios septem, quia eodem tẽpore cõferetur.

Quarta rõ. Quartò. In tota Episcopi consecratione nulla apparet forma, nec materia sacramenti, siuè species vnctiones, siuè traditionem baculi, & impositionem mitræ, & alias cerimonias; ergo non est sacramentum.

Quinta ratio Quintò, & hæc est efficacior ratio, quæ adduci possit. Communis, & antiqua traditio Ecclesiæ habet quod sint tantum septem ordines sacri ecclesiastici; ergo episcopatus non est ordo sacer.

Sexta ratio. Sextò. Omnis ordo sacer ordinatur ad sanctissimum Eucharistiæ sacramẽtum, hic enim est actus excellentissimus super omnes. At ordo episcopatus non ordinatur ad actum Eucharistiæ; ergo, in hoc autẽ argumento Scotus facit maximam vim, vt videbimus.

43 Propter rationes istas hæc opinio asserit episcopatum non esse ordinem sacrum diuersum à sacerdotio, neque per illum imprimi characterem nouũ in suscipiẽte, sed characterem sacerdotalem extendi ad aliqua munera, & ad aliquos actus, ad quos nõ se extẽdebat prius; qui actus sunt confirmare, & ordinare. Verum authores huius opinionis altercantur deinde inter se, an potestas ista, & gradus episcopalis, seu characteris huius extensio sit delebilis à Papa deponente episcopum. Scotus autem inquit, hãc altercationem esse vanam, quia cum ipsi negẽt episcopatum esse ordinẽ sacrum, sequitur necessariò esse delebilem talem gradũ, & potestatem. Adducit rationem Scotus, quia omnis authoritas, quæ est in Ecclesia, est vel ordinis, vel iurisdictionis; per authores istos potestas episcopalis non est potestas ordinis; ergo est potestas iurisdictionis. At quæcunque potestas iurisdictionis per superiorẽ potest suspendi, vel totaliter tolli; ergo per Papam, qui est supremus superior in Ecclesia posset tolli potestas episcopalis, ita quod si attentaret, nõ confirmaret, nec ordinaret, quod est falsum, & contra omnes. *(An episcopalis character sit delebilis.)*

Opinio Scoti. 44 Propter hanc rationem Scotus videtur dissentire ab hac secũda opinione, & sentire cum Canonistis: Quia certum est, Episcopatus potestatem non posse tolli nec in parte, nec in toto à Pontifice, ita quod si Episcopus attentet, non faciat, licèt faciendo peccaret; ergo videtur velle, quod Episcopatus sit ordo. Vnde dicit etiam primã rationẽ pro hac secunda opinione, quę est eius principalẽ fundamẽtũ, non cõcludere pro ipsa, sed potius esse p prima opinione, quod probat sic. Ex ea ratione habetur, quod Episcopatus includit necessariò ordinem Sacerdotij, vnde si nõ Sacerdos ordinetur in Episcopum nihil fit; At hoc concludit Episcopatum non solum esse ordinem, sed esse simpliciter perfectiorem ordinem, quam sit Sacerdotium. Ratio est: quia includit intimius sacerdotiũ, & alios ordines, quam Sacerdotium alios ordines: Nam sacerdotium potest cõferri sine alijs ordinibus, vt patet de Clerico per saltum promoto, Episcopatus autem non potest cõferri sine sacerdotio, ergo intimius includit sacerdotium, & alios ordines, quam sacerdotiũ, & sic non solum est ordo, sed ordo perfectior alijs ordinibus etiam sacerdotio. Nihilominus Scotus non inhęret mordicus huic opinioni, sed inquit, *quidquid sit de ista cõtrouersia de Episcopatu, &c.* & dat alium modũ sustinendi sacros ordines esse tantùm septem. Vnde videtur problematicus, & dare modum sustinendi vtramque opinionem.

Primaratio hac secunda opinione concludit cõtra eum.

Scotus est problematicus.

45 Inquit ergo certissimum esse, actum nobilissimũ in Ecclesia esse cõsecrationem Eucharistiæ, & hac ratione sacerdotium esse ordinem præstantissimum, quia est gradus disponens ad huiusmodi actum excellentissimũ. Hoc supposito, & sustinendo diffinitionem ordinis eam esse, quam priori loco articulo præcedẽti assignauit Scotus, scilicet, quod Ordo est gradus eminens in Ecclesia disponens de congruo ad actum aliquem pertinentem ad consecrationem, vel ad dispensationem Eucharistiæ, est dicendum ordines sacros esse tantum septem. Ratio est quia sunt tantum septem gradus disponentes ad consecrationem ipsam. Quod explicatur, & declaratur simul quinam sint isti ordines. Primus gradus immediatè disponens ad ipsam Eucharistiam consecrãdam est sacerdotium. Secundus gradus est disponens ad dispensationem Eucharistiæ, saltem sanguinis, & hic est ordo Diaconatus. Tertius gradus disponit ad oblationem materiæ Eucharistiæ consecrandæ, & hic est Subdiaconatus. Isti sunt ordines sacri, & maiores dicũtur, quia immediatè disponunt ad actum aliquem, vel ad aliquod ministerium circa Eucharistiam, vel circa materiam eius exhibendam.

Septem ordines qui.

Ordines maiores.

Ordines minores. Vlterius dantur aliqui alij gradus, qui disponũt ad aliquos actus remotè se habentes ad Eucharistiam, nimirũ ad præparandum, & disponẽdum populum ad Eucharistiam suscipiendam, vel illam adorandam, vel ad remouendum impedimentum circa confectionẽ Eucharistiæ. Quia ergo requiritur in suscipiẽte Eucharistiam deuotio, & oratio, datur quarto loco ordo Acolytus, seu Acoluius, ad quem spectat hanc deuotionem excitare in suscipiẽte Sacramentum Eucharistiæ per bonæ vitæ exemplum, vt luceat lux eorum coram hominibus, vt videant eorum opera bona. propterea deferũt luminaria, seu cereos accensos ante sacerdotem procedentem ad Altare, & cum legitur Euangelium ad significandum hanc illuminationem bonorum operum, quibus disponãt alios ad deuotionem, & orationem. Vnde Acolytus, & Ceroferarius idem est. Sunt tamen qui dicant munus Acolyti esse subministrare materiam Eucharistiæ ipsi Subdiacono, vnde in eius ordinatione traduntur illi ab Episcopo Vrceoli cũ aqua, & vino, & Acolytus Græcè idem est Latinè quod famulus. Vnde dicitur Acolytus, idest famulus, & subseruiens ministris Altaris ad Eucharistiam. Quinto loco est gradus disponens ad cognitionem veritatis, & ad prębẽdum documenta populo necessaria ad salutem, & hic est ordo Lectoratus. Sexto loco est gradus ordinatus ad auferendum impedimentũ in populo circa Eucharistiam: impedimentum autem prouenire potest à duplici causa, nimirum ab indignis hominibus, ideo isti arcendi sunt ab Ecclesia, & ab Eucharistia, tum quia sunt indigni, tum ne hoc sacrificium, & Sacramentum irrideãt, & ideo est ordo Ostiarij, ad quem spectat claudere hostiũ Ecclesiæ, ne indigni accedant. Aliud impedimentum prouenit à dæmonibus impediẽtibus Christianos à susceptione huius Sacramenti, & offerentibus multa incõmoda, & mala ipsis hominibus, & corpora vexando, vt patet in Energumenis, ideo datur septimus ordo, qui est Exorcistatus, in quo confertur potestas eijciendi dæmonia ex corporibus obsessorum, & eos profligandi, & defendendi fideles ab eorum oppressionibus. Ex sic patet, quod accipiendo ordinem, quatenus est gradus disponẽs ad aliquem actũ circa Eucharistiam, sunt septem ordines tantùm, & sunt enumerati. Et quia regulariter ordines sacri semper in Ecclesia sumpti sunt in ordine ad Eucharistiam, hoc est quod communiter semper antiquitus seruata est in ecclesia hęc traditio, quod sint septem ordines sacri, quæ proculdubio est retinẽda, quia innititur relationi ad Eucharistiam, quæ est optimum fundamentum propter dignitatem, & excellentiam actus illius præstantissimi.

Ordo Acolyti.

Ordo Lectoratus.

Ordo Ostiarij

Ordo Exorcistæ.

Quomodo vtraque opinio sustineri possit. 46 Sustinendo autem ordinis diffinitionem esse illã, quæ secundo articulo secũdo loco assignata est, nimirum istam. Ordo est gradus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem Sacramentalem exequendum, dicendũ est Episcopatum esse ordinem, & sic ordines sacros esse octo, & sic potest vtraque opinio Canonistarum, & aliorum Theologorum conciliari, vel sustineri. Rationes n. Canonistarum procedunt de ordine accepto hoc secũdo modo scilicet pro gradu eminenti disponente ad aliquẽ actum Sacramentalem. Rationes autem pro secunda opinione procedunt accipiendo ordinem primo modo diffinitum, eo enim modo accipiendo ordinem, patet, q Episcopatus non est ordo, quia non ordinatur ad actum Eucharistiæ conficiendum, vel ministrandum. Hoc eodẽm modo videntur D. Thomas, Soto, & alij has duas opiniones conciliare dum dicunt, quod Episcopatus non est Sacramentum ordinis, sed tamen est ordo, hoc est dignitas, & gradus altior sacerdotio, cui eminẽtiora officia sunt annexa, in re enim fatẽtur Episcopatũ esse gradum eminentem in Ecclesia, cui competit confirmare, & ordinare, qui sunt actus sacramentales excellẽtissimi, negant vero esse Sacramentum propriè, quia volunt, quod Sacramentum propriè dicat ordinem proximum ad aliquem actum ordinatum ad Eucharistiam, hunc autem non habet Episcopatus vt dictum est, nisi remotè, quatenus ordinat, & confert sacerdotium, ad quod spectat deinde proximè conficere Eucharistiam.

Ad rationes pro prima opinione. 47 Ad argumenta ergo pro prima opinione Respõdetur, illa omnia concludere, Episcopatum esse ordinem sacrũ secundo modo, scilicet quatenus est gradus disponens ad actum aliquem sacramentalem. Et per hanc responsionem satisfit authoritati Isidori, & Canonibus adductis, licèt authores alijs sustinentes Episcopatum non esse ordinem sacrum, respõdeant dicendo, illum non esse Sacramentum, sed sacramentale, sicut & alia, quæ adducit Isidorus, vt est Psalmista. Sed loquendo de Episcopatu, nulli dubium est dicendum esse eum esse ordinem, & gradum in Ecclesia modo prædicto, & hoc est quod intendunt Canones illi, & Concilium Tridentinum.

Ad primam

Ad secundã Ad secundam Respõdetur, quod licèt Episcopatus ordinet sacerdotem, non tamen proximè, sed tantũ remotè se habet ad actum Eucharistiæ, & hac de causa non est ordo primo modo, sed solum secũdo modo vt dictũ est.

Ad tertiam. Negant Soto, & alij eiusdem opinionis conferri gratia in ordinatione Episcopali. Verùm cũ sit gradus eminens, & disponens ad actum ecclesiasticũ & consequenter sit ordo, cõcedendũ est in eo conferri gratiam, & sic concluditur esse ordinem sacrum secundo non primo modo.

Ad tertiam

Ad quartã. Ad quartam patet ipsam concludere, Episcopatum esse

esse ordinem sacrum secundo modo, est enim ratio fundamentalis primæ opinionis.

Ad rationes pro secunda opinione. *Ad primã.*

48 Ad rationes pro secunda opinione, patet illas cõcludere non esse ordinem, primo modo scilicet quatenus ordo est gradus eminens disponens ad aliquem actum circa Eucharistiam, non autem concludunt non esse ordinem secundo modo. Ideo ad primam respondit Scotus, quod illa ratio non valet pro authoribus, qui illam faciunt, sed potius est contra illos, quoniam ex illa magis deducitur, episcopatum esse ordinem sacrum, quia intimius, & essentialius includit sacerdotium, quam sacerdotium alios ordines, & actus illorum, ideò essentialiter est ordo sacer, & præstantissimus ratione vniuersalitatis, vt dictum est supra.

Ad secundã.

Ad secundam Respõdetur siuè dicamus in episcopatu imprimi nouum characterem, seu characterem sacerdotalem extendi, semper verum esse, quod character episcopalis est præstãtior charactere sacerdotali. Vnde negatur absurditas consequentis. Ad rationem contra hoc Respondetur, quod non potest dari episcopus nõ sacerdos, quia ordo episcopatus intimè includit sacerdotium, vt dictum est.

Ad tertiam

Ad tertiam Respondetur, illud concludere esse ordinẽ diuersum ab alijs, qui immediatè, & directè distinguntur ad actum eucharistiæ, vt dictum est; non tamen concludere nullo modo esse ordinem.

Ad quartã.

Ad quartam Respõdetur, falsum esse in ordine episcopali nullam conferri potestatem, patet enim quod confertur potestas confirmandi, & ordinandi, qui sunt actus sacramentales excellentissimi.

Ad 5. & 6.

Ad alia duo patet ex dictis supra, illa concludere, episcopatum non esse ordinem sacrum primo modo, non autem concludere non esse ordinẽ sacrum secũdo modo.

An omnes isti ordines sint verè Sacramenta.
Caput Tertium.

49 AGit Scotus in 3. art. de diffinitione Sacramenti ordinis. Vbi primò obseruat ordinem, accipiendo ordinem propriè, prout est gradus eminẽs in ecclesia, vt visum est in primo cap. non esse sacramentum. Ratio est quia omne sacramẽtum est signum sensibile, vt diximus in principio huius 4. agendo de diffinitione sacramenti. At ordo eo modo acceptus nõ est quid sensibile, sed quid spirituale: quia est gradus spiritualis existens in anima.

Quomodo ordo sit res, & sacramẽtum.

Subiungit tamen Scotus, quod ordo etiam sic pro gradu spirituali sumptus, potest aliquo modo dici sacramentũ, nimirum eo modo, quo aliquid dicitur res, & sacramẽtum. Neque enim inconueniens est, quod aliqua res spiritualis sit signatum, & etiam sit alicuius alterius rei signũ & hoc modo sit res, & simul signum rei sacræ, & consequenter sit etiam sacramentum.

Corpus Christi situ alteri quomodo sit res & sacramentum.

Nam corpus Christi in sacramento Altaris est res, & signum. Est res signata per verba, & species, quæ sunt sacramentum, illa enim sunt signum sensibile corporis Christi existentis sub illis speciebus, & rursus corpus ipsum Christi ibi existens modo inuisibili est signum sui ipsius in esse visibili species. n. illæ in eucharistia, vt exponit D. Bonauentura in hoc 4. dist. 10. p. p. in expositione litteræ quatenus continent inuisibiliter corpus Christi visibile, & sic quatenus continent corpus Christi inuisibiliter, sunt sacramentum, & corpus Christi est res, quatenus verò continent corpus, quod est visibile in se (licèt modo inuisibili) ipsum corpus est signum sui ipsius, quod est visibile, & sic corpus Christi est res, & sacramentum, accipiendo sacramentum pro signo rei sacræ. Ita ordo acceptus pro gradu spirituali vt dictum est, est res, & sacramentũ. Est res, quia est gradus, & effectus significatus, & productus per ordinationem factam, quæ vt videbimus, est propriè sacramẽtum. Est verò sacramentum, quia est signum illius gradus cõuenientis tali gradui. Sacerdotium enim est signum spirituale actus conficiendi sacramẽtum Eucharistiæ, & sic de alijs, & proinde est signum rei sacræ, & consequenter est sacramentum.

Soto reijcitur.

50 Hinc patet Soto in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. conclusione 2. non rectè intellexisse Scotum, & ei malè imponere quod negauerit ordinationem esse sacramentum. Nõ enim aduertit Soto, Scotum facere differẽtiam inter ordinem, & ordinationem, atque negasse quidem ordinẽ esse sacramentum propter rationes primo cap. supra adductas: At loquendo de ordine accepto pro ordinatione quomodo cõmuniter à Concilio Tridentino, & à Theologis accipitur, non solum non negamt, sed disertissimè asserit esse sacramentum, vt nunc infra videbimus.

Sacramentũ ordinis est ordinatio sacra.

51 Accipiendo ergo sacramentum pro signo sensibili efficaciter significante, & efficiẽte gratiam ex institutione diuina ordinato ad salutem hominis viatoris, vt diximus supra in principio huius 4. Scotus dicit, quod non Ordo, sed Ordinatio est sacramentum, & est septimũ sacramentum Ecclesię, cuius assignat talem diffinitionẽ.

Diffinitio sacramenti ordinis.

Ordinatio est institutio alicuius in gradu Ecclesiæ praeminente, cui conuenit aliquod ministerium circa Eucharistiã exhibendum facta à ministro idoneo, certa verba proferente, & simul cum debita intentione, ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans, ex institutione diuina efficaciter significans gratiam praeminentem, qua ordinatus dignè aliquid ministerium exequatur.

52 In hac diffinitione genus est. *Institutio alicuius in gradu Ecclesiæ prȩeminente.* hoc enim commune est potestati iurisdictionis, & ordinis, vtraque enim est institutio quædam in gradu eminenti in Ecclesia. Prima differentia est. *cui cõuenit aliquod ministerium circa Eucharistiã exhibendũ.* per hãc hæc institutio distinguitur à potestate iurisdictionis, & cõstituitur in proprio esse sacramenti: diximus enim ordines sacros omnes sumi in ordine ad Eucharistiam. Tertia particula est. *Factu à ministro idoneo,* per quã significatur, minister huius sacramenti, qui est Episcopus *certa verba proferente, & simul cum intẽtione debita ministerium gradus illius aliquo signo visibili reprȩsentans,* est quarta particula, & differentia, quæ explicat materiam, & formam huius sacramenti *efficaciter significans gratiam prȩeminentem qua ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur.* est quinta particula, qua effectus huius sacramenti significantur.

Diffinitio ordinis sacerdotalis.

53 Ex hac diffinitione communi sacramenti ordinis possumus assignare, inquit Scotus, diffinitionem particularem cuiuscunque ordinis particularis, & primò de sacerdotio sic. *Sacerdotium est institutio alicuius in gradu Ecclesię simpliciter prȩeminente disponens habẽtem ad cõficiendum eucharistiæ sacramẽtum facta ab Episcopo certa verba cum debita intentione proferente.*

Diffinitio Diaconatus.

Diffinitio Diaconatus erit hæc. *Ordo Diaconatus est institutio alicuius in gradu prȩeminente in ecclesia, disponens habentem ad dispensationem eucharistię saltem sanguinis factu ab Episcopo certa verba cum debita intentione proferente.*

Diffinitio Subdiaconatus.

Subdiaconatus ordinis diffinitio erit. *Subdiaconatus ordo est institutio alicuius in gradu prȩeminente ecclesia disponens habentem ad oblationem materię eucharistię consecrandę facta ab Episcopo certa verba cum debitu intentione proferente.*

Diffinitio Acolyti.

Ordo Acolyti sic diffiniri potest. *Acolytiardo est institutio in gradu prȩeminente in ecclesia disponens habẽtem ad disponẽdum populum ad deuotionem debitã pro susceptione digna eucharistię sacrosanctę facta ab Episcopo, certa verba simul cum intentione debitu proferente.*

Diffinitio ordinis Lectoratus.

Diffinitio ordinis Lectoris potest esse hæc. *Ordo Lectoris est institutio in gradu prȩeminenti ecclesię disponens habẽtem ad docendum populum, & ad dandum debita documenta necessaria populo ad salutẽ. facta ab Episcopo certa verba simul cum intentione debitu proferente.*

Diffinitio ordinis Hostiarij.

Diffinitio ordinis Hostiarii est hæc. *Hostiarij ordo est institutio alicuius in gradu ecclesię prȩeminenti disponens habentem ad arcẽdum indignos à sacrosancta eucharistia facta ab Episcopo certa verba simul cum debita intentione proferente.*

Diffinitio ordinis Exarcista.

& tandem Exorcistæ ordo sic potest diffiniri. *Exarcistę*

ordo est institutio alicuius in gradu praeminenti in ecclesia disponens habentem ad expellendum demones vexãtes populum fidelem, & arcẽtes illum à sanctissima Eucharistia, facta ab Episcopo certa verba cum debita intentione proferente. Hæ possunt esse diffinitiones prædictorum ordinum secũdum doctrinam assignatam à Scoto, per quã vt patet, clarè exprimitur essentia, & natura vniuscuiusque ordinis.

An omnes ordines participẽt rationem sacramenti.

54 Verũ hic est difficultas, an omnes isti ordines sint sacramenta, siuè participent rationem sacramenti, ita quod vnaquæque ordinatio reuera sit sacramentum cõferens gratiam gratum facientem, & imprimens characterem. In hac re omnes Theologi, & Catholici conueniunt sacerdotium esse sacramẽtum, quod est certum, & probatur facilè. Illud est sacramentum nouæ legis, quod est signum sensibile efficaciter significans gratiam, institutum a Deo ad salutem hominis viatoris: sed ordinatio ad sacerdotium est huiusmodi, ergo Maior est probata supra agendo de diffinitione sacramenti. Minor probatur, quia ordinatio illa in sacerdotium est signum sensibile, constat enim ex materia, & forma, vt infra videbimus, & est instituta à Christo Dño in vltima Cęna, in qua tradidit Apostolis panem, & calicem cum vino, & dixit, accipite, & comedite, hoc est corpus meum, & Deinde dixit illis, hoc facite in meã cõmemorationem. demum significat efficaciter gratiam, quia per hanc ordinationem confertur gratia sanctificans hominem iuxta illud idest ad Timot. cap. 4. *Noli negligere gratiã, quæ est in te, quę data est tibi per impositionem manuum presbyterij.*

Secũda ratio confirmatur

55 Potest confirmari alia ratione, quę reddit in idem. Ad hoc vt aliquid sit sacramẽtum nouę legis, requiritur, quod sit cerimonia sensibilis instituta à Christo cũ promissione gratię. At huiusmodi est ordinatio in sacerdotium; ergo Maior conceditur communiter. Minor probatur. Nam quod ordinatio in sacerdotium sit cærimonia sẽsibilis instituta à Christo, patet, quia Christus Dominus in vltima Cęna Matth. 26. instituit hanc cerimoniam sacram, dum tradidit Apostolis panem, & calicẽ, & dixit illis, hoc facite in meam commemorationem. Quod autẽ adfuerit promissio gratiæ, patet, quia de facto Paulus testatur per hanc ceremoniam conferri gratiam, dum ad Tim. 1. dixit: *Noli negligere gratiam, quæ est in te per impositionem manuum presbyterij.*

Tertia ratio.

56 Tertio probatur ex traditione perpetua ecclesiæ, de qua apertissimum testimonium est illud D. Augustini lib. 1. contra epistolam Parmeniani cap. 13. vbi de Baptismo, & ordinatione sacra sacerdotis habet hæc verba. *Vtrunque enim sacramentum est, & quadam cõsecratione vtrunque homini datur, illud cum baptizatur, istud cũ ordinatur adeoq; in Ecclesia Catholica vtrũque nõ licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore suscepti sunt: & si visum est opus esse, vt eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut Baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum est, non in sacramentis, quæ vbicunque sunt, ipsa vera sunt.* Et demum in Concilio Florẽtino in instructione Armenorum diffinitur sextum sacramentum nouæ legis esse ordinem, & in Concilio Tridentino sess. 23. cap. 3. dicitur quod cum perspicuum sit scripturæ, & sanctorum testimonijs, ac traditione ecclesiæ per *sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur gratiam conferri, nemo dubitare debet, ordinem esse verè, & propriè vnum ex septem Ecclesię Sacramentis,* & Can. 4. *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, &c. anathema sit.* ergo ex sacris Concilijs ordinatio sacra est sacramẽtum. Hoc autem ad minus verificari debet de sacerdotio, quia inter ordinationes sacras obtinet primum locum. Dato ergo quod aliæ ordinationes non essent sacramentum, de sacerdotio nulla est dubitatio.

An quilibet ordo sit sacramentũ nihil est diffinitũ.

57 Quantum autem ad alios ordines est dissensio inter Scholasticos. Nam non est diffinitum ab Ecclesia, an omnes ordines tam maiores, quam minores sint sacramenta, vel aliqui illorum, vel vnus tantum. Solum enim in Concilio Tridentino, & Florentino habetur illa propositio indiffinita, ordinationem sacram esse sextũ sacramẽtum nouæ legis, cum autem sint septem ordinationes, nõ est certum an extendatur ad omnes, an ad aliquas tantum, an ad vnam solum. Ideò inter Scholasticos est triplex opinio, prima est eorum, qui asserunt solũ sacerdotium esse sacramentum, alios verò ordines esse sacramentalia. Quam Durandus in 4. dist. 24. qu. 2. iudicat probabilem, & putat D. Thomæ opinionem non posse saluari, nisi sustinendo sacerdotium solum esse sacramentum, tamen num. 13. deindè videtur sentire cum communiori opinione, quæ est, vt videbimus, quod quilibet ordo sit sacramentum. Eandem opinionem esse probabilissimam sustinet Franciscus Victoria q. 226. de sacramentis, Caietanus in opusculis Tract. 11. rem hãc totam esse dubiam asserit, & videtur ex dubitatione, & incertitudine de forma, materia, & alijs concurrentibus ad ordines inferiores sacerdotio, cõcludere solum sacerdotium esse ordinem sacrum.

Tres opiniones.

Prima opinio.

Prima ratio

58 Pro hac opinione adducit Durãdus has rationes. Prima quando plures actiones ordinantur ad vnum spiritualem effectum, ita quod vna sola attingit ipsum, aliæ verò solum disponunt, illa sola, quæ principaliter attingit, est sacramentum: sed sic est, quod omnes ordinationes ministrorum ecclesiæ ordinantur ad confectionem Eucharistiæ, hunc autem effectum attingit solum ordinatio in sacerdotium, ergo solum sacerdotium est sacramẽtum, cæteræ verò ordinationes sunt sacramentalia, seù dispositiones ad sacramentum, non sacramenta. Maior declaratur in sacramento Baptismi. Nam ibi est Cathechizatio, & Exorcizatio, & Ablutio sub certa forma verborum; verum quia sola ablutio sub forma præscripta verborum attingit collationem gratiæ, & deletionem peccati originalis, ideò illa sola est sacramentum; Catechizatio verò, & Exorcizatio sunt sacramentalia. Minor est euidens, & communiter concessa.

Secũda ratio

59 Secunda. Sicut potestas, quæ confertur in Baptismo est potestas passiua ad suscipiendũ sacramenta, sic potestas, quæ confertur in sacramento ordinis est potestas actiua ad conficiendum, & conferendum sacramẽta; sed sic est, quod in alijs ordinationibus à sacerdotio non confertur potestas vlla ad conficiendum aliquod sacramentum; ergo solum sacerdotium est sacramentum. Maior probatur, quia Baptismus, & ordo sacramentum sibi respondent in ratione actiui, & passiui: quia Baptismus dat potẽtiam passiuam ad recipiendum sacramenta ecclesiæ, quia non baptizatus non potest recipere sacramenta ecclesię. Baptismus enim est ianua sacramentorũ, ordo sacramentorum autem præbet potestatem homini conficiendi, & conferendi sacramenta; vndè videmus, quod minister aliorum sacramentorũ est solus sacerdos, vel saltem non nisi etiam sit sacerdos. (Quod dixi propter episcopatum, qui includit sacerdotium) ergo. Minor est clara, & communiter concessa.

Tertia ratio.

60 Tertiò. Illa ordinatio est sacramentum, in qua confertur potestas simpliciter faciẽdi aliquod quod prius simpliciter non poterat: sed sic est, quod in solo sacerdotio, non autem in alijs ordinibus talis potestas cõfertur, ergo solum sacerdotium, non autem reliqui ordines, est sacramentum. Maior videtur vera. Quia potestas sacramentalis videtur esse ad posse, non autem ad licere tantum. Minor quò ad primã partem est euidens. Quò ad secundam partem etiã scilicet de alijs ordinibus à sacerdotio patet: quia non ordinatus si attentet facere actũ illorum ordinum, vt puta legere Euangeliũ, & cap. simpliciter facit, licet non licitè faciat. Immò addit Durandus, quod etiã nõ ordinatus licitè facere potest illos actus ordinum minorum secundum vsum vniuersalis ecclesię.

Vndè

Vndè illi ordines videntur instituti ab ecclesia ad decorem tantum; ecclesia autem non potest instituere sacramenta.

Quarta rō.

61 Quartò ex communi sententia Doctorum (& hæc ratio est ex Diu. Thoma) distinctio ordinis in communi in ordines particulares, non est distinctio totius integralis in suas partes integrales; nec totius vniuersalis in suas partes subiectiuas, sed totius potestatiui in partes potentiales, quod totum est talis conditionis, quod secūdum completam rationem est in vno, in alijs verò est quædam participatio illius tantum, non autem est in illis secundum totam suam plenitudinem; ergo ex hoc sequitur, quod plenitudo ordinis sit in sacerdotio, qui est supremus ordo, in alijs verò sit tantum participatio quædam, & sic sequitur, quod solum sacerdotium sit verè sacramentum, reliqui verò sint sacramentalia; Alioquin non potest vitari, quin ordo sit totum vniuersale, & non distinguatur in alios ordines tanquam in partes subiectiuas, quod est contra commune assertum; Vel erit totum integrale, & ordines omnes erunt partes integrales ordinis in communi, sicut consecratio panis, & consecratio vini sunt partes integrales sacramenti Eucharistiæ, quod pariter est contra illud commune assertum.

Quinta rō.

62 Quintò ex alijs arguitur. Res hæc videtur tota dubia, vt dicebat Caietanus: quia non constat quę fuerit materia, & forma horū ordinum inferiorum à sacerdotio in antiqua Ecclesia, præsertim tempore Apostolorum. Materia enim & forma in ordinatione Diaconorum, & Subdiaconorum, qua modo ecclesia vtitur, non videtur fuisse in vsu tempore Apostolorum, sed solum manuum impositio Actorum 6. & multi authores Catholici dixerunt, ordines minores non fuisse ab initio in ecclesia, sed ab ecclesia fuisse institutos, vt Magister sent. in hoc 4. distin. 24. & Innocentius Tertius in cap. *à multis*, extra de ætate, & qualitate ordinandorum, & Vrbanus in cap. *nullus in Episcopum* dist. 60. dicunt olim Subdiaconatum nō fuisse ordinem sacrum, & fuisse tantum Diaconatum, & Presbyteratum. Soto in hac dist. quæst. 1. art. 4. adiungit, quod si aliquis alius ordo à sacerdotio esset sacramentum, maximè esset Diaconatus; at hoc videtur falsum, quia tēpore Apostolorum Actorum 6. Diaconus erat minister mensarum, ibi enim habetur, *non est equum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.*

Secūda opinio.

63 Secunda opinio est aliorum, qui dixerūt solum tres ordines maiores esse sacramenta, scilicet Sacerdotiū, Diaconatum, & Subdiaconatum, minores verò esse sacramētalia. Hanc opinionem sequutus est Soto in hoc 4. distin. 24. q. 1. art. 4. Nauarrus in Man. cap. 22. num. 18. & nōnulli alij. Atque quod minores ordines non sint sacramēta præter rationes pro superiori opinione adductas, cum qua in hoc conueniunt, probant. Primò, quia de istis ordinibus minoribus non reperitur ita expressa mētio in ecclesia, sicut de maioribus. Deindè quia illi ordines nō pertinent ad Eucharistiam conficiendam, sed ad disponendū populum. Tertiò, quia licet ministri exerceant actum illorum ordinum in peccato mortali, non peccant mortaliter, quod tamen esset, si essent sacramenta conferentia gratiam. Quartò ordinati minoribus ordinibus non distinguuntur à cætu secularium, ita quin possint contrahere matrimonium sinè dispensatione; ergo eorum ordinatio non videtur esse sacramentum. Quintò, quia non tenentur ad horas recitandas, vt Subdiaconi. Sextò, quia maiores dicuntur ordines sacri, inferiores verò non sacri. Ratio enim vera est, quia priores sunt sacramenta, posteriores nequaquam. Septimò, quia minores conferuntur à non Episcopo, vt ab Abbate cap. *quoniam* distin. 96. cap. *cum contingat, &c.*

Tertia opinio, quæ est Scoti, & cōmunior.

64 Tertia opinio est, quod quælibet ordinatio, seu ordo sit sacramentum, & consequenter quod sint septem sacramenta. Quomodo autem stet simul, quod sint vnū sacramentum, infra art. 4. cum Scoto, & alijs dicam. Hæc sententia est communior, & eam tenet Scotus in hac dist. qu. 1. art. 3. in fine, vbi habet hæc verba. *ex hoc patet quomodo sūt septem ordines, qui sunt institutiones in ordinibus, & illi septem dicuntur contineri sub sacramento Ordinis, vel magis propriè sub sacramenta ordinationis in quantum est vnum sacramentum.* Eandem tenet Diuus Thomas in 4. dist. 24. quem Soto ait si peruenisset ad hunc locum in summa mutaturum fuisse sententiam. Sed errare videtur Soto; quia D. Thomas eandem sententiam habet lib. 4. contra Gentiles cap. 75. D. Bonauentura hac distin. 24. par. 2. art. 2. q. 1. ad primum. & eodem artic. q. 4. & eadem dist. p. 2. artic. 1. q. 1. vbi tenet, quod in omnibus ordinibus imprimitur character. Richar. ead. dist. art. 3. q. 3. sed clarius art. 4. q. 1. vbi dicit in quolibet ordine dari gratiā gratū facientem. Paludanus eadem dist. qu. 1. Capreolus ibidem qu. 1. art. 1. Valentia 4. p. disp. 9. q. 1. de sacramento Ordinis punct. 4. & alij ab eo citati. Rationes autem, quibus hæc opinio probatur, reijciuntur duæ priores opiniones allatæ.

Prima ratio

65 Prima ergo ratio pro hac tertia opinione, & principalis desumitur ex testimonio antiquitatis, Theologi enim ad hanc assertionem probandam nullam aliā rationē ferè adducūt, nisi authoritatē antiquorū, & traditionē ecclesię, & Scotus quidē hāc opinionem vt veram supponit, nec vllam rationem adducit. Possumus ergo hoc modo argumentari. Certum est in ecclesia semper fuisse septem ordines sacros prædictos, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolyti, Lectoris, Hostiarij, & Exorcistæ; At isti ordines semper habiti sunt irreiterabiles; ergo semper habiti sunt pro sacramētis; ergo quodlibet illorum est sacramentum. Maior patet ex dictis supra cap. 1. præsertim ratione sexta ex authoritate Cornelij Papæ. Minor quoque habetur expressè ex authoritate D. Augustini lib. 2. contra epistolā Parmeniani adducta nunc supra hoc cap. ratione, tertia vbi dicit, quod ordinationem sacrā nō licet iterari; ergo signum est, quod omnis ordinatio imprimit characterem, & consequenter quoque gratiam confert, & est sacramentum.

Confirmatio

66 Cōfirmatur: quia videmus hos septem ordines hoc eodem modo sub eisdem signis sēsibilibus, scilicet forma, & materia in vniuersa Ecclesia Catholica in vsu, & praxi semper habitos fuisse, neque reperiri quando primo hæc institutio facta sit ab ecclesia, vel ab aliquo Concilio, vel decreto Papali; ergo signum est, hos esse institutos sub his formis, & materijs à Christo Domino, & habitos fuisse semper pro sacramentis. Consequentia probatur per illud D. Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 24. *Quod vniuersa tenet ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Quod etiam habet epistola 120. quæ est ad Ianuarium cap. 19. est ergo dicendum traditione Apostolica haberi hos septem ordines esse sacramenta.

Secūda ratio

67 Secūdò principaliter probatur, quia hæc tertia opinio est magis conformis assertionibus Conciliorum Florentini, & Tridentini. Nam in Concilio Florentino in instructione Armenorum dicitur, ordinem esse sacramentum, & explicatur materiam eius esse rem, quæ traditur in ordinatione ab Episcopo ipsi ordinato in ordinatione, & formam esse verba, quibus ea res traditur; atque cum hoc nominatim dixisset de Diaconatu, & Subdiaconatu subiūgit sic esse intelligendum in reliquis ordinibus; ergo videtur velle, quod sicut in illis materia, & forma sunt verba, & res tradita ordinato, ita in reliquis quatuor ordinibus res, quæ traditur, sit materia & verba, quibus traditur, sint forma, & perindè sint sacramenta, sicut Diaconatus, & Subdiaconatus. Concilium etiam Tridentinum sess. 23. cap. 2. nominat hos septem ordines nominatim, & deindè cap. 3. absolutè dicit, ordinem sacrum, seù ordinationem sacram esse sacramentum, & nullum illorum ordinum excipit; ergo signum est, quod secundum Concilium, omnes illi septem ordines sunt sacramenta.

Tertia ratio

68 Tertiò est argumētum, quod desumitur ex impressione characteris. Quod enim character imprimatur in omnibus ordinibus tenent Scotus, D. Bonauentura, & alij huius tertiæ sententiæ. Arguitur ergo sic. Ille ordo, in

quo

quo imprimitur character est sacramentum propriè dictũ nouæ legis: sed sic est, quod in quolibet ordine, etiam minori, imprimitur character; ergo quilibet ordo, etiam minor est sacramentum. Maior conceditur communiter. Minor probatur, quia quilibet ordo etiam minor est irreiterabilis; ergo in quolibet imprimitur character: quoniam non alia ratione est irreiterabilis, nisi quia in illo imprimitur character; Vndè videmus solum illa sacramenta reiterari in ecclesia, in quibus non imprimitur character.

Responsio Soto. 69 Respondet Soto vbi supra, hoc argumentum quod præcipuè est D. Bonauenturæ dist. 24. par. 2. art. 1. quæst. 1. non concludere: quia illa consequentia non valet. Ordines minores nõ sũt iterabiles; ergo imprimũt characterẽ: sed valeret, si diceret sic, sacramentũ hoc nõ est iterabile; ergo imprimit characterem. Concedit ergo ordines minores esse irreiterabiles, non tamen concedit imprimere characterem, & adducit hanc rationem, quia sunt irreiterabiles, non quia sint sacramenta, sed quia sunt consecrata per quandam consecrationem, per quam sacramentalia consecrantur, cuiusmodi est consecratio altaris, vasorum, & ornamentorum, quæ sunt deputata ad Eucharistiam conficiendam.

Reijcitur. 70 Hæc responsio non satisfacit. Consequentia enim illa valet, ordines minores nõ sunt iterabiles, ergo imprimunt characterem, & consequenter sunt sacramenta. Quod aũt valeat, probatur: Quia D. August. lib. 1. contra epistolã Parmeniani adductus superiori cap. ratione tertia dicit, ordinationem esse sacramentum, & adducit rationem, quia (inquit) *consecratione quadam datur*, & hac ratione subiungit non iterari in ecclesia; ergo secundum D. Augustinum ordinatio pro tanto est sacramẽtum, quia per consecrationem datur, & quia per cõsecrationem datur, ideò est irreiterabilis. Tunc sic posita causa ponitur effectus: sed causa propter quam ordinatio est sacramentum est, quia datur per consecrationem, per quam fit irreiterabilis; ergo posita consecratione, & irreiterabilitate in ordinatione ponitur in ea ratio sacramenti; ergo à primo ad vltimum valet hæc consequentia. Ordinatio hæc est irreiterabilis; ergo est sacramentum, quia posita consecratione, per quam fit irreiterabilis, ponitur esse sacramentũ.

Confirmatio 71 Confirmatur eadem ratio propter quam sacerdotiũ est sacramentum competit ordinibus minoribus; ergo ordines minores sunt sacramenta. Consequentia est euidẽs. Antecedens probatur, quia ratio, propter quam sacerdotium est sacramentum, est, quia datur per consecrationem, & est irreiterabile. At minores ordines dantur per consecrationem, & sunt irreiterabiles, ergo sunt sacramenta.

Ad rationẽ Soto. 72 Quod autem ait Soto consecrationem, qua consecrantur ordines minores esse consecrationem, qua consecrantur sacramentalia, refellitur ex hoc; quia illa est consecratio, qua ordo fit irreiterabilis. Hæc autem consecratio est quæ competit sacramentis, non sacramentalibus, vt ex D. Augustino vidimus. Ratio ergo ista est valida. Præterea lata est differentia inter consecrationem, qua consecrantur vasa, vestes, & alia inanimata, quibus vtimur ad Eucharistiam conficiendam, & consecratio, qua consecrantur homines ad actus sacramentales exercendos: quoniam in his datur potestas ad actus illos saltem dignè exercẽdum. At inanimatis non datur aliqua potestas ad actus exercendos, ideò sicut non sunt capaces gratiæ, sic neque characteris. Demum hæc opinio confirmatur, quia rationes pro alijs opinionibus facilè soluuntur.

Ad primam rationẽ Durandi. 73 Ad rationes ergo Durandi. Ad primam Respondeo. Maiorem esse simpliciter falsam. Ad probationem Respondetur actus disponentes ad aliquem vnum actum principalem esse in duplici discrimine: Vel enim sunt actus communes non per modum cuiusdam consecrationis: Vel sunt consecrationes ad aliquos actus proprios, sed præuios ad principalem ad dignè illum exequendum. Maior est vera de primis actibus, non de secundis. Exorcismus autem, & Catechismus in Baptismo sunt actiones primi generis. Ordinationes aliorum ordinum à sacerdotio sunt secundi generis; dictum est enim quod ordines etiam minores sunt institutiones in quibusdam gradibus eminentibus disponentibus ad actus sacramentales; illæ autem institutiones fiunt per consecrationes quasdam, quæ faciunt ipsas sacramenta.

Ad secundã 74 Ad secundam negatur maior propositio. Ad probationem Respondetur quod ad hoc vt sacramentum ordinis respondeat Baptismo in ratione actiui, requiritur nõ solum vt det potentiam ad conficiendum actum sacramentalem, sed etiam ad hoc vt det potestatem, & disponat ad actus requisitos ad debitè, & dignè conficiẽdum actus sacramenti. Huiusmodi autem sunt ordines, seu ordinationes aliæ à sacerdotio; istæ enim disponunt ad actus disponentes dignè ad actum sacramenti Eucharistię, vt visũ est.

Ad tertiam 75 Ad tertiam Respondetur maiorem non esse simpliciter veram. Potestas enim sacramentalis datur non solũ ad simpliciter faciendum, sed etiam aliquando ad benè, & licitè faciendum, vt contingit in reliquis ordinibus à sacerdotio. Ad probationem patet per idem. Ad aliud cum dicitur, quod non ordinatus etiam licitè facit. Respondetur quod si per licitè intelligatur quod sinè peccato mortali faciat, conceditur; si verò intelligatur, quod idoneè, & cum dignitate conuenienti faciat, est falsum: quia tunc frustra essent instituti illi ordines minores.

Ad quartã. 76 Ad quartam patebit infra cum declarabimus ar. 4. quomodo hoc sacramentum sit vnum; & in responsione ad primum principale Scoti pro nunc dico quidquid sit de opinione D. Thomæ, quem Soto nititur exponere illo art. 4. quod illa non est opinio communis Theologorum, sed D. Thomæ, & quorundã aliorum. Scotus autem sustinet, quod sacramentum ordinis in se sit vnum genere, & ordinationes, seu ordines particulares sint species ordinis in communi. Nam sacramentum in genere supremo diuiditur in septem sacramenta Ecclesiæ, quorum vnum est sacramentum ordinis. Hoc autem est etiam deindè genus respectu ordinum, quos sub se vt species continet, quarum prima, & præstantissima est sacerdotium. Non est autem inconueniens, quod sacramentum ordinis sit species sacramenti in genere, & deindè sit genus proximum, & propinquum respectu ordinum sub se contentorum. Quod declaratur exemplo virtutum. Nam virtus in communi est genus, quod continet sub se primò tres virtutes morales, .s. iustitiam, fortitudinem, & temperantiam, quarum quælibet continet sub se alias virtutes: Vndè iustitia licet sit species virtutis in communi, tamen est genus proximũ respectu virtutum, quæ sub illa continentur, & sic de fortitudine, & temperantia.

Ad quintã. 77 Ad quintam Respondetur vt supra diximus ex traditione ecclesiæ haberi hos ordines in ecclesia sẽper agnitos fuisse, licet non ita distinctè, & clarè fiat mentio sicut de alijs, vt patet ex continua traditione ecclesiæ: Ideò ad Magistrum Sententiarũ Respondetur Magistrum quidẽ dicere, quod sint instituti ab ecclesia, sed pro probatione nihil adducit, immò videtur sibi contradicere, cum dicat deindè illa esse sacramenta, cum certum sit etiam ipso asserente, ecclesiam non posse instituere sacramenta. Ad Innocentium, & Vrbanum pro nunc Respondetur pro tanto dicere primitiuam Ecclesiam habuisse tantum Diaconatum, & Presbyteratum, quia habuit solum istos pro sacris. Nam etiam, vt ait ibi glosa, tempore Apostolorũ fuit Subdiaconatus, vt habetur dist. 35. *Episcopus*. Subdiaconatus autem pro tanto tunc non habebatur pro sacro, quia ad eum coniunctum non erat votum continentiæ, illi autem in ecclesia solebant appellari sacri, quibus votũ continentiæ erat annexum. Cæterum alia ratione dicuntur sacri, scilicet quia consecratione quadam consecrantur, vt dictum est, ideò sunt irreiterabiles.

78 Ad aliud additum à Soto, & exageratum hodie ab Hæreticis infra plura dicemus: pro nunc sufficiat, quod non solum Diaconi instituti fuerunt, vt seruirent mensis secularium, sed etiam vt seruirent sacræ mẽsæ altaris. Vndè Actorum 2. dicitur *erant perseuerãtes in doctrina Apo-*

stolo-

stolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. quæ erat dispensatio corporis, & sanguinis Christi, quod infra testimonijs Patrum, & rationibus comprobabimus.

Ad primam rationem pro secunda opinione. Ad rationes pro secunda opinione Respondetur ad primam sufficere quod enumerentur à Patribus inter sacros ordines; sufficiat pro nunc authoritas Cornelij Papę adducta supra cap. I.

Ad secundã Ad secundam Respondetur falsum esse, quod non ordinentur ad Eucharistiam, ad eam enim ordinantur, licet non ita proximè, & immediatè sicut maiores, vt supra diximus.

Ad tertiam 79 Ad tertiam Respondetur quod ipse Soto in eodem articulo tenet ministrantes in Diaconatu, & Subdiaconatu non peccare mortaliter, sed solum venialiter; ergo hac eadem ratione, licet ordines minores sint sacramenta, & conferant gratiam, tamen ministri eorũ in peccato mortali ministrantes non peccant mortaliter; quia secundum eum ministri sacramentorũ tunc peccant mortaliter, quãdo ministrant, & exercent actus sacramentorum, quę conferunt gratiam, & sanctificant homines, cuiusmodi sunt reliqua sex sacramẽta, & sacerdotium, quem sequitur Suarez tomo 3. in tertiam partem D. Thomæ disp. 16. sect. 3. § *Tertio quari etiam*. vbi dicit probabilius, ac ferè certum esse non esse peccatum mortale; tum quia illa materia est leuis, tum quia est probabilis opinio quod non sint sacramenta, sed sacramentalia: Tamen subiungit, quod quando exercent publico, & solemni ritu, non posse negari adesse nonnullam irreuerentiam. Idem tenet de ministrantibus in peccato mortali in Diaconatu, & Subdiaconatu: ait enim nullum adesse præceptum obligãs ad peccatum, ideò non esse ponendam hanc obligationem ita de facili.

80 Verum est alia opinio antiquior in oppositum, quã tenent Angelus verbo *Clericus* 8. num. 1. & Syluester verbo *Clericus*. 2. num. 2. & elicitur ex D. Thoma in 4. distin. 24. q. 1. art. 3. & Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 2. in fine, & mihi videtur hæc secunda opinio tutior, quoniam vt diximus in materia de pęnitentia disp. 26. num. 8. & disp. 28. nu. 32. adest præceptum de iure Diuino, & ecclesiastico de dignè & sanctè tractando sacramenta; Ideò cum ordines minores sint sacramenta, ministrantes in eis in peccato mortali peccant mortaliter. Confirmatur quia cap. *quæsitum est*. de temporibus ordinãdorum apertè dicitur, quod nedum sacerdotes, sed alij clerici existentes in peccato mortali etiã occulto, si non pęnituerint, *monendi sunt & sub interminatione diuini iudicij obtestandi, vt in testimonium sua damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrẽt*. Comprehendit ergo omnes ordines clericorum; ergo etiam minores; hoc autem puto intelligi cum ministrant solemniter, & ex officio, tunc enim dicũtur ministrare propriè in suis ordinibus. Vndè si modo quo laicus actum illum exerceant, non peccant. Hoc idem elicitur ex capit. *sacrosancta Religio*. 1. q. 1. iuxta caput *Ventum*. eadem, citatum à glossato quo dicitur legem ecclesiæ esse, vt venientes ab Hæreticis laica communione solum tribuatur: non autẽ in aliquem clericatus honorem nec exiguum recipiatur.

Ministrãs in ordinibus minorib. in peccato mortali peccat mortaliter.

81 Videtur ergo clericus criminosus excludi ab executione suorum ordinum, etiam si sit initiatus in exiguo honore, & videtur se habere vt merè laicus; Ideò exercens quemcunque actum ex officio sibi ratione consecrationis ordinis competentem, per quam consecrationem propriè distinguitur à laico, videtur peccare mortaliter. & licet hoc durum videatur Soto, Nauaro, & alijs, habetur tamen in prædictis canonibus, secus de alijs actibus, qui ex ordinatione propriè non competũt clerico, sed accidentaliter, de quibus infra.

82 Quod autem ait Suarez vbi supra, quod caput illud *quæsitum* de temporibus ordinandorum non inducit nouum ius, sed tantum explicat naturale ius, & quod non explicat quantum sit grauis hæc transgressio, sed ex obiecto, & materia dijudicanda relinquitur, & quod hæc materia non censetur adeò grauis, vt iudicari debeat transgressor peccare mortaliter, mihi videtur omninò irrationabile. Nam profectò significat ministerium hoc esse peccatum maximũ ex suo genere, & iure diuino; Vtitur. n. illis verbis monẽdos esse sacerdotes, & clericos ne ministrẽt in susceptis ordinibus *sub interminatione Diuini iudicij, & damnationis æterna*. nescio autem, an clarioribus verbis posset explicari grauitas peccati mortalis. Verum est ergo quod nõ condit nouam legem, sed tamen declarat adesse ius diuinum, cuius transgressio est peccatum mortale, & sacrilegium. Et confirmatur, quia in capite. *Sacrosancta Religio* 1. q. 1. *dicitur sacrosancta Religio quæ Catholicam continet disciplinam tantam sibi reuerentiam vindicat. vt ad eam quilibet, nisi pura conscientia nõ audeat peruenire*. Certum est autem ordines sacros pertinere ad sanctã Religionem; quæ continet catholicam disciplinam; ergo videtur extendi illud assertum Gelasij Papæ, ex quo sumitur illud caput, ad quodcunq. ministerium sacramentorum, etiam minorum ordinum.

83 Ad quartam Respõdetur quod licet ordinati in minoribus possint contrahere matrimonium absque dispensatione, hoc non facit, quin illi sint irreiterabiles, & non permaneant in esse suo, & fuerint collati per consecrationem: Nam votum continentię matrimonialis adiunctum est ordinibus sacris etiam sacerdotio de iure positiuo ecclesiastico. Vndè etiam sacerdos coniugatus ex dispensatione non est laicus. *Ad quartã.*

Ad quintam illud nihil obstat: quia quod constitutus in ordine sacro debeat recitare officium, & horas Canonicas est de iure positiuo, quod non facit illos ordines non esse sacramenta. *Ad quintã.*

Ad sextam Respondent Sanctum Thomam vbi supra, Sanctum Bonauenturam eadem dist. par. 2. art. 2. quæst. 1. & alios antiquiores rectè respõdere, superiores dici sacros; quia immediatè ordinãtur ad Eucharistiam, ideò sunt officia digniora, quam ordines minores, & proindè illis iniungitur votum continentiæ, non minoribus, omnes tamen esse verè sacros, quia per consecrationem conferuntur, & persona suscipiens eos, per eos consecratur speciali modo. *Ad sextam.*

Ad septimam Respondetur quod minister ordinarius ordinum minorum est Episcopus, aliquando autem ex cõmissione non Episcopus, vt Abbas consecratus per manuũ impositionem & capitulo illo. *Cum contingat*. de ætate, & qualitate ord. & Presbyter Cardinalis, vel simplex presbyter ex commissione Papæ, vt Soto, & Valentia dicunt esse consuetudinem. licet autem isti ordines possint conferri à presbytero, non sequitur quin sint sacri, & per cõsecrationem non conferantur, quia huiusmodi consecrationes cũ sint ad actus remotos ab Eucharistia, non est inconueniẽs ex ordinatione Apostolica competere posse sacerdoti simplici ex commissione Papæ, & supremi Pontificis Ecclesię. *Ad septimã.*

De materia forma & ministro vniuscuiusque ordinis. Caput Quartum.

84 DE ministro, materia, forma, ac officijs horum omnium ordinum pauca dicit Scotus. De ministro breuiter ait, Ministrum idoneum in ordinibus sacris esse solum Episcopum, in ordinibus minoribus vero non sacris, scilicet quatuor minoribus. (quos appellat nõ sacros non quia per consecrationem non conferantur, sed quia non disponunt proximè ad Eucharistiam, vt maiores, quę etiam est ratio adducta à D. Thoma, D. Bonauentura, & alijs, vt supra diximus) dixit Scotus ordinarium Ministrũ quoque esse Episcopum; aliquando tamen ex commissione esse aliquem priuilegiatum, vt est Abbas. De forma ait in vno quoque ordine esse illa verba, quæ profert Episcopus in collatione cuiuscunq. ordinis, quæ habentur in Põtificali Romano. Subiungit tamen Scotus probabile esse in sacerdotio esse duas formas partiales, in quarum altera conferatur potestas cõficiendi Eucharistiam, in altera potestas absoluendi à peccatis in Pęnitentiæ sacramento. Et subinfert similiter probabile esse in eo ordine esse duas materias, *Opinio Scoti. Quæ sit forma in ordinibus sacris.*

terias, seu duo signa visibilia conuenientia his duabus formis partialibus, quorum primum sit traditio calicis, & patenæ cum hostijs, quæ respondeat primæ formæ, *accipe potestatem celebrandi, &c.* & altera sit impositio manus Episcopi super caput ordinandi, quæ respõdeat alteri parti formæ, *accipe Spiritum Sanctum, &c.* vt sic Episcopus concorditer agat summo Episcopo Christo, qui prius contulit potestatem Apostolis conficiendi, quam absoluendi: Illam enim cõtulit in vltima cœna; illam verò post Resurrectionem. Hæc Scotus, circa quæ aliquæ adsunt dubitationes, quas oportet breuiter expedire.

De Ministro ordinis sacri. 85 Circa Ministrum nulla est difficultas quo ad ordines maiores, qui sunt Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus. Quo ad ordines minores quoque omnes cõueniunt ordinarium Ministrum esse Episcopum. Quantum verò ad Ministrum ex commissione est aliqua dissensio inter Canonistas, vt est videre in glosa in cap. *quoniam videmus* d. 69. verbo *Lectoris.* asserentibus alijs Abbatem solum posse conferre Lectoratum, non autem alios; alijs verò asserentibus omnes conferre posse ex priuilegio, si tamen ei manus est imposita cap. *cum contingat.* de ætate, & qualitate ordinãdorum, sed ex consuetudine, & vsu, vt ait Soto dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad secundum principale. Presbyteri Cardinales hos ordines conferunt. Et communiter tenetur, quod ex commissione Papæ simplex sacerdos potest illos conferre, & consequenter etiam primam tonsuram. Communiter autẽ tenetur, & praxis ecclesiæ habet, quod simplex sacerdos non potest eos nec primam tõsuram cõferre sine commissione Papæ, licèt Hostiensis super illud caput *cum contingat.* & Panormitanus cap. *quanto* de consuetudine, asserant simplicem sacerdotem, vt parochum primam tonsuram conferre posse. Quæ verò requirantur ad Ministrum, vt hos ordines nõ solum validè, sed etiam rectè administrentur cap. sequenti dicemus.

De materia, & forma sacramenti ordinis. 86 Circa materiam, & formam sacramenti ordinis est maior difficultas, & maximè circa materiam, & formam sacerdotij, quod certum est esse sacramentũ. Omnes quidem conueniunt, materiam esse signa illa sensibilia, quæ adhibentur in susceptione ordinis sacerdotij, & formam esse illa verba, quæ proferuntur ab Episcopo, vt habetur in Pontificali Romano simul cum porrectione materiæ, seu signorum illorum sensibilium. Verum cum hæc materia sit duplex in sacerdotio scilicet porrectio calicis, & patenæ cum hostia, & impositio manus Episcopi super ordinandum, & verba quoque, quæ proferuntur ab Episcopo, dum porrigit calicem, & patenam cum hostia, sint diuersa à verbis, quæ proferuntur ab Episcopo cum imponit manus super ordinatum, & fiant diuerso tempore, est magna controuersia inter Doctores an sola porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia sit materia sufficiens, & verba illa, quæ tunc proferuntur ab Episcopo, nimirum. *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi tam pro viuis quam pro defunctis in nomine Domini.* An vero etiam impositio manus sit materia necessariò requisita vt de essentia, & simul etiam verba prolata ab Episcopo dum imponit manus sint de essentia formæ nimirum. *Accipe Spiritum Sãctum quorum remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt.* Vnde in hac re sunt duæ extremæ opiniones.

Prima opinio. 87 Prima opinio asserit vtranque materiam, & vtranque formam esse de essentia, ita quod ea vtraque materia calice cum vino, patena cum hostia simul cum impositione manus sit integra materia, seiunctim vero sint materiæ partiales, similiter vtraque forma sit de essentia, & integrent vnam totalem formam, & seiunctim sint partiales formæ. Hanc opinionem videtur tenere Scotus hac dist. 24. quæst. 1. art. 3. vt vidimus, & eadem opinio fuit Diui Thomæ in hoc 4. dist. 25. quæst. 1. art. 1. dicit enim ibi in impositione manuum dari gratiam sacerdotalem, D. Bonauen. in 4. dist. 24. par. 2. art. 1. quæst. 4. Paludanus dist. 24. Altisiodorensis in sua summa part. 4. & Petrus à Soto lectione quinta de sacramento ordinis. Martini Ledesmij in 4. quæst. 36. art. 4. Cardinalis Hosij in Confessione Polonica capit. 50. & demum Bellarmini libr. 1. de sacramento ordinis capit. 9. qui alios citat, & hanc opinionem enixè tueri conatur.

D. Thomæ. D. Bonau. Paludani. Altisiodorensis. Petri à Soto. Hosij Cardi. Bellarmin.

Prima ratio pro hac opinione. 88 Fundamenta huius opinionis sunt, primò ratio, quã hic Scotus adducit. In ordinatione sacerdotali debet Episcopus concorditer agere Summo Episcopo Christo. At Christus prius contulit potestatem Apostolis conficiendi Eucharistiã, siquidem hanc dedit in cœna, quam potestatem absoluendi à peccatis, quam dedit eis post Resurrectionem Ioann. 20. ergo Episcopus in traditione calicis cum vino, & patenæ cum hostia, & proferendo prædicta verba non ordinat integrè sacerdotem, sed requiritur alia materia, & forma, scilicet impositio manuum, & prolatio verborum illi correspondens.

Responsio Soto, Valentiæ, & aliorum. 89 At respondet Soto vbi supra, quem sequitur Valentia non esse parem rationem de Christo, & Episcopo, quoniam Christus cum haberet potestatem excellentiæ potuit tradere has potestates diuersis temporibus. At Episcopus illa caret, ideo vtramque tradit simul per priorem formã. Ordinatum est autem vt alia forma cum impositione manuum dicatur seorsum, quia decens erat verba Christi referre, nec decenter simul poterant proferri ab Episcopo.

Rejicitur. Verum hæc responsio non satisfacit, quia Episcopus in ministrando sacramẽta debet imitari Christum, cuius est minister, & vbi materia, & forma, qua ipse vsus est, ideò licèt non habeat potestatem excellentiæ sicut Christus, nihil refert, quia ipse Episcopus non debet instituere sacramenta, ad quæ requiritur potestas excellentiæ, sed instituta debet ministrare eo modo, quo instituta sunt. Quod autem ait non potuisse simul verba secunda formæ proferri decenter ab Episcopo cum prima forma, omninò vanũ est: Quid enim impediret, quod post porrectionem calicis & patenæ, & prolationẽ primæ formæ imponeret manus, & diceret verba secondæ formæ? Dicendum est ergo, hũc esse verum ritum, quia sicut Christus dedit primam potestatem in cœna, & alteram post Resurrectionem, sic Episcopus dat primam potestatem ante consecrationem, & sacrificium, secundam verò post communionem, & consummationem sacrificij, sicut Christus illam dedit post Resurrectionem.

Secũda ratio 90 Secundò ille non est perfectè sacerdos, qui non habet potestatem absoluendi à peccatis: sed sic est quod ordinatus in sacerdotem non habet potestatem absoluendi à peccatis, donec Episcopus illi non imponat manum, ac dicat illa verba *accipe Spiritum Sanctum, &c.* ergo vtraque materia, & vtraque forma est de essentia, & necessitate sacramenti.

Respõsio Soto, & aliorũ. 91 Ad hoc argumentum respondẽt, quod sacerdos est perfectè ordinatus per priorem formam. Vnde dicunt per verba secundæ formæ nullam conferri potestatem, sed exprimi & explicari potestatem collatã in prima forma absoluendi à peccatis, & esse sacramentalia non de essentia sacramenti. Sed contra hoc est, quod tunc falsa essent illa verba *accipe Spiritum Sãctum, &c.* siquidem nullam gratiam, nec potestatem per illa conferretur ordinato, quod est magnum absurdum, & damnatum in Concilio Tridentino, vt ostendetur ratione sequenti ex Bellarmino. *Rejicitur.*

Tertia ratio. 92 Tertiò arguit Bellarminus. Scriptura Sacra passim assignat pro symbolo externo, siue materia huius sacramẽti ordinis manuum impositionem, vt patet 1. Tim. 4. & 2. Tim. 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum,* & gratiæ promissio facta est impositioni manuum, non autem alicui alteri rei, ergo dicẽdum est manuum impositionem esse materiam de essentia sacramenti ordinis sacerdotij.

Tacita respõsio rejicitur. 93 Quod si quis dicat hoc concludere impositionem manuum requiri tanquam de præcepto, non tanquam materia de essentia, & substantia sacramenti sacerdotij, vt volunt Soto, Valentia, & alij. Contra insurgit Bellarminus, quia tunc sequeretur, quod non possemus probare contra hæreticos ordinationem esse sacramentum: quia

in

in Sacra Scriptura non possumus ostendere aliud signum externum huius sacramenti, nisi manuum impositionem.

Præterea, tūc possemus negare pari ratione aquam esse de essentia Baptismi, possemus enim dicere esse de præcepto solum, non de essentia, & substantia eius.

Demum Sacra Scriptura, & Patres assignassent solū ritum accidentarium, non essentialē huius sacramenti, quod est contra vsum Sacræ Scripturæ, & Patrum, qui assignare solent solum signum essentiale.

Quartò. 94 Quartò probatur auctoritate multorū Patrum, & Conciliorū, præsertim Nicæni Can. 9. Antiocheni Can. 10. & aliorū antiquorū, in quibus passim dicitur manuū impositione cōferri ordines. Vnde Græci ordinationē vocāt manuū impositionē. D. Ambrosius lib. de Dignitate sacerdotali cap. 5. dicit hac ceremonia perfici ordinationē *homo* inquit *manū imponit, & Deus largitur gratiā*. Hieronymus in c. 58. Isaiæ inquit, *Ordinatio non solū ad imprecationē vocis, sed etiā ad impositionē manuū cōpletur*. D. Augustinus lib. de gestis cū Emerito, & alibi ait manus impositione ordinari sacerdotes.

Confirmatio. 95 Confirmatur ex Concilio Tridentino, quod sess. 14. cap. 3. de Extrema Vnctione asserit, Ministrū Extremę Vnctionis esse Episcopū, aut Presbyterū ritè ordinatū per manus impositionē, & sess. 23. Can. 4. de sacramento ordinis habet hæc verba, *Si quis dixerit per sacrā ordinationem non dari Spiritū S. & proinde Episcopū frustra dicere accipe Spiritū Sāctū, anathema sit.* Vbi Cōciliū declarat tūc ordinari presbyteros, & tunc dari illis gratiā Spiritus S. cū eis dicitur, accipite Spiritū Sanctum, at cum hoc dicitur manus imponūtur, vt patet ex Pontificali ecclesiæ, & consuetudine; ergo sentiebat Conciliū illam impositionē manuū esse de essentia.

Secunda opinio. 96 Ex altera parte est secūda opinio, sustinens ordinationē sacerdotis perfici in prolatione primæ formæ cū applicatione materiæ suę, & impositionē manus cū verbis secundæ formæ non esse de essentia, & substantia ordinis sacerdotalis, sed esse sacramentalia, quę sunt adhibēda ratione præcepti, nō quia sint de essentia. Hanc opinionē sustinent præsertim Soto in hoc 4. dist. 24. q. 1. art. 4. conclusione 5. Valentia 4. par. disp. 9. qu. 1. punct. 5. qui dicunt hanc opinionē esse communē.

Prima ratio Prima ratio pro hac opinione est auctoritas Concilij Florētini, quod in instructione Armenorū cap. de sacramento Ordinis habet hæc verba, *Sextū Sacramentū est ordinis, cuius materia est illud per cuius traditionē confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cū vino, & patena cum pane porrectionē.* & infra. *forma sacerdotij talis est. Accipe potestatē offerendi sacrificium in ecclesia pro viuis, & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti* hic autem videmus nullā habere mentionē de manuū impositione, nec de verbis illis secundæ formæ; ergo dicendum est etiam cū impositione manuum non pertinere ad substantiam materię, nec formæ.

Secūda ratio 97 Secundo Innocen. III. cap. *Pastoralis*, de sacramētis non iterandis, & Gregorius IX. cap. *Presbyter*, eodē titulo, dicunt ordinationē tam Diaconi, quā Presbyteri in qua per errorē omissa fuerit manuū impositio, non debere iterari, sed cautē suppleri, quod incautē fuerat prætermissum. Ex quo arguitur, si manuū impositio esset de substantia sacramēti ordinis, deberet iterari ordinatio; quia ordinatio in qua illa omissa fuisset, non esset sacramentum.

Confirmatio. 98 Confirmatur, quia Gregorius IX. eodē cap. asserit manuū impositionē esse ritū introductū ab Apostolis. At Apostoli, & ecclesia non potest instituere aliquid pertinens ad essentiam materiæ, vel formæ sacramentorum; ergo.

Tertia ratio. 99 Tertiò. Sacerdotes tūc fiunt, cū eis dicitur, *accipe potestatē offerendi sacrificiū, &c.* sed tunc nō imponuntur manus, sed tm̄ porrigitur calix cū vino, & patena cū pane; ergo manus impositio, quæ deinde post peractū sacrificiū, & cōtionē accedit, non pertinet ad essentiā ordinis sacerdotalis. Minor est clara ex Pontificali Romano tā antiquo, quā nouo quo ecclesia vtitur. Maior verò probatur dupliciter. Primò quia si in illis verbis, & porrectione illius materiæ nō conficeretur sacramētū ordinationis, sequeretur verba illa esse falsa, dum dicitur, *accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* nam tunc per illa verba nō conferretur potestas offerendi, quę est potestas sacerdotij, sed solū in impositione manuū, & in prolatione alterius formæ; quod est absurdū euidens. Probatur secundò auctoritate Concilij Tridētini, in quo sess. 22. cap. 1. dicitur, quod Apostoli facti fuerūt sacerdotes in vltima cęna à Christo, dū in illa data fuit illis potestas offerendi sacrificiū Eucharistiæ, per illa verba, *hoc facite in meā cōmemorationē*; ergo etiā nunc fiunt sacerdotes, cū illis traditur potestas offerendi sacrificiū; sed sic est, quod ista potestas traditur sacerdotibus, cū dicuntur verba prioris formæ, & instrumenta illa calicis, &c. porriguntur, idē enim significant ista verba, *accipe potestatē offerendi sacrificiū &c.* ac illa, *hoc facite in meam cōmemorationē*; ergo ista sola cum sua materia sunt de essentia, non autem impositio manus cum altera forma, sed solum sunt de præcepto, & sunt sacramentalia, non sacramentum.

100 Ego in hac re propter has rationes quidē moueor ad sentiendū cum ea, sed planè me cōuincit auctoritas D. Augustini. *Opinio Auctoris.* Nam ipse clarè lib. 3. de Baptismo cōtra Donatistas cap. 16. loquens de impositione manuū in sacramēto ordinis apertè ait, manus impositionē per quā Spiritus Sāctus datur, esse reiterabilē, hæc eius verba sunt in fine illius capitis, *manus autē impositio non sicut Baptismus repeti non potest quid enim aliud est nisi oratio super hominem.* At ipsemet D. Augustinus lib. 2. contra epistolā Parmeniani cap. 13. apertissimè asserit, ordinationem sacramentalem esse sacramentum, & esse irreiterabilem, sicut sacramentum Baptismi est irreiterabile. Verba eius supra adduximus hac disp. cap. 1. quæ sunt, *vtrumq; enim sacramentū est & quadam consecratione datur illud cum baptizatur, istud cū ordinatur, ideoq; in catholica vtrumq; nō licet iterari*, ergo si manuū impositio esset de essentia sacramenti, nō esset iterāda: At iterari potest; ergo efficaciter conuincitur nō esse sacramentū, neq; de essentia sacramenti. Vnde dicendū est, esse ceremoniā sacram, quā Apostoli addiderunt ordinationi sacramentali. Nā additur etiā in ordinatione Diaconatus, & multis alijs occasionibus adhibebatur ab Apostolis, vt infra ostendā aduersus hæreticos. Et proinde verissimū est quod ait Gregorius IX cap. *Presbyter*, de sacramentis non iterandis, supra adductus, ceremoniam illam, & ritum introductum esse ab Apostolis.

101 Atq; hæc sentētia est quoq; Scoti. *Scoti sententia.* Nā licèt dicat hic hāc opinionē esse probabilē, tñ semper in hac re fuit problematicus, & supra hoc 4. dist. 19. art. 3. vtrāq; hanc opinionē adducit, vt diximus supra agēdo de pęnitentia disp. 3. c. n. 21 & sequentibus, & licèt dicat vtrāq; esse probabilem, nō dicit hāc posteriorē esse probabiliorē: habet enim illa verba, *sed an præcisè simul tēpore vtraq; potestas datur? non assero.* Explicat tñ deinde quo illæ potestates sese habeāt, & qñ conferātur sacerdoti, dato, quod vna prius altera cōferatur. Ex quo habemus modū explicandi, & soluendi difficultates q̄ cōtra hāc opinionē adduci possunt, & quomodo possimus satisfacere rationibus in oppositū. Assignat ergo duos modos Scotus ibi. Primus est dicēdo, quod duo characteres in sacerdotio imprimātur. Alter in porrectione calicis, & patenæ cū prolatione verborū. Alter in impositione manuū cū ꝓlatione verborū suorū; & in his duobus characterib. detur duplex potestas prædicta, q duo characteres, & duæ potestates integrēt vnū charactere, & vnā potestatē, qui est modus assignatus hac dist. & quęst. Verū hūc modū sibi nō multū placere ait, & ideo assignat secūdū. Inquit .n. *si ergo nō placet tot characteres ponere correspōdētes vni ordini sacerdotali, pōt dici, etc.* & assignat 2m modū dicēdi q est hic. Qd p traditionē calicis cū vino, & patenæ cū hostia cōfert potestas sacerdotalis: quia confertur character sacerdotalis p quē ordinatus habet potestatē celebrādi, & conficiēdi Eucharistiā: Et insuper p illū characterē disponitur de cōgruo ad habēdū potestatē super corpus mysticū Xpi, q est ecclesia, q̄ est potestas absoluēdi à peccatis, quā potestatē deinde actu recipit p secūdā formā, & per impositionē manus Episcopi absq; receptione noui characteris. Adeo q nō vult Scotus, q vtraq; pōtas actu cōferatur per primā formā, vt volūt Soto, & alij titius secūdę opinionis; sed vult q i prima reci-

piat characterem, & primam potestatem actu, & secundã potestatem in virtute, & in dispositione proxima propter characterem, qui solum imprimitur per primam formã; actu autem secunda potestas scilicet absoluendi, confertur per secundã formam. Et sic habemus quomodo per primã formam conferatur sacramentum sacerdotij, & possit dici Apostolos creatos fuisse sacerdotes in vltima cœna: Nam tunc receperunt characterem sacerdotalem, & principalẽ potestatem sacerdotalem, quę est conficere corpus Christi, licèt tunc non fuerint perfectè ordinati, quia non habuerunt omnem potestatem sacerdotalem, quæ supplenda erat per alteram formam, & impositionem manuum. Vnde si nunc post prolationem primę formæ cum applicatione materiæ moreretur Episcopus, vel alia aliqua de causa omitteretur secunda forma esset supplenda per alium Episcopum absque reiteratione prioris, quia illa fuerat sacramentum. Habetur etiam, quod frustra non adhibetur secunda forma, neque illa solum est explicatiua, & significatiua huius secundæ potestatis, & clauium ecclesiæ, sed quod verè per illam impositionem manuum & prolationem secundæ formæ actualiter cõfertur, ad quam ordinatus erat iam dispositus per characterem prius receptum. Hãc sententiam sequitur Durandus in 4. dist. 24. quæst. 3. num. 8. & aliorum sui, vt innuit ibi Durãdus per quos voluit forsan significare Scotum.

Durandus.

Ad primam rationem pro prima opinione.

102 Hinc ad primum argumentum pro prima opinione patet, quod Episcopus agit concorditer Christo Domino: nam sicut Christus Dominus per primam formam in cœna fecit Apostolos sacerdotes, & impressit illis characterem, non tamen dedit tũc eis potestatem sacerdotalem totam, sed post resurrectionem, sic Episcopus. Hinc autem sequitur, quod ratio essentialis sacramenti sacerdotij non consistit in secunda forma, quia in illa nõ imprimitur character, nec datur principalis, & propria potestas sacerdotalis, sed est aditio alterius potestatis ad potestatem sacerdotalem, quæ potest dici potestas sacerdotalis, quia solis sacerdotibus data est à Christo.

Ad secundã.

103 Ad secundam Respondetur, sacerdotem aliquem non esse perfectè ordinatum posse intelligi duobus modis. Vno modo, quod non habeat perfectam, & essentialem ordinationem sacramentalem, & hoc modo falsum est, quod ordinatus per primam formam nõ sit perfectè ordinatus. Alio modo, quia non habet actu omnem potestatem, quã habent sacerdotes, & hoc conceditur, sed hæc non est de essentia sacramenti sacerdotij, sed de cognitio, & ex ordinatione diuina consequens ad sacerdotium.

Ad tertiam impositio manuũ non est de essentia sacramenti ordinis.

104 Ad tertiam Respondetur falsum esse impositionẽ manuum esse materiam de essentia sacramẽti ordinis. Ad primam probationem dico, in Sacra Scriptura pręter impositionem manuum haberi aliam materiam: habetur .n. porrectio calicis cum vino, & panis. Nam cum Christus ordinauit Apostolos sacerdotes, dedit eis calicem cũ vino, & panem dicens, *accipite, & manducate; accipite, & bibite.* Ecce hic materiam propriam explicatam in Sacra Scriptura, quæ nulli alij sacramẽto vel rei est assignata; Per quã confutare possumus hæreticos, & probare institutionem huius sacramenti. At impositio manuum erat ceremonia quædam sacra, quam Apostoli in diuersis actionibus vtebantur: nam ea vtebantur in conferendo sacramentũ Cõfirmationis, etiam ea vsus est Ananias cum Paulo ad restituendum ei lumen, Actorum 9. & in alijs actionibus, vt infra dicam aduersus hæreticos. Ad aliud autem ex Patribus, & Concilijs respondetur, quod a Patribus, & Concilijs sacramentum ordinationis appellatur impositio manuum, & etiam a Paulo Apostolo; quia præsertim adhibebant hanc ceremoniam in collatione ordinis. Nam cum ordo sacerdotalis sit præcipuum munus in ecclesia Christi, & manuum impositio esset quædam oratio magni momenti cum ieiunijs, & magna pietate, ac deuotione coniuncta illa præsertim adhibebatur in collatione huius sacramenti. Quę solutio confirmabitur ex Diuo Augustino in solutione argumenti sequentis. Cum verò dicitur quod stante nostra opinione posset quis negare aquam esse materiam Baptismi, negatur consequẽtia: Quia in institutione Baptismi nulla alia materia assignatur nisi aqua; hic autem præter manuum impositionem habemus materiam propriam, quam iam assignauimus.

Ad quartã.

105 Per hoc idem patet ad quartam. Assignata est enim ratio propter quam Concilia, & Patres appellant hanc ordinationem manuum impositionem. Ad Diuum Augustinum autem patet, quod licèt dicat manuum impositione fieri ordinationem, non tamen vult ipsam manuum impositionem esse sacramentum ordinis, siquidem dicit illam posse reiterari, & de facto iterari; non autem ordinationem, quæ est sacramentum: Vnde ex hoc modo loquendi Diui Augustini confirmatur responsio nunc supra ad tertiam adducta, quod licèt Patres appellent sacramentum ordinationis manuum impositionem, non tamen propter hoc voluerunt asserere, quod propriè ipsa manuum impositio esset substantia sacramenti ordinationis, sed quia præsertim in hac actione sacramentali ceremonia, & oratio manuum impositionis adhibeatur.

Ad quintã.

106 Ad quintam ex Concilio Tridentino Respondetur ad primam partem, quod dicit sacerdotem ordinatum esse per manuum impositionem in sensu explicato nũc supra ad tertiam & quartam quo alia Concilia, & Sancti Patres appellant ordinationem manuum impositionem, vel fieri per manuum impositionem. Ad secundam partem Respondetur illa verba secundæ formæ, *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* non esse falsa, quia per illa datur non gratia sacramentalis, quia illa confertur per prolationem primæ formæ, sed datur potestas absoluendi à peccatis, quæ perficit potestatem sacerdotalem, vt supra explicauimus.

Ad argumẽta pro secũda opinione.

107 Ad argumenta pro secunda opinione Respondetur ea concludere sacramentum ordinis dari per primam formam, & materiam, & manuum impositionem cum sua forma non esse de essentia sacramenti sacerdotij: non tamen haberi, quod in illa tradatur actu potestas absoluendi à peccatis, vt vult Soto cum alijs, sed solum quod imprimitur character, & datur prima potestas scilicet celebrandi actu, & dispositio ad aliam potestatem, quæ pertinet ad integritatem potestatis, quam Christus voluit pertinere ad sacerdotem; Et proindè si hęc forma in ordinatione omittatur esse supplendam, non autem sacramentum esse iterandum; quia non est de essentia illius, sed ad integritatem sacerdotalis potestatis requiritur. Vnde est necessaria non solum necessitate præcepti, sed ratione integritatis authoritatis; quam Christus Dominus voluit habere sacerdotes vltra potestatem, quam actu habent ex sacramento ordinationis.

De materia et forma diaconatus.

Falsa opinio ascripta Scoto.

108 Circa ordinem Diaconatus est etiam dissidium inter Scholasticos, quæ sit eius materia. Nam Soto in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 3. quem sequitur ad vnguem Valentia 4. par. disput. 9. quæst. 1. puncto 5. tribuit Scoto, quod asseruerit materiã sacramẽti ordinationis Diaconatus non esse traditionem libri Euangeliorum. Quæ autem sit materia secundum Scotum non explicat. Quod autem hæc fuerit opinio Scoti deducit ex eo, quod Scotus hac distinc. 24. quæst. 1. artic. 2. in fine dicit, proprium actum Diaconatus non esse legere Euangelium, neque Subdiaconatus legere Epistolam. Sed hanc opinionem minimè esse Scoti nunc infra ostendam. Eam autem esse Durandi clarum est. Nam in 4. dist. 24. quæst. 3. num. 7. & 8. confutat opinionem communem asserẽtem imprimi characterem in traditione libri Euangeliorum; & adducit rationem: quia materia, quæ est de essentia sacramenti, & per cuius traditionẽ imprimitur character, & confertur sacramentũ, debet semper seruari, nec potest omitti. At traditio libri Euãgeliorũ, ait ipse, non semper seruata est in omni ecclesia, siquidẽ in ecclesia Aniciensi, cui ipse Durandus præfuit non seruabatur in ordinatione Diaconi traditio libri Euangeliorum, sed ipse Durandus ordinauit, vt traderetur, vt se conformaret alijs ecclesijs; ergo traditio libri Euangeliorum non videtur esse materia de essentia. Vnde sequitur ibi alteram opinionem, quæ asseruit mate-

Opinio Durandi.

riam

riam illius sacramenti esse impositionem manus Episcopi, ac per illam imprimi characterem; Quam confirmat auctoritate Canonis, *Diaconus*, dist. n. 23. in quo significando qualiter ordinetur Diaconus, dicitur. *Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat: quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.* Vbi videtur applicari tunc ad ministerium, & sic tunc imprimi characterem, & suscipere sacramentum.

Reijcitur.

109 Verùm hæc opinio est falsa, & miror eam tribui Scoto, cum Scotus eadem quæst. artic. 3. disertissimè dicat formam in omnibus his ordinibus *esse ea verba, & illam formam, quam habent Episcopi in suis libris Episcopalibus*, quod deinde declarauit, vt docuit Concilium Florentinum cap. de ordine in instructione Armenorum. Certum est autē formam, quæ habetur in Pontificali Romano ad conferēdum Diaconatum, esse illam. *accipe potestatē legendi Euangelium in ecclesia Dei tam pro viuis quā pro defunctis.* Certum est etiam materiam cuiusq. sacramēti esse eam, super quam profertur forma. Et probatur secundum Scotum, qui dicit simul applicari debere materiam cum prolatione formę, vt diximus in materia de Baptismo; idcō cū in Pōtificali Romano præcipiatur, quod simul ab Episcopo tradatur liber Euangeliorum ordinando ad Diaconatum, ita quod illum tangat manibus, & verba prædicta dicantur, non est dubium Scotum voluisse materiam huius ordinationis esse traditionem libri Euangeliorum.

Forma ordinis Diaconatus.

De actibus proprijs Diaconatus, & Subdiaconatus.

110 Ad id autem, quod Scotus ait art. 2. illius quæstionis, quod proprius actus Diaconatus non est legere Euangelium, nec Subdiaconatus legere Epistolam, Respondetur, quod aliquorum ordinum est tantùm vnus actus, aliquorum verò sunt duo actus. Certum est autē, quod Diaconatus sunt duo actus; Primus est ministrare materiam ad conficiendum Eucharistiam, & dispensare corpus, & sanguinem Christi; Alter verò est Euāgelium legere. At prior actus est nobilior, quia immediatius ordinatur ad Eucharistiam conficiēdam in ordine, ad quam dicimus ordines distingui, & alios dici maiores, & alios minores, legere verò Euangelium ordinatur ad disponendum populū, qui est actus remotior. Inquit ergo Scotus, quod licèt vterq. sit actus ordinis Diaconatus, & Subdiaconatus, tamen legere Euangelium, & Epistolam sunt *actus remoti, & minus perfecti*, præcipui autem actus horum ordinum, & proprij sunt quos habet vnus immediatè circa *Eucharistiam dispēsandam*, alius circa *materiam eius offerendam*, quod communiter conceditur, vt dicam de Subdiacono nunc infra. Nō negat ergo materiam in ordine Diaconatus esse traditionē libri Euāgeliorum cum sua forma, sed maximè asserit: cum hoc tamen asserit quod cum duplex actus per ordinationem ad hos ordines illis competat, eum esse præstantiorem, qui immediatius ordinatur ad Eucharistiam.

Quæ sit forma, & materia in Diaconatu.

111 Est ergo dicendum materiam Diaconatus esse traditionem libri Euangeliorum, & formam esse illam. *Accipe potestatem legendi Euangelium in ecclesia sancta Dei tā pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* Quod demum confirmatur, & decretatur in Concilio Florētino in instructione Armenorum cap. de sacramento Ordinis.

Ad rationes Durandi.

112 Ad Durandum Respondetur non esse dubitādum in vniuersali ecclesia ritum hunc tradendi librum Euāgeliorum seruatū fuisse semper, licèt aliqua ecclesia particularis pro aliquo tempore potuerit errare circa hoc. Ad illud ex Canone *Diaconus* respōdetur ibi nihil aliud haberi nisi quod solus Episcopus imponat manum super caput ordinandi in Diaconum ad differētiam sacerdotij, in quo conferendo non solum Episcopus, sed alij sacerdotes assistentes imponunt etiam ipsi manus, vt patet in Pontificali in ordinatione Diaconi, vbi in rubrica assignatur hæc eadem ratio huius discriminis, quę assignatur in illo Canone *Diaconus*.

De materia, et forma subdiaconatus.

113 De materia, & forma ordinis Subdiaconatus est dubium, quia in Pontificali Romano habemus, quod in ordinatione eius traditur duplex materia, & duplex forma. Nam tradit primò Episcopus eis calicem vacuum cū

patena vacua posita super calicem, quem tāgit manu dextera, & dicit illa verba. *Videte cuius ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere possitis.* Deinde infra tradit eis librum Epistolarū, quem similiter tāgunt manu dextera, & Episcopus dicit. *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei tàm pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* est ergo dubium, quænam illarum sit materia, & forma. Sed respondetur breuiter communem opinionem esse quam etiā Conciliū Florentinum vbi supra decernit esse veram, materiam huius ordinis esse traditionem calicis vacui, & patenę sine hostia, & consequenter formam esse illa verba correspondētia illi materiæ superius adducta. Ratio est, quia hæc materia, & forma immediatius ordinatur ad Eucharistiā cōficiendam, quam liber Epistolarum, ac eius traditio, & lectio. Ex quo magis confirmatur, quod supra diximus pro Scoto de actu legendi Euangelium, & Epistolam, nimirū esse magis proprium Diaconi dispēsare, & ministrare Eucharistiam, quàm legere Euangelium, & Epistolam.

De materia & forma Acolyti.

114 Circa ordinem Acolyti posset esse eadem difficultas, quia in eo quoque sunt duæ materiæ, & duæ formæ. Prima est cereus cum candela extincta, quem tangere ordinatus debet, & verba Episcopi sunt, *accipite ceroferarium cum cereo, vt sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini.* Altera materia est Vrceolus vacuus, & verba Episcopi sunt. *accipite Vrceolū ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* Posset ergo dubitari quæ harum materia, & forma sit de essentia. sed quia Concilium Florentinū nihil determinat de his ordinibus minoribus, sed solū dicit in illis materiā esse id, quod assignatur pertinens ad eorum ministeria, & formas esse eas, quæ in Pontificali Romano assignantur, vt etiam dixit Scotus, possumus dicere vtrāque materiam, & formam esse de essentia; Tamen communior opinio est quod materia sit vrceolus, & forma sint verba illi traditioni correspondentia.

De materia & forma Exorcistæ.

115 Circa materiam, & formam Exorcistæ nullam video esse difficultatē, ideo materia eius est liber Exorcismorū, siuè in quo scripti sunt exorcismi, loco cuius poterit tradi Pontificale, vel Missale, forma est. *Accipite, & commēdate memoriæ, & habete potestatē imponēdi manus super energumenos, siuè baptizatos, siuè cathecumenos.* hæc enim est materia, & forma, quæ præscribuntur in Pontificali Romano.

De materia & forma Lectoratus.

116 De materia, & forma Lectoris nulla videtur esse dubitatio. materia enim est liber de quo lecturi sunt, quē Pontifex tradens eis dicit verba sequētia, quæ sunt forma. *Accipite, et estote verbi Dei relatores, habituri si fideliter, & vtiliter impleueritis officium vestrum partem cum iis, qui verbum Dei benè administrauerunt ab initio.*

De materia & forma Ostiarij.

117 Materia ordinis Ostiarij sunt claues ecclesiæ, quas Episcopus eis tradit in ordinatione forma sunt illa verba. *sic agite quasi reddituri Deo rationē pro iis rebus quæ his clauibus recluduntur.* licèt aūt ab Archidiacono, vel alio fungente officio Archidiaconi, deindè deducantur ad claudēdum, & aperiendum ianuam ecclesię, & ad sonandū campanas, hæc non pertinent ad materiam nec ad formā. Hęc sunt, quæ pertinent ad materiam, & formam horum sacramentorum, seu ordinationum, quæ omnes quomodo sint vnum sacramentum capite sequenti dicemus.

An sit necessaria inuocatio Trinitatis in formis horū sacramentorum.

118 Hic sunt duo dubia. Primū quod mouetur à Scoto hac distin. 24. quæst. 1. artic. 2. est an sit necessaria inuocatio Trinitatis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Et ratio dubitationis est, quia Conciliū Florentinū vbi supra assignans formā ordinis sacerdotalis, dicit illā esse hāc, vt supra diximus *Accipe potestatē offerendi sacrificium in ecclesia pro viuis, & defunctis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & tamen in Pontificali non apponūtur illa verba in nomine Patris, &c. sed dicit *in nomine Domini*.

119 Respondetur itaque illa verba non esse de essentia eiusdem formæ, siquidem idem Concilium dicit illas esse

formas harum ordinationum, quæ habentur in Pontificali Romano. Significat ergo his, vel illis vti posse Episcopum: Et cum in nonnullis alijs formis aliorum ordinum nõ habeantur in Pontificali Romano, non esse de essentia, neq; de necessitate. Sufficit quod in forma exprimatur potestas quæ actu confertur per talem formam: ex actu enim ipso, & intentione ecclesiæ, cuius minister facit actionem illam intelligitur dari illã potestatẽ in nomine Sãctiss. Trinitatis.

Regulæ, quæ seruantur in alijs formis sacramẽtorũ seruandæ sũt in formis illis

120 Vbi est notandum circa formas horum sacramẽtorum seruanda esse ea, quę supra agendo de formis sacramentorum, diximus dist. 1. huius 4. disp. 8. de forma Baptismi quantum ad variationem, & mutationem verborum.

An sit de necessitate sacramenti tãgere materiam. Aliorũ opiniones.

121 Aliud dubiũ est, an sit de necessitate sacramẽti ordinis, quod ordinandus tangat materiam sibi traditam ab Episcopo, vt e. g. an sit necessarium, quod ordinandus ad presbyteratum tangat manibus calicem, & patenam cum hostia. De hoc dubio multa dicit Soto ead. dist. 24. quæst. 1. art. 2. aduersus opinionem D. Thomæ, & Caietani, qui nõ videtur sibi constare, cum in quodlibet quæst. 16. seu tract. 11. in opusculis dicat esse necessarium; In summa verò verbo ordinandi asserat non esse necessarium: Quia neque in Concilio Florentino, neque in Pontificali Romano ponitur tanquam necessarius. Ipse Soto etiam est valde ambiguus. Nam primò dicit opinionem D. Thomæ, qui in 4. dist. 24. q. 1. art. 1. quæstiũcula 5. ad 3. tenet cõtactum necessariò requiri, non esse necessariam, sed sufficere, quod Episcopus ostendat materiam ordinando; illa enim (inquit) ostensio, & porrectio sine tactu sufficiẽter determinat verba formæ ad significandum potestatem, quę per talem ordinationem confertur. Quod confirmat, quia in sermonibus familiaribus cum quis donat equũ alteri, ille eum recipit absque eo quod tangat eum. At infra deindè cõcludit, hæc dixisse, non quod neget contactum requiri, *immò requiri, ait, comprobo.* sed ad tollendum scrupulos eorũ, qui arbitrantur, nisi tetigerint calicem, & simul hostiam nullatenus esse ordinatos. Deindè dicit *immò licèt fortasse hostiã non tangant, sed solum calicem tangant, illic censentur totũ, quod sibi datur pertingere. nam sicut qui tangit calicem censetur tangere vinum, quod est intus, ita & hostiam, quæ est supra patenam.* Est ergo totus ambiguus. Valentia vbi supra disp. 9. quęst. 1. punct. 5. per omnia sequitur Soto, & est ipse quoque totus ambiguus. Nam primò dicit contactum esse necessarium, deindè dicit quod etsi nõ tangat hostiam censendum esse ordinatum.

Opinio authoris.

122 Ego puto simpliciter esse necessarium tactum calicis, & hostiæ. Ratio est, quia licèt in Concilio Florentino hoc non præscribatur, tamen in Pontificali Romano, ad quod se remittit Concilium in ritu seruando in his sacramentis præcipit disertis verbis, vt ordinandus tangat materiã porrectam, & præscribit modũ. Et sic cessat ratio Caietani in summa. Quod autem inquit in Pontificali non præcipi cõtactum tanquam necessarium, nullum habet fundamẽtũ. Cum enim præcipiat tactum illum potius dicendũ est pręcipere tãquam rem necessariam, alioquin frustra præciperetur ita disertè pręscribendo modũ acceptionis, & tactus. Accedit quod in consecratione Apostolorum in vltima cęna à Christo Domino facta non solum fuit traditus calix, & panis, sed etiam acceperunt calicẽ, & panem in suis manibus, siquidem manducauerunt, & biberunt; ergo cũ tunc præscripserit materiam huius sacramẽti, sequitur, quod tactus sit de necessitate huius sacramenti.

Ad rationẽ Soto.

Quod autem ait quod non tãgitur vinum cum sit in calice, ergo nec hostia necessario est tangenda. Respondetur non valere consequentiam, quia neque Apostoli tetigerũt vinum, cum datum fuerit in calice, & regulariter accipiens vinum non soleat tangere vinum, sed illud recipere in aliquo vase. At hostia, & panis cum datur, accipitur in manibus, & tangitur, ergo dicẽdum est, esse de necessitate sacramenti. Quod etiam Soto adducit de sermonibus familiaribus, in quibus quis donat equũ alicui, & ille eum recipit absque eo, quod eum tangat, multo minus concludit: Quia aliud est loqui de similibus actionibus familiaribus, & de actione ista sacramentali: hic enim præscribitur hic ritus, non ibi: ideò non est simile. Vnde D. Thomas vbi supra ad tertium habet hæc verba. *quia enim potestas ordinis non accipitur à materia, sed à Ministro principaliter, ideo porrectio materiæ magis est de essentia sacramenti, quam tactus, tamẽ ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti, quia dicit accipe hoc, vel illud.* Cõtinuus etiam vsus eandem necessitatem ostendit, vt fatetur ipse Valentia. Verum cum res hæc sit sub opinione poterit quis partem, quam voluerit eligere.

Quomodo ordines prædicti sint vnum sacramentum. De eorum institutione, officio, effectu, sufficientia, & eis annexis, vt sunt horæ canonicæ, & celibatus. Caput Quintum.

Quomodo sacramentũ ordinis sit vnũ.

123 IN quarto articulo huius quæstionis explicat Scotus quomodo prædicti omnes ordines sint vnum sacramentum. Nam assertio communis est, esse tantum septem sacramenta Ecclesiæ nouæ legis, modò si hæ ordinationes omnes, quas diximus esse sacramenta non reducantur ad vnum sacramentum, sacramenta erunt tredecim, nempè istæ septẽ ordinationes, & reliqua sex sacramenta, quę omnia sunt tresdecim. Scotus ergo vt supra tetigimus inter alios assignat duos modos, quibus possumus dicere, quod omnia ista septem sacramenta sunt Vnũ. Primus est quod omnia sunt vnum genere propinquo, non remoto. Declaratur. Nam genus propinquum istarum ordinationum est ordinatio in communi, respectu cuius quælibet ordinatio est species, sicut homo, leo, equus, &c. sũt vnũ genere, quia sunt species animalis. Et hoc modo istæ septem ordinationes, quæ sunt septem sacramenta, possunt dici vnum sacramentum, s. respectu ordinationis in cõmuni, quæ est sacramentum, & est vna genere, & est genus proximum harum septẽ ordinationum. Sacramẽtum aũt in communi est genus remotũ, & supremum, diuiditur enim in septem sacramenta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pęnitentia, Extrema Vnctio, Ordo sacer, seu Ordinatio, & Matrimoniũ. Ordo ergo est vna species sacramenti in genere in communi: Tamen est deinde vnum genus respectu suorum inferiorum: Adeo quod vnusquisq. ordo ex his septẽ est species vna sacramẽti ordinis, quod est eorũ proximũ genus. Scotus dat exemplum de virtutibus moralib. Nam Iustitia, Fortitudo, & Temperantia sunt tria genera virtutum, quorũ vnumquodq. continet sub se varias species virtuũ, & tamen oẽs illę tres virtutes cõtinentur sub genere vno cõmuni, quod est virtus moralis. Nã virtus in communi diuiditur in virtutẽ Theologicã, & moralem. Virtus deinde moralis diuiditur in Iustitiã, Fortitudinẽ, & Tẽperantiã, quæ sunt particularia genera virtutũ: Vnde licèt respectu virtutis moralis, quod est genus earũ propinquũ dicãtur vnũ genere, tñ respectu harũ virtutũ inferiorũ, quas vnaquæq. sub se cõtinet, vt patet de Iustitia, quæ sub se cõtinet tot species virtutũ, dñr genera diuersa virtutũ. Virtus .n. moralis est genus subalternũ, quod respectu virtutis in cõmuni est species, respectu verò Iustitiæ, Fortitudinis, & Tẽperantiæ est genus. Iustitia aũt Fortitudo, & Tẽperãtia, quæ sunt species virtutis moralis sunt genera respectu virtutũ, quas sub se cõtinent. ordines ergo septẽ sunt vnũ vnitate generis propinqui, quod est ordo & est genus subalternum, & species sacramenti in cõmuni, est verò genus respectu istarũ septẽ specierũ ordinũ, seu ordinationũ sub illa cõietarũ, quod appellatur Ordo sacer, & est supremũ sacramẽtum.

Obiectio ex Soto & Diuo Thoma.

124 At obijcit Soto cum Diuo Thoma illo artic. 3. dist. 24. quæst. 1. quod admisso quod hæc sacramenta sint vnum genere, vt dictum est, sequeretur quod vnũ quodque horum ordinum esset vna species sacramenti, & sic essent septem sacramenta simpliciter. Vnde ipse ait cum D. Thoma diuisionem huius sacramenti in suas species esse diuisionem, non totius integralis in suas partes, nec generis in suas species, sed totius potestatiui in suas partes; Quẽ modum dicendi tenent alij quoque. Dat exemplum Soto de

de Anima, & eius potentijs. Nam inquit anima huius totius potestatiua est, quod totum secundum completam rationem sit in vno, participatiuè in reliquis, sicut tota virtus secundum essentiam est in anima, cuius potentiæ sunt participes: eodem enim modo tota ratio sacramenti est in sacerdotio, in reliquis verò ordinibus est quædam participatio, quatenus ad ipsum omnes referuntur. Verum ex dictis patet, quemlibet ordinem esse sacramentum per se, & habere propriam potestatem, & proprium characterem distinctum ab alio. Vnde seiunctim conferuntur; ideò licèt ordinentur ad sacerdotium, non tamen sunt ipsum sacramentum sacerdotij: & hoc cogitur quoque Soto fateri, qui sustinet, quod Diaconatus & Subdiaconatus sint ordines distincti. Non sunt ergo sacramenta per participationem, nec potestate per participationem, sed per essentiã. Ideò ad argumentum conceditur, quod sunt septem sacramenta simpliciter specie distincta, sed sunt vnum genere, vt expositum est.

Solutio.

Secũdus modus dicendi Scoti.

125 Alio modo etiam ista septem sacramenta, & ordinationes possunt dici vnum, nimirum ratione ordinis, quẽ habent inter se, & ad sacerdotium, qui est supremus ordo, ad quem alij ordinantur. Ratione enim huius ordinis habent subordinationem talem inter se, quod qui recipit hos ordines sacros debet incipere ab inferiori, & gradatim ascendere ad superiorem. Nimirum prius debet recipere primam Tonsuram, deinde ordinem Ostiarij, deindè Lectoris, & sic gradatim semper superiorem proximum. Cęterum hic ordo non est simpliciter necessarius, ita quod si quis recipiat prius superiorem, vt sacerdotium, quam inferiorem, vt Subdiaconatum vel Diaconatum nihil fit; sed solum est necessarius de congruitate; vt patet *extra de clerico per saltum promoto*. Vbi habetur, quod non est iterandum quod est factum, sed quod fuit prætermissum cautè est supplendum. Adeò quod si quis ordinaretur ad sacerdotium prætermisso aliquo ordine inferiori, vel etiã omnibus, reciperet quidem sacerdotium, neque iterum esset ordinandus ad sacerdotium, sed esset ordinandus alijs ordinibus inferioribus, qui prætermissi fuerant, & sic cautè suppleretur quod fuit prætermissum. Qui tamen ordinaretur sic per saltum peccaret mortaliter, & incurreret pœnas, de quibus disp. sequenti. Ab hac tamen vnitate ista septem sacramenta, & ordines non dicuntur vnum sacramentum, sed a prima vnitate, quæ est superius explicata.

Ordines non sunt suscipiẽdi per saltũ.

De institutione ordinum maiorum.

De sacerdotio.

126 Quantum ad institutionem, certum est ordinationem sacerdotalem, & Episcopalem esse institutam à Christo Domino, & de presbyterali clarum est eam institutam fuisse in vltima cœna, cum Christus Dominus ordinando Apostolos sacerdotes porrexit illis calicem, & panem, & ea consecrauit, dixitq. illis *hoc facite in meam commemorationem.* vt supra diximus. De Episcopatu habemus institutionem, & ordinationem Pauli, & Barnabæ Actorũ. 13. *segregate mihi Paulum & Barnabam, &c.* & 1. Timot. 4. *noli negligere gratiam, &c.* Actorum 20. *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, &c.* & alibi de Diaconatu, & Subdiaconatu, nec non habeatur ita clara, & aperta institutio in Sacra Scriptura, non tamen est dubitandum esse instituta à Christo Domino cum perpetua praxi in ecclesia ab Apostolis vsque nunc hi gradus, & ordines habiti sint in ecclesia ad inseruiendum sacerdotio in Eucharistia celebranda. Magister tamen in hoc 4. distinct. 24. dicit Christum Dominum vsum fuisse officio Diaconatus, quãdo post cœnam Matth. 26. & Lucæ 22. sacramentũ carnis, & sanguinis discipulis dispensauit, & quando Apostolos dormientes ad orationem excitauit dicens, *vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* officio verò Subdiaconatus vsum fuisse, quando Ioann. 13. linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim pedes discipulorum lauit, & linteo tersit. Quare possumus dicere his actibus hos ordines instituisse.

De Episcopatu.

De Diaconatu, & Subdiaconatu.

Magister sententiarum.

127 De minoribus ordinibus similiter dicendum est nullum esse dubium institutos fuisse à Christo Domino, cum sint sacramenta irreiterabilia, vt habemus ex perpetuo vsu, & praxi ecclesiæ, & testimonio Sanctorum Patrum, vt supra vidimus, probando ipsa esse sacramenta. Et licèt in primitiua Ecclesia de his habeatur parum mentio, ob hoc non sequitur, quin fuerint instituta à Christo Domino. Nã vt ait Scotus in hac quæstio. ad 3. principale in ecclesia primitiua erant pauci credentes. & ideò pauci Ministri sufficiebant ad dispensandum eis Eucharistiam, & ideò tunc non oportuit Ministros in singulis ordinibus instituere. Post autem quia multiplicata est fides, & deuotio concomitabatur ad communicandum quotidie, necessarium fuit habere multos Ministros ad singula ministeria pertinentia ad Eucharistiam, & ideò tunc ecclesia instituit multos Ministros in singulis gradibus, & ordinibus. At tunc de nouo non fuerunt instituti illi ordines, sed iã prius instituti fuerant à Christo Domino. Et hoc modo intelligẽdus est Magister cum dicit hos ordines institutos esse ab ecclesia. Vnde Magister sententiarum eadem dist. 24. assignat loca, quibus Christus Dominus his ordinibus, & officijs vsus est, in quibus potest dici hos ordines instituisse. Nã officio Acolyti, quod est illuminare per bonum exemplum &c. vsus est in se ipso, ac in se illud habere, & exercere docuit, cum Ioan. 8. dixit. *Ego sum lux mundi qui sequitur me non ambulat in tenebris.* officio verò Exorcistæ visum fuisse quando Marc. 7. saliua sua tetigit linguam surdi, & muti dicens *epheta quod est ad aperire*, per hoc enim nos docuit spiritualiter aperire debere aures præcordium hominũ ad intelligendum, & ore confitendum, vt pulso demone Spiritus Sanctus vas suum recipiat. Officio Lectoris tũc visum fuisse, quando Lucæ 4. in medio seniorum librũ Esaię aperiens distinctè ad intelligendum legit *Spiritus Domini super me &c.* Officio demum Ostiarij vsus est Christus Dominus quando flagello de funiculis facto vendentes, & ementes eiecit de templo Io. 2. In his ergo locis possumus rationabiliter dicere hos ordines institutos fuisse, ipsomet vsu, sicut aliqui dicũt Baptismum institutum fuisse à Christo, cum Matt. 3. tactu suæ mundissimæ carnis tetigit aquã qua baptizatus fuit à Ioanne in Iordane.

De institutione ordinum minorum.

Magister sententiarũ quomodo intelligendus.

128 Quod autem sit officium singulorum ordinum ex eorum diffinitione patere potest; nihilominus, quia aliqua officia competunt alicui ordini, quæ in diffinitione nõ explicantur satius est breuiter ea explicare. Quæ autem hæc officia sint, explicantur apud Gratian. d. 25 c. 1. ex epistola Isidori Episcopi Hispalensis in epistola ad Ludifredum ex antiqua ecclesiæ traditione, quem omnes alij ferè scriptores secuti sunt, præsertim Magister in hoc quarto, distinct. 24. & alij. Munus ergo Episcopi, vt à primo ordiamur ex horum auctorum doctrina est consecrare Basilicas, vngere Altaria, consecrare Chrisma, imponere manus, idest conferre sacramentum Confirmationis, benedicere populum, distribuere officia, & ordines ecclesiasticos, benedicere Virgines, & demum prædicare populo verbum Dei. Et quidem quod officium prędicandi competat Episcopo, licèt ab auctoribus prædictis sit prętermissum, patet, quia Christus Dominus dixit Apostolis Matt. 28. *euntes docete omnes gentes baptizantes eos, &c* & D. Paulus 1. Corint. 1. dixit de se ipso *misit me Dominus euangelizare, non baptizare.* Verum est, Episcopum hoc munus prædicandi posse per alium ministrum exercere, quãdo legitimè impeditur, vt legitur apud Possidonium in vita D. Augustini fecisse Valerium Episcopum Hipponensẽ qui impeditus lingua, cum Gręcus esset in hoc munere pro se instituit S. Augustinum.

De officijs singulorum ordinum.

De officio Episcopi.

Prædicare est munus Episcopi.

129 Officium sacerdotis est secundum Isidorum & Magistrũ *sacramẽtũ corporis & sãguinis Domini ad altare conficere, dona Dei benedicere, & orationes dicere.* Cęterum addi debet, & sacramenta alia ministrare exceptis ijs, quæ reseruantur Episcopo, quæ sunt Confirmatio, & ordinatio; vt supra diximus. Præsertim verò pertinet ad eos sacramentum Pœnitentiæ administrare, & reliqua sacramenta excepti illis duobus. Rursus ad sacerdotẽ spectat omnes alias benedictiones facere, exceptis ijs, quas diximus pertinere ad Episcopum, vt patet ex vsu ecclesiæ. Ad

De officio sacerdotis.

eos etiam pertinet prædicare Euangelium populo de licētia Episcopi, vt diximus de S. Augustino.

De officio Diaconi.

130 Officium Diaconi vt habetur ex verbis eiusdem Isidori, quæ sunt ista, *est assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi in Baptismo scilicet in Chrismate, & patena & calice. oblationes quoque inferre, & disponere in altario, componere etiam mensam Domini, atque vestire, ferre crucem, & prædicare Euangelium, & Apostolum*, idest epistolam. *Nam sicut Lectoribus Vetus Testamentum, ita Diaconis nouum prædicare præceptum est. Ad ipsum quoque pertinet officium precum, & Litanias dicere, & recitatio nominum ordinandorum, & baptizandorum, & mortuorum, & excommunicatorum*, vt ait ibidem Glosa, *ipse præmonet aures haberi ad Deum, ipse hortatur clarè, ipse donat pacem, & ipse annūtiat festiuitates*: hæc Diuus Isidorus. Cæterum præter hęc certum est semper pertinuisse ad Diaconum legere Euangelium tempore sacrificij, quod clarè elicitur ex D. Hieronymo epistola 48 quæ est ad Sabinianum Diaconum in illis verbis *exangais, marcidas, pallidus vt suspitione omni careres Euangelium Christi lectitabas*. Reprehendit enim illum Diaconum, quod totam noctē insomnem duceret impudicitijs incumbens; & deindè mane nihilominus ad sacrificium officio suo legēdi Euangelium incumberet, ne peccatis incubuisse suspicaretur. Idem elicitur ex Concilio Remense canon. 5. & Vasense canon. 4. Præterea certum est etiam ad eum pertinuisse in absentia Episcopi baptizare, vt ait Tertullianus lib. de Baptismo, & insuper porrigere, seu deferre alijs Eucharistiam absente Episcopo, vel Presbytero, quod apertè decernitur in Concilio Nicęno can. 14. vbi reprehenditur mos, qui inualuerat in aliquibus ecclesijs, quod Diaconi consecrata Eucharistia ipsi eam præberent Episcopis, & Presbyteris; immò ipsi prius sumerent, deindè Episcopo, & Presbyteris illam ministrarent; Concilium autem eo can. hūc morem damnat & vult quod Episcopi, & Presbyteri per se sumant, & ministrent Diaconis, & alijs. Concedit tamen ipsis Diaconis, vt absente Episcopo, & Presbytero alijs Eucharistiam prębeant; pertinebat autem officium prędicandi ipsis Diaconis de licētia Episcopi, vt patet de Diuo Stephano, & Philippo Actorum 7. & 8. tamen vt visus ecclesiæ docet hoc munus illis non competit ex officio, vt rectè Scotus dixit; Atque hoc idem dicendum videtur de delatione Eucharistiæ ad infirmos, vt patet ex eo canon. 14. Concilij Nicæni. Quare concludendum est ex omnibus officijs adductis proprium munus Diaconi esse assistere sacerdoti in sacrificio Missæ. Vndè hoc officium illis competere ne dum à Diuo Isidoro affertur, sed etiam à Clemente lib. 2. constitutionum Apostolicarum cap. 53. in quo multa pertinētia ad Diaconatum traduntur, & apud alios Patres idem habetur.

De officio Subdiaconi.

131 Subdiaconi officium est ex eodem Isidoro vbi supra *calicem, & patenam ad Altare Christi deferre, & Leuitis tradere, atque eis ministrare in omnibus, quæ aguntur in sacramentis Christi, ipsi enim Diaconi, deindè exhibent ea cum materia offerenda sacerdoti, item vrceolum, & aquam manile, & manutergium tenere Episcopoq; & Presbyteris, & Leuitis pro lauandis ante Altare manibus aquam parare*. Etiam eius officium est legere Epistolam in sacrificio Missæ, vt habetur in Concilio Remensi can. 4. & hoc est in visu in ecclesia, & in praxi seruatur, licet Isidorus ponat hoc officium inter officia Diaconi, vt vidimus.

De officio Acolyti.

Officium Acolyti ex eodem Isidoro, *est pręparare luminaria in sacrario, cereum accensum portare, vasa sugesta pro Eucharistia, & calices pro Subdiaconis pręparare*, idest vrceolum cum vino, & aqua Subdiacono pręparare. Quæ munera, & officia competere Acolyto elicitur etiam ex Concilio Carthaginensi 4. can. 6. in quo Concilio multa alia habentur pertinentia ad hos ordines, vt infra contra hæreticos dicemus.

De officio Exorcistæ.

Officium Exorcistæ est *manus super energumenos imponere, & ad pellendos ex illis dæmones exorcismos Ecclesiæ super illos legere, atque hoc modo illos pręparare, vt sacris interesse, & participare possint*. De ordinatione Exorcistæ habetur præter alia loca apud Concilium Carthaginense quartum, quod celebratum fuit anno 398. can. 7. Modum eius ordinationis, sicut & aliorum ordinum infrà videbimus contra hæreticos, qui maximè hunc ordinem despiciunt.

De officio Lectoris.

132 Officium Lectoris *est lectiones in matutino legendas pronuntiare, & ea quæ Prophetæ vaticinarunt populis prędicare*. Glosa in caput illud explicat .i. legere ne sit hic textus contrarius cap. *Aducimus* 16. q. 1. de hoc ordine nō desunt auctoritates, & loca Sanctorum Patrum, vt infra videbimus.

De officio Ostiarij.

133 Officium Ostiarij *est habere claues Ecclesiæ vt claudat, & aperiat templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, extraq. custodiat, fideles recipiat, excommunicatos, & infideles, ac alios indignos eijciat*. Vbi ast obseruandum de consecratione dist. 1. cap. *Episcopus nullum*, ordinari quod Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, & audire verbum Dei, siuè Gentilem, siuè Hæreticos, siuè Iudæum vsque ad Missam Cathecumenorum, sed Glosa in cap. 1. distinct. 25. in verbo *Infideles*, dicit illud non tenere, quia contraria consuetudine abrogata sunt, & Glosa Hostiensis etiam in caput illud *Episcopus nullum*, dicit etiam esse abrogatum: Vnde nunc nō sunt admittendi. Verum hoc est intelligendum de illis, de quorū correctione nulla est spes, vel veniunt irridendi causa, non de ijs, de quorum correctione speratur; vt habet Glosa in eod. cap. *Episcopus nullū*. Et rursus obseruādū est illud cap. *Episcopus nullū*, loqui de ingressu ad audiendū concionē verbi Dei; vndè permittit infideles permanere in ecclesia vsque ad missam Cathecumenorum, quæ est pars missę à principio vsque ad offertorium: hæc enim pars solet appellari missa Cathecumenorum. Ad Ostiarium quoque pertinet campanam pulsare, vt supra diximus.

De effectu huius sacramenti.

134 Quantum ad effectum huius sacramēti nihil aliud occurrit dicendum, nisi quod dictum est supra. Nimirum quod habet duplicem effectum. primus est conferre gratiam iustificantem, & hoc est verum de quocunque ordine, cum quilibet sit sacramentum, vt diximus; proprius autem & communis effectus sacramētorum omnium nouæ legis est conferre gratiā gratum facientem; Quæ gratia tunc confertur, quando forma cum materia applicatur ordinato; nimirum cum Episcopus tradit calicem cum hostia & dicit accipe potestatem, &c. Vndè tunc perficitur sacramentum. Ex quo sequitur, quod cæteræ cerimoniæ, vt vnctio manus, impositio manuum, & aliæ benedictiones non sint sacramentum, nec de essentia sacramenti, sed sint sacramentalia. Neque Concilium Tridentinum sess. 23. canon. 5. oppositum docet, dum ait. *Si quis dixerit sacram vnctionem, qua ecclesia in ordinatione vtitur non tantum non requiri, sed contemnendam, & perniciosam esse, similiter, & alias ordinis cerimonias anathema sit*. Nam ibi solum intendit damnare hæreticos, qui dicunt eas cerimonias non solum non requiri, sed etiam esse contemnendas. Concilium autem approbat illas rectè adhiberi non superstitiosè, & proindè non esse contemnendas. Nam ritus administrandi sacramēta saluis substantijs eorum commissus est Ecclesiæ à Deo iuxta illud Pauli 1. Corinth. 11. *cætera cum venero disponam*. ex quo patet ritum seruandum in Eucharistia tradenda, ordinatum fuisse à Paulo.

Secundus effectus huius sacramenti.

Secundus effectus est impressio characteris. Nam vt ait Scotus hac quæst. ad secundum principale in quocunque ordine imprimitur proprius character, adeò q. quotsūt ordines, tot sunt characteres, & probabile est diuersarum specierum; Quia videmus hos ordines respicere diuersos actus, ad diuersos autem actus requiruntur diuersæ potestates. Character autem est potestas actiua, vel passiua, vt diximus supra dist. 6. huius 4. disp. 25. num. 29. & vnus character est excellentior alio, & ita excellētia in vno est maior alia essentialiter, sicut excellentia vnius speciei super

per

per aliam est essentialis. Quod autem character imprimatur in vnoquoque ordine ostēsum est supra, dum probatum est, vnumquemque ordinem esse sacramentum irreiterabile. Nulla enim alia ratione est irreiterabile, nisi quia imprimit characterem. Nam characteris nomine, vt loco citato diximus in proposito intelligitur potestas spiritualis ministerialis indelebilis ad exercendum actus ecclesiasticos: patet autem per singulas ordinationes talem potestatem tradi; ideò per vnamquamque ordinationem imprimitur character.

Sufficientia numeri ordinum.

135 Vndè autem sumatur ratio, seu sufficientia huius numeri ordinum, quare scilicet non sint plures, nec pauciores varij vario modo assignant. Aliqui volunt illam sumi ea adaptatione ad gratias gratis datas, quas Apostolus 1. Corint. 12. enumerat: Alij ex similitudine cęlestis Hierarchię, in qua officia Angelorum sunt purgare, illuminare, & perficere. Alij per comparationem ad septem dona Spiritus Sancti. Sed conspicuè patet huiusmodi sufficientias, & rationes esse valdè remotas. Vera ergo ratio, & sufficientia est ea, quam assignauimus supra cum Scoto, & multis alijs, scilicet per respectum ad sacramentū Eucharistiæ. Nam omnes Ministri, qui consecrantur in ecclesia propter Eucharistiam, & in ordine ad Eucharistiam consecrantur; Sicut etiam Templa, altaris, vasa, vestes, & ornamenta sacerdotum propter Eucharistiam consecrantur, & ad illam ordinantur. Vnde ordo, qui proximius accedit ad Eucharistiam dignitate alios pręcedit. ideò ordo sacerdotij primum locum tenet, quia ad ipsum pertinet conficere Eucharistiam. Secundum locum tenet Diaconatus, quia assistit ipsi sacerdoti in conficiēda Eucharistia, & ministrat materiam consecrādam eam porrigendo ipsi sacerdoti. Tertium locum occupat Subdiaconatus, quia est subministter sacerdotis ministrat enim materiam ipsam Eucharistiæ præbens eam Diacono, qui eam deindè prębet sacerdoti. Atque isti tres ordines, quia immediatè disponunt ad Eucharistiam dicuntur ordines maiores. Post hos sequuntur ordines Minores, qui quoque disponunt ad Eucharistiam, sed remotè disponendo populum ad dignè recipiendum Eucharistiam eo ordine, quo supra cum Scoto artic. 2. huius quæstionis eos enumerauimus, quæ non est opus repetere. In his autem officijs videntur includi omnia quę necessaria & congrua sunt ministerio Eucharistiæ: ideò nec plura, nec pauciora sunt his septem.

De alijs ordinibus pertinentibus ad hierarchiam ecclesiasticā.

Quatuor gradus in ecclesia. Episcopatus, Archiepiscopatus Patriarchatus, & Papatus.

136 Verum præter ordines, & gradus prædictos dātur in ecclesia alij ordines, & gradus alterius rationis, ex quibus simul cum superius allatis Hierarchia ecclesiastica perfectè constituitur. Hi autem sumuntur penes potestatem iurisdictionis, non ordinis; Reperiūturq. inter ipsos Episcopos, & sunt quatuor scilicet gradus Episcopatus, gradus Archiepiscopatus, seu Metropolitanis, gradus Patriarchæ, seu Primatis, & demum Papatus, seu Pontificatus supremi in Ecclesia, qui competit Episcopo Romano. Hi gradus & ordines distinguuntur à prioribus septem, quia in ecclesia est duplex potestas ordinis, scilicet, & iurisdictionis. Priores septem, seu octo pertinent ad potestatem ordinis, ideò per consecrationem conferuntur, & sunt indelebiles, vt diximus: Isti posteriores verò pertinent ad potestatem iurisdictionis. Nam quantum ad potestatem ordinis eandem potestatem habent Episcopus, Archiepiscopus, Patriarchā, & Papa, Differunt solum quoad potestatem iurisdictionis: quia amplior est in vno, quam in alio. Nam Episcopus habet potestatē super suam Diœcesim, Archiepiscopus super plures Episcopos, vt puta super Episcopos vnius Prouinciæ. Patriarcha verò super Archiepiscopos plurium Prouinciarum, & Regnorum. Vndè in primitiua ecclesia fuerunt tantum quatuor Patriarchæ. Papa verò habet plenitudinem potestatis super omnes Patriarchas, & totam Ecclesiam, quia in ipso ex auctoritate Saluatoris est fons, & origo omnis potestatis iurisdictionis in vniuersum gregem Christi dicente illo Ioann. cap. 21. *pasce oues meas*, vt infra contra hæreticos abunde monstrabimus. Isti autem ordines, & gradus instituti sunt in ecclesia à Pōtificibus Romanis propter necessitatem. Neque enim conuenienter, & commodè poterat Pontifex Romanus prospicere, gubernare, & in vnitate fidei, & morum continere omnes fideles propter multitudinem, & distantiam ab Vrbe Roma, & ideò optimum consilium fuit Ciuitatibus varijs præficere vnum Archiepiscopū, & diuersis Prouincijs, & Regnis vnum Patriarcham. Istæ autem diuisiones factæ sunt quodammodo secundum diuisionē Prouinciarum, & Regnorum Gentiliū, in quibus fides Christi dilatata est, non quia Gentiles imitari ecclesia voluerit, sed quia ad gubernationem fidelium distinctio hęc Pastorum est valdè vtilis, sicut Imperio Romano erat valdè vtile cōstituere varios, & subordinatos Præfectos in suis Prouincijs, & Regnis, qui omnes ab ipso Imperatore, & Cap. Reipublicæ pendebant.

De Cardinalium ordine.

137. Ordo Cardinalium S. R. E. non est distinctus à duobus ordinibus prædictis ratione potestatis ordinis, siue consecratione, quia omnes sunt vel Episcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, & eadem ratione participāt potestatem iurisdictionis, quæ eis in talibus gradibus conueniūt. Est verò distinctus ordo ratione proprij officij. & gradus, qui est vt sint Consiliarij præcipui, & Coadiutores Pontificis in gubernanda ecclesia, & propter hoc sunt superiores dignitate Episcopis, siquidem in controuersias de illis, & inter illos existentes constituuntur Iudices: Et insuper illis competit eligere Summum Pontificem, quæ est dignitas maxima, & insignis. De hoc ordine infra vberius agemus contra sectarios.

De annexis ordinibus sacris.

138 Quædam autem annexa sunt ordinibus sacris, de quibus breuiter est agendum. Ea autem vel insunt ipsi ordinationi, vt sacræ vnctiones, & aliæ cerimoniæ. Vel consequuntur iam ordine suscepto. Et ista triplicis generis sūt, Vel enim significant statum, & conditionem Ministri ordinati, vt Tonsura, Vestis, & nomen Cleri: Vel pertinent ad pręrogatiuam quandam clericorum; vt ius ad beneficia, & variæ immunitates, vt est exceptio clericorum à potestate seculari. Vel denique pertinent ad onus clericorū, vt recitatio horarum Canonicarum, & obligatio ad castitatem, & celibatum, sed de Tōsura, habitu & cerimonijs, iam supra diximus De iure ecclesiastico, & immunitate à potestate seculari, & celibatu, infra erit sermo aduersus hęreticos, Nūc de horis Canonicis. De horis Canonicis tractant fusè summistę verbo *Hora*, & Canonistę in cap. *presbyter*, de celebratione Missarum. Nauarus in Manu. cap. 25. num. 96. & sequentibus, & alibi.

De horis Canonicis.

De horis Canonicis illud est certum omnes ordinatos ad ordines maiores teneri quotidie ad recitandum horas Canonicas. Ratio est, quia vnum ex præcipuis officiis ministri spiritualis est orare pro populo ad Deum, & hæc obligatio oritur ex natura officij clericatus ea iure diuino, iuxta illud Esaiæ 43. *Omnem illum, qui inuocat nomē meum in laudem meam creaui illum*. Et illud Psalm. 118. *septies in die dixi laudem tibi.* Ecclesia deindè præscripsit modum orandi ordinando horas Canonicas, vt patet ex cap. *Presbyter*. de celebratione Missarum, & cap. *Volentes*, eodem titulo, in quorum primo, licèt loquatur de presbyteris tantum; tamen in secundo loquitur de clericis minoribus quoque, per quos certū est intelligi. Diaconum, & Subdiaconum, qui sunt quidem ordines minores respectu presbyteratus, sed tamen sunt maiores respectu inferiorum, vt supra diximus: Et in hoc conueniunt omnes Doctores super caput illud *Presbyter*. & summistæ, ac alij supra citati.

Qui teneātur recitare horas Canonicas.

An ordinati ad minores teneātur ad horas Canonicas.

De ordinatis autem ad quatuor ordines minores est aliqua dissensio. Panormitanus in caput illud *Presbyter* dicit esse communem sententiam Doctorum non teneri, licèt hunc casum particularem non attingat, dicendo eum constitutos in sacris, & beneficiatos teneri, videtur inferre quod non constituti in sacris, & non beneficiati non teneantur. Atque hanc ait esse generalem consuetudinem, quam, inquit, posse eos excusare à peccato si non recitant horas Canonicas: Et recentiores cōmuniter sequuntur hāc opinionem. Tamen ipse Panormitanus tenet, quod de

mente

menore iuris diuini, & humani teneantur. Ratio eius est: quia eo ipso quod quis promouetur ad ordines, assumitur in sortem Domini, & transfert se in Deum, & ecclesiam; vnde eximitur à potestate seculari, & mutat statum, & proinde videtur obligari. Nec responsio Soto valet, vbi supra, qui dicit, quod non mutat statum; quia integrum est illi copulare se matrimonio, non valet inquam. Quia licèt possit se copulare matrimonio, tamen quandiù manet in clericato exemptus est à potestate seculari; ergo mutat statum. Ratio ergo Panormitani est efficax. Et confirmatur ex verbis cap. *Dolentes.* eodem titulo de celebratione Missarum, habet enim sic. *Dolentes referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam Ecclesiarum Prælati, &c. Hæc igitur & similia sub pœna suspẽsionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ sanctæ, vt diuinum officium nocturnum, pariter, & diurnum quantũ eis Deus dederit, studiosè celebrent, & pariter & deuotè.*

139 Vnde nõ rectè videtur dicere Syluester quod opinio Panormitani nullo iure probetur. Nam in eo capite dicitur absolutè *minores clerici*; ergo cõprehẽdit omnes clericos etiam minores ordinatos. Quod enim per minores ibi intelligat tãtum tres maiores, nulla Glosa specificat, & clarius habetur dist. 92. cap. final. vbi sic habetur. *si quis presbyter, aut Diaconus, vel quilibet clericus, &c.* & quia videtur illud caput intelligere de eo, qui intitulatus est alicui ecclesiæ. Glosa ibi hanc expositionem confutat, & inquit. tu dic, & quemlibet clericum teneri ad hoc, licèt non teneatur specialiter ad hanc, vel illam, sic subaudi. extra de Regul. *super eo.* quare videtur mihi hæc opinio Panormitani munita solido fundamento, licèt consuetudo, & opinio Doctorum in contrarium excusare poterit à peccato transgressores.

Regulares professi non ordinati tenentur ad officium.

140 Ex hoc habetur, quod Regulares constituti in ordinibus minoribus tenentur ad diuinum officium. Sed vltra hoc omnes tenent, quod dum sunt clerici (excipiuntur enim conuersi) professi, & deputati ad chorum, licèt non sint ordinati, tenentur ad diuinum officium quotidie. Dicunt tamen aliqui ad hoc non teneri aliquo iure, sed solum per consuetudinem Religionis, aut per peculiarem legem illius Religionis, quæ est sententia Caietani in summa verbo *Hora canonica.* & Valentiæ 3. p. disp. 6. quæst. 2. puncto 10. fundamentum est, quia dicunt ad id non teneri aliquo præcepto peculiari iuris, nec ratione professionis seclusa peculiari constitutione ad id obligante. Vnde colligit Valentia, quod professi in illis Religionibus, in quibus nunquam fuit consuetudo, vt clerici recitent diuinum officium, non teneantur.

Ratio propter quã professi Regulares teneãtur ad officium ex Soto.

De hac re Soto 10. lib. de iustitia, & iure quæst. 5. artic. 3. facit quæstionem magnam, non quidem, vt ipse ait, An teneantur, quia, inquit, est omnium opinio, quod teneãtur, vt ait Syluester verbo *Hora*, Panormitanus, & omnes iuris Consulti, & Diuus Antoninus 3. par. titulo 3. cap. 4. quod etiam sensit Nauarus in Manual. cap. 25. numer. 96. quod etiam extendit ad Monachos; sed de ratione, propter quã teneantur ad recitationem horarum canonicarum. Ipse autem adducit præcipuè hanc rationem; quia omnes Religiones saltem antiquæ approbatæ ab ecclesia obligantur in communi ad horas canonicas; ergo quotquot eisdem Religionibus addicti sunt, tenentur ad easdem horas recitandas publicè, vt in illis Religionibus fit; ergo si non possunt satisfacere huic muneri publicè propter aliquod impedimentum, debent priuatim satisfacere. Antecedens est verum de Religionibus antiquis. Quod si aliqua Religio noua approbata est sine hac obligatione, non tenebitur hac ratione, sed ob alias infra adducendas. Consequentia prima probatur, quia obligatio illa attingit totã Religionem; ergo & quemlibet particularem. Altera consequentia probatur quoque, quia qui impeditur satisfacere huic muneri publicè, non propter hoc eximitur ab eo, si possit eidem satisfacere priuatim, quia ei hoc munus incũbit ex eo quod est membrum, & onus ea illa Religione.

141 Addo ego iura illa citata à Panormitano ad probandum clericos in ordinibus cõstitutos obligatos esse cõcludere quoque de professis in Religionibus, licèt non sint ordinati: Quia & ipsi ex eo quod sunt professi in Religione, sunt clerici, & gaudent priuilegio clericali, ideo præceptum ex cap. *Dolentes* de celebratione Missarum, ad eos quoque extenditur, & certè opinio communis Doctorum asserentium teneri, videtur illis Canonibus niti. Nam cap. *cui portio.* clericus, qui in sortem Domini recipitur, nihil præter Deum curare debet: hoc autem præcipuè fit incumbendo orationi, cuius pars principalis est recitatio diuini officij: Præsertim quia 12. q. 1. cap. *clericus* in virtutis verbis dicitur *si autem pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius, nec accipio partem in cæteras tribus, sed quasi Leuita, & Sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum his contentus ero & nudam crucem nudus sequor.* ergo professus in aliqua Religione, quia viuit de altari, scilicet oblatione, & nudam crucem sequitur contentus victu, & vestitu, videtur habere rationem perfectam clerici, ideò subiacet præcepto, & obligationi clericorum.

Adauges opinio Soto ab authore.

142 Adde quod non potest negari professum Religionis obligari ad orationem, cum ea instituto suo addicti sint contemplationi, & deuoto cultui. At horę canonicę sunt orationes præcipuę: Non potest ergo meliorem orationẽ facere, quam illas debitè recitare. Saltem inter orationes præcipuas connumerari debent, cum sint statutę ab ecclesia, & ad eas ordinati in maioribus ordinibus adstricti sint ab eadem ecclesia. Neque ego video in quo possint magis referre gratias populo, cuius eleemosynis sustentantur, quam per orationem hanc: Neque enim illis sacramenta ministrare possunt, nec prædicare saltem ex officio, & ordinatiè.

Cõfirmatur.

143 De Nouitijs, & Conuersis sunt diuersæ opiniones. Syluester verbo *hora* 3. & alij, quos sequitur Soto loco citato tenent primo non obligari ad horas. Secundo neque ad aliquod diuinum officium. E contra Paludanus in 4. dist. 15. quæst. 5. tenet, quod Nouitij teneãtur ad diuinum officium, tum quia sunt clerici, & priuilegio clericali gaudent, tum quia eleemosynis sustentantur. De conuersis verò Augustinus de Anchona, quem Diuus Antoninus 3. p. tit. 13. cap. 4. citat, & sequitur, vult quod teneantur ad illud officium diuinum, seu orationem, ad quam est consuetudo Religionis eos deputare propter easdem rationes, propter quas Nouitij obligantur. Quæ opinio mihi probatur propter rationes adductas de clericis in minoribus ordinatis. Illę enim hic quoque militant. Vnde clerici nostræ Religionis tenentur ad horas canonicas, non solũ quia ex Regula nostra D. Francisci c. 3. ad illas tenentur Dicente S. Francisco, *clerici faciant diuinum officium*, sed ex hoc generali præcepto. Item laici nostræ Religionis teneantur ad dicendum 24. Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum septem, pro Vesperis duodecim, pro Completorio septem, & teneantur orare pro Defunctis, vt in Regula nostra cap. 3. à Diuo Francisco est pręscriptum. Sed vltra hanc rationem particularem, quia est præceptũ Regulæ, quod obligat sub pęna peccati mortalis, tenentur propter prædictam rationem generalem.

De Nouitijs, & Cõuersis.

De Nouitijs & Conuersis Religionis S. Francisci.

144 Illi verò, qui habent beneficium ecclesiasticum, siuè simplex, siuè curatum, aut quamcunque aliam præbendam titulo clericali tenentur ad horas secundum omnes, quod colligunt Doctores ex illo capitulo finali distinct. 92. *Nam propter officium datur beneficium* capit. fina. de Rescriptis lib. 6. & *qui altari seruit de altari debet viuere, & è conuerso, qui viuit de altari, seruire debet altari* cap. *cum secundum Apostolum.* de Præbendis. Quod confirmatum est in Bulla Pij Quinti relata à Nauaro in Manual. cap. 25. num. 122. in qua etiam Papa declarat, per beneficium ecclesiasticum intelligi etiam præstimonia, seu præstimonialia beneficia. Præterea in Bulla præcipit, quod pensionarij, qui tanquam clerici recipiunt pensionem quotidie recitent officium paruum B. Mariæ Virginis. Alij verò pensionarij

De horis canonicis quo ad clericos beneficiatos.

Bulla Pij V.

sionarii, qui non tanquam clerici, sed titulo seculari, vt titulo Belli, &c. non tenentur ad aliquid ex sententia omnium.

Quid sit illud in horis canonicis ad quod tenentur clerici.

145 Quid verò sit illud, ad quod clerici tenentur recitare in horis canonicis sob pena peccati mortalis, & quid non, patet ex Bulla Pij Quinti affixa Breuiario Romano. illi enim, qui tenentur ad Breuiarium Romanum, debent recitare officium, & septem horas canonicas eo ritu, qui præscribitur in eo Breuiario secundum Rubricas; illi verò, qui ex priuilegio Romani Pontificis habent peculiarem ritum ad illum tenentur, nisi fortè quis absens à cęnobio proprio non habet copiam proprij Breuiarij; tunc enim poterit vti Breuiario alio probato. Ad officium autem B. Mariæ Virginis, officium Defunctorum, Septem Psalmos, & Psalmos Graduales ex indulto eiusdem Pij Quinti in eadem Bulla nõ tenentur sub pæna peccati mortalis, sed tamen qui præscriptis diebus in rubricis ea officia recitauerint Indulgentias consequentur ea cõcessione eiusdem Pij Quinti in eadem Bulla. Quod tamen concedit absque pręiudicio illarum ecclesiarũ, in quibus viget consuetudo singulis diebus recitandi officium B. Mariæ Virginis, & alias preces; ideò quantum ad peccare venialiter, vel mortaliter circa huiusmodi preces standum est consuetudini, & ordinationibus cuiusque loci: quia Papa illis non intendit derogare.

An liceat cõmutare officium.

146 Est autem dubium, vtrùm liceat sine peccato mortali commutare officium vnius, & eiusdem Breuiarij E.G. quando esset dicendum de feria, dicere liceat de Sancto. Syluester verbo *Hora*. num. 1. & 15. Caietanus in summa verbo *Hora canonica*. Soto lib. 10. de iustitia, & iure quæst. 5. art. 4. dicunt non esse mortale. Sed obstat præceptum Pij Quinti in Bulla præcipientis dicendum esse officium secũdum formulam sui Breuiarij Romani. Constat autem secundum formulam, seu rubricas Breuiarij dicendum esse de feria in feria, & in festo Sancti de Sancto. Sed respondet Valentia vbi supra, illam particulam *secundum formulam* referri ad formulas aliorum Breuiariorum, quas Pius Quintus expressit, vt sensus sit dicendum esse officium secundum formulã Breuiarij Romani ab eo correcto non alterius, quod fiet, quamuis in festo dicatur officium de feria, dummodo dicatur secundum idem Breuiarium Romanum. Fundamentum huius opinionis est, quia substãtia præcepti est, vt dicantur septem horæ canonicę, non verò vt dicantur de hoc, vel illo. Addunt prædicti Authores fore peccatum veniale, si sine rationabili causa mutetur officium. Hæc opinio mihi quoque videtur probabilis. Tamen non auderem excusare à peccato mortali, neque eos satisfacere putarem, si data opera, & ex proprio capite quis vellet mutare officium: quoniam rubricæ præscriptæ sunt, vt obseruentur, & cum Papa præcipit, vt officium diuinum dicatur, procul dubio subintelligit etiam modo pręscripto. Vnde cum non adest rationabilis causa, non videtur quis excusari ab obseruatione huius præcepti.

Modus recitandi diuinũ officium.

147 Modus recitandi diuinum officium præscribitur in eodem capitulo. *Dolentes* de celebratione Missarum sub his verbis *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum quantum eis Deus dederit studiosè celebrent pariter & deuotè*. Vbi Pontifex requirit duas cõditiones. prima quod dicatur *studiosè*. Glosa exponit *quantũ ad officiũ oris idest sine sincopa*. Vnde vt tenẽt cõmuniter Doctores Syluester, Caietanus, & Nauarus & alii vbi supra debet recitari distincta voce, & intelligibili sine prætermissione syllabarum (hoc enim est illud quod significatur per illud verbum *sincopa* sincopa enim est figura quæ de medio tollit syllaba) vt ab astantibus non impeditis, & auscultantibus possit intelligi. Altera particula est, *deuotè*, Glosa exponit *quantum ad officium cordis*. Vnde requiritur attentio, quæ cõmuniter in oratione requiritur, nẽpe actualis, vel virtualis, ita quod in principio orationis, & recitationis officii attendat quid agere aggreditur, & deinde non diuagetur ab hac intentione ex proposito vertendo se ad temporalia, siuè applicando se alicui alteri operationi, cuius actio sit incompossibilis cum attentione in Deum, & ad diuinum officium. Vnde sicut deambulando, surgendo à lecto, se induendo, & similibus quis orare potest, quia in his actionibus necessariò mens nõ distrahitur ab attẽtione in Psalmos, & orationes, & in Deum ipsum, ad quem psalmi, & orationes diriguntur. ita per huiusmodi, & similes actiones non impeditur recitatio diuini officij.

De tempore recitandi diuinũ officiũ.

148 Tempus recitandi officium est vt vnaquæque hora suo tempore dicatur, vt Matutinum media nocte, & alię horæ suo tempore: tamen si nõ dicatur tempore determinato non est peccatum mortale, sed à vespere vnius diei vsque ad mediam noctem sequentis diei potest sine peccato recitari. Debet tamen potius antecedere, quam subsequi tempus debitum; Nimirum Matutinum debet recitari potius Vespere diei præcedentis, & idem de alijs horis, quam differri post occasum Solis, siuè post prãdium; Debet tamen adesse rationabilis causa. Vnde si postponatur sine rationabili causa est peccatum veniale graue. Rationabilis autem causa esse potest occupatio in aliquo negotio alicuius momẽti priuato, vel publico: vnde videmus esse consuetudinem etiam piorum hominum non ita ad amussim determinatum tempus in recitando seruare.

An mortale sit non dicere in choro horas debito tẽpore.

149 Dubium tamen est an sit mortale non dicere in choro horas suo tempore determinato. Caietanus in summa negat, si fiat sine contemptu præcepti ecclesię. Soto vbi supra asserit: Quia inquit, fieret iniuria populo, qui nesciret quando ad officium audiendum venire deberet. Ego autem puto hanc commutationem sine magna, & valde rationabili causa non posse fieri sine peccato mortali, vt puta dicere Matutinum in choro Vespere antecedentis diei, non tantum propter populum, qui ad huiusmodi officium non solet regulariter accedere, sed quia præcepta ecclesiæ ita generalia non possunt prætermitti sine rationabili & graui causa, quæ excuset ad obligatione. Præterquã quod inducit torporem, & segnitiem in clericis, qui in obsequio Dei debent esse vigilantes. Clerici tamen in Collegiatis, & Canonici excusari vidẽtur ob cõsuetudinem in contrarium, per quam hęc præcepta mitigari dignoscuntur.

150 An verò sit peccatum mortale celebrare missam ante recitationem Matutini, & Primæ, est dubium. Syluester verbo *Missa*, num. 6. dicit communem opinionem Summistarum esse, quod sic, ipse tamen tenet oppositum, quem sequitur Soto vbi supra quæst. 5. artic. 4. Mihi opinio communis probabilior videtur, tum propter consuetudinem, quæ habet vim legis, tum quia excellentia sacrificij Missæ videtur requirere hanc dispositionem præuiam, vt sacerdos præmittat hanc præcipuam orationem, quæ est recitatio Matutini, & Primæ. Non puto tamen hanc consuetudinem ita strictè obligare, vt in casu necessitatis ad vitandum scandalum imminens alicui Monasterio, non possit quis celebrare non præmissa recitatione Matutini, & Primæ.

De loco ĩ quo horæ sunt recitandæ.

151 De loco quoad recitationem priuatam nullus est locus præscriptus, vt patet ex consuetudine. Vnde siuè in ecclesia, siuè domi, siuè alibi semper rectè recitari potest. Secus de recitatione publica: hęc enim in ecclesia vel choro, & loco ad hoc deputato fieri debet.

Qui modo prædicto omittit officia peccat.

152 Qui autem omittit officium diuinũ recitare modo prædicto studiosè, & attentè sine rationabili causa peccat mortaliter, vt dictum est, si tamen non habet beneficium ad nihil aliud tenetur nisi ad pęnitendum de peccato, non autem ad recitandum de nouo illud officium, secundum omnes: quia præceptũ obligat ad dicendum pro illa die, sicut cum ecclesia præcipit vt quis ieiunet tali die, si eo die non ieiunat peccat, sed non tenetur alio die ieiunare: Si verò habet beneficium post transactum semestre à consecutione illius tenetur ad restitutionem fructuum pro rata ommissionis officij. Hoc modo. Si vno die omittat totum officium tenetur restituere omnes fructus beneficij qui illi contingerent illo die. Si verò omittat tantum matutinum tenetur restituere dimidiam partem fructuum, qui

Beneficiatus nõ recitãs officiũ tenetur ad restitutionẽ fructuũ, & quomodo

qui illa die sibi contingerent. Si reliquas sex horas tantum etiam dimidiam partem fructuum. Si verò alteram tantum ex illis sex horis tenetur restituere sextam partem fructuum, qui ei illa die obuenirent. Et tenetur hos fructus erogare pauperibus, vel fabricæ ecclesiæ, vt declarat Pius Quintus in Bulla particulari de hac re, quam adducit Nauarrus in Man. cap. 25. num. 122. & si post transactum semestre fuerit contumax in non dicendo officium, debet priuari beneficio iuxta decretum Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. 9. cap. 9.

Causæ excusantes à recitatione officij quæ.

153 Causæ excusantes à recitatione officij secundum communiorem, & veriorem sententiam, sunt Primò infirmitas talis, vt non patiatur officium vllo modo nec per se, nec cum socio recitari vlla hora diei, cuiusmodi est illa, quæ impedit alia negotia grauia, & molesta tractari, vt obseruat Nauarrus cap. illo 25. num. 100. Secundò repentina aliqua, & grauis occupatio superueniens, quam sine graui scandalo, aut magno detrimento non possis prætermittere, vel sustinere si recitet officium. Tertiò si quis careat breuiario inculpabiliter excusatur si illud memoriter nō sciat; Et etiam si culpabiliter omisit, sed postea pænitet de omissione, quia tunc tempore recitationis omissio non est illi voluntaria nec actualiter, nec virtualiter, cum iam pœnituerit de omissi one culpabili, vt Nauarrus vbi supra, & alij rectè obseruauerunt. Quartò est dispensatio Summi Pontificis, cum obligatio hæc ad recitādum sit de iure positiuo. Quintò si quis solum ratione beneficij teneatur dicere officium, & tamen non percipiat fructus actu, neque speret in futurum, nec per se, nec per alium recepturum, non tenetur ad recitandum officium. Ratio est, quia beneficium datur propter officium, ideo cum non datur beneficium, neque ille obligatur ad officium, ad illud enim obligatur propter gratias referendas benefacienti. Hæc satis de hac materia, de quibus Nauarrus in Man. cap. 25. num. 96. & sequentibus, & alij supra fusè locis citatis.

DE POENIS, ET CENSVRIS Ecclesiasticis

Distinctio XXV. Quæstio Prima. Disputatio Secunda.

De Depositione, Degradatione, & Infamia.

De Depositione, & Degradatione. Caput Primum.

1 IN distinctione 25. agunt Doctores de suscipientibus ordines sacros; qui nam scilicet suscipere valeant simpliciter, & debito modo; & quoniam inter alia impedimenta, quæ excludunt à susceptione, vel à rectâ susceptione eorum sunt pœnæ ecclesiasticæ, Scotus in hac dist. quæstione 1. breuiter, sed eleganter agit de Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis, seu canonicis. In secunda quæst. verò agit de alijs impedimentis, quę non sunt delicta, & dicuntur potius incapacitates. sed de his etiā in hac quæst. dicemus cap. 6. vbi illam secūdam quæstionem quoque explicabimus. Circa primum duo facit. Primò explicat quæ, & quot sint pœnæ, & censuræ ecclesiasticæ, & hoc in primo articulo huius quæstionis. Secundò declarat quomodo excludant à susceptione, seu à collatione ordinis sacri, ideo nos quoque hæc præstabimus. Sed istud vltimum præstabimus post tractationem de suspensione, quæ est vltima censura secundum ordinem Scoti, in propria disp.

2 Quantum ad primum Scotus primò adducit diffinitionem pœnæ canonicæ, dicens. *Pœna canonica, vt intelligimus in proposito, est pœna inflicta per Canones prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu ecclesiastico, qui alias sibi liceret.* Primò autem Scotus distinguit de qua pœna canonica intelligat, cum proponit se velle diffinire pœnam canonicam. Nam multæ sunt pœnæ canonicæ, quæ non comprehenduntur sub pœna canonica prout in proposito est sermo de pœna canonica. Nam Canones imponunt Hæreticis pro pœna sui criminis hæresis priuationem bonorum omnium temporalium; neque tamen quis dicet hanc esse pœnam canonicam, quæ respicit ordines. Est ergo sermo de pœna, quæ imponitur alicui per quam prohibetur, vel repellitur à gradu ordinis sacri, per quam expulsionem fit inhabilis ad susceptionem, vel exercitium illius, Quod quomodo contingat postea videbimus. In hac ergo diffinitione, genus est pœna. Pœna enim est quid commune ad omnes censuras, & impedimēta canonica ordinum, & ad multa alia: Pœna enim est mulcta imposita ab aliquo iudice pro aliqua culpa. Nam pœna respicit culpam, neq. imponitur nisi propter culpam aliquo modo. Prima differentia est inflicta per Canones. Adducit Scotus rationem huius differentiæ. Quia pœna canonica, quæ est impedimentum respiciens ordines ad hoc vt sit iusta, debet infligi à Canone: Vel si infligitur à Iudice non à Canone, tamen debet infligi secundum dispositionem sacrorum Canonū. Vnde impedimenta, propter quæ ex iure diuino à sacris ordinibus quis est repellendus, vt non ebaptizatum, & si quæ alia huiusmodi sunt, non dicuntur pœnæ canonicæ, propriè loquēdo, & à Recentioribus appellantur incapacitates, sed illæ propriæ, quæ iure positiuo ecclesiastico statuta sunt. Secunda differentia est prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu ecclesiastico. In hac differentia posuit Scotus illas duas particulas, *prohibens, vel arcens*: Quia videtur dubium an sit aliqua censura, quæ non solū prohibeat à susceptione, & vsu sacrorum ordinum, sed etiam omnino illis priuet, & tollat, vt videbimus secundo articulo de Degradatione. Qui enim tenēt, quod episcopatus non sit ordo, habēt dicere eum pertinere ad potestatem iurisdictionis, & non imprimere characterem, & cōsequenter posse amitti, & esse delebilem; Quæ tamen opinio est falsa. Subiungit tamen Scotus, quod siue per pœnā canonicam prohibeatur quis ab hoc grado, vel aliquo alio vel absolutè arceatur ab illo, & priuetur vtrumque horum continetur sub hac particula, arcens, seu prohibens à gradu ecclesiastico. Vltima differentia est, qui alias sibi liceret. Quæ differentia additur à Scoto; quia si ei, cui fit hæc expulsio, & prohibitio gradus ille alias non competeret, non posset dici pœna, quia non est pœna laico, quod non possit conficere Eucharistiam; quia hoc alias sibi non competit; Sed sacerdoti ordinato si prohibeatur, quod non possit cōficere, est pœna: quia iam sibi competit. Hæc est doctrina communis, quia pœna non infligitur nisi propter culpam; ergo illi solum applicari potest pœna hæc canonica, qui est in culpa propter quam meretur sic puniri: ille autem alias, idest si nō esset in culpa talis gradus competeret, nec ab illo posset repelli. Posset esse d fficultas aliqua de irregularitate: quia datur aliqua irregularitas, quæ est sine culpa, sed de hoc in materia de Irregularitate dicemus.

Quid sit pœna canonica.

3 Subiungit deinde, quod huiusmodi pœnæ canonicæ sunt septem scilicet Depositio, Degradatio, Infamia, Irregularitas, Excommunicatio, Interdictum, & Suspēsio. Vbi statim occurrit dubium: quia Scotus est diminutus: quia cessatio à diuinis est pœna ecclesiastica, & tamen ab eo non enumeratur; deinde enumerat infamiam, quę ab alijs non enumeratur inter pœnas canonicas. Respondetur ad primum, quod cessatio à diuinis cōtinetur, vel saltem aliquo modo reducitur ad Interdictum; ideo Scotus non enumerat illam per se, sed fortè comprehendit illam sub interdicto licèt reuera differat ab vtroque. Nos tamē de illa agimus in disp. de Interdicto. Ad secundum dicitur, quod ab alijs infamia ponitur sub irregularitate, cuius eam vocant spe-

De numero pœnarum canonicarum.

De cessatione à diuinis.

speciem esse asserunt, vt infra videbimus. Sed tamen est species diuersa, vt videbimus.

Qua differentia sit inter pœnas canonicas & censuram.

4 Hic obseruandum est communiter Doctores ponere differentiam inter pœnam Ecclesiasticam, & censuram Ecclesiasticam; Quia communiter tenetur, quod nomine censuræ Ecclesiasticæ veniant solum excommunicatio, suspensio, & interdictum. Quod expressè habetur in cap. *Quærenti*, de verborum significatione, & ibi tradunt Doctores præsertim Panormitanus, & Nauarus in Man. cap. 27. in principio, Suarez tomo de Censuris disp. 1. sect. 3. Valentia p. 4. disp. 7. quæst. 19. puncto 1. & alij communiter contra Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. contra quem facit Nauarus eodem cap. nu. 254 & Suarez vbi supra. Vnde Degradatio, Depositio, Infamia, Irregularitas non veniūt nomine censuræ; & proinde, quando in litteris Pōtificum conceditur licentia absoluendi à censuris ecclesiasticis, solum de illis tribus intelligitur, vt expressè habetur eodem cap. *Quærenti*. Aliqui etiam nolunt Irregularitatem esse pœnam ecclesiasticam, sed impedimentum, & inhabilitatem canonicam, quos sequitur Suarez tomo de Censuris disp. 40. sect. 7. de qua te cum agemus infra de Irregularitate erit sermo.

An Irregularitas sit pœna Ecclesiastica.

Quid sit censura.

Quid autem sit censura, & quomodo à reliquis pœnis canonicis distinguatur, varij varia dicunt, & diuersæ differentiæ assignantur, vt est videre apud summistas, agentes de his censuris. Aliqui, quos sequitur Suarez eodem tomo de Censuris disputatione prima sect. 1. asserunt censuram præcipuè differre à Depositione, & Degradatione: quia istę sunt perpetuæ, illa vero temporalis, & in medicinam contra culpam ordinata. Differt vero ab Irregularitate, quia Irregularitas secundum eum non est pœna imposita propter culpam, vt diximus, sed est impedimentum canonicum; & alij alias differentias ponunt.

Opinio Valentiæ commendatur.

5 Mihi in hac re placet opinio Valētiæ, qui p. 4. disp. 7. q. 19. puncto 1. asserit differentiarum pœnarum canonicarum, & cēsurarum rationem assignare esse difficile propter varium modum dicendi Doctorum. Ideo faciliorem modum declarandi vnamquamque illarum esse, sumere earum differentias, non à materia ipsarum, sed à ratione formali vniuscuiusque. Et certè hoc verissimum est; & Scotus videtur hac methodo vti. Nam certum est, quod omnes pœnæ canonicæ enumeratæ tam eæ quæ propriè censuræ dicuntur, quàm eæ, quæ non dicuntur propriè censuræ in materiali ratione conueniunt. Nam vt videbimus tractando de vnaquaque omnes sunt pęnæ priuantes ijsdem bonis spiritualibus, saltem inadæquatè, licèt diuerso modo; & omnes infliguntur propter aliquam culpam proportionatam; & ab habente potestatem iurisdictionis in sic punitum. Et quidem quod omnes sint pœnæ, videtur esse communis sententia, licèt aliqui hoc negent de irregularitate, vt dixi; sed de hoc postea: ideo hoc supposito ad declarationem vniuscuiusque accedamus. De vnaquaque istarum pœnarum Scotus agendo in particulari declarat quatuor per ordinem, nimirum Quid vnaquæque sit; qualiter incurrantur; quali remedio remittantur; qualiter se habeant ad inuicem secundum grauitatem, & permanentiam. Nos quoque hunc ordinem sequemur, addendo quid alij de huiusmodi pœnis asserant.

De Depositione.

6 Prima ergo pœna canonica est Depositio. Vbi est obseruandum, quod hoc nomen Depositio habet varias significationes etiam in iure. Nam aliquando significat tradere rem alicui ad custodiam & in depositum, & res deposita dicitur depositum, & actio illa tradendi rem dicitur depositio. Aliquando idem significat quod de veritate testificare. Vnde testium testificatio in iudicio, dicitur testium depositio. Aliquando significat derelictionem alicuius rei, & hoc modo dicimus, aliquem deponere officiū, & dignitatem, quando ex se illam derelinquit. Aut deponi ab officio, & dignitate, quando scilicet non à seipso, nec liberè, sed ab alio ei aufertur officium, vel dignitas. Et hoc vltimo modo accipitur in proposito scilicet pro depositione passiua, qua quis ab officio, & gradu ecclesiastico deponitur. Inquit autē Scotus quod depositio est totalis amotio à statu clericali; & quod proinde est maxima pęna. Subiungit quod si degradatio est amotio quoq. ab omni gradu clericali idem sunt depositio, & degradatio. Si verò degradatio sit amotio, seu depositio tantum à certo gradu clericali, tunc degradatio est pœna diuersa à depositione, & est pœna quædam particularis respectu depositionis. Hoc autem dicit Scotus, quia in iure aliquando depositio accipitur genericè, prout continet etiam degradationem, vt cap. 2. de pœnis in 6. §. 1. & propter hoc dixit Scotus, quod si degradatio est amotio totalis à statu clericali; depositio, & degradatio idem sunt. Aliquando verò accipitur specificè, siuè propriè in se, vt est specialis pœna distincta à degradatione; & tunc Scotus vult quod depositio distinguatur à degradatione per hoc, quod depositio est amotio totalis à statu clericali; degradatio verò solum ab aliquo gradu retento alio; vt depositio à sacerdotio, vel ab episcopatu retento Diaconatu & alijs inferioribus gradibus clericorum.

Depositio & degradatio quādoq. quo cordi accipiuntur.

7 Pro cuius intelligentia & aliorum dicendorum infra est obseruandum, quod depositio, & degradatio videntur accipi pro eodem in capite illo secūdo de pœnis in 6. vt supra diximus, quem textum etiā Scotus infra adducit. Depositio enim quādoq. fit à totali gradu clericali, & in perpetuū; quandoq. verò ab vno gradu, non autem ab alio, vt puta, ab episcopali, non à sacerdotio, vt habetur capit. *Veritatis* de dolo, & contumacia, vt habet Panormitanus eodem capite num. 15. Cum ergo Scotus dicit, quod degradatio est amotio ab aliquo gradu alio retento, & contradistinguitur à depositione, non accipit degradationem propriè, sed pro depositione illa, quæ est amotio ab aliquo gradu, quam distinctionem Iura, & Doctores admittunt, vt dictum est de Panormitano, & cap. dicto *Veritatis*.

Depositio vocatur quandoq. suspēsio.

8 Obseruandum est etiam, quod nomen istud Depositio quandoq. vocatur suspensio, & quoniā suspensio multis modis fit, etiam depositio multis modis fit, & hinc est quod sæpè quoque suspensio vocatur depositio, quod præsertim notat Glosa in caput, *si quis Episcopus*, dist. 85. Et in titulo *de clerico excommunicato, vel deposito ministrante*, sæpè ille, qui est suspensus appellatur depositus. Vnde in eodem titulo cap. 3. dicitur aliquā depositionem esse perpetuam, ex quo datur intelligi aliquam depositionem esse non perpetuam; talis autem depositio non perpetua est idē quod suspensio. Propter hoc Suarez tomo de Censuris disput. 30. sect. 1. reducit depositionem quodammodo ad suspēsionem, licèt apertè dicat esse pœnam diuersam à suspēsione, accipiendo eam propriè; sed relinquendo acceptionem impropriam loquendo propriè omnes Canonistæ, & Theologi fatentur esse pœnam particularem distinctam ab alijs. Sic Syluester verbo *Degradatio*. Et ante ipsum Abbas in caput *Veritatis*, citatum *de dolo & contumacia*. Nauarus in Man. cap. 27. num. 151. & Scotus ante omnes istos in hac quæstione vt visum est.

Depositio, & degradatio propriè quid sint.

9 Accipiendo ergo depositionem propriè, & degradationem similiter propriè quatenus sunt pęnę diuersæ ex eodem cap. 2. de pœnis potest haberi differentia quædam per quam potest vna ab alia distingui, & est hęc, quam deinde Syluester adduxit verbo *degradatio*, in principio, & alij Quod depositio est amotio, & priuatio totalis ab omni gradu ecclesiastico perpetua sine spe recuperandi per verba, seu verbalis. Degradatio verò est amotio, & priuatio totalis realis ab omni gradu, officio, & dignitate ecclesiastica perpetua, & sine spe recuperādi, & à statu clericali. Vnde duabus differentijs præsertim differunt. Prima, quia depositio est sententia verbalis prolata à Iudice, qua clericus per sententiam Iudicis amouetur, & priuatur gradu clericali, & omni dignitate ecclesiastica. Degradatio verò est actualis, & realis, seu solemnis depositio per certam, & particularem ceremoniam, qua actualiter, & solemniter per Episcopum spoliatur omni gradu clericali. Secunda differentia est quod depositus per depositionem verbalem nō est spoliatus priuilegio clericali, ita quod Iudex secularis

cularis possit in ipsum agere. Et ideo Doctores tenent, quod si quis percuteret clericum depositum depositione verbali, sed nondum degradatum, incideret in excommunicationem, *si quis suadente diabolo &c.* vt videre est in Glosa, & Doctoribus in caput illud secundum de pœnis. Et ratio assignatur in eodem capite, quia in forma, quæ ibi præscribitur seruanda in depositione, non apponitur illa particula *deponimus & eximimus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali*, sed ponitur in hoc formæ degradationis; ideo quia illa forma continet veritatem, dicendum est, quod tunc depositus cum degradatur priuatur priuilegio clericali, & subijcitur foro sæculari. Vnde traditur Iudici sæculari. Cum enim priuetur foro ecclesiastico, ne sit sine superiore, redditur ad subiectionem Iudicis sæcularis, à cuius potestate per clericatum exemptus fuerat; ideo tunc Iudex potest in ipsum animaduertere, & punire pro delictis propter quæ fuit degradatus, quod non poterat antequam degradaretur. Quod autem depositus, sed non degradatus, licet sit priuatus gradu, & officio clericali, non tamen sit priuatus priuilegio clericali, quo eximitur à foro sæculari, apertè traditur à Panormitano cap. *At si clerici* de iudicijs, §. *De Adulteris*, nu. 2. in eo enim text. apertè dicitur, quod clericus depositus non est continuò tradendus brachio sæculari; sed peracta pœnitentia super eius excessus dispensari; ergo signum est, quod per solam depositionem non amittit priuilegium clericale. Idem colligitur ex cap. *Vnum ab homine*, eodem titulo. Propter ergo has duas differentias sunt diuersæ pœnæ, & propter hoc habent etiam diuersas formas, vt patet eodem cap. 2. de pœnis in 6. Ab alijs verò pœnis, & censuris differunt per hoc, quod vtraque istarum est omnino perpetua, & sine spe recuperandi gradum clericalem. Vnde hodie fit tantummodo in ijs clericis, qui traduntur brachio sæculari. Et depositio videtur se habere veluti sententiæ prolatio, & degradatio videtur se habere vt executio sententiæ. Cæteræ verò pœnæ sunt remissibiles. Et de pœnis, quæ propriè censuræ dicuntur clarum est, quia illæ sunt medicinæ, & imponuntur ad corripiendum, & ad faciendum, vt homines à peccatis resipiscant, ideo habita correctione, remittuntur.

Quomodo differant ab alijs pœnis canonicis, & censuris.

10 Obseruandum est autem, quod per depositionem, & degradationem non tollitur character ordinis suscepti, & consequenter neque ipsi ordines suscepti, sed tollitur licentia exercendi actum quemcunque ordinis, & propter hoc dicitur priuari omni gradu, & officio clericali. Tollitur etiam priuilegium, quod competit ordinatis, vt diximus. Vnde traditur brachio sæculari. Ita quod & quantum ad actus ecclesiasticos, & tutelam personarum ecclesiasticarum, & quantum ad forum totaliter excluditur à foro ecclesiastico, & à numero personarum ecclesiasticarũ. Vnde si depositus, & degradatus attentet facere actus pertinentes ad ordines sacros, vt si sacerdos confectionem Eucharistiæ facit; quia amittit potestatem iurisdictionis nō ordinis. Vnde Glosa in cap. 2. de pœnis, verbo *clericali*. hoc negans, est reijcienda tanquam erronea, cum sit contra cōmunem consensum Theologorum, & contra veritatem sacramentorum, vt ibi in margine notatur.

Per depositionem, & degradationem amittitur potestas iurisdictionis, non ordinis.

11 Ex hoc autem sequitur, quod depositus, & degradatus non eximitur ab obligatione seruandi castitatem, & recitandi horas canonicas, ad quas prius tenebatur; quia istæ obligationes annexæ sunt ordinibus, seu potestati ordinum, non potestati iurisdictionis, ideo licèt non habeat vllam dignitatem, nec beneficium, nec aliquā iurisdictionem ad hæc onera tenetur. Adde quod depositio, & degradatio sunt pœnæ, ideo non imponuntur ad tollenda onera, sed ad honores tollendos, & ad implenda grauamina. Quod docent Summistæ verbo *degradatio* & Couaruuias lib. 3. variarum cap. 13. num. 8. qui alios adducit. Vnde si quis degradatus non statim vltimo supplicio plectatur, sed pertranseant plures dies in illis ad horas canonicas tenetur.

Obligatur ad castitatem, et ad horas canonicas.

12 Qualiter autem istæ duæ pœnæ infligantur, inquit Scotus, quod non infligantur vnquam à Iure, sed solum à Iudice infligendæ sunt. Quod omnes concedunt, & est ea se euidens ex illo 2. capit. de pœnis. Cum enim huiusmodi depositio, & degradatio fiant per solemnitatem ibi præscriptam, non possunt fieri nisi à iudice, qui est Episcopus. Forma autem præsertim degradationis ibi præscribitur. Forma autē depositionis innuitur; quia dicitur ibi quod fiat ab Episcopo proprio (vel alieno, subaudi de licentia proprij: quia talis actus potest alij à proprio committi) qui secundum omnes debet esse consecratus, saltem in degradatione, quia illa ceremonia est annexa gradui Episcopali secundum omnes: assistente certo Episcoporũ numero à sacris Canonibus præscripto qui secūdum Glosam ibi, & Doctores qui in summa dicunt, quod ad depositionem Episcopi requiritur præsentia duodecim Episcoporum. Ad depositionem sacerdotis requiritur præsentia sex Episcoporum. Ad depositionem Diaconi, & Subdiaconi præsentia trium. Insuper requiritur præsentia Cleri, & Capituli sui, vel aliquarum personarum eorum nomine, nisi aliud consuetudo teneat, vt ibi Glosa obseruat. Concilium autem Tridentinū moderatur hanc formam sess. 13. cap. 4. de Reformatione: optimè enim noscens præsentiam tot Episcoporum haberi, esse difficile, decreuit Episcopum per se solum, vel per suum Vicarium generalem in spiritualibus verbalem depositionem exequi posse, adhibitis loco Episcoporum totidem Abbatibus habentibus vsum baculi, & Mitræ ex priuilegio Apostolico, si commodè possint, sin minus adhibitis alijs personis grauibus in dignitate ecclesiastica constitutis. Degradationem verò, seu depositionem solemnem, & actualem, quæ propriè est degradatio, posse Episcopum per se solum exequi; intelligit autem apertè de depositione, & degradatione sacerdotis, & clericorum ordinum inferiorum, vt est videre ibi, quæ forma est præscripta hodie in Pontificali Romano.

Qualiter istæ duæ pœnæ infliguntur.

Moderatio formæ degradationis ex Concilio Tridentino.

13 Causæ propter quas depositio, & degradatio infligendæ sunt, sunt peccata grauia. Tria autem præsertim numerat Scotus quæ habentur à Iure, hæresis, schisma, & reuelatio confessionis. De primo habetur extra de hæreticis, c. *Ad abolendam*. De secundo habetur extra de schismaticis cap. *ad succidendos*, in 6. De tertio extra de pœn. & remission. cap. *omnis vtriusque sexus*. De hac tamen materia videndi sunt Canonistæ in cap. *At si clerici*, de iudicijs, & præsertim Abbas num. 37. & sequentibus, & cap. *nouimus*, de verborum significatione, & alij practici criminalium, vt Iulius Clarus lib. 5. §. vltimo, quæst. 36. nu. 33. & 34. Bernardus Diaz, & alij, qui fusè hanc materiam tractant præter Summistas in eodem verbo.

Causæ propter quas depositio, & degradatio infliguntur.

14 Demum quantum ad qualiter remittuntur Respōdet Scotus, quod non remittuntur nisi per restitutionem in integrum ab eo, qui potest restituere, qui est solus Papa, & hoc de potentia sua absoluta, quia est super omne ius positiuum. De potentia verò ordinaria, & secundum Canones non remittuntur. Vnde inquit Scotus, nunquam legitur aliquem restitutum esse, qui legitimè fuerit depositus. Et ratio est, quia non deuenitur ad huiusmodi grauissimam pœnam, qualis est depositio ista propriè dicta ordinata ad degradationem, & degradatio ipsa nisi maxima, & diuturna deliberatione, & nisi in casu tradendi reum brachio seculari vltimo supplicio puniendum. Posset tamen Papa, vt dicit, in aliquo casu maximæ vtilitatis publicæ dispensare, & restituere in integrum, quod non habet difficultatem, cum hæc omnia sint de iure ecclesiastico, non diuino.

Qualiter tolli possint.

De Infamia. Caput Secundum.

15 TErtia pœna canonica est Infamia, circa quam Scotus facit similiter quatuor. Primò explicat quid sit, & quotuplex sit. Secundò qualiter contrahatur. Tertiò ob quas causas. Quartò quomodo tollatur. Quantum ad primum ponit diffinitionem infamiæ, quæ est, *Infamia est status læsæ dignitatis quantum ad vitam, & mores.* Hæc diffi-

diffinitio fumitur à contrario diffinitionis famæ. Fama enim abfolutè fumpta accipitur in bonam partem, & diffinitur, *l. cognitionem*, ff. de variis, extraordinarijs criminibus, hoc modo. *Fama eſt illeſæ dignitatis ſtatus, vita & moribus comprobatus, & in nullo diminutus.* Sicut ergo fama eſt ſtatus illeſæ dignitatis quantum ad vitam, & mores, ita infamia è contrario eſt ſtatus læſæ dignitatis quantum ad vitam, & mores.

Diffinitio famæ.

Infamatus & infamis differunt.

16 Vt autem propriè intelligatur quid ſit infamia, & quotuplex Scotus præmittit hanc diſtinctionem. Quod aliud eſt eſſe infamatum, & aliud eſſe infamem. Poſſet enim quis credere, quod ille, qui eſt infamatus, ſit etiam infamis, quod tamen non eſt verum abſolutè. Diſtinguit ergo ſic, aliud eſt eſſe infamatum, & aliud eſſe infamem. Vnde poteſt contingere quod aliquis ſit infamatus, & tamen non ſit infamis, nec famam amiſerit, vel læſerit. Infamatus ergo eſt ille, qui de aliquo crimine, quod ius decreuit afferre infamiam publicè accuſatur. Si tamen hoc crimen non commiſit publicè, neque in iudicio de illo eſt conuictus, hic non eſt infamis; Quia non contrahit propter illam accuſationem læſionem dignitatis ſui ſtatus, ſeſe iuſtificat, & probat innocentiam ſuam. Infamis verò eſt, qui amittit famam. Quod fit duobus modis. Vno modo quando publicè, & notoriè committit peccatum, propter quod ius determinauit, quod qui tale crimen commiſerit ſit infamis. Et hic dicitur infamis à iure: licèt enim de hoc peccato non accuſetur, nec à Iudice puniatur, dicitur tamen infamis à iure. Alio modo quando aliquis accuſatus de crimine propter quod ius imponit infamiam, eſt conuictus coram Iudice, & de illo eſt condemnatus; & tunc iſte eſt infamis nedum à iure, ſed etiam à Iudice. De hac infamia iuris habetur cap. *infames*, tertia quæſt. 7. De duplici illo modo verò contrahendi illam habetur cap. vltimo de temporibus ordin. vbi dicitur *ſi propoſita crimina ordine iudiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint non debent, &c.*

De infamia facti.

17 Hæc diuiſio infamiæ; quam attuli ex Scoto, eſt infamia iuris, quæ propriè eſt pœna canonica, quia eſt pœna inflicta à iure perpetrantibus certa crimina. Datur autem aliud genus infamiæ, quæ dicitur infamia facti, & diuerſis nominibus appellatur ſcilicet quandoque infamia humana, quandoque popularis, ſeu communis, & eſt quando opinio vitæ alicuius eſt grauata ſuper aliquo crimine apud bonos, & graues viros non inimicos, nec maleuolos, ſed fide dignos. De qua loquitur Syluester verbo *infamia*, num. 2. dum diſtinguit infamiam in tres ſpecies ſcilicet in infamiam facti, iuris ciuilis, & iuris canonici, & alij Summiſtæ, & Doctores, & Suarez diſputat. 48. ſectio. 1. tomo de Cenſuris num. 3. & de hoc habetur cap. *licet vniuerſis*, de teſtibus, & cap. *licet de probationibus*, de qua locuti ſumus ſupra in materia de reſtitutione diſputat. 52. cap. 1. Hæc autem infamia facti differt ab infamia iuris, præſertim per hoc: quia iſta eſt de crimine publicè, & notoriè commiſſo, vt dictum eſt ſupra; Vel ſi peccatum cui imponitur à iure infamia ſit occultum, tamen deductum ad forum exterius per teſtes fide dignos probatur, & per ſententiam Iudicis de illo accuſatus condemnatur. At infamia facti eſt, quæ oritur ex delicto occulto, cui eſt impoſita pęna infamia à iure, (opinio enim de alijs peccatis, quibus infamia non eſt impoſita à iure, non eſt infamia) non tamen publicè, & notoriè commiſſo coram plurib. qui poſſint eſſe teſtes de viſu immediato, ſed noto aliquibus paucis, neque euidenter, ſed per coniecturas aliquas, & adminicula, vel coram vno tantùm, qui poſſit eſſe teſtis de viſu immediato, à quo poſtea diuulgatum eſt apud alios, per quam diuulgationem fama eius, & bona opinio læſa eſt. Et hæc infamia, ſeu infamatio eſt ea, quæ eſt prohibita octauo præcepto Decalogi, & ad cuius reſtitutionem tenentur ij, qui eam inducunt, vt diximus prædicta diſputat. 52. Hæc infamia non eſt pœna canonica, ſed infamia iuris duplici modo ſupra explicata. Eſt tamen

Differentia inter infamiam iuris, & facti.

magnum, & graue damnum, quia fama connumeratur inter bona hominum; & qui laborat hac infamia facti, priuatur quoque multis bonis, vt ibi diximus. Hæc infamia eſt idem quod id quod aſſerit Scotus eſſe infamatum. Vnde expreſsè pro eodem hæc duo accipit Panormitanus in caput *teſtimonium*, de teſtibus, & atteſtatione num. 6. Infamatus enim eſt, qui de crimine aliquo publicè accuſatur. Siue ergo coram Iudice, ſiuè apud populum, & plebem diffametur, idem eſt, ſed tamen non eſt conuictus, nec eſt notorius. Quodnam autem ſit factum notorium eadem diſputat. explicauimus & habetur cap. illo vltimo de tempore ordinand. in Gloſa verbo *notoria*, vt aliàs diximus.

18 Infamia ergo iuris, quæ eſt pęna canonica diuiditur ab aliquibus in infamiam iuris ciuilis, & iuris canonici. Infamia iuris ciuilis eſt, quæ introducta eſt per leges ciuiles. Infamia iuris canonici eſt, quæ introducta eſt per leges canonicas. Sed hæc diſtinctio videtur redundans; quia infamia introducta per leges ciuiles eſt etiam canonica; quia eſt approbata per leges canonicas, vt patet 6. quæſt. 1. *omnes* 1. vbi Papa Adrianus inquit, *infames eſſe dicimus, quos leges ſeculi infames appellant.* Quod tamen eſt intelligendum, niſi ius canonicum talem infamiam abſtulerit, vt notauit Gloſa in dicto cap. Vnde omnes illæ leges ſeculi punientes crimen infamiæ ſunt canonicæ, vt ait Scotus. Illæ autem habentur. ff. de his qui notantur infamia, præſertim verò l. 1. 2. & 3. & nonnullæ enumerantur 3. q. 7. cap. *infames*, quos ex iure ciuili adducemus. Si quæ autem infamia introducta eſt per legem ciuilem, quæ à canonica ſit ablata, vt eſt infamia, quam lex ciuilis imponit mulieri, quæ infra annum viduitatis tranſit ad ſecundas nuptias, de qua cap. vltimo de ſecundis nuptijs ibi, *legalis infamia*, non eſt infamia. Quia ius canonicum eſt ſupra ciuile.

Diſtinctio infamia iuris in ciuilē, & canonicā.

19 Alio modo ſolet accipi infamia canonica pro omni ea culpa propter quam quis prohibetur promoueri ad ſacerdotium. Nam eodem cap. *omnes* 1. 6. q. 7. Papa inter infames enumerat, *& omnes qui culpis exigentibus ad ſacerdotium non poſſunt promoueri.* Verùm hæc propriè non eſt infamia, quæ pęna canonica dicitur. Nam qui non poteſt promoueri ad ſacerdotium eſt irregularis: patet autem quod non omnis irregularis eſt infamis, vt tranſiens ad ſecundas nuptias, occidens aliquem in bello iuſto, & ſimiles. Pęna canonica ergo ſecundum Panormitanum in caput *teſtimonium* de teſtibus, & atteſtationibus num. 6. eſt quæ cauſatur ex quolibet peccato mortali; hæc enim repellit à ſacerdotio. Et ratio eſſe poteſt, quia ſtatus clericalis eſt excellentior laicali; ergo aliquis in eo poteſt eſſe infamis, qui in iure ciuili non eſt infamis. Sed hæc infamia non eſt ea, quæ eſt pęna canonica, de qua nunc agimus.

Infamia canonica alio modo ſūpta.

Quantum ad ſecundum ſcilicet qualiter contrahatur infamia, patet ex dictis. Nam quantum ad infamiam acceptam pro infamatione, vt loquitur Scotus, & alij infamiam facti vocare videntur, inquit Scotus, quod contrahitur ex impoſitione criminis infamatorij. Quod quot modis contingat, diximus prædicta diſputat. 52. in materia de reſtitutione. Infamia verò iuris duobus modis prædictis incurritur ſcilicet per commiſſionem publicam, & notoriam criminis, cui annexa eſt infamia. Alio modo per ſententiam diffinitiuam Iudicis, vt dictum eſt.

Qualiter cōtrahatur infamia.

20 Quantum ad tertium ſcilicet quæ ſint cauſæ propter quas contrahitur infamia iuris, patet etiam ex dictis. Nimirum contrahi: quia leges talem pęnam poſuerunt talibus criminibus, quæ leges, vt dictum eſt, ſunt leges ciuiles confirmatæ à canonicis, & ab illis non abrogatæ. Quarum aliquas hìc adducere libet l. 1. de his, qui notantur infamia. ſic habetur. *Infamia notatur, qui ab exercitu ignominiæ cauſa ab Imperatore, eove, cui de ea re ſtatuendi poteſtas fuerit, dimiſſus erit. Qui artis ludicræ pronunciandive cauſa in ſcenam prodierit. Qui lenoci-*

Quas ob cauſas contrahatur infamia

nium fecerit. Qui in iudicio publica calumnia prauaricationisve causa quid fecisse iudicatus fuerit. Qui furti, vel bonorum raptorum, iniuriarum de dolo malo, & fraude suo nomine damnatus pactusve erit. Qui pro socio tutelæ, mandati, depositi suo nomine non contrario iudicio damnatus erit. Qui eam, quæ in potestate eius esset genero mortuo. cum eum mortuum sciret intra id tempus, quo elugere virum moris est, antequam virum elugeret in matrimonium collocauerit. Eumve qui sciens vxorem duxerit non iussu eius in cuius est, & qui eum, quem in potestate habet, eam de qua supra comprensum est, vxorem ducere passus fuerit. Quive suo nomine, non iussu eius in cuius potestate est, eiusve nomine quem, quamve in potestate habet, bina sponsalia, binasve nuptias eodem tempore constitutas habuerit. hæc in lege prima in alijs sequentibus multi horum casuum explicantur, & alij addontur. Glosa ibi hos casus explicat, & Syluester verbo *irregularitas*, & alios adducit. Vbi in speciali ait, quod qui locauit operas suas, vt pugnaret cum bestijs (non virtutis exercendæ causa) est infamis. Et qui faciunt ludos periculosos per plateas, & alia loca mercedis gratia; quia ludibrium sui faciunt pecuniæ gratia, si plusquam bis faciant. Alij casus verò habentur eisdem legibus, & alijs, quos enumerare esset operosum.

Casus aliqui ex iure canonico.

21 Ex iure canonico verò multi casus habentur in capite *infames*, tertia quæstion. 7. in text. & in Glosa, in tex. enim habetur, quod aliqui postulare prohibentur. *propter notum turpitudinis, vt ij, qui corpore suo muliebria passi sunt; nisi fortè vi prædonum, vel hostium stuprati probentur. similiter qui capitali crimine, vel calumniæ causa publico iudicio sunt damnati. Vel qui operas suas locauerunt, vt cum bestijs depugnarent in arena.* Et in tra. *§ porrò*. sic habetur. *Infamia multipliciter irrogatur. aliquando enim contrahitur genere delicti declarati per sententiam, veluti cum Iudex pronunciat, iniuriam fecisti, hæreditatem expilasti, calumniatus es. Aliquando genere pœnæ. sicut illi qui damnantur in opus publicum, qui pristinum quidem statum obtinent, sed damno infamiæ, etiam post impletum tempus subiiciuntur. Aliquando genere pœnæ, & delicti declarati per sententiam, veluti dum fustibus caso per præconem dicitur calumniatus es. Aliquando ipso genere facti, vt exercentes improbum fœnus, & illicitas exercentes vsuras vsurarum (& mulier quæ intra tempus quo moris est lugere maritum contrahit matrimonium, & qui sciens eam vxorem duxerit.)* sed hoc vltimum non tenet, vt habetur extra de secundis nuptijs cap. *super illa*. Alia habentur in Glosis locis prædictis, & Syluester verbo infamia, & alij Summistæ declarant multos ex his casibus quomodo debeant intelligi, ideò ipsi videndi sunt.

Quomodo tollatur.

22 Quantum ad quartum scilicet quomodo infamia tollatur. Respondet Scotus quod infamia accepta pro infamatione, seu pro infamia facti tollitur per purgationem canonicam, quæ habetur cap. *suarum* de purgatione canonica. Tollitur etiam per sententiam absolutoriam Iudicis ex processu formato. Et alijs modis, de quibus diximus eadem dispu. 5 a. Infamia verò à iure dicta, seu contracta duobus illis modis scilicet à iure solum, seu simul à iure, & à Iudice, inquit Scotus, tollitur per restitutionem in integrum ab eo, qui potest sic aliquem restituere, vt habetur cap. *testimonium* de testibus in Glosa verbo *arcetur*.

De cōparatione illius pœnę ad alias.

23 Subiungit Scotus hanc pœnam infamiæ esse simpliciter grauiorem quantum ad vitam ciuilem, quam depositio, nisi depositio includat istā. Quod dicit, quia qui deponitur, nō deponitur nisi per graue crimē; grauia aūt crimina includunt infamiam. Vnde cum damnetur ad depositionem per commissionem talium criminum, sequitur, quod per sententiam illam declaretur perpetrasse illa crimina; & sic consequenter fit infamis & à iure, & à Iudice. Quod autem sit grauior probat Scotus, quia, inquit, lex prohibet ab omni actu legitimo, etiam post actam pœnitentiam. Supponit ergo quod depositus possit agere pœnitentiam. Ex quo apparet, quod Scotus intelligit depositionem quandoq. non esse sine spe restitutionis, nec perpetua, & consequenter quandoque esse idem quod ipsa suspensio. Quod autem infamia priuet ab omni actu legitimo, etiam peracta pęnitentia, probat Scotus: quia infamia est persona vilis: & per regulam iuris 87. infamibus portæ non pateant dignitatum. Quomodo verò differat ab irregularitate, & excommunicatione, & quæ istarum sit grauior explicat breuiter Scotus post explicationem irregularitatis, & excommun. & nos tunc breuiter declarabimus. habita enim cognitione vniuscuiusque pęnæ, quomodo inter sese habent, patebit.

Depositio, et degradatio coincidit sępè cū suspensione.

DISPVTATIO TERTIA.

De Irregularitate.

Quid sit Irregularitas, & quando incurratur. Caput Primum.

QVarta pęna ecclesiastica est Irregularitas, quam Scotus vocat tertiam; quia, vt vidimus, depositionem, & degradationem sub vna comprahendit. Circa illam de more quatuor, vel quinque pertractat. Primò quid sit, siuè quę sit eius diffinitio. Secundò qualiter incurritur, vbi explicatur etiam Tertiam scilicet ob quas causas incurratur, vbi quoque explicabimus species irregularitatis cum ipso, & quasdam alias adducemus, quas ipse tangit tantùm. Quartam scilicet quomodo ab alijs differat, explicat post tractatum de excommunicatione. Quintam verò scilicet quomodo tollatur, explicando vnamquamque speciem aliquid tangit, sed supponit tolli solum per dispensationem, de quibus omnibus copiosius tractabimus. 1

Quinque explicanda de irregularitate.

2 Quantum ad primam variæ afferuntur diffinitiones de irregularitate, vt videre est apud Summistas verbo *irregularitas*, Nauarrum in Manuali cap. 27. num. 191. Couarruuiam in Clemen. *si furiosus*, Suarez tomo de Censuris disputatio. 40. & sequentibus, & alios multos citatos ab istis, qui de hac materia tractant, quas referre, & examinare longum esset. Clarior, & absolutior est diffinitio quam affert Scotus hic, quam in re omnes alij accipiunt nulla facta mentione Scoti, quibusdam particulis additis, quas implicitè in illa contineri patet ex doctrina eiusdem Scoti in hac eadem quæstione. Dimissa ergo disputatione de nomine irregularitatis sufficit scire quod irregularitas est nomen abstractū eductum ab hoc nomine concreto, irregulare, quod significat extra regulam, sicut regulare significat secundum regulam. Vnde irregularitas significat impedimentum quoddam ponens extra regulam. Prout autem pertinet ad præsentem materiam accipitur pro quodam impedimento canonico, quo aliquis excluditur ab ordine clericali: Qui enim laborat tali impedimento, ponitur extra ordinem illorum, quibus licet ascendere ad ordinem clericalem. Vbi est obseruandum, quod est differentia inter irregularitatem, & incapacitatem ordinum: multi enim hæc confundunt, vt Soto loco citato, & alij multi, numerant enim inter irregulares sexum fęmineum, infidelitatem, & huiusmodi, quæ potius sunt incapacitates, quàm irregularitates. De his agemus hac disputatione capitulo sexto cum Scoto, vt diximus supra. His ergo dimissis, diffinitio quid rei secundum Scotum est hæc. *Irregularitas est inhabilitas ad susceptionem, & executionem actuum ordinum*. Huic diffi-

Diffinitio irregularitatis secūdum Scotum.

Diffinitio quid rei irregularitatis. diffinitioni alij multa addunt, sed alijs dimissis, qui absolutius hanc materiam tractant, vt Nauarus vbi supra, & Suarez eodem loco sect. 1. addunt quatuor particulas, omnium *à iure canonico, directè impediens, quatenus ordines sunt*, & demum *post pœnitentiam*. hæc enim est diffinitio Nauari. *Irregularitas est impedimentum inductum à iure canonico directè impediens acceptionem ordinum ecclesiasticorum, aut aliquem vsum eorum, quatenus sunt ordines, etiam post pœnitentiam.* Suarez autem addit tantùm illas duas priores: eius enim diffinitio est hæc. *Irregularitas est inhabilitas seu impedimentum canonicum ex se directo, ac primario impediens acceptionem ordinum ecclesiasticorum, & consequenter etiam vsum eorum.* Prima autem istarum particularum implicitè includitur in diffinitione Scoti, quia iam supra dixerat has pœnas, quas hic enumerat, inter quas est irregolaritas esse pœnas canonicas, vt vidimus. Secunda etiam, & Tertia subintelliguntur, dum dicit, quod irregularitas *est inhabilitas ad susceptionem, & executionem actuum ordinum*: hoc enim competit irregularitati per se, & secundum se, non ex accidenti scilicet impedire susceptionem ordinum, quatenus ordines sunt, & executionem in susceptis. Quarta verò particula, quam addit Nauarus non est necessaria, vt ipse etiam Nauarus asserit, dicens se illam apposuisse ad maiorem declarationem, & in speciali ad denotandum quod quis potest absolui à peccato propter quod incurritur irregularitas, licèt irregularitas maneat.

Diffinitio Nauari.

Diffinitio Suarez.

Opinio Suarez de genere irregularitatis. 3 Circa declarationem allatæ diffinitionis obseruandum est Suarez vbi supra dicere in hac diffinitione irregularitatis non apponi pœna pro genere. Et ratio eius est, quia inquit, quod irregularitas secundum se non est pœna; Quoniam aliqua irregularitas incurritur sine culpa, vbi autem non est culpa, non potest esse pœna: quia pœna dicit relationem ad culpam, & quando aliqua irregularitas est pœna scilicet quia est inhabilitas prouenienś ex aliqua culpa commissa, inquit hoc esse accidentarium illi, quatenus est irregularitas: Quoniam quod aliquod impedimentum suscipiendi ordines, vel exequendi proueniat à culpa est accidentale impedimento, & inhabilitati ad ordines; Vnde non conuenit omni huiusmodi inhabilitati, & irregularitati.

Quod irregularitas sit pęna probatur. 4 Cæterùm hæc assertio Suarez est aliena à communi sententia Doctorum, quorum multi, licèt non dicant apertè irregularitatem esse pœnam canonicam, tamen videntur omnes ferè hoc supponere. Est etiam contra rationem, quod patet per rationem, quam adduxit Scotus supra in principio huius quæstionis diffiniendo quid sit pœna canonica. Dixit enim quod pęna canonica ideò dicitur pœna, quia est prohibitio gradus, qui alicui licet, quod si illi non liceret, non esset ei pœna. Nam non est pœna laico non posse conficere: quia conficere, illi non licet. Habemus ergo pęnam formaliter esse prohibitionem alicuius rei, quæ alicui alias conueniat: Et potest confirmari: Quia secundum Theologos duplex est pęna, damni, & sensus. Pęna damni est carentia conuenientis, vt carentia visionis Dei est pęna in damnatis, quia illis conuenit, & ea illi carent. Pęna sensus est inflictio disconuenientis, vt ignire, vel comburere carnem. Ex his ergo habetur quod essentia pęnæ est conuenientia, & disconuenientia rei respectu subiecti. Ad propositum quæcunque irregularitas est inhabilitas, seu priuatio inhabilitatis ad sacros ordines, & actus eorum, quæ alias hominibus competit, ergo priuatio ista ex quacunque causa inducatur, siuè culpabili, siuè non culpabili est pęna spiritualis, quia est priuatio gradus cuiusdam spiritualis eminentis, cuius esset capax nisi propter causam illam impediretur.

Cōfirmatur. 5 Confirmatur ex ipsa significatione vocis approbata ab ipso Suarez. Irregularitas enim venit ab irregulari, irregulare autem est esse extra regulam, seu exclusum à regula generali in qua homines communiter continentur. At esse extra regulam, in qua homines cōmuniter continentur, est pęna, quia est degradatio quædam à statu communi aliorum hominum, ergo irregularitas & degradatio ista est pęna in eo, in quo est. Licèt ergo causa propter quam incurritur non sit semper culpabilis, hoc non efficit, quin sit causa huiusmodi incommodi, & disconuenientiæ, & consequenter, quia hæc disconuenientia sit pęna. Ex his possumus colligere quæ personæ sint capaces irregularitatis, quas certum est esse baptizatos habentes superiores, & existentes capaces ordinum. Verùm etsi hoc sit verum, non tamen rectè explicatur à Soto, Suarez, & quibusdam alijs, qui non bene declarant an non baptizatos sit capax irregularitatis. Sed de hoc infra cap. 8. agendo de bigamia.

Quæ personę sint capaces irregularitatis.

Irregularitas est impedimentū canonicum. 6 Hoc ergo supposito quod irregularitas sit pęna, supponitur etiam quod sit pęna canonica. Nam certum est vt supra diximus de alijs pęnis canonicis, eas esse introductas iure humano. Certum est etiam non esse introductas iure ciuili, quia illud non habet potestatem per se disponendi de rebus spiritualibus, & ecclesiasticis, ergo relinquitur quod sint introductæ iure Pontificio, seu canonico. Demum, & hæc est ratio potissima, quam Scotus attulit, irregularitas est pœna canonica, quia vt infra dicemus, & supra diximus nullum impedimentum est irregularitas nisi expressè pro irregularitate sit declaratum, & statutum in iure canonico. Ex hac autem suppositione sequitur nullum impedimentum, quod oritur ex iure diuino solo, vel naturali, posse propriè dici irregularitatem. Ex quo principio deducunt Recentiores huiusmodi impedimenta, non esse baptizatum, sexum muliebrem, peccatum mortale, non esse irregolaritates: ista enim impedimenta oriontur ex iure diuino, (& si quæ alia sunt, quæ non ex iure canonico, neque in illo, vt irregularitates, decernantur) quia non baptizatus non potest suscipere sacramenta, quia sacramentum Baptismi est ianua sacramentorum. Mulier à iure diuino excluditur à ministerio Ecclesiæ vt quæstione secunda huius distinct. docet Scotus, & infra videbimus. Peccatum mortale etiam ex iure diuino impedit dignam susceptionem sacramentorum ex illa Maxima legis naturæ sancta sanctè tractanda esse. Ex hac eadem suppositione deducunt, quod carentia membrorum necessariorum ad susceptionem ordinum, & eorum vsum, & quædam impotentiæ ex defectu naturæ prouenientes non sint irregularitates vt est perpetua amentia, omnimoda ignorantia & similes; licèt enim sint incapacitates ordinum, non tamen faciunt irregulares. Et ratio potissima est hæc, quia in iure canonico non est statutum ista impedimenta esse irregularitates. Sed infra cap. 5. & 6. de his defectibus agemus, & ostendemus his omnibus fere impositam esse pęnam irregularitatis in sacris Canonibus, ideò licèt sint defectus inducentes inhabilitatem ex defecto naturæ, & iure diuino, tamen possunt dici irregularitates. quia etiam iure canonico sunt defectus arcentes ab ordinibus sacris, vt videbimus.

Nulla est irregularitas iure diuino.

Quod nam sit proximū genus, & proxima differentia irregularitatis. 7 His ergo suppositis genus proximum diffinitionis irregolaritatis est inhabilitas canonica. Differentia est, ad susceptionem, & executionem ordinum. Quomodo autem per hanc particolam irregularitas differat ab alijs pęnis longo sermone explicatur à diuersis, & diuersæ particulæ afferuntur ad illam declarandam, sed breuiter est dicendum, quod ponitur illa particula ad significandum, quod irregularitas secundum suam propriam naturam, & conditionem est impeditiua susceptionis ordinum, & dato quod ea non obstante quis eos suscipiat, vel prius suscepisset, adhuc impedit ne possit in illis ministrare, quod alij dicunt primariò, directè, & de se esse impeditiuam susceptionis ordinum, & executionis eorum. Vnde illa particula, *& executione ordinum* non debet exponi disiunctiuè, idest à susceptione, vel executione, sed copulatiuè, & secundum significatum proprium, quia ordinatur

Quomodo irregularitas differat ab aliis pœnis canonicis.

ex se ad vtrumque; Et si non possit habere primum effectum, quia ordines sint iam suscepti, habet secundum, quod impedit executionem. Per hanc differentiam distinguitur ab aliis pœnis, & censuris. Nam depositio, & degradatio directè, & ex sua essentia ordinantur ad deponendum, & eiiciendum ab ordinibus, & ad priuandum gradu, & priuilegio clericali, quæ est pœna maior, quàm sit inhabilitat ad eos suscipiendos. vt patet, quia depositio ordinatur ad degradationem, & degradatio ad traditionem brachio seculari. Infamia autem reducitur ad irregularitatem, vt videbimus. Differt verò ab excommunicatione, quia illa directè non tendit ad impediendum susceptionem ordinum, vel eorum executionem, sed quodammodo ex accidenti; per se autem tendit ad separationem ab Ecclesia, seu à communione fidelium, & consequenter impedit à susceptione, & executione ordinum. Differt etiam ab interdicto, & cessatione à diuinis, quia illa secundum essentiam tendunt ad priuationem auditionis officiorum diuinorum. Differt etiam à suspensione, quia illa tendit ad priuationem sacrorum officiorum, quantum est ex sua essentia, per accidens verò tendunt ad priuationem potestatis suscipiendi ordines sacros.

Quomodo differat à censuris.

8 Demum possumus dicere quod irregularitas differt à censuris ecclesiasticis, & ab omnibus aliis pœnis canonicis: quia irregularitas propriè tendit ad impediendum ascensum ad ordinem clericalem, & consequenter ad executionem actuum illorum. Censuræ verò tendunt primariò ad impediendum actus ordinum sacrorum; secundariò verò ad impediendum ascensum ad gradum clericalem. Censuræ enim feruntur vt medicinæ ad resipiscendum; irregularitates verò ad decorandum statum clericalem, atque ad decentiam, & reuerentiam sacrorum ordinum, & conseruandum eos in eo statu eminenti, & decenti, & propter hoc clerici subiiciuntur irregularitatibus, quando censuras ecclesiasticas incurrunt, quia recedunt à statu illo decori clericali. Differt verò à depositione, & degradatione, quia vt dictum est illæ omninò repellunt, & deiiciunt à statu clericali. Hæc videtur esse potior differentia inter istas pœnas: subtilius enim eorum differentiam omnimodam indagare est difficile, cum circa eandem materiam versentur, & in aliquo simul coincidant. Quare diffinitionibus communibus earum, quę de vnaquaque assignatur contenti esse debemus: per eas enim quantum sufficit in re morali, distinctio earum innotescit.

Quando incurratur irregularitas.

9 Quantum ad secundum principale scilicet quando incurritur in hanc pœnam irregularitatis, inquit Scotus duobus modis incurri. Primò, & principaliter, & frequenter incurritur à iure, quandoque tamen etiam potest à Iudice infligi, & hoc modo incurri.

Irregularitas incurritur à iure canonico solũ; non a naturali, nec diuino

10 Quantum ad primam partem nulla est difficultas: omnes enim conueniunt irregularitatem esse pœnam, seu impedimentum canonicum, seu in iure canonico, & ecclesiastico statutum (licèt aliqui dixerint aliquas quoque esse irregularitates de iure diuino, quod est falsum, vt infra videbimus) quod expressè docuit supra Scotus, dum dixit pœnas hic enumeratas esse pœnas canonicas, quia per Canones, seu secundum Canones infliguntur, & præsertim distinct. 7. quæstion. 5. & eodem 4. distinct. 13. quæst. 2. artic. 2. versus finem, & distinct. 6. quæst. 8. in fine, & Theologi communiter in hoc 4. distin. 25. & Canonistę in caput *Ad audientiam*, de homicidio, & Recentiores passim agentes de hac materia. Et habetur expressè cap. *is, qui*, de sententia excommunicationis in sexto, vbi dicitur non incurri irregularitatem, nisi in casibus expressis in iure, & intelligi de iure canonico.

11 Quod etiam patet ratione, quia duplex est ius diuinum, & humanum, vt aliàs diximus in materia de restitutione in principio, ius diuinum est duplex scilicet naturæ, & positiuum, & positiuum est duplex, Testamentum Vetus, & Testamentum Nouum. De iure diuino naturali autem nulla est irregularitas. Quia licèt quædam sint indecentiæ, & defectus qui ex natura sua secundum dictamen rectæ rationis repugnant ministerio sacrorum ordinum iam à Christo Domino instituto, vt sunt cæcitas, & similia, similiter peccatum mortale, & similia; tamen hęc propriè non sunt impedimenta, quæ clauduntur sub nomine irregularitatis, sed hæc appellare irregularitates, vt aliqui moderni faciunt, est abuti nomine irregularitatis, quia irregularitas propriè est illud impedimentum, quod à iure canonico statuitur esse impedimentum ad suscipiendũ ordines. Vnde nisi cæcitas, & alia similia impedimenta, & indecentię naturales statuerentur impedimẽta ad sacros ordines, non essent irregularitates propriè, vt loquimur.

Lex Vetus non obligat i Nouo Testamento.

12 Quoad ius diuinum positiuum Veteris Testamenti patet quidem in illo fuisse multas irregularitates. Sed lex Vetus non obligat in Nouo Testamento, sed est abrogata per mortem Christi, & per institutionem Noui Testamenti iuxta illud Pauli ad Galatas 3. & 4. & Actorum 15. *quare vultis nobis imponere onus graue, quod neque nos, nec Patres nostri portare potuimus*. & quæ ex Veteri Lege sumpta sunt præcepta obligantia in noua Lege, obligant, non quia sint præcepta Veteris Testamenti, sed quia sunt præcepta legis naturæ, vt præcepta Decalogi; vel quia sunt confirmata ab ecclesia, vt quædam leges iudiciales, & quædam obseruationes morales, quas Ecclesia in suis ritibus assumpsit, vt est solutio decimarum, & similia, vt docuit Scotus in hoc 4. distinct. 15. quæst. 3. & tertio distinct. vltima. In Nouo autem Testamento non habentur aliqua præcepta statuentia certa impedimenta ad ordines sacros; Nam ex communi sententia Theologorum, & vt docet Scotus in tertio distinct. vltima, præcepta cerimonialia in Lege noua instituta à Christo Domino sunt paucissima: non habemus enim nisi præcepta septem Sacramentorum Ecclesiæ, reliqua pertinentia ad debitam gubernationem, & administrationem Sacramentorum commissa sunt à Christo Domino, Apostolis, & Prælatis Ecclesiæ iuxta illud 1. Corinth. 11. *Cætera cum venero disponam*. Quod si quis obiiciat illud Apostoli 1. ad Timoth. 3. *Vnius vxoris virum, &c.* Respondetur eum locum secundum expositionem communiorem Patrum intelligi de bigamia; prohibet enim Paulus Episcopum esse bigamum; sed non habetur ex hoc illud esse ordinatum à Christo Domino, sed ab Apostolo, & consequenter ab Ecclesia. Hęc autem distinctio, quod aliud sit præceptum Dei, & aliud Apostolorum, seu Ecclesię habetur ex eo loco Pauli 1. ad Cor. 7. *cæteris dico ego, non Dominus*. Verùm Scotus videtur oppositum sentire de homicidio, videtur enim velle, quod irregularitas contracta per illud sit de iure diuino, sed de hoc infra capit. 7. Lex verò humana est duplex, ciuilis, & ecclesiastica; patet autem quod ciuilis non potest statuere aliquid ad quod obliget ecclesiasticos; quia potestas ecclesiastica non est subdita ciuili, sed è conuerso; ergo relinquitur quod omnes irregularitates sint de iure canonico.

Nulla est irregularitas ex veteri Lege.

Præcepta veteris Legis quomodo obligant in Lege noua.

In Nouo Testamẽto nulla irregularitas habetur.

Præcepta legis euangelicę cerimonialia qua.

Aliud est pręceptũ Dei & aliud Ecclesiæ.

Per ius canonicum autem intelligitur ius Pontificium vniuersale, vel particulare, aliquod decretum alicuius concilij prouincialis, quatenus est receptum ab vniuersali Ecclesia, & per ius Pontificium intelligitur non solum illud quod in corpore iuris est receptum, sed quod in Extrauagantibus Pontificum habetur. Vnde nec à consuetudine licèt inferre aliquem esse irregularem, sed est necessarium, quod culpa, propter quam cẽsendus est quis irregularis, expressè habeatur scripta in corpore iuris, quod elicitur clarè ex illo cap. *is, qui*, de sententia excommunicationis. Vnde Scotus eadem distin. 7. quæst. 5. de hac re habet hæc verba *vniuersaliter nulla pęna canonica quæ non est inflicta à Papa condente ius incurritur ipso iure, nec propter argumenta exponentium Canones, siue à simili, siue a contrario sensu est aliquis tali pęna astrictus: quia possunt exponere ius conditum, non autem condere nouum per suas expositiones. Vnde Innocentius, qui tamen fuit Papa, cum fecisset magnum opus exponendo ius canonicum,*

Non incurritur irregularitas nisi in casibus expressis ĩ iure.

cum. cum fuisset requisitus ab alijs quale robur vellet illum tractatum habere, dixit, quod nollet ipsum esse autenticum, sed tantummodo magistrale. hæc Scotus; ex quo deducit iterantem sacramentum Confirmationis non fieri irregularem, vt infra dicemus. Ex quo deducitur quoque iterantem sacramentum ordinis non fieri irregularem, quia in iure hæc irregularitas non habetur, neque celebrantem in irregularitate nouam irregularitatem contrahere, neque celebrantem sine vestibus sacris, aut sine altari consecrato, aut nimium confracto incurrere irregularitatem propter eandem rationem, Quia hi casus in iure non puniuntur irregularitate; Quod expressè tradit Scotus in 4. distin. 13. quæst. 2. art. 2. & Richardus eodem 4. dist. 13. art. 4. qu. 2. & 3. licèt sic celebrans scienter grauiter peccet. Idem dicendum de illo, qui violat Ecclesiam per voluntariam seminis, vel sanguinis effusionem, & sic ad casus alios particulares, de quibus capite sequenti occurrentes, est dicẽdũ. Et hæc est communior sententia.

Casus quidã additur, in quibus reiterã non contrahitur irregularitas.

Argumẽtũ à simili non valet in materia irregularitatis.

Ex quo etiam cõfirmatur veram esse illam regulam ad iudicandum aliquem esse irregularem nõ valere argumẽtum à simili, quo sæpè vtuntur Canonistæ in diuersis materijs, quia in hac materia irregularitatis, necessè est quod casus in quo ipsa incurritur sit expressus in iure canonico, vt dictum est. Vnde cap. sequenti multos casus, quos alij ad irregularitatem deducunt, reijciemus.

Nemo fit irregularis nisi in casibus in iure expressis.

13 Quantum ad secundam partem est difficultas, quia Scotus ipse, vt videbimus, & omnes ferè scribẽtes de irregularitate, conueniunt in hac assertione, quod nemo fit irregularis nisi in casibus in iure expressis sic habet Nauarrus in Manual. cap. 27. num. 194. Couarruuias in Clement. *si furiosus* part. 1. num. 2. & alij citati ab eo, & demum Suarez tomo de Censuris disput. 40. supra allata sectio. 4. num. 8. & sequentibus, qui multos alios citat. Verùm obseruandum est multos ex prædicta auctoribus dicere solum irregularitatem incurri tantum in casibus in iure expressis; at non omnes tangunt hanc difficultatem, an possit infligi à Iudice, quod est illud, quod vertitur in controuersiam. Soto autem in 4. distinct. 22. quæst. 3. artic. 1. hanc partem tetigit absque eo quod nominet Scotum, sed valdè obscurè: Inquit enim irregularitatem (quam tenet esse censuram) conuenire cum alijs censuris ratione causæ efficientis; quia omnes possunt decerni, vel à iure, vel ab homine; saltem ex fundamento, quod est in iure: deinde subiungit. *Nam irregularitas propriè non decernitur ab homine, quia non potest Iudex imponere pęnam irregularitatis, nisi sit iure decreta propter aliquod factum.* Suarez verò loco citato hanc partem tractat, & sustinet contra Scotum quem secutus est Gabriel lect. 9. in Canone, & quidam alij, nunquam posse infligi à Iudice, fundamentum principale auctorum huius opinionis est cap. *is, qui*, de sententia excommuni. in 6. in eo enim capite decernitur eũ, qui scienter celebrauit in Ecclesia polluta, vel præsente excommunicato maiori excommunicatione irregularitatẽ non contrahere; & Pontifex rationem adducit his verbis *cum id non sit expressum in iure.* Ex hoc deducunt ergo Iudex non potest alicui pœnam irregularitatis infligere, & eum tali pęna afficere pro aliquo delicto, sed absque Iudicis sententia ipso facto ab eo incurritur, qui incidit in delictum, cui in iure est imposita pœna irregularitatis ipso facto incurrenda, vel similibus verbis: Patet enim quod cum adhibentur similia verba in aliqua lege prohibente aliquod delictum, eum, qui illud cõmittit statim affici absque sententia declaratoria Iudicis ad differentiam modi ponendi sub comminatione pœnæ, vt cum prohibetur aliquid à iure, vel ab homine *sub pœna* incurrendi talem pęnam.

An irregularitas possit infligi à Iudice?

Prima ratio Suarez, & aliorũ huius opinionis.

Confirmatio

14 Confirmat Suarez, quia loquendo de irregularitate, quæ est sine culpa, clarum est non posse imponi, quia ibi non habet locum culpa, neque alia ratio propter quam possit homo tale impedimentum apponere. Et licèt Iudex ecclesiasticus possit declarare, an aliquis defectus sit sufficiens ad irregularitatem, tamen hæc declaratio non imponit irregularitatem, sed supponit ius ferens irregularitatem, & committit illi cognitionem an talis defectus sit sufficiens, quando in iure non est sufficienter declaratus. Loquendo verò de irregularitate, quæ est pęna, probatur ex dicto cap. *is, qui*; quia intentio Pontificis in illo capite est declarare delinquentem in casibus ibi enumeratis, non solum non esse irregularem, sed neque posse ob eam causam fieri irregularem, atque hanc esse intentionem Pontificis colligitur ex hoc, quia hoc videtur necessarium ad plenam resolutionem quæstionis, quæ ibi supponitur. Hæc est probatio Suarez.

15 Ratione etiam confirmatur ab aliquibus sic. Iudex non potest imponere pęnam priuatiuam nisi per legem statutam iuxta Glosam penultimam à Panormitano commendatam in cap. vltimo de iurepatronatus, sed nullum est ius, quod pro aliquo delicto pęnam irregularitatis à Iudice imponendam esse statuat; ergo. *Secunda rõ.*

16 Demum Iudex in pęnis arbitrarijs debet imitari ius quatenus designat pęnas à Iudicibus imponendas, cum ergo nec ius, nec vsus Ecclesiæ hanc pęnam designet pro punitione culparum, & quando illam imponit clericis, imponat vt suspensio non vt irregularitas est, quia decernit, quod deinde celebrans in suspensione fiat irregularis, sequitur quod irregularitas non possit imponi à Iudice. *Tertia ratio*

17 Verùm sententia Scoti etsi ab eo non probetur, quia supponebat ipsam, vt claram, probatur facilè. Primò quia infligere alicui pęnam irregularitatis pertinet ad potestatem iurisdictionis, sicut ergo Iudex per eandem potestatem potest infligere alias pęnas canonicas grauiores, vt est excommunicatio, vt patet, nulla est ratio propter quam cogamur dicere hanc pęnam non posse à Iudice infligi. *Opinio allata reiicitur, et opinio Scoti propugnatur.* *Prima ratio pro Scoto.*

18 Confirmatur, quia nulla est lex, quæ prohibeat Iudicem infligere hanc pęnam pro aliquo delicto, immò possumus dicere haberi aliqua iura, quæ decernunt Iudicem debere imponere quasdam pęnas pro delictis, quæ idem sunt, quod irregularitas, licèt non dicantur irregularitates, quia in iure non appellantur irregularitates, vt sunt suspensio perpetua, & depositio verbalis totalis ab ordine clericali. Vnde in iure sæpè irregularitas significatur per verbum, *deponatur*, vt cap. vnico de homicidio in sexto, vbi Pontifex quamcunque personam ecclesiasticam, vel secularem facientem occidere aliquem Christianum per assassinos mandat excommunicari, & deponi à dignitate, honore, ordine, officio, &c. patet autem quod depositio ab ordine propter homicidium est irregularitas, & alia similia in iure habentur. Demum Iudex cum sit quędam animata lex potest imponere omnem pęnam, quam lex ponit, nisi prohibitus sit, hic autem nulla est prohibitio in iure vt dictum est, ergo. *Prima confirmatio.*

19 Confirmatur secundò, quia opposita sententia innititur falso fundamento. Nam ex capite illo *is, qui*, elicitur tantùm eum, qui celebrauit scienter in Ecclesia polluta, vel coram excommunicato excommunicatione maiori non contraxisse irregularitatem à iure, quia in iure tali delicto non imponitur pęna irregularitatis: At non habetur ex eo cap. quod aliquando à Iudice non possit imponi pœna irregularitatis alicui delicto secundum iura. Quid autem intelligat Scotus per terminum illum *secundum iura* est ambiguum sed possumus dicere, quod hoc dicit ad hoc, vt illa inflictio irregularitatis sit iusta debet infligi à Iudice secundum quod dictant, & præcipiunt iura seu ordine iuris seruato, qui seruatur in alijs pęnis canonicis, quæ imponũtur ab homine, vt infra dicam: hoc enim modo supra intellexit Scotus has pęnas dici canonicas, quia scilicet vel sunt à iure, vel si non sunt à iure, & à Canone, sed à Iudice debent tamen esse secundum iura, vt sint iustæ. *Secunda confirmatio per solutionẽ rationũ aduersariorum.* *Ad primam*

20 Ad confirmationẽ Respondetur sine fundamento dici quod Iudex habens auctoritatem iurisdictionis non posset infligere pęnam irregularitatis tàm laico, quàm cle- *Ad confirmationem.*

rico, si in eis reperiret aliquam indecentiam, vel culpā non comprehensam in iure sub irregularitate, si secundum rectam rationem, & procedendo modo iuridico videntur illis imponenda, cum eadem sit potestas, qua censura, vel pœna infligitur à iure, & ab homine, vt aduersarij quoque fatentur.

Ad secūdā, & tertiam rationem.

21 Ad secundam rationem, & tertiam fatetur ipsemet Suarez vbi supra opinionē Scoti esse falsam non posse rōne probari. Vnde ad secundam rationem allatā Respondet Maiorem esse falsam: quia sępè pœna priuatiua potest imponi à Iudice pro suo arbitrio, vbi à lege non est statuta ꝓ certo delicto, vt constat de suspensione in cap. *De causis* §. *illis*, de officio delegati, & est communis doctrina in caput *si clerici*, de iudicijs. Altera autem ratio probat solum pœnam irregularitatis iure ordinario non esse ferendam ab homine, non autem quod repugnet absolutè Iudici illam infligere, aut quod Pontifex non possit, si velit hanc pœnā in voto, vel alio facto imponere pro aliquo delicto cōmisso, licèt in iure imposita non esset, hoc autem est quod asserit Scotus, & significat illis verbis, *quamuis posset aliquando infligi à Iudice secundum iura.*

An in dubio quis debeat iudicari irregularis.

22 Verum secundo ad primam partem communiter concessam, quod irregularitas incurratur regulariter in casibus solum in iure expressis, dubium graue occurrit. An ius debeat esse ita clarum vt omne dubium excludat, & an vera sit illa propositio, in dubio nemo iudicandus est irregularis, & quæ regula sit adhibenda ad cognoscendū quibus verbis significetur in iure, sed de hoc cap. sequenti. Quoad dubium ergo sunt tres sententiæ.

Tres sententiæ.

Prima opinio.

Prima est, quod in dubio debet quis iudicari irregularis. Ratio est, quia in dubijs tutior pars est eligenda cap. *Ad audientiam*, de homicidio cap. *significasti* 2. eodem titul. §. *quod si discerni non possit.*

Secūda opinio.

23 Secunda opinio vtitur distinctione, in foro interiori in dubio censendum esse irregularem, in foro exteriori verò nequaquam. Prima pars nititur fundamento adducto pro prima opinione. Et insuper quia (inquit Nauarus) nemo potest facere id de quo dubitat an sit peccatum sine peccato. Secunda pars probatur. Quia Iudex in foro exteriori debet se regulare secundum illas Maximas *odia, & pœna sunt restringenda, & quod in dubijs potius reus est absoluendus, quàm condemnandus*, & Regula iuris in 6. *cum partium iura sunt obscura reo fauendum est potius quàm actori*, & quod Iudex non debet condemnare aliquem de quo dubitet, an debeat condemnari nec ne. Hanc opinionem sequitur Nauarus cap. 27. num. 193. & ante ipsum Panormitanus, Hostiensis, Ioan. Andræas in cap. *ad audientiam*, & multi alij.

Tertia opinio.

Dubiū iuris quod nam.

Dubiū facti quod nam.

24 Tertia opinio distinguit de dubio iuris, & dubio facti. Dubium iuris est quando dubitatur in iure, an imposita sit irregularitas alicui delicto, vel defectui, vel propter verborum ambiguitatem, vel incertitudinem an tale ius reperiatur, & facta diligenti discussione inter Doctores adhuc res est incerta. Dubium facti est quando dubitatur, an factum illud de quo reus inculpatur sit delictū, vel defectus ille cui imponitur irregularitas (e. g.) in iure est clarum quod homicidio volūtario imposita est irregularitas; dubitatur verò, an homicidium Titij sit homicidium voluntarium nec ne. Ad propositum hæc opinio asserit in dubio iuris neminem esse irregularem: In dubio facti verò in vtroque foro cēsendum esse irregularitatem contrahi. Et hanc sententiam sic absolutam sequitur Couaruuias in Clement. *furiosus*, nu. 3. cum alijs Doctoribus ibi ab eo citatis, quem commendat Valentia 4. par. disp. 7. q. 19. puncto 2. Addens quod in foro quidem interno est simpliciter irregularis, in foro verò externo etsi non possit cōpelli, consilium esse abstinere, & se irregularem tenere Suarez eandem opinionem sequitur disp. illa 40. sect. 6. & differt solum quoad hanc secūdam partem, quia post multa adducta in vtraque parte tenet in dubio facti solum in casibus illis expressis in cap. *ad audientiam*, & *significasti* secundo, de homicidio, in vtroque foro irregularitatem cōtrahi, in alijs verò casibus nō expressis neminem in dubio esse irregularem in vtroque foro. Quam sententiam tradidit Nauarus in caput *si quis autem*, distinct. 7. de pœnitentia num. 41. quem ipse Suarez sequitur. Et fundamentum huius opinionis quoad hanc secundam partem est illud idem quod allatū est pro prima parte secundæ opinionis nunc supra adductæ. Addit Nauarus, quem sequitur Suarez, hanc rationem, quia illa Maxima, tutiorem partē esse eligendam, valet solum in casibus in iure expressis vi præcepti; Vbi præceptum verò non adest non obligare, sed esse consilij tantum, vt habet eodem cap. num. 34. quā Maximam sic intelligit etiam Syluester verbo *ieiunium*, num. 27. vbi asserit non esse necessarium sub mortali eligere tutiorem partem, sed sufficere eligere tutam, & eandem Maximam. Recentiores multi in eodem sensu amplectūtur. Loquendo verò de prima parte huius opinionis, scilicet de dubietate iuris (quæ oritur ex ipso iure, non ex parte personæ, quæ ignorat ius, quæ pertinet ad dubietatem cōscientiæ) quia in dubietate dātur gradus: quoniam aut vna pars tātum est probabilis, aut ambæ sunt probabiles æquè aut vna est probabilior altera, inquit cum vna est tantum probabilis, vt puta latam esse in iure irregularitatem, in tali casu, iudicandum esse irregularem. Cum vero vtraque est probabilis, vel opinio negans saltem est probabilis, licèt opposita sit probabilior, tunc non esse irregularitatem nec in foro interiori, nec exteriori. Ratio est (præter rationes superius adductas) quia sequitur, illam irregularitatem non esse expressam in iure. Cum enim Doctores contendant super intelligentia illius tex. licèt opinio affirmatiua sit probabilior, tamen textus, & ius non est expressum, & clarum. At tex. ille *si quis in ecclesia*, requirit vt ius sit expressum, & clarum; ergo est iudicandum non esse irregularitatem.

Opinio Auctoris.

25 Ego in hac re difficili, & adeo controuersa puto dicendum. Cum dubium est iuris, ita quod facta diligenti indagine Doctores discordant an tale factum sit vnum ex illis, quibus à iure imponitur irregularitas, esse asserendum in nullo foro contrahi irregularitatem; atque hoc etiam verum esse, licèt opinio, quæ affirmat illud factum esse vnum ex ijs, quibus est imposita irregularitas, sit probabilior. Quando verò dubium est non iuris, sed facti, puto in vtroque foro asserendum esse irregularitatem contrahi ad hunc effectum, vt qui hoc factum commisit, non exequatur diuinum officium absque dispensatione. Quæ opinio deducitur ex principijs deductis ex doctrina Scoti superius adducta, & communiter concessa, & patebit ex dicendis, & est opinio, quam Couaruuias, & alij cum eo supracitati sustinent.

Prima pars huius opinionis probatur

Prima pars innititur eisdē fundamentis, quibus prima pars tertiæ opinionis, & rationibus adductis ad secundam partem pro secunda opinione. Reuera enim patet caput illud, *si qui in ecclesia*, de homicidio, requirere, vt delicto, vel defectui propter quem incurritur irregularitas in iure expressè imposita sit pœna irregularitatis. Nā ibi Pontifex decernit, vt supra diximus, quod celebrans scienter in ecclesia polluta, vel præsente excommunicato maiori excommunicatione irregularitatem non cōtrahat, quia in iure non est expressum, vnicuique illorum delictorum impositam esse pœnam irregularitatis. Hoc enim ferè significant illa verba *Cum id non sit expressum in iure, &* hoc idem concludunt cæteræ rationes.

Secūda pars probatur.

26 Secunda pars verò probatur ex cap. *Ad audientiam*, & ex cap. *significasti* 2. de homicidio. in vtroque enim capite est sermo de dubio facti, non iuris. Nam in capite *Ad audientiam* est sermo de quodam presbytero, cui contigit quod volens corrigere quendā seruū de sua familia cingulo, quo cingi solebat, cultellus de vagina, qui cingulo adhærebat elapsus aliquātulū in dorso vulnerauit seruū, quo vulnere sanato superuenit infirmitas grauior, qua seruus ille mortuus est: dubiū tamē erat, an seruus ille mortuus esset ex vulnere, an ea infirmitate superueniente. Papa decernit iudicandū esse irregularē, hac ratione, quia in dubijs *semitā debemus eligere tutiorem*. Ex hoc autē patet, quod dubium il-

lud

lud erat non iuris: quia clarum est, quod homicidio voluntario, & casuali in eo qui dat operam rei licitæ, sed non adhibita diligentia est imposita a iure pœna irregularitatis; sed dubium erat an factum illud scilicet vulneratio casualis cum cultello fuerit homicidium nec ne, quia ignorabatur an mors esset secuta ex vulnere, an ex infirmitate, quæ superuenit; patet etiam, quod casus iste est in foro exteriori, inquit enim. *Ad audientiam nostri Apostolatus peruenit, &c.* in cap. verò *significasti* 2. eodem titulo proponitur hic casus. Quidam presbyter videns furem eripuisse, & asportare paramenta Ecclesiæ, arrepto fossorio percussit eũdem furem, sed an huiusmodi actus fuerit ad mortẽ, ignorabatur, superuenit multitudo parocchianorum, & arreptis gladijs eumdem latronem interfecerunt. Papa respondet §. 4. in hæc verba, *quod si discerni non possit ex cuius ictu percussus interijt, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos; & si forte homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* patet autẽ etiam dubium in hoc casu pertinere ad factum, non ad ius. Atque hic casus est in foro interiori; quia sacerdos illæ qui sic percussit non fuit accusatus, vel denuntiatus Pontifici, ab aliquo, *sed per seipsum consilium petijt salutare*. Ex his ergo duobus capitibus patet apertè tam in foro exteriori, quàm interiori in dubio facti iudicandum esse irregularitatem contrahi. Dixi autem tam in foro interiori, quàm exteriori, quia in cap. *ad audientiam* est sermo de casu in foro exteriori, in cap. verò *significasti* 2. est sermo in interiori foro. Accedit quod vbi non proceditur ex præsumptionibus vnum forum non discrepat ab alio.

In dubio facti vniuersaliter quis est censendus irregularis.

27 Atque ex his fundamentis deduco hoc verum esse de quocunque dubio facti in quacũque irregularitate, non autem præcisè in duobus casibus expressis in duobus illis capitulis, vt vult Suarez prædicta disp. 40. sect. 6. sequutus Nauarrum. Quia Regula illa Pontificis vtroque loco adducta, in rebus dubijs tutior pars est eligenda, est vniuersalis, & ideò de quocunque dubio facti quoad irregularitatem concludit. Et cum ait Suarez num. 8. quod si hoc verum esset, sequeretur, quod ex illis iuribus esset colligenda Regula vniuersalis in omni dubio facti esse necessarium ex præcepto sequi partẽ tutiorem; quod ita generatim sumptum videtur incredibile, & Nauarrus in cap. *si quis* dist. 7. de pœnitentia num. 36. & sequentibus nititur ostendere esse falsum. Respondeo ex illis textibus sequi in dubijs facti semper amplexandam esse tutiorem partem in irregularitate, non vi præcepti (vt ipsi dicunt, quod in illis capitibus nullũ est, sed solum decisio, & resolutio.) sed vi illius Maximæ. *In dubiis tutior pars est amplexanda.* Quæ quidem Regula vniuersaliter est vera, & seruanda, quando comodè, & sine magna iactura seruari potest, vt dixi supra ex doctrina Scoti in materia de pœnitentia disp. 6. cap. 3. Quando autem tutior pars est incommoda valdè, & pars opposita est probabilis, immò probabilior potest amplecti, nec tunc illa Regula obligat, sed potest transgredi: quia per Epicheiam videtur tunc non obligare. In irregularitate autem non videtur adesse ratio propter quam non habeat locum: quia irregularitas contracta in dubio facti nihil aliud operatur nisi quod non exequatur officium donec habeat dispensationem, ex facto enim dubio ad nihil aliud in foro exteriori compelli potest, cum sit res dubia, & hoc concludunt rationes in contrarium adductæ; in foro autem interiori cum sit occultum, clarum est nullum alium effectum inducere, nisi impedimentum idem executionis donec dispensatio obtineatur. Et hanc opinionem innuisse videtur Valentia loco citato puncto 2. §. *si verò*, in fine, & Couaruuias vbi supra. Quare cessant subtilitates Suarez vbi supra nitentis suadere ex illis duobus capitibus sequi irregularitatem in dubio facti solum in casibus expressis in illis duobus capitibus, & non in alijs, ac rationum Nauarri, & aliorum, quibus probare nituntur Regulam eam, tutiorem partem in rebus dubijs esse eligendam, non esse de præcepto, sed de consilio vt loco citato ostendimus. Quantum autem ad dubium ex parte conscientiæ ne peccet quis contra conscientiam in similibus casibus quomodo se gerere debeat, diximus eadem disp. 6. & cap. 3.

De speciebus irregularitatis, & primò de illis, quæ ex iis criminibus quæ crimina tantum sunt, nimirum de Simonia, Furto in ordine, Ministerio in ordine nõ suscepto, & Contumacia in non seruando pœnas ecclesiasticas. Cap. II.

Variæ opiniones de speciebus irregularitatis.

28 QVæ, & quot sint species irregularitatis non omnes conueniunt, vt videbimus; immò ad diuersa genera reducuntur. Alij enim omnes illas reducũt ad tria membra scilicet ad rationem delicti, ad rationem defectus corporis, ad rationem defectus sacramenti, vt Syluester verbo *irregularitas* num. 2. Alij similiter ad tria, sed diuerso modo vt Soto in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. in principio, qui inquit omnem irregularitatem contrahi, vel ratione defectus, vel ratione sacramenti, vel ratione delicti; sub quorum vnoquoque membro ponit varias species. Alij vt Nauarrus in Manua. cap. 27. num. 192. Valentia 4. par. disp. 7. quæst. 19. punc. 3. & alij diuidunt omnem irregularitatem in quinque species scilicet ratione Defectus Sacramenti, Corporis, Animæ lenitatis perfectæ, & Ratione delicti. Alij vt Suarez tomo de Censuris disp. 40. in principio eas diuidunt in duo genera, in eas quæ proueniunt ex delicto, & alias quæ proueniunt ex non delicto. Alij alias diuisiones afferunt, de quibus parum est curandum, cum diuisio solum valeat ad comodè illas omnes explicare. Scotus autem omnes irregularitates reducit ad tria membra, seu genera, sed differenter à Soto, & alijs. Inquit ergo quod irregularitas in iure in vniuersum incurritur ex tribus capitibus scilicet vel ex quibusdã criminibus, vel ex quibusdam non criminibus; vel ex quibusdam quæ quandoque possunt esse crimina, quandoque non crimina. Sub primo genere, seu membro comprehenduntur quatuor species irregularitatis, quæ desumuntur ex quatuor criminibus pertinentibus ad ordines, vel ad actus eorum, quorum Primum est Simonia. Secundum est Furtum In ordine. Tertium est Ministerium in ordine non suscepto. Quartum est Contumacia in non seruando pœnas ecclesiasticas. De his ergo per ordinem est agendum.

Tria mẽbra irregularitatis secũdum Scotum.

De irregularitate ex Simonia.

Simonia duplex.

29 Pro intelligentia irregularitatis, quæ incurritur ex simonia notat Scotus, quod simonia est duplex; põt enim esse in ordine, vel in beneficio. Si simonia fit in ordine, & scienter ita scilicet, quod ordinatus sciat se simoniacè ordinari, ex hac contrahitur irregularitas ipso facto, & solus Papa dispensat. Quod probat Scotus ex cap. *vobis* de simonia, in quo dicitur, quod quicunque electus in prælatum per simoniam *ab Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de iure non potest*, & 1. q. 1. c. de *Cætero*, in quo habetur sic. *de cætero statuimus, vt si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat se consecrari permiserit, & consecrator, & consecratus non disparem damnationis sententiã habeant, sed vterque depositus pœnitentiam agat, & priuatus propria dignitate persistat.* Et capite sequenti erga simoniacos habetur sic. *Erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decernimus, sed iuxta canonum sanctiones, & decreta Sanctorũ Patrum eos omnino damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus.* Et cap. superiori *si qui* habetur sic. *qui verò scienter se à simoniacis consecrari (immò execrari) permiserint, eorum consecrationem omnino irritam esse decernimus.* Ex his canonibus patet expressè simoniacè ordinatum scienter, esse irregularem: idem enim significant hæc verba, *irritam decernimus, omninò damnamus, deponendos esse sancimus*. Et confirmatur, quia cum Papa asserat simoniacè, & scienter ordinatum nõ posse dispensari ab Episcopo, sed solum à Papa, sequitur supponere ipsum esse irregularem; quia dispensare pertinet propriè ad irregularitatem; censuræ enim vt excommunicatio, & suspensio propriè tolluntur non per dispensationem, sed per absolutionem.

Si

De simoniacè ignoráter ordinato.

30 Si verò qui ordinatus est simoniacè, ignorat ignorátia inuincibili se simoniacè ordinari; vt post alius de quo penitus nescit, dedit pretium, vt ordinaretur, non efficitur irregularis, nisi postquam cóstiterit sibi, exequatur actum ordinis sic suscepti. Vndè postquam sibi constat de ordine sic suscepto suspensus est ab actu illius ordinis quoad vsque à tali suspensione liberetur. Hæc assertio non probatur à Scoto, sed elicitur ex eisdem capitibus, & præsertim ex cap. *si quis*, supra allegato, vbi Papa apertè facit distinctioné de non scienter ordinatis simoniacè, & de scienter ordinatis simoniacè; & de primis asserit *talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen eos laudabilis vita commédat.* De secúdis verò ait *eas omnino irritas decernimus.* & in c. *nobis* de simonia superius adducto Pót. dicit ordinationé ordinati simoniacè ignoranter, cú constat, esse reprobandá, licèt ipse ordinatus simoniacè non fuerit conscius, ac non posse dispensari nisi à Pontifice. Sequitur ergo, quod simoniacè ordinatus ignoranter ignorantia inuincibili, non fit ipso facto irregularis, sed statim cum ei constat, esse suspensum ab executione ordinis; nec posse illum exequi nisi dispésetur; & si exequatur absque dispensatione tunc ipso facto irregularem fieri.

De simoniaco in beneficio.

31 De simoniaco auté in beneficio, similiter ipso ignorante, inquit Scotus non ita grauiter puniri, vt sit irregularis; tamen ex quo sibi constat, quod simoniacè illud obtinuit, tenetur resignare; & toto tempore, quo illud iniustè tenuit obligatur ad restitutionem omnium fructuú, quos percepit. Non explicat autem claré Scotus an simoniacus in beneficio scienter sit irregularis, sed videtur illud supponere, quia inquit hanc partem probari per diuersa capitula in titulo de simonia. Videntur autem esse præsertim cap. *ex insinuatione*. cap. *ex diligenti*. cap. *nobis*. & alia eodem titulo, quæ de vtroque simoniaco loquuntur, & de vtroque eá sustinent Maiolus, Speculator, & alij.

Opinio Scoti impugnatur à Suarez.

At opinio Scoti quo ad partem hanc scilicet quod simoniacus in ordine, & beneficio sit irregularis, impugnatur à Suarez tomo de Censuris disp. 43. sect. 4. non nominando Scotum, quem fortasse non vidit in hac difficultate, sed nominando Maiolum lib. 4. cap. 23. & lib. 5. cap. 45. cum Speculatore Titulo de dispensatione §. *iuxta versu secundo in simonia*, isti enim duo auctores habent in hoc eandem opinionem cum Scoto, & alijs diuersis iuribus innituntur, ad quæ respondet Suarez.

Prima ratio Suarez.

32 Quod ergo ex crimine simoniæ non inducatur irregularitas, probat Suarez vbi supra. Primò ex cap. *si quis*, de simonia vbi pœna suspensionis fertur in tres personas simoniam in ordine committentes scilicet in ordinantem, præsentantem, & ordinatum, licet non æqualiter. Secundò ex illo fundamento principali. Quia in iure nullum est decretum, quod distinctè loquatur de irregularitate, sed omnia iura, quæ adducuntur a Maiolo, Speculatore, & alijs loquútur de suspensione, vel depositione, adeò quod ex illis elicitur per simoniacum crimen incurri suspensionem, aut depositionem, non autem irregularitatem. Suspensio autem, & depositio sunt diuersa impedimenta ab irregularitate, vt patet, & ideò ex vno non debet inferri aliud. Prima propositio probatur à Suarez discurrendo per capitula adducta à Maiolo, & Speculatore. Nam in fine cap. *si quis* habentur hæc verba. *nouerint se suspensos.* in cap. *Tanta*, eod. tit. cú dicitur *omnis peccator potest cantare missam præter simoniacum*. Respódet hoc ad summum probare simoniacum habere canonicum impedimentum, propter quod celebrare non potest, sed hoc est, non quia sit irregularis, sed quia est suspensus, & excommunicatus, in cap. verò *de hoc*, & in cap. per tuas, eodem titulo Respondet decerni simoniaco in beneficij susceptione imponendam esse depositionem perpetuam; Vel posse intelligi de executione suspensionis, quam alia iura imponunt. Et hoc modo respondet ad omnia alia iura, quæ in contrarium adduci solent.

Confirmatio

33 Confirmatur ex alio principio statuto ab ipso Suarez eodem tomo disp. 40. sect. 8. in qua asserit ad intelligendum, quando irregularitas ponatur in iure obseruandas esse duas regulas circa formam verborum per quæ imponitur irregularitas. Prima est, vt verba significent pœnam ipsam ipso facto incurrendam nulla expectata sententia etiam declaratoria criminis; quia irregularitas solum hoc modo, ait, imponi consueuit: quia ipse tenet, vt supra vidimus, quod nunquam imponatur ab homine. Secunda Regula est, quod verba imponentia irregularitatem sint ita clara, & propria, vt non possint intelligi de alio impedimé to canonico, seu censura, vt sunt suspensio, & depositio, sed omninò significent ipsam irregularitatem ita quod quibuscúque verbis ponatur, clarum sit imponi irregularitatem. Vt si dicatur *irregularis erit*, subintelligitur, ex tunc vel *irregularis fiet* intelligitur ipso facto. Quod addidit, quia in canonibus præsertim antiquis raro est in vsu nomen irregularitatis, sed per effectus, & alias circumlocutiones indicatur; ideò verba, quibus imponitur sunt valdè consideráda. Subiungit quod si sint de futuro, nunquam significant irregularitatem; si verò loquantur de depositione, vel priuatione ministerij ecclesiastici intelligitur de suspensione, vel depositione. Assignat tandem num. 14. nonnullas formulas verborum, quibus ait significari impositionem irregularitatis; & sunt, inquit, omnes illæ, quæ excludunt hominem ab ordinatione, seu clericatu. Quarum prima habetur canon. 18. Apostolorum *non potest esse clericus*. secunda formula habetur Apostolorum can. 21 *ne sit clericus*. aliæ similes habentur dist. 55. cap. *si quis*. 3. *ad clerum ne promoueatur* can. 60. Apostolorú. 4. *ne fiat clericus*, can. 78. Apostolorum. 5. *nunquam ordinetur* ex cap. 1. de cleric. non ordin. Min. 6. *nunquam aspiret ad ordines*, 34. distinct. cap. *curandum*. 7. *illi non possunt secundum canones sacerdotij iura concedi*, dist. 55. cap. vltimo. 8. ex capite *Miror*. 50. dist. ibi *sacerdotio priuatus*.

Prima regula Suarez ad cognoscendú quando irregularitas ponatur in iure.

Secunda regula ex eodem.

Formula verború quibus irregularitas significatur ex eodé Suarez.

34 Hæc opinio Suarez videtur esse etiam communior: quia Nauarrus in cap. 27. à num. 193. vbi tractat de irregularitate, & de speciebus eius, hanc speciem irregularitatis ex simonia non adducit; similiter cæteri summistæ Syluester, Angelus verbo irregularitatis, item Doctores in cap. *is, qui*, de sententia excommunicationis in 6. de hac nullam mentionem faciunt, ergo videtur per vitium simoniæ nullam contrahi irregularitatem.

Opinio Scoti defédit absque præiudicio oppositæ.

Prima ratio

35 Ego absque præiudicio opinionis oppositæ, quæ est communior, censeo opinionem Scoti esse valdè probabilem. Primò quia est commune assertum, quod censuræ, vt excommunicatio, suspensio, & interdictum tolluntur per absolutionem, non per dispensationem; irregularitas verò solum per dispensationem propriè loquendo. At in multis canonibus cum est sermo de ablatione impedimenti ex simonia contracti non est in vsu verbum *absoluere*, sed dispensare; vt patet cap. *nobis*, de simonia. Nam §. 2. habentur hæc verba superius adducta. *Quod aliquis in Ecclesia cuiuslibet in prælatum electus, & vt dictum est per prauitatem simoniacam reprobatus ab Episcopo suo dispensationem aliquam obtinere de iure non potest*, & omnes fatentur neminem posse dispensare super irregularitatem, nisi Papá, vel illos, quibus ex priuilegio concessum est à Papa: vt tradit ipsemet Suarez disp. 41. sect. 2. Quod autem propriè irregularitas non tollatur per absolutionem, sed per dispensationem; & censuræ tollantur per absolutionem, & non per dispensationem, nisi impropriè loquendo videtur communiter concedi, præsertim ab ipso Suarez eadem disp. 41. sect. 1. num. 4. Vbi adducit hanc rationem: quia absolutio significat actum iustitiæ, in quo causa aliqua terminatur. Dispensatio verò solum est quædam exceptio à communi lege, seu prohibitione, vndè hæc duo habent differentiam moralem valdè diuersam; Ideò irregularitas non potest tolli per sententiam aliquam absolutoriam, sed solum per dispensationem idest per exceptionem ab illa lege, & prohibitione communi. Confirmatur, quia cum in Bullis Iubileorum, & in Bulla Cruciatæ conceditur facultas ampla absoluendi à censuris, & pœnis ecclesiasticis, nunquam intelligitur concedi facultatem dispensandi in irregularitate: quia irregularitas non tollitur per absolutionem, sed per

Cófirmatur.

dispen-

dispensationem. Quam doctrinam tradit ipsemet Suarez ex Nauaro, & alijs eodem tomo disp. 1. sect. 3. contra Soto. Vnde quando Pontifices volunt etiam per illam concessionem concedere facultatem auferendi irregularitatẽ solẽt post illa generalia verba à censuris, & pœnis addere specialiter facultatem dispensandi super irregularitatem, vt ex Bulla Iubilei concessi à Clemente VIII. anno 1595. notauit Vgulinus in libro de Censuris tabula prima cap. 26. nu. 2. adductus à Suarez vbi supra.

Secunda ratio principalis. 36 Secunda principaliter opinio Scoti confirmatur per iura adducta ab ipso, quæ sunt caput *de cætero*, & caput *si qui*, 1. q. 1. Nam in primo habemus hæc verba. *De cætero statuimus, vt si quis in posterum ab eo, quem simoniacum esse non dubitat se consecrari permiserit & consecrator, & consecratus non disparem damnationis sententiam subeant: sed vterque depositus pœnitentiam agat, & priuatus propria dignitate persistat.* In hoc canone habetur pœnam hanc esse ipso facto latam, vt patet; non enim dicit esse deponendos, & priuandos dignitate sua, sed quod *depositus vterque, & priuatus dignitate persistat* quod est idem, ac si dicat *ipso facto, vel ipso iure* depositus existat. Quod etiam per depositionem illam, & priuationem dignitatis non intelligatur depositio, quæ est pœna diuersa ab irregularitate, & suspensione, patet: quia depositio verbalis ordinatur ad degradationem, & illæ fiunt ab homine per formam descriptam in cap. 2. de pœnis in 6. vt supra diximus; hæc autem depositio, de qua loquitur caput istud *de cętero* incurritur ipso facto. Neque potest intelligi de suspensione propriè dicta, quæ est censura particularis; quia nulla est ratio propter quam cogamur eam intelligere de suspensione, non de irregularitate, sed potius è contra. Quia per illa verba *Depositus & priuatus dignitate persistat* significat Pontifex intendere maximam pœnam, & inhabilitatem ad ordines sacros suscipiendos, vel exercendos, quæ sit proximior depositioni propriè dictæ. Huiusmodi autem inhabilitas magna est irregularitas, non autem suspensio, secundum omnes, & præsertim Suarez & alios: quia suspensio est medicina, & est ad correctionem donec quis resipiciat. Hæc autem depositio videtur esse pura pœna, & sine spe in execrationem labis simoniæ.

Cõfirmatur. 37 Accedit quod in cap. *si qui* idem habentur illa verba, *qui verò scienter se à simoniacis consecrari (immò execrari) permiserit eorum consecrationem omninò irritam esse decernimus.* Vbi similiter pœna imponitur de facto, & pœna est irritationis consecrationis, irritare autem est penitus tollere; ergo Pontifex eo modo omninò tollit, & aufert consecrationem à simoniaco quo magis potest; magis autem tollitur per irregularitatis pœnam, & inhabilitationem, quam per suspensionem; ergo intelligenda videtur de irregularitate.

Cõfirmatur. 38 Accedit caput *erga simoniacos*, in quo habentur hęc verba. *erga simoniacos nullam misericordiam in dignitate seruanda habendam esse decernimus, sed iuxta canonum sanctiones, & decreta Sanctorum Patrum eos omninò damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus.* In quo capite in primis vult nullam misericordiam habẽdam esse simoniaco, at in suspensione habetur aliqua misericordia; quia est minor pœna, quàm irregularitas; & est cum misericordia: quia est medicina, & ordinatur ad correctionem. Deindè licèt dicat in verbo futuri temporis *deponendos esse*, non intelligitur quod non sint depositi, seu irregulares facti antequam actu à Iudice deponantur, sed quod in foro exteriori debet exequi pœna illa irregularitatis, quam iam incurrerunt; quam incurrisse iam per verbum illud *damnamus* significat. Quare cum vt dicebat ipse Suarez in canonibus antiquis non habeatur expressè nomen irregularitatis, sed verba sint consideranda secundum effectus & circumstantias, mihi videtur in his canonibus verba sonare, & inferre irregularitatem.

Tertia confirmatio. Accedit, quod in iure pœna irregularitatis per verbum depositionis explicatur clarè. Nam in cap. *Presbyterum* de homicidio, de irregularitate, & homicidio casuali, sed non adhibita diligentia debita per quod manifestè incurritur irregularitas, habentur hæc verba *tàm ab omni altaris ministerio debes perpetuò remouere, quam ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interijt*, & cap. *sicut dignum* eodem titulo §. vltimo habetur sic *clericos autem, quos constat armatos interfuisse tanto facinori & illos, qui consilium dederunt, vt sanctus vir caperetur, perpetuò non solum ab altaris ministerio deponendos esse censemus*, &c. Ecce quod hæc est manifesta irregularitas, quam ipso facto incurrerunt, & tamen Papa vtitur verbo *deponendos*, & in futuro; ergo regulæ, & subtilitates Suarez videntur vanæ. Idem posset obseruari in alijs iuribus.

39 Tertiò probatur, quia magna differentia est in iure inter ordinatum simoniacè scienter, & inter ordinatum simoniacè ignoranter, vt patet cap. *statuimus decretum* 1. q. 1. & cap. *de simoniace*, & cap. *nobis*, de simonia, & alijs, quia simoniacè ordinatus inscienter donec maneat ignorantia inuincibilis non est suspensus, & potest celebrare, at cum cessat ignorantia statim ipso facto est suspensus, & si deinde celebret fit irregularis, vt sentiunt ipse Suarez, & alij. At maiori, & differenti pœna secundum iura punitur ordinatus simoniacè scienter, vt patet ex eisdem capitibus, quia ille est propriè simoniacus; ergo non est dicendum quod propter crimen simoniæ solum fiat suspensus, sed debet fieri irregularis, alioquin eadem pœna plecteretur simoniacus scienter, & simoniacè ordinatus ignoranter, quod est absurdum. *Tertia ratio.*

40 Quartò in capitulo *Inquisitionis*, de accusationibus ęquiparatur crimen homicidij cum simonia quoad pęnã, & asseritur vtriusque effectum, seu pœnam esse post actam pęnitentiam impedire ab executione ordinis suscepti, & retentione beneficij, sed impedimentum illud in homicidio est irregularitas; ergo hoc impedimentum in simonia est quoque irregularitas. Verba Canonis sunt hæc. *In quo quidem duximus distinguendum. Vtrum sit tale crimen, quod ordinis executionem, aut retentionem beneficij, etiam post peractam pœnitentiam impediret, puta, si homicidium commisisset, vel adeptus esset ordinem, aut beneficium vitio simoniæ.* Cum ergo impedimentum in homicidio sit irregularitas, vanum est velle sustinere, quod idem impedimentum in simoniaco non sit irregularitas. *Quarta ratio.*

41 Demum 8. Regula Suarez est tunc in iure aliquem esse censendum irregularem cum in Canone habetur hæc formula *sacerdotio priuatus*, vt habetur in cap. *Miror*, dist. 50. At in capitulo *si quis*, 1. q. 1. supra adducto habetur verbum æquipolens, immò significantius, nimirum *irritam*. Inquit enim *simoniacam cõsecrationem omninò irritam esse decernimus*. Irritam autem decernere ordinationem, & priuare ordine illo ad quem simoniacus est ordinatus idem sunt; immò irritare est quid amplius, si quid amplius addi potest ad priuationem. *Quinta ratio.*

42 Ex his omnibus concludo in his Canonibus, & similibus in hac materia irregularitatis standum esse vsui, & communi consuetudini, quę est optima legum interpres, vt dicemus infra agendo de crimine rebaptizationis, & ipsemet Suarez tradidit supra tomo 5. in 3. p. Diu. Thomæ disp. 31. sect. 6. Cum enim in antiquis Canonibus nomẽ irregularitatis non habeatur, sed hæc pęna significetur sub diuersis alijs verbis, quæ alijs pęnis, vel censuris ecclesiasticis attribuuntur, nulla melior regula haberi potest de eorum intellectu, quàm vsus, & consuetudo curię. *Regula vera cognoscẽdi quando in iure significatur irregularitas.*

43 Ad rationem Suarez concedo illud fundamentum esse verum, quod nemo est iudicandus irregularis in iure, nisi casus sit expressus, & quod pœnæ sunt restringendæ non ampliandæ; quod vbique Scotus admittit, præsertim in 4. distin. 6. quæst. 8. in fine loquens de irregularitate in rebaptizatione. Nego autem Minorem. Ad probationem ex cap. *si quis*, de simonia videtur posse responderi, quod Papa eo cap. suspendit ordinatorem, & præsentantem tantùm per triennium: ordinatũ verò suspendit, donec dispensetur à Papa. Vnde hæc suspensio videtur esse idem quod inhabilitas, seu irregularitas; dictum est enim *Ad primam rationẽ Suarez.*

irre-

irregularitatem varijs nominibus significari. Et per hoc idem Respondetur ad aliud fundamentum, quod etsi in capitibus adductis non habeatur clarè nomen irregularitatis, tamen habentur quædam verba idem significantia; ideò non est dicendum, quod in iure nō habeatur expressè crimini simoniæ non esse impositam pœnam irregularitatis, licèt sub nomine suspensionis, depositionis, irritationis, damnationis, & similium explicetur.

De secundo crimine, quod est furtũ in ordine.

44 Secundum crimē, per quod irregularitas incurritur, est furtum in ordine. furtum in ordine est cum quis sine scientia, & consensu Episcopi ordinantis suscipit ordines, vt verbi gratia, si non est admissus, neque vocatus, & tamen se ingerit cum alijs ordinandis, & cũ illis suscipit ordines, vel vsurpato nomine alterius personę examinatę, & approbatæ ad ordines illius locum occupat; vel è conuerso, qui sub nomine suo facit aliũ examinare, & approbare, deinde ipse proprio nomine vocatus ad ordines accedit, & denique cum sine scientia, & voluntate Episcopi ordinantis se ingerit ad suscipiendos ordines: hic enim dicitur furari ordines, qui contra voluntatem ordinantis, seu sine eius consensu illos vsurpat. Per huiusmodi ergo crimen irregularitas incurritur, & de hoc nulla est difficultas, omnes consentiunt. Quia clarè, & expressè habetur titulo de eo qui furtiuè ordines suscipit cap. 1. in tex. & in Glosa. Atque idem habetur in cap. 2. eodem titulo, est enim idem casus, & sensus primi capitis, vt patet ex rubrica, & summa.

Distinctio notãda Scoti

45 Obseruat autem Scotus esse distinguendum. Nam vel prohibetur per excommunicationem ne quis accedat, nisi de illo episcopatu, & prius legitimè examinatus, & approbatus, & receptus fuerit, aut non est talis prohibitio facta, nec excommunicatio imposita. In vtroque casu, qui sic ordinatur est irregularis, sed differenter. Quia in primo casu est irregularis indispensabiliter nisi per Papam. In secundo autē casu est irregularis dispēsabiliter per Episcopum. Quæ decisio habetur expressè prædicto capite 1. de eo, qui furtiuè ordines suscipit. Hunc autem locum non habet secundus casus, quia semper Episcopi in suis ordinationibus consueuerunt iuxta preceptum Pontificalis Romani admonitionem illam sub pena excommunicationis præmittere, qua præcipitur ne quis non examinatus, vocatus, & approbatus accedat ad suscipiendos ordines sacros.

De ordinato sine titulo, vel sine litteris dimissoriis.

46 Sed difficultas est an sub hac irregularitate comprehendatur is, qui ficto titulo, vel sine veris dimissorijs litteris proprij Episcopi ordinatur. De his enim dist. 70. cap. 1. sic habetur. *Eos autem, qui absolutè ordinantur decreuit sancta Synodus vacuam habere manus impositionem, & nullum tale factum valere ad iniuriam ipsius, qui eum ordinauit* illam particulam autem *absolutè* Glosa ibidem explicat idest sine titulo, & cap. 2. ibidem habetur *sanctorum Canonũ statutis consona sanctione decernimus, vt sine titulo facta ordinatio irrita habeatur.* vbi p verbũ illud *irrita habeatur* inhabilis ad ordines exequendos ipso facto reddũtur.

Opinio Suarez reijcitur

Suarez autem disp. 31. sect. 1. num. 33. & sequentib. tenet in hoc casu nullam incurri irregularitatem, sed solũ suspensionem ex eo suo fundamento quod per verbum illud irrita habeatur non sufficienter exprimatur pœna irregularitatis. Sed cum decretum illud sit Concilij Chalcedonensis Can. 6. vt ibidem habetur, & prius fuerit Concilij Nicæni, vt habet Glosa in caput primũ illius distinctionis in quibus pęna irregularitatis non solebat hoc nomine irregularitatis explicari, sed per verbum depositionis, irritationis, & similium, vt supra diximus de simonia, videtur aliquibus rationabiliter numerari inter casus, & crimina, quibus pęna irregularitatis est imposita.

Quando Episcopus tenetur alere ordinatũ sine titulo iusto.

47 Obseruandum est autem hoc decretum moderatũ fuisse ab Innocentio III. cap. *cum secundum Apostolum*, de Præbendis. Aufert. n. ab eis suspensionē, vel irregularitatē, & loco ipsius imponit Episcopo ordinatori, vt sic ordinatũ sustentat, & alat, donec ei de beneficio, & titulo prouideri. Et idem habetur cap. *si Episcopus*, de præbendis to 6. Verùm hoc videtur intelligi, quando Episcopus sciēter ordinauit non habentem titulum, vel sufficiens patrimonium, quo viuere possit: Vnde videntur tunc Canones antiqui manere in suo robore, vt puta si Episcopus decipiatur per falsa instrumenta dolo, & fraude, & similia. Nam tunc non videtur Episcopus obligari ad alendum sic ordinatum, & proinde non est credendum Papam Innocentiũ dum ordinatum sine titulo liberauit à suspensione, vel inhabilitate, & onerauit Episcopum, vt ipsum aleret, intellexisse de sic ordinato per fraudem: quia fraus, & dolus nulli patrocinatur. Et hoc innuere videtur Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de Reformatione, in quo præcipit patrimonium, & titulum *verè ab eis obtineri, eisq. talia, quę eis ad vitam sustentandam satis sint, antiquorum canonum pęnas super his innouando.* Quod videtur intelligi de prædictis Canonibus 1. & 2. dist. 70.

De eo qui ficto titulo literas dimissorias obtinuit.

48 Et hoc idem mihi dicendum videtur de eo, qui cum ficto titulo, vel patrimonio literas dimissorias obtinuit à proprio Episcopo, vel renũtiauit titulo patrimonij donati ante ordinationem, siuè illa renuntiatio sit valida, siue non, contra Nauarum in Man. cap. 27. nu. 158. Quia litteræ illæ sunt subreptitiæ, & contra totam Episcopi voluntatem, quia ipse tales litteras non dedisset, si sciret talem titulum esse renuntiatum, vel factum cum aliquo pacto ipsum inualidum, & sine effectu reddente, vt optime probat Suarez vbi supra disp. 37.

De eo quod post ordinationē renunciat titulo.

Opinio Suarez reijcitur

49 An verò postquam quis est ordinatus ad iustum & verum Titulum, si illum Titulum renuntiet, incurrat aliquam pœnam suspensionis, vel irregularitatis. Suarez vbi supra ou. 38. dicit eum solum peccare mortaliter, nullam verò incurrere suspensionem, quia Concilium Tridentinũ sess. illa 21. cap. 2. cuius est hoc ius nouum nullam imponit pęnam huiusmodi renuntiantibus. Hoc autem mihi videtur falsum, quia Cōcilium ibidem in vltimis verbis inquit *antiquorum canonũ pęnas super his innouando* intelligit autem etiam secundum Suarez de prædicto capite 1. & 2. distinct. 70. at certum est, quod licet in illis canonibus nō fiat mentio explicitè de casu isto renuntiationis facta ordinatione, tamen in intentione illorum canonum hunc casum comprehendi: quia eorum intētio est quod ordinatus habeat vnde sufficienter sustentari possit, at qui est ordinatus, & renuntiat titulo, nec habet vnde sustentetur, videtur facere contra intētionem, & in fraudem illorum iurũ, ideò mihi videtur intentionem Concilij esse, vt hoc modo renuntians sit subiectus eisdem pęnis, quibus esset subiectus si sine titulo iusto ordinaretur.

De tertio crimine quod ē ministeriũ in ordine nō suscepto.

50 Tertium crimen per quod incurritur irregularitas est ministrare in ordine non suscepto. De hoc nulla est dubitatio, habetur enim apertè cap. 1. & 2. de clerico non ordinato celebrante. Nam caput primum habet sic, *si quis baptizauerit, aut aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus propter temeritatem abijciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.* Et cap. 2. de Diacono, qui non erat ordinatus ad sacerdotium, & ausus fuerat Missam celebrare dicitur. *Ad sacerdotis officium nō poterit promoueri à Diaconatu quoq. biennio, vel triennio pro sua* scilicet Episcopi *maneat prouisione suspensus.* Illud autem verbum primi capitis, *nunquam ordinetur*, apertè significat pęnam irregularitatis.

An ministrãs in ordine superiore non suscepto fiat totaliter irregularis.

51 Occurrit verò difficultas an per ministrationem in aliquo ordine superiori, quem quis non accepit, remaneat irregularis totaliter scilicet nedum ab illo, & superioribus, sed etiam ab inferioribus v.g. an Diaconus qui vt habetur cap. illo 2. celebrauit Missam, fiat irregularis, ita quod nō solum non possit attendere ad sacerdotium, sed etiam fiat irregularis quo ad ordines, quos iam receperat. Nam Angelus verbo *irregularitas*, num. 38. Syluester verbo *depositio*, Nauarus cap. 27. num. 243. & alij multi tenent esse irregularitatem totalem, ita quod non potest ascendere ad superiora, & si sit laicus ad nullum ordinem posse ascendere; Si verò clericus, & ordinatus ad aliquos ordines nō potest ascendere ad superiorem, neque potest in susceptis ministrare. Suarez verò disp. 42. sect. 4. licèt iudicet probabi-

Opinio Suarez.

lem

lem allatam opinionem, tamen ipse tenet cum alijs, quod illa non sit irregularitas totalis, sed solum quoad suscipiendos ordines; quo ad ministrandum verò in ordine a suscepto sit suspensio. Et ratio eius est; quia in cap. illo 2. disertè dicitur, quod à Diaconatu maneat suspensus bienio, vel trienio pro vt videbitur Episcopo. At pœnæ sunt restringendæ, non ampliandæ; ergo non videtur colligi, quod sit irregularitas totalis, sed solum partialis scilicet quo ad superiores suscipiendos; quo ad susceptos verò esse suspensionem.

Opinio authoris.

52 In hoc casu hodie non ordinato ad presbyteratum celebranti Missam, imposita est pœna vltimi supplicij per Bullas Pauli Papæ Quarti, Sixti Quinti, & demum per Bullam Clementis Octaui, incipientem, *Et si aliàs felici recordationis Paulus Quartus*, editam anno Domini 1601. die quarta Decembris. Proindè arbitror contra huiusmodi vsurpatores ministeriorum ordinum sacrorum præsertim sacerdotij habere locum caput primum allatum de clerico non ordinato ministrante, in quo non solum decernitur, quod nunquam ordinetur, sed quod propter temeritatem de Ecclesia abijciatur. Illud enim abijci non mihi videtur significare excommunicationem, sed abiectionem ab ordine ecclesiastico, seu à numero ecclesiasticorum, & consequenter quod fiat inhabilis nedum ad suscipiendos ordines non susceptos, sed etiam administrandum in susceptis; & sic mihi probatur sententia prior, quæ est communior.

Non ordinatus, & celebrans missa traditur curiæ seculari.

Ad rationes Suarez.

53 Ad illud autem adductum à Suarez ex c. 2. eodem titulo mihi videtur satisfacere responsio auctorum primę opinionis adducta ab eodem Suarez ibidem. Nimirum, quod illa verba *pro tua maneat prouisione suspensus*, non intelligantur de suspensione, quæ sit censura differens ab irregularitate, sed ipsamet irregularitas, seu suspensio, quæ oriatur ex ipsamet irregularitate: & proindè non est differens ab irregularitate: Neque intendit Papa ibi, quod sic celebrans suspendatur bienio, vel trienio, sed solum, quod non possit Episcopus secum dispensare, nisi post bienium, vel trienium; neque ad hoc obligat Episcopum, sed solum relinquit hoc in eius arbitrio. Vndè donec dispensetur, vult eum manere suspensum, & consequenter irregularē. Quare hoc non est arctare, & restringere legem pœnalem, sed eam per aliud ius capitis præcedentis declarare, & interpretari.

De Clerico per saltum promoto.

54 Iuxta hanc sententiam facilè intelligitur clericum per saltum promotum. v. g. ad Diaconatum, & ministrantem in Subdiaconatu, quem prætermisit, manere irregularem, nedum quo ad talem ordinem, & alios superiores suscipiendum: sed etiam ad ministrandum in Diaconatu. Nam iuxta caput primum allegatum ab Ecclesia est abijciendus inhabilis factus ad omnem ordinem, & ministerium ecclesiasticum propter suam temeritatem. Quare speculatio illa subtilis Suarez ibid. num. 6. quod pœna inflicta cap. 2. eodem titulo non extendatur ad ministrantem in ordine inferiori non suscepto, sed solum ad ministrantem in ordine superiori, mihi vana videtur; & in hoc casu habendam esse rationem ad cap. primum illius tituli, in quo absolutè decernitur quemcunque ministrātem in ordine non suscepto esse irregularem totaliter vt dictum est.

Idem dicendum de ministrante in Episcopatu, & alijs ordinibus non susceptis.

55 Atque hoc idem dicendum de sacerdote non ordinato ad Episcopatum, & ministrante in ordine Episcopali: quia Episcopatus est ordo sacer, vt supra diximus. Et licèt aliqui hoc negent, vt supra vidimus: tamen dicunt habere vim ordinis, quia per consecrationem confertur, & ad ipsum spectat vi ordinis Episcopalis conferre ordines sacros, & Sacramentum Confirmationis. Idem dicendum de Diacono pontificalia exercente, & Subdiacono Sacerdotalia, & sic de reliquis. Est enim regula generalis ministrās in ordine quem non suscepit esse totaliter irregularem. Idem de Episcopo per saltum promoto idest ordinato ad Episcopatum sine Diaconatu, vel alijs ordinibus, & ministrante in illis. (dixi Diaconatu, vel alijs, quia sine sacerdotio non potest ordinari ad Episcopatum. Vnde si non sacerdos ordinaretur Episcopus ordinatio nulla esset.)

Prędicta intelligūtur etiam de ordine suscepto cū defectu essentiali.

56 Prædicta verò habent locum vbi ordo non est susceptus, vel si est susceptus, adfuit aliquis defectus substantialis, quia tunc ordinatio est nulla, & consequenter ministrans in eo ministrat in ordine non suscepto. Potest tamen ob ignorantiam non culpabilem excusari. Si verò aliquis defectus accidentalis est prætermissus, debet suppleri cautè antequam ministret, cap. 1. de sacramentis non iterandis: si tamen quis ministret cum hoc defectu accidentali, non incurrit vllam irregularitatem; quia non est defectus essentialis, quod sentiunt communiter Doctores in dicto cap. & Summistę verbo *irregularitas* Syluester nu. 14. Angelus num. 39.

Quid si ordinatio dimidietur substātialiter.

57 Sed quid si contingat ordinationem substantialiter diuidi v. g. si sacerdos recipiat potestatem conficiendi corpus Christi reale per traditionem calicis, & patenæ cum hostia, & debita forma, sed non recipiat deindè aliam potestatem super corpus Christi misticum scilicet potestatem absoluendi à peccatis, quæ in fine Missæ ab Episcopo confertur, an si ministret sacramentum pœnitentiæ incurrat prædictum canonem? Respondet Suarez vbi supra num. 13. cum Maiolo lib. 4. cap. 13. num. 8. maximè incurrere, & fieri irregularem; quia non habet ordinem completū, & ideò cum non habeat illam potestatem ministrat in ordine non suscepto: si verò celebret Missam, inquit Suarez, non incurrere illam pœnam: quia non ministrat in ordine, quem non habeat: habet enim illum quo ad illam partem. Quod puto verum si cesset dolus, & fraus. Nam si potuit, & noluit recipere ordinationem perfectam, & voluit in ordine sic dimidiato celebrare, puto incurrere irregularitatem. Quia iura debent intelligi secundum proprietatē, non impropriè: ideò videntur loqui de ordine perfecto, non de imperfecto, & consequenter mihi in hoc casu videmr consulendum esse, irregularitatem incurrere.

Prędicta intelligūtur de ministeria cū solemnitate.

58 Demum prædicta intelligenda sunt de ministerio culpabili idést scienter, & non per ignorantiam facto, quia ignorantia excusat, vt habetur cap. penultimo de sententia excommunicationis. Sunt etiam intelligenda de ministerio solemni in ordine non suscepto. Nam cap. *si quis Episcopus*. 11. q. 3. hoc significatur in illis verbis. *siue Episcopus ille, aut presbyter, aut Diaconus facere oblationem, vel matutinum, aut sacrificium vespertinum, quasi in officio suo agere, sicut prius non liceat ei, &c.* & cap. 1. & cap. is qui. de sent. excom. in 6. dicitur *si diuinis se gerat in suo agens officio sicut prius*, Verificantur ergo de ministerio solemni. Vnde regula generalis est quam assignat Nauarrus in Man. cap. 22. num. 7. & cap. 27. num. 242. & alij ab eo citati, & Suarez vbi supra num. 14. quod exercendo actum, quem laicus aliquo modo exercere potest, nemo vnquam fit irregularis: Quia huiusmodi ministerium non est cum solemnitate: & propter hoc non dicitur vsurpare ministerium illius ordinis. Vnde cum laicus baptizat sine solemnitate, non fit irregularis, & similiter cum exercet actus aliorum ordinū sine solemnitate, sed eo modo, quo secundum consuetudinem solet per laicos exerceri, nunquam fit irregularis, vt docent Nauarrus loco citato in Man. nu. 242. & Suarez vbi supra cum alijs ab eis citatis. E conuerso verò quicunque exercet actum alicuius ordinis solemniter etiam minorum (quia caput illud primum etiam ait, *si aliquod diuinum officium exercuerit non ordinatus*, officium autē Ordinum Minorum ad diuinum officium pertinet,) ad quem nō est ordinatus, fit irregularis. Ratio est, quia tunc vsurpat actū ordinis, in quo non est ordinatus secundum prædictos auctores. Vndè laicus baptizans solemniter fit irregularis, & non ordinatus ad Subdiaconatum, & Diaconatum prębēs materiam in Eucharistia & canens Epistolam, vel Euangelium solemniter fit irregularis. Solemniter autem tunc dicitur exercere actum ordinis, quando seriò, & cum vestibus, & paramentis ordinarijs adhibitis in solemnitate talis ordinis, vt in Subdiaconatu cum Dalmatica, Manipulo, & in Diaconatu cum his, adhuc & Stola, & cū porrigitur materia cōsecranda, vt Calix, & Patena cum Hostia sacerdoti in Missa solemni, vt explicat Richardus in 4. dist. 18. art. 7.

Ministrare solēniter q̄d sit.

art. 7. quæst. 5. Syluester verbo irregularitas quæst. 12. & Nauarrus vbi supra.

Quid de sic ministrante sine intentione interiori. Opinio Nauar. Verùm subiungit ibidem Nauarrus ministrantem serio in aliqua actione ordinis, sed tamen sine intentione interiori exercendi illud officium in foro interiori non fieri irregularem, sed solum in exteriori; vt si clericus primæ tonsuræ solemniter cantet Epistolam cum manipulo & alijs requisitis ad solemnitatē, & tamen noluit facere hoc tanquam subdiaconus, fieri irregularem in foro exteriori, non tamen interiori; & idem videtur dicere de laico audiente confessionem sacramentalem, & dante absolutionē: Suarez autem vbi supra nu. 18. eum impugnat. *Reijcitur.* Et reuera cum quis intendit facere actum illum externum solemnem ordinis videtur impossibile non habere intentionem se gerendi vt ordinatus in tali ordine: quia est ad minus intentio interpretatiua. Deinde videtur sufficere actio illa exterior: ea enim vsurpat actum ordinis, quem non suscepit: ideò mihi videtur in vtroque foro esse irregularem.

Per vsurpationem potestatis iurisdictionis nemo fit irregularis. Sacerdos audiens confessionē sine licentia Episcopi nō fit irregularis. 59 Alia Regula generalis est clericum exercēdo actum iurisdictionis, quam non habet in ordine, quem habet, nūquam fieri irregularem. Vt sacerdos audiens cōfessionem sine licentia Episcopi, & sui superioris, licèt absolutio sit nulla, non fit irregularis, & sic de alijs. Ratio est: quia in ea plo primo est sermo de ministerio, & potestate ordinis, nō iurisdictionis.

De quarto crimine, qđ est contumacia in nō seruando censuras ecclesiasticas. 60 Quartum crimen est in non seruādo pœnas seu censuras ecclesiasticas. Hoc autem duobus modis potest intelligi. Vno modo quo ad ministrationem in censuris. Alio modo quo ad susceptionem ordinum in censuris, & contra præceptum superiorum prohibentium ordinari per censuras. Loquendo de ministrantibus in censuris, certum est incurri irregularitatem. v. g. si quis sit excommunicatus excommunicatione maiori, vel suspensus ab ordine, vel interdictus personaliter, vel celebret in loco interdicto, ipso facto incurrit irregularis. Per hoc crimen incurri irregularitatem, inquit Scotus, habetur titulo de clerico excommunicato, & depo. mi. it. Vbi est obseruandum tamen in nullo capitulo illius tituli expresso vnimo haberi nomen irregularitatis, sed depositionis absolutionis ab Ecclesia, suspensionis perpetuæ, & similium, ac per verba de futuro; & tamen *Contra Suarez.* certum est, eos canones loqui de irregularitate. Ex quo alicitur Regulam illam Suarez supra adductam, quod vbi non habetur nomen irregularitatis in iure, & sub verbis de præsenti, non de futuro nō intelligi irregularitatem esse impositam, non esse omninò verām; Quia in antiquis canonibus nomen irregularitatis non erat in vsu, sed significabatur per verba illa adducta depositionis, irritationis, abiectionis ab Ecclesia, & similia. Nec potest dici, quod in illis capitibus non sit sermo de irregularitate, cum ipsemet Suarez eadem disp. 42. sect. 5. num. 1. fateatur in toto illo titulo de hac irregularitate agi. Sed his dimissis, quod per contumaciam in non seruando censuras prædictas sed ministrando in eis incurratur irregularitas; habetur claré c. 1. de senten. excommunicationis in 6. §. caueant. & cap. 1. de sent. & re iudicata in 6. §. fieturus. Quo ad non seruantem pœnā interdicti habetur incurri irregularitatem *extra de excessibus prælatorum & subditorum cap. tanta*. licèt illud capitulum possit exponi. Et quo ad suspensionem habetur extra de excom. sent. & re iudicata. *cum eterni in.* & extra de sententia excom. *cap. cum medicinalis*.

Intelligitur casus prędictus de excōmunicatione maiori solū. 61 Obseruandum est primo hoc intelligi (quantum ad ad excommunicationem) de excommun. maiori, non minori. Si enim quis exerceat actum ordinis in excommun. maiori fit irregularis: si autem exerceat actum ordinis in excommun. minori, non fit irregularis. sed tamen grauiter peccat. Qui a hoc expresse habetur de clerico excommunicato vel deposito. cap *si celebrans*. Vbi ratio hæc adducitur etiam scilicet quia per excommun. minorem priuatur solum receptione passiua sacramentorum, non actiua; per receptionem autem sacramentorum non incurritur irregularitas, sed solum per actiuū exercitium, & ministrationem illorum, quæ prohibetur per excōicationem maiorē.

Intelligitur de ministrāte scienter. 62 Obseruandum est etiam hoc intelligi de ministrante in censuris ministerio solemni, vt diximus nunc supra de ministrante in ordine non suscepto. Deinde obseruādum est intelligi de eo, qui postquam sciuit se excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum personaliter, vel locum esse interdictum, celebrat, vel exercet actum ordinis. Si enim haberet ignorātiam inuincibilem, non tenetur carere ab actibus ordinum, nec exercendo illos incurrit irregularitatem. Quod probat Scotus ex cap. *Apostolica*, de clerico excomm. vel deposito minist. & ex Glosa in eodem cap. in eo enim cap. habetur sic. *Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis diuina, vos ratione ignorantia probabilis excusatos*. *Ignorantia quæ excuset.* Ex quo habetur ignorantiam inculpabilem iuris, & facti excusare ab irregularitate. Scotus autem dat exemplum de excommunicatione lata ab homine in absentem, & ignorantem, de qua est sermo in prædicto capite, & de qua Doctores bene agūt, & Couaruuias in cap. *alma* 1. p. §. 10. num. 7. & alij. & tunc quod si v. g. aliquis excommunicaur aliquem per litteras, & à tempore sigillationis litteræ voluit eum statim esse excommunicatum, ille non tenetur se habere pro excommunicato quousque litteræ ad eum peruenerint; si autem non sit ignorantia inuincibilis, nec omninò incertitudo, vt si per famam; vel publicum rumorem deuenerit ad eum pœna de excommunicatione, se debet habere pro excommunicato, vt elicitur ex eodem cap. *Apostolicæ*, & habetur in Glosa explicitè eodē capite ex qua Scotus hunc casum videtur desumpsisse, & tunc si celebret, vel exequatur aliquem actum ordinis, fit irregularis. Et in hoc conueniunt Doctores suprà dicti, & latè etiam explicat Suarez tomo de Censuris disp. 4. sect. 5. nu m. 9. & sequentibus.

Quādo facile dispēsetur. 63 Subiungit tamen Scotus si quis celebret sic in excōmunicat. quæ sibi non fuit formaliter intimata, sed ad eum solum per famam peruenerit facilius cum eo dispensari. Quod probat ex cap. *inter temporalia* de translatione Episcoporum, in quo habetur spiritualia facilius construi, quā destrui; de qua in materia excommunicationis.

Idem dicendum de alijs censuris. 64 Denique quæ dicta sunt de excōmuni. dicenda quoque sunt de alijs censuris, cuiusmodi sunt suspensio, & interdictum, vt diximus; qui enim in his exercet actum ordinis scienter est contumax, & peccat mortaliter, & fit irregularis per illam inobedientiam, & contumaciam.

Alia regula generalis. Ex dictis colligitur alia regula generalis, quæ est, quod per ordinis ministrationem quātumuis illicitam, dummodo non fiat contra censuras, nemo fit irregularis. Ratio est, quia nulla irregularitas talis inuenitur in iure expressa. Quod confirmatur exeo, quod Scotus hic, & Summistæ verbo irregularitas; & Nauarrus in Manu. cap. 27. à num. 191. vsque ad 195. vbi de hac re agit, nec Suarez disp. illa 42. sect. 5. nec vllus alius auctor assignat in iure aliquam alia m irregularitatem propter delictum in vsu ordinum commissum.

De susceptione ordinum contra prohibitionis per censuras. 65 Verùm loquendo de susceptione ordinum contra prohibitionem per censuras factam an quis fiat irregularis, est res dubia. Nam auctores solent referre multos casus in quibus asserunt per indebitam ordinis susceptionem incurri irregularitatem. Præsertim communiter asserunt eum, qui in excommunicatione maiori suscepit ordines, esse irregularem. Quod probatur communiter ex cap. 1. de eo, qui furtiuè ordines suscepit. Nam eo capite decernitur, quod qui suscepit Subdiaconatum à quo sub anathemate prohibitus fuerat, non possit ascendere ad sacerdotium sine dispensatione, & sic videtur esse factus irregularis. Ex altera parte multi alij, vt Couaruuias cap. *Alma*, part. 1. §. 6. num. 6. & Suarez dispu. 31. sect. 1. num. 57. tenent in hoc casu non incurri irregularitatem, sed solum suspensionem ab executione ordinum susceptorum (licèt loquendo de ministrante in ordine sacro ipse Suarez disp. 1j. sect. 3. teneat incurrere excōmunicationem) quod probāt ex cap. 3. eodem titulo, in quo Papa concedit Episcopo, vt possit cum sic ordinatis dispēsare vt in susceptis ordinibus possint ministrare, & verba textus sunt. *cum eis poteris de nostra licentia*

centia dispensare, vt postmodum susceptorũ ordinum executione latentur idẽ habetur in cap. *cũ illorum*, de sent. excõm.

Sententia Authoris.

Ego autem puto priorem, & communiorem sententiam esse verã, Quia in illo capit. 1. apertè dicitur de eo sic ordinato. *alioquin nulla ratione concedimus eũ ad sacerdotalem ordinẽ promoueri.* Habetur ergo expresè ibi in iure pœna irregularitatis imposita in suscipiẽte ordinẽ in excommunicatione. In tertio aũt capitulo conceditur facultas dispẽsãdi quoad executionẽ ordinũ susceptorũ. de habilitate autẽ, vel inhabilitate, ad alios suscipiendos nullũ est verbũ, ideò est alius casus: Neq. derogat priori capitulo. & idẽ dicendũ de cap *cũ illorũ*, de sent. excõm. Qui ergo suscipit ordines in excõmunicatione, vel contra pręceptũ superioris ꝓhibentis sub pęna excõmunicationis latę sententiæ ne ad ordines accedat, fit irregularis: hoc autem non valet de alijs censuris, quia, vt dictum est, non habetur expresum in iure de alijs censuris, sicut de excommunicatione.

66 Quo loco obseruãdũ est; Aliud esse quærere an qui iã ligatus est censura ecclesiastica, vel qui nondũ ligatus est censura ecclesiastica, sed ei præcipitur sub pęna, & interminatione excõmunicationis, vel sub pęna ipso facto incurrẽda, ne ordines suscipiẽdo ordines, fiat irregularis; Et aliud an ille qui contra pręceptũ simplex superioris suscipit ordines fiat irregularis. Nã de primo nulla est dubitatio incurrere irregularitatẽ propter rationes superius adductas, sed de secundo hoc videtur negandũ: quia licèt aliqui dicãt illud præceptũ habere vim suspensionis, & ideò trãsgrediẽtẽ illud præceptũ se habere, ac si transgrediatur suspẽsionem: tamen hoc non est certũ, quia non est explicatũ in iure, ꝙ etiam sentit Suarez disp. 42. sect. 5. num. 4. & hoc videtur haberi expresè in cap. illo 1. de clerico furtiuè promoto; verba enim tex. sunt hęc. *Vnde fraternitati tuæ respõdemus, quod si non fuit à te, vel ab aliquo Archidiaconorũ, vel Prælatorũ tuorũ sub anathematis interminatione prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad sacerdotale officiũ cõdigna satisfactione imposita (nisi alia impediant) pro arbitrio tuo dispẽses: si verò interminatio anathematis super hoc facta est noueris illũ &c. alioquin nulla ratione cõcedimus eum ad sacerdotalem ordinẽ promoueri.* Videtur ergo Papa velle, quod illi, cui prohibitũ est à superiore sub interminatione excõmunicationis, idest sub pęna excommunic. & cõminatoriè (idẽ enim est præcipere sub pœna excõmunicationis, & sub interminatione anathematis, vt habet Glosa in cap. *Veniens*, de eo, ꝗ furtiuè ordinẽ suscipit verbo, interminatio, & Glosa in cap. *tuis*, de simonia verbo eodẽ) suscipere ordines, si illos suscipiat fiat irregularis, sed vbi non est prohibitio per huiusmodi censuram, non fieri irregularem: quia hęc extẽsio non habetur in Canone. Et illam extendere hoc modo est pęnã augere, non restringere. Nunc aũt est in vsu vt Epi illud præceptũ, & admonitionem faciant. Vnde qui cõtra talem prohibitionẽ susciperet ordines, fieret irregularis, à qua solus Papa dispensat.

Deco qui recipit ordinẽ contra præceptum superioris.

Idẽ est præcipere sub pęna excõmunicationis, et sub interminatione anathematis.

Solet adduci quoq; casus de illo, qui recepit ordines ab Epõ, qui episcopatui renũtiauit quoad dignitatẽ, quam aliqui dicunt haberi cap. 1. de ordinato ab Episcopo, qui renuntiauit; sed reuera ibi nulla habetur irregularitas, seu inhabilitas ad suscipiendos ordines, sed solũ suspẽsio ab executione ordinum, vt rectè Scotus hac q. agẽdo de suspẽsione, & Suarez disp. illa 31. sect. 1. n. 3. & sequentib. ostendit. Ideò ad suspensionẽ pertinet, nõ ad irregularitatẽ. Verũ q̃a habent maximã cõuenientiã, & propinquitatẽ suspẽsio, & irregularitas, vt supra diximus, ideò vna ꝓ alia sępè sumit.

De eo, qui ordinatur ab Episcopo qui renuntiauit.

67 Adducitur quoque casus de eo, qui ignoranter ordinatur ab Episcopo excommunicato, qui videtur deduci ex cap. *cũ clericis*, de ordinatis ab Episcopo excommunicato, sed reuera hæc quoque est suspensio, quia in illo cap. non ponitur expresè, vt non possit suscipere ordines alios, sed solum conceditur Episcopo, vt possit secũ dispensare. Vnde videtur supponere esse suspensum, non irregularem.

De eo, qui ordinatur ab Episcopo excõmunicato ignoranter.

68 Adducitur etiam casus de eo, qui eodem die suscipit ordines minores simul cũ Subdiaconatu, quę videtur elici ex cap. 2. de eo, qui furtiuè ordines suscipit. sed hæc reducitur ad eam irregularitatem, quæ contrahitur ex furto in ordine, de qua supra diximus.

De eo qui eodẽ die suscipit ordines minores simul cũ Subdiaconatu.

69 Adducitur etiã de illo, qui iterũ suscipit ordinẽ, quẽ simul susceperat, quæ deducitur ex illo, quod per iterationẽ sacramenti iterabilis, quis fit irregularis. sed diximus supra, hoc argumentũ non valere ad inferendã irregularitatẽ, quia debet esse in iure expressum, non à simili, vel à contrario deductũ. In iure autem non habetur. Solet autẽ deduci ex cap. 1. dist. 68. sed ibi de pœna irregularitatis nihil dicitur. Citatur etiã caput *saluberrimũ* 1. q. 7. sed ibi est sermo de clericis, qui ab hæresi reuertuntur, de quibus dicitur posse admitti in ordine iam suscepto, non tamen esse vlterius promouendos.

De eo qui reordinatur.

70 Adducitur etiã casus de eo qui ordinatur ab Epõ nõ baptizato, vel non sacerdote, vel in vniuersũ nõ consecrato, vel ab illiterato; Sed neque hęc irregularitas habetur in iure, solum ex rationibus Doctorum deducitur, quæ vt sæpius dictum est hic non concludunt.

De eo, qui ordinatur ab Episcopo non baptizato, vel non consecrato, vel illiterato.

71 Adducitur etiã casus de eo, qui ordinatur ab Episcopo idiomatis diuersi, vt Græcus à Latino, quę videtur desumi ex cap. *cum secundũ*, & ex cap. *ex parte*, de tẽporibus ordinationũ. sed in illis non habetur pęna irregularitatis. Nã in primo cap. habetur prohibitio ne quis sic ordinetur, sed nulla apponitur pęna verba Pontificis sunt, *Nolumus de cætero cõmissiones, & consuetudines rituũ in ordinibus obseruari.* In secundo vero c. allegato nihil de hac materia habet.

De eo, qui ordinatur ab Episcopo diuersi idiomatis.

72 Adducitur etiam casus, de eo, qui ordinatur simul à duobus Epis vno proferente formã, & alio ministrãte materiã. sed in hoc casu nõ incurritur irregularitas, sed nullitas ordinis, quia cũ diuisio in substãtialibus fit in sacramento, nullũ confertur sacramentũ. & cũ in cap. *quorũdam* distin. 23. habetur *gradũ sacerdotij, vel leuitici ordinis quẽ peruersè adepti sunt, amittant*, intelligi debet non de suspensione, vel irregularitate, sed de nullitate idest debet declarari nullum esse. vt ibi Glosa significant.

De eo, qui ordinatur à duobus Episcopis simul.

73 Solent adduci alij casus scilicet de illo, qui ordinatur ante legitimã ætatem. (sed de hoc infra in proprio loco agemus) itẽ casus de eo qui ordinatur ab alieno Epõ sine licẽtia proprij, de recipiente ordines extra tẽpora sine dispẽsatione; de ordinato non seruatis interstitijs, sed in istis incurritur suspẽsio, non irregularitas, quia in iure nõ imponitur hęc pęna, de quibus agẽdo de suspensione tractabimus.

De quibusdã alijs casibus.

74 Demũ obseruandũ est super hãc irregularitatẽ, quæ contrahitur per contumaciã in non seruando censuras ecclesiasticas, tã in suscipiẽdo ordines sacros, quã actus ordinũ in illis ministrando a solo Papa dispẽsari, de primo habetur cap. *fin.* de eo qui furtiuè ordinatur. & hoc si delictũ sit publicũ, si tamen sit occultũ poterit Episcopus dispẽsare ex nouo iure Conc. Triden. sess. 24. cap. 6. de qua re etiam Nauar. cap. 27. nu. 241. de secũdo habetur cap. 1. de sententia, & re iudicata in 6. de qua re etiã Nauar. eod. cap. n. 245

Quis dispensat in hac irregularitate

De crimine rebaptizationis ex qua quis fit irregularis. Caput Tertium.

75 Dico alia crimina sunt, quæ tantũ crimina sunt, quibus incurritur irregularitas, & tñ Scotus hic ea nõ enumerat, nimirũ rebaptizatio, & hæresis. sed breuiter est dicendũ, Scotũ de primo satis supra loquutũ fuisse dist. 6. q. 8. cũ alijs Theologis, ideo noluit hic repetere. De hæresi aũt hac eadẽ quæstione loquitur in responsione ad primũ argumentũ principale, vt videbimus. Quantũ ergo ad primũ in primis certũ est iterationẽ baptismi esse peccatũ grauissimũ, tã ex parte baptizantis, quàm baptizati. Quæ est cõmunis sententia Theologorum in hoc 4. distinct. 6. de qua Scotus eadem distinct. quæstio. 7. Hæc sententia probatur Sanctorum, & Conciliorum auctoritatibus, quarum multæ habentur de consecratione distinctione 4. pręsertim cap. *rebaptizare*. Vbi ex Diuo Augustino epist. 203 quæ est ad Maximinum habetur sic. *Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc sanctitatis signa perceperit quæ Christiana tradidit disciplina omninò peccatum est, rebaptizare*

Per crimen rebaptizationis incurritur peccatũ mortale.

autem catholicum immanissimum scelus est. & ibidem cap. *licet* 2. ex Concilio Carthaginensi 3. cap. 38. habetur. *Nō licet fieri rebaptizationes, & reordinationes, vel translationes Episcoporum*.

Prima ratio aliorum.

76 Ad hoc etiam adducuntur rationes. Prima, quę tribuitur Alensi 4. p. summ. quęst. vltima de Baptismo, & D. Thomæ in 4. dist. 6. art. 2. quæst. 1. Baptismus habet virtutem ex passione Christi, iuxta illud Apostoli *in morte ipsius baptizati sumus*. Sed Christus semel mortuus est pro nobis, ergo semel debemus baptizari.

Reijcitur.

Verùm hæc ratio non concludit, quia etiam pęnitētia habet virtutem à passione Christi, & tamen est reiterabilis. Alij adducunt rationem illam, quia Baptismus imprimit characterem.

Secūda ratio aliorum. Reijcitur.

At inquit Scotus neque hæc ratio concludit, quia non datur per notiora, quia magis notum est, quod Baptismus nō iteratur, quàm quod imprimat charactere, quia semper explicitè creditum est in Ecclesia, quod Baptismus non iteratur, nō tamen semper explicitè ita certè creditum est quod imprimat characterem, vt visum est supra eadem quæstione in materia de charactere.

Vera ratio ex Scoto.

77 Vera ergo ratio, propter quam Baptismus est irreiterabilis, est institutio diuina. Quia enim Christus instituit hoc sacramentum esse irreiterabile, ideo est irreiterabile. Voluntatis diuinæ autem nulla potest assignari causa propter quā hoc fecerit; quia à nulla re ad extra diuina volūtas mouetur, sed quidquid facit, ideo facit, quia sibi sic placuit.

Prima ratio congrua.

78 Ratio verò aliqua congrua assignari potest. Prima potest esse, quia Baptismus est institutus à Christo Domino pręcipuè contra peccatum originale, quod non est nisi vnicum, nec iterari potest; ideo non erat necessarium vt hoc sacramentum reiteraretur.

Secūda ratio

Secunda potest sumi ex fine. Nam finis Baptismi, seu effectus eius est plenissima remissio culpæ, & pœnę. Cum ergo conferat tantam plenitudinem gratiæ, non fuit congruum, vt sæpius iterari posset; ne homo ex hac frequenti plenaria remissione sumeret incētiuum redeundi ad peccandum. Vnde videmus, quod remedium contra peccatum commissum post Baptismum, quod est pœnitentia, non est sine magna pœna; vt hinc homines auertantur à peccare.

Tertia ratio.

Tertia potest esse, quia Baptismus est ianua omnium sacramentorum, & per quam intratur in legem Euāgelicam & Christianam, & per quam quis ascribitur familiæ Christi, & fit membrum eius, & Ecclesiæ militantis. Licet autem aliquis ingressu in collegium, si offendat postquā intrauit collegium, possit reconciliari, & collegio, & capiti collegij, non tamen frequenter collegium intrat, sed semel tantum; ergo qui semel per Baptismum intrauit Ecclesiam Christi, si peccat debet reconciliari per aliud sacramentum scilicet pęnitentiæ; non debet autem iterum tentare velle ingredi Ecclesiam, quia iam intra illam est. Et ista certa sunt.

Pęna rebaptizationis est irregularitas.

79 Verùm an præter pœnam debitam peccato mortali, quæ incurritur, per rebaptizationem etiam incurratur pœna canonica, quæ est irregularitas, est difficilius. Omnes quidem Canonistæ, & Theologi concordant incurri hanc pęnam vt est videre in 4. sentent. distinct. 6. & apud Scotum quæst. 8. superius adducta, & apud Sūmistas verbo irregularitas, & alios, quos adducunt Couaruuias in Clem. *si furiosus*, p. 1. in principio num. 8. Suarez tomo 3. disp. 31. sect. 5. & alij. Verùm difficile est assignare quo loco in iure hæc pęna imponatur huic crimini. Dimissis enim iuribus ciuilibus, quę non possunt hanc pœnam infligere, vt diximus supra primo cap. iura canonica nonnulla adducuntur, quæ tamen hoc expresſè non dicunt. Vnde cum nunquam hæc pœna incurratur, nisi quando in iure est expressa, vt diximus, & dicemus, ex illis hęc assertio non poterit comprobari. Nam caput principale, quod adducitur ad probandum hāc pœnam impositam esse rebaptizato, est caput *qui bis*, de consecratione dist. 4. in quo habetur sic.

De irregularitate quoad baptizatum

qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt. In hoc capite videtur apertè imposita esse hæc pœna baptizatis bis, & multo magis baptizatis pluries: tamen hoc caput nō videtur efficax. Quia vt ait Scotus vbi supra, illud acceptum est ex pęnitentiali Theodori, vt elicitur ex inscriptione eius: Theodorus autem ille fuit Episcopus Cātuariæ, ideò in quantum est illius aucturis nō habet vim, & robur infligendi pœnam irregularitatis. Ex quo elicit Scotus necessariū esse dicere, vel q̄ omnia capitula collecta a Gratiano, & incorporata suo Decreto confirmata sint a Papa. Vel quod multa capitula ibi sint posita, quæ non obligant totā Ecclesiam.

Capitula decreti Gratiani an obligēt totā Ecclesiā

At quod Papa confirmauerit omnia capitula ibi compilata non est manifestum, nec certum. Solum de Decretalibus Gregorius IX. in prohęmio earundē scribens Doctoribus in iure canonico mandat, quod contenti sint in scholis, & in iudicijs ea compilatione. Et Bonifacius VIII. in prohęmio 6. libri mandat, quod de Constitutionibus editis à tempore Gregorij IX. vsque ad tempus suū illæ solæ habeant robur, quæ ibi insertæ sunt. Quare ex his nō apparet quod capitula Decreti Gratiani sint cōfirmata.

Decretales vnde habeāt robur.

Obiectionis solutio.

80 Quod si quis dicat, inquit Scotus, licèt Theodorus non potuerit condere ius, tamen innuit Papam condidisse tale ius, vt rebaptizatus sit irregularis: Quia apponit illud verbum *secundum Canones*. Respondet Scotus Quod vbi, & qui sint isti Canones debebant à Glosa nominari, quia Glosa talis est necessaria vt manifestetur in iure esse expressā huiusmodi irregularitatem: Quia iam dictū est nūquam incurri hanc pęnā, nisi in casibus expressis in iure. At nulla Glosa ponitur, quæ ostendat vbi sit canon super hoc editus. Ex quo Scotus deinde conqueritur, immò inuehitur in Glosatores canonū, & Doctores Canonistas, qui Glosas inutiles, vbi non est opus multiplicant, vbi autē est opus sicco pede pertransēūt his verbis. *Et hoc sicut in multis locis apparet inutilis occupatio Glosatorū in iure canonico, qui multiplicant concordantias & auctoritates ad vnum vocabulū, & postea in fine nihil ad propositum & alibi, vbi est verbum maximi ponderis, à quo dependet sentētia totius capituli trāseunt sicco pede, sic apparet de Bernardo in multis Decretalibus, vbi ponitur illud verbum sub interminatione anathematis. v.g. de sagittarijs disputans an ista verba exprimant sententiā latā, vel per eam fiat cōminatio, & mittit, & remittit.*

Scotus inuehitur in glosatores canonum, & Doctores Canonistas.

De irregularitate quo ad rebaptizātē.

81 Quantum etiam ad rebaptizantem, quod incurrat irregularitatē omnes adducunt caput *ex litterarā*, de Apostatis. sed difficile etiam ex illo capite elicitur hæc irregularitas. Quia in prima parte illius capitis est sermo de rebaptizato, non de rebaptizante, neque ibi dicitur, quod rebaptizans, vel rebaptizatus sint irregulares. In secunda parte etiā seu 2. §. non est sermo de rebaptizāte, neq. de rebaptizato, sed de Acolyto, qui inseruiuit rebaptizāti in ipsa rebaptizatione, de quo Abbas ille scripserat Pōtifici petens, quali pęna ille Acolytus deberet puniri, & Papa respōdet quod q̄a minor ætas, & desideriū sanitatis fratris (persuasū enim eis fuerat à quadā sortilega, quod si rebaptizaretur, sanaretur) eū excusare videbantur, ad superiores ordines promoueri nō valebat si rebaptizatio erat publica, si verò erat priuata, p̄mouerí posset acta pęnitētia. Vnde ex his apparet, quod nullum sit verbum de rebaptizante, nec de rebaptizato.

Resolutio difficultatis.

Prima ratio

82 Nihilominus cōmuniter veteres Recētiores Theologi asserunt pęnā criminis rebaptizationis iàm in suscipiēte, quā in baptizāte esse irregularitatē. Ratio est, quia vsus, & consuetudo, quæ est optima legū interpres asserit pœnā rebaptizationis esse irregularitatē. Vnde cū hic sit cōmunis & frequētatus vsus dicēdū est esse etiā interpretationē illorū textuū.

Confirmatio

Et confirmatur, quia cū Pontifex ibi declaret Acolytū illū esse irregularem, eo quia cooperatus fuit rebaptizationi, quanto magis iudicandū est eū censuisse rebaptizantē, & rebaptizatū, qui sūt principales in illa actione eidē pęnæ esse subiectos? Non loquitur aūt de illis in 2. part. illius capitis, quia Abbas nō petiuit qua pęna illi essent puniendi, sed solū de Acolyto, qui videbatur minus peccasse.

Nec valet hic, quod in casu irregolaritatis nō valet argumentū a simili, vel à maiori, seu à fortiori, vt supra obiectū est. Quia in proposito propriè nō est à simili, non. n. sunt diuersi casus, sed est idē casus, nimirū de irregularitate eadē, & est inter pricipales, & minus principales cōmittētes hoc

cri-

crimen. Vnde cum declaretur expreſsè à Pontifice minus peccâtem in eo crimine rebaptizationis incurrere pœnam irregularitatis, multo magis eſt dicendum illos incurrere, qui ſunt cauſæ magis principales eiuſdem criminis. Quod confirmatur: quia illa in hoc crimine fuit introducta in odium hæreticorum: qui dicebant hæreticos redeūtes debere rebaptizari, ad hoc autem crimen, & hæreſim eliminandam ſtatuerunt committentes huiuſmodi crimen deijci, & probiberi à ſtatu clericali. Vnde proculdubio extenditur ad omnes in illud crimen conſentientes.

Confirmatio

Prima dubitatio. An crimen rebaptizationis impediat ab executione ordinum ſuſceptorum. Opinio Suarez.

83 Difficultates verò quædam circa intellectum huius irregularitatis occurrunt. & primò an rebaptizationis irregularitas ſit totalis; ita quod ſi rebaptizās ſit clericus ordinatus ad aliquos ordines, nedum inhabilis fiat ad ſuſcipiendum ordines ſuperiores, ſed etiam fiat ſuſpenſus a miniſtrando in ſuſceptis. Suarez diſput. illa 31. ſect. 6. tenet, quod tantùm impediatur à ſuſceptiona ordinum ſuperiorum; non autem ab executione ſuſceptorum. Fundamentum eſt, quia caput illud *ex litterarum*, prohibet ſolum ne Acolytus ille ad ſuperiores ordines aſcendat; de miniſterio verò in Acolytatu nihil dicit. pęnæ autē non ſunt ampliandæ; & in hac materia irregularitatis non eſt extendenda pęna vltra id, quod verba legis ſignificant. Ea altera parte communiter omnes Doctores dicunt ſimpliciter per hoc crimen incurri irregularitatem. Vnda videntur intelligere de irregularitata ſimpliciter, & totali.

Aliorum communior opinio.

Opinio Authoris.

Res hæc eſt difficilis, mihi tamē videtur dicendum priuari etiam executione ordinum ſuſceptorum. Quoniam in cap. *Eos quos* de pęnitentia diſtin. 4. Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, qui permiſerint ſe rebaptizari, ſeu volūtariè, ſeu coactè imponitur hæc pęna, *vſque ad diem exitus ſui in pęnitentia (ſi reſipiſcant) iacere conueniet, nec orationi non modò fidelium, ſed ne Cathecumenorum quidem omnimodis intereſſe, quibus laica tantùm communio in morte eſt reddenda.* Eadem autem eſt ratio de baptizato, & baptizante, vt videbimus; At pęna illa vt patet priuat ab omni exercitio clericali, & cōcedit ſolum laicam communionem; ergo eſt pęna irregularitatis completa & inhabilitas etiam ab vſu ſuſceptorum ordinum.

Reſponſio Suarez.

At inquit Suarez has pęnas non eſſe in vſu. Reſpondeo pęnas illas pęnitentiæ perpetuæ non eſſe in vſu; At inhabilitas ad exercendum ordines ignoro an ſit in vſu. Dictum eſt, ſtandum eſſe conſuetudini, quę eſt optima legum interpres. Vnde cum nunc talis rebaptizatus habeatur pro irregulari, puto, quod ſimpliciter irregularis cenſeatur ſcilicet & quo ad ſuſcipiendum ſuperiores, & etiam quo ad executionem ſuſceptorum.

84 Quod verò etiam ipſo facto hæc irregularitas incurratur, fatetur ipſe Suarez, & eſt communis ſententia, licèt verbum illud *ipſo facto* non habeatur in capitulo *ex litterarum*, nec aliud verbum temporis præſentis, ſed futuri *non valebit*. Nam licèt ſit futuri temporis, non propter hoc indicat non incurri, niſi per Iudicem declaretur, ſed determinat ipſumet per legem illam inhabilem fieri. Et hæc eſt communis ſententia ex Suarez. Vnde cum communiter intelligant Doctores hāc irregularitatem ipſo facto incurri, licèt feratur per verba diuerſa, dicendum eſt quoque intelligi nedum de aſcenſu ad ſuperiores ordines, ſed etiam de executione ſuſceptorum.

Secunda dubitatio.

An requiratur quod ſit publica rebaptizatio.

Opinio Scoti.

Expoſitio textus ſecūdum Scotus.

85 Alia difficultas eſt, an ad hoc vt per huiuſmodi crimen incurratur irregularitas requiratur quod ſit rebaptizatio publica; Vel ſufficiat occulta, & per vtramque incurratur irregularitas. Reſpondet Scotus eadem quæſt. 8. per vtramque incurri irregularitatem, & ſolum eſſe differentiā inter eum, qui rebaptizat publicè, & eum qui rebaptizat priuatè; quia in prima difficilius, in ſecunda facilius diſpēſatur. Nam in ſecunda inquit Scotus fortè diſpenſatur per Epiſcopum, in publica ſolum per Papam; Atque textum illum non ſic intelligi, quod per vtramque incurratur irregularitas, neque quantum ad incurrere irregularitatem ibi fieri vllam differentiam, ſed ſolum quantum ad facilius, & difficilius diſpenſari, vt dictum eſt.

ObiectioSuarez.

86 Suarez diſput. illa 31. ſect. 6. impugnat hanc ſolutionem. inquit enim nullum fundamētum habere in illo textu. quia quando crimen eſt occultum non dicit Papa quod egeat diſpenſatione ſuperioris, ſed ait abſolutè, *poterit promoueri*, Quod non eſt limitādum ſcilicet addita conditione ſcilicet ex diſpenſatione Epiſcopi propter illam regulā quod fauores ſunt ampliandi, & pęnæ reſtringendæ. Vnde Panormitanus ibi notab. 2. expreſsè dicit in hoc crimine occulto nullam requiri diſpenſationem, quia nulla contrahitur irregularitas. Et eandem ſententiam ſequitur Syluester verbo *irregularitas*, nu. 4. & communiter Canoniſtæ; Aſſerit tamen Suarez communem, & receptam ſententiā eſſe per occultam rebaptizationem incurri irregularitatem an verò propter hanc receptam ſententiam iudicandum ſit qui hoc crimen priuatim perpetrauerit incurrere, relinquit alijs iudicandum.

Refellitur Suarez.

Cæterùm opinio Scoti, quæ eſt communis, & recepta, vt fatetur Suarez, quam etiā ſequitur Soto adductus à Suarez in 4. diſt. 3. quæſt. vnica, art. 9. in fine habet fundamētum in illo cap. *ex litterarum*, nam caput illud habet ſic. *ex litterarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus inſano ſortilegarum mulierum credēs conſilio, vt ſanaretur per iterationem fecit iniuriam Baptiſmatis ſacramento.* Habemus ex hac parte fieri iniuriam ſacramento Baptiſmi per iterationem eius abſolutè; non enim facit diſtinctionem de iteratione publica, vel priuata; Pęna autem huius iniuriæ, & criminis eſt irregularitas in iterātibus, qui ſunt tàm baptizans quàm baptizatus; ergo non eſt ambigendum, an hæc pęna incurratur ſi ſit priuata iteratio, vel publica, quia hæc diſtinctio non habetur in hac prima parte, in qua aſſeritur crimen cōmitti. In ſecunda parte autem illius Canonis habentur hæc verba. *Quia ergo tua nos duxit prudentia conſulendos qualiter puniri debeat Acolytus, quem minor ætas, & dilectio fraternæ ſalutis excuſare videtur, diſcretioni tuæ præſentibus litteris reſpondemus. quod ad ſuperiores ordines promoueri (ſi publicum eſt quod opponitur) non valebit, niſi ad Religionem tranſire voluerit, vt fauore Religionis ipſius circa eum valet diſpenſari. Si verò occultum eſt promoueri poterit & exceſſum ſuum dignis pænitentiæ fructibus expiare.* Ex his apparet diſtinctionem de publico, & priuato poni in hac ſecunda parte, & poni non quo ad incurrere, ſed quo ad diſpenſare, vt dicebat Scotus. Nō ergo propter hanc diſtinctionem de publico, & occulto eſt ambigendum an occulto crimine incurratur hæc irregularitas, quia id iam certū eſt ex priori parte textus, ſed hoc pertinet ad rationem diſpenſandi.

Confirmatio.

Et confirmatur quia Papa in hac ſecunda parte non loquitur de rebaptizante, neque de rebaptizato, ſed de Acolyto, qui miniſtrauit rebaptizanti, de quo Abbas ille conſuluerat Pontificem. Et Papa videtur velle mitius agi cum illo Acolyto, quia ob minorem ætatem, & dilectionem ſalutis fratris, videbatur excuſandus aliquo modo; ideò Papa decreuit, quod ſi crimen non ſit publicum, ſed occultū poſſit promoueri acta pœnitentia. Vnde illa verba *poterit promoueri*, indicant Papam indulgere, & diſpenſare vt poſſit promoueri.

87 Non valet ergo trahere ſimilitudinem ab Acolyto illo ad rebaptizātem, & rebaptizatum, quia eſt valde magna differentia. Formaliter & principaliter enim illi faciūt iniuriam ſacramento, ſiuè occultè, ſiuè publicè, ideò nō eſt ambigendum an illi contrahant hanc pœnam, licèt occultè hoc crimen perpetrent.

Irregularitatem occultam in rebaptizatione an poſſit diſpēſari ab Epiſcopo.

88 Quod autem ait Soto Scotum male dicere, cum ait committentem crimen rebaptizationis occultè fortè poſſe diſpenſari ab Epiſcopo, committentem verò publicè non niſi per Papam, nulla ratione probat. Adducit Syluestrum verbo *Baptiſmus*, ſcilicet §. 3. ſed Syluester ibi de hac re nihil dicit: Verbo aūt irregularitas, nu. 4. ſolū dicit, quod occultè præbens miniſteriū rebaptizāti poterit promoueri poſt pęnitentiam, ſicut habet prædictum caput *ex litterarum*, ideò nihil habetur ex eo contra Scotum. Sententia autem

Scoti habet vim ex eo cap. quia videtur esse certum Acolytum, qui cooperatus fuit crimen rebaptizationis, fuisse irregularem: quia Papa supponit in primo capite agentes, & cooperantes rebaptizationi, facere iniuriam Baptismo, & consequenter incurrere irregularitatem, & consequenter illum Acolytum quoque irregularem fuisse: tameo quia minor ætas, & fraternæ salutis dilectio videbatur eum excusare, Papa decernit, quod possit promoueri ad ordines, si crimeo sit occultum. At si est irregularis non potest promoueri sine dispẽsatione; Vel ergo Papa illis verbis ibi dispensauit, vel concessit licentiam, vt dispensaretur ab alio super eum, qui est Episcopus. Adde quod Scotus non asserit absolutè posse dispensari ab Episcopo sed ait, *fortè*. Et certè hoc est probabile: quia verba illa *si verò occultum est, promoueri poterit*, videntur significare Papam potestatem dispensationis nõ sibi reseruare, vt in publico, sed inferioribus superioribus relinquere: sicuti etiam impositionem condignæ pœnitentiæ eisdem inferioribus superioribus relinquit, sed de dispensatione irregularitatis infra agemus.

Tertia dubitatio.
Quid de rebaptizante, & de rebaptizato sine intẽtione suscipiendi Baptismum.

89 Altera est dubitatio an qui rebaptizat, vel rebaptizatur sine intentione conferendi, vel suscipiendi Baptismum incurrat hanc irregularitatem. Ad hoc dubium Respondetur, quod etsi in hoc casu magnum sit peccatum, non tamen incurritur pœna irregularitatis: quia, vt dicebat Scotus, hæc iteratio Baptismi debet esse absoluta, & simpliciter rebaptizatio, deficiente autem intentione patet, quod non est vera, & absoluta, sed trufatica baptizatio, vt dicebat Scotus. Præterea vt ait Nauarus cap. 27. num. 146. intentio eorum non fuit iterare Baptismum: Actus autem agentium nõ operatur vltra intentionem eorum l. *non omnis*, ff. de rebus cred. Et confirmatur, quia vt dictum est supra hæc pœna imposita est ad eliminãdam hæresim illam, quod hæretici essent rebaptizandi. Patet autem, quod hæretici intendebant de vera, & perfecta rebaptizatione, quæ fieri non potest sine vera intentione. In foro tamen exteriori reputarentur irregularis, vbi factum exterius cõsideratur, non intentio, quæ est occulta, si tamen illa posset aliquo modo constare, neque in illo foro esset irregularis. Consentiunt in hac re Suarez vbi supra, qui citat alios, & Scotus hoc apertè dicere videtur, dum inquit, quod incurritur hæc irregularitas *si sit iteratio absolutè*. Videtur ergo velle quod sit vera, & perfecta iteratio, cuiusmodi non est iteratio sine intentione conferendi, vel suscipiendi Baptismum.

Quid si quis timore pmittit exterius se rebaptizari tantum.

90 Ex hoc fundamento habetur resolutio multorũ casuum, vt si quis timore ductus permittat exterius iterum se baptizari, sed interius non consentiat, non est irregularis; si autem consentiat, maximè. Idem si quis permittat se rebaptizari sub conditione, sed hac intentione, si prius nõ fuit baptizatus, dummodo non sit certus se prius baptizatum fuisse, vt supra diximus. Si verò quis conscientia erronea putauit se prius fuisse baptizatum, & permittit se iterũ baptizari, hic non incurrit; quia re vera hæc non est rebaptizatio: Quia prius non erat baptizatus, & sic de alijs est iudicium.

Quartũ dubium.
An qui rebaptizat cum cõditione nõ facta diligẽtia debita, fiat irregularis.

91 Aliud dubium est, an qui rebaptizat sub conditione non facta diligẽti indagine, an fuerit ille prius baptizatus incurrat hanc irregularitatem. Scotus eadem quæst. 8. respondet, quod cum adest dubium verisimile, & non trufaticè rebaptizans sub conditione, non est irregularis. In quo omnes conueniunt iuxta Decretalem Alexandri III. & habetur cap. 2. de Baptismo. in qua decernitur, quod ille, de quo dubitatur, baptizetur sub conditione. Sed difficultas est quando non adhibetur diligentia debita; imò licèt constet paruulum esse baptizatum domi, volunt etiam eum in Ecclesia baptizare sub cõditione, quod ait Soto eodem 3. distin. quęst. vnica art. 9. vidisse esse in vsu in quibusdam Ecclesijs apud ignorantes sacerdotes. Respondet Soto ex Victoria in sũma in 4. in materia de Baptismo §. 36.

Responsio Soto ex Victoria.

quos alij sequũtor citati à Suarez vbi supra, quod huiusmodi sacerdotes incurront irregularitatem, quia licèt illa conditio apponatur, tamen moraliter pro non apposita habetur; quia cum diligentia debita non adhibetur, cõditio illa non habet locum, Quia conceditur posse fieri illam rebaptizationem, quando adest dubium; cum autem nulla facta est diligentia, reuera non adest dubium. Ex altera parte Scotus eadem quæst. 8. asserit, quod non tenetur quicunq; sacerdos facere strictam inquisitionem, an vetula baptizauerit paruulum in domo, & proinde tàm stricta diligentia non videtur requiri. Respondet Soto hoc esse verum, qñ nulla est quæstio, seu dubitatio, an paruulus sit baptizatus; semper tamen esse consilium petere an sit baptizatus.

Scoti opinio.

Resolutio.

92 Est ergo dicendum, quando dubiom est verisimile, tunc esse baptizandum sub conditione iuxta Decretalem Alexandri; Quando verò non est dubium verisimile, supplenda esse sacramentalia, non autem esse rebaptizandum, vt docet Nauarus in prædicto capite 27. num. 146. Et hoc vt certum ab omnibus tenetur.

Sed valdè dubium est, dato, quod aliqois rebaptizet sciẽter, bona tamen fide sub conditione, vt ait Soto esse consuetudinem in quibusdam locis, atque ipsum vidisse in quadã ciuitate litem agitatam coram Episcopo, quod quidam Nobilis, cuius filium baptizatum fuisse domi cõstabat, volebat nihilominus etiã vt denuo in Ecclesia baptizaretur, baptizans fiat irregularis. Nam Nauarus vbi supra, quem sequitur Suarez ibidem tenet non fieri irregulatem: Quia, inquit, intentio istius non est iterum baptizare, & actus agentium vltra intentionem agentis non operantur. Addit Suarez quod conditio superaddita siuè ineptè, siuè prudenter superaddita suspendit, quantũ in se est, actum illũ, atque ita impedit formalem rationem rebaptizationis; & demum quia ille in eo facto non est imitator Hæreticorũ, vt à tali intentione conditionata procedit. Et ad rationem Soto, quæ erat, quod rebaptizatio sub conditione permittitur solum ratione dubij; hic verò nullum est dubium, Respondet, quod hoc concludit actionem illam esse peccatum, non autem per illam incurri irregularitatem: quia id in iure non est expressum, neque formaliter ille censetur rebaptizare, quia conditio illa suspendit actum.

Opinio Nauari, & Suarez.

Opinio Authoris.

93 Mihi verò videtur sententia Soto, & aliorum esse verissima. Nam certum est, rebaptizantem aliquem, vbi non est dubium, verisimile esse rebaptizare scienter; rebaptizantem autem scienter nulli dubium est facere iniuriam sacramento, & consequenter incorrere hanc irregularitatem. Nec iuuat dicere quod appositio illius conditionis suspendit actum, & quod ille non habet intentionem rebaptizandi, quia illa conditio non potest habere locum, nisi sit dubium de baptizatione; At quando nullum est dubiũ de baptizatione, si illa conditio apponatur, videtur potius apponi, quia sic apponens dubitet primum baptismũ esse validum, vel habuisse aliquem defectum, per quem non fuerit sufficiens. Vnde conditio non suspendit actum, nec intẽtionem rebaptizantis, quin intendat denuo baptizare, vt volebat Suarez, quia rebaptizans absolutè intendit rebaptizare, sed illa conditio solum adhibetur ad certificandum illum esse verè baptizatum, & ad tollẽdum dubitationem de inualiditate primi Baptismi, quæ est contra intentionẽ Ecclesiæ intendentis eliminare hunc errorem hæreticorũ, quod Baptismus semel ritè collatus possit habere aliquem defectum propter quem liceat, & debeat reiterari. Vnde sensus istius propositionis; si nõ es baptizatus, ego te baptizo, in eo qui non dubitat iam fuisse baptizatũ est hic; si per primum Baptismum verè non es baptizatus, ego iterum te baptizo, vt verè, & certitudinaliter sis baptizatus.

Ad rationẽ Nauari.

94 Et per idem ratio Nauari est nulla, quia falsum est, quod non intendat iterare Baptismum ille, qui scienter sub conditione rebaptizat, imò clarum est eum intẽdere rebaptizare: quia dubitat de primo Baptismo, de quo tamen certum est fuisse collatum: nõ enim dubitat, an fuerit baptizatus, sed an Baptismus ille fuerit validus. Proinde rationabiliter Scotus dixit caput illud, *ex litterarum*, intelligi de rebaptizatione scienter iterata idest, de qua nullum est dubium verisimile de priori baptizatione; & idem iurè confirmauit Soto.

Aliud

Quintũ dubium. An ignorãtia excuset ab hac irregularitate. Duplex ignorantia iuris, & facti. De ignorantia facti. Opinio quorundam.

95 Aliud dubium graue est, an qui rebaptizat, vel rebaptizatur non sub conditione, sed absolutè sed ignoranter, incidat in hanc irregularitatem? Respondetur duplex est ignorantia scilicet iuris, & facti; dicemus prius de ignorantia facti, deinde de ignorantia iuris. Quantum ad ignorantiam facti, quæ est qoando scit quidem in iure positam esse irregularitatem rebaptizationi, & ideò non habet ignorantiam iuris, sed illius scientiam; ignorat verò an aliquis prius fuerit baptizatus: hæc dicitur ignorantia facti; quia ignoratur factum illud scilicet rebaptizationem aliàs fuisse factam. Hic fuit sententia, rebaptizatum ignoranter esse irregularem, non autem rebaptizantem. Hanc sententiã dicit Scotus vbi supra fuisse Canonistarum, quod etiam asserit Couaruuias in Clemen. *si furiosus*, in principio num. 8. qui nonnullos illorum Doctorum citat, præsertim Paludanum distin. 6. quæst. 4. art. 1. Diuum Antoninum 3. par. titul. 14. cap. 13. §. 12. & inclinant alij. Fundamentũ huius sententię est cap. *quibis*. de Consecratione distin. 4. supra adductum. Vbi apertè dicitur qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundum Canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat. Hunc autem textum certum est non loqui de ignorantia iuris, quia illa est culpabilis, vt infra videbimus; & ideò de illa pœnitentiam quis agere tenetur in capite illo tamen dicitur, eum, qui ignoranter sic rebaptizatur, non indigere pro eo pęnitere, loquitur ergo de ignorantia facti, quæ excusat à peccato. Videtur ergo velle, quod quicunque inculpabiliter baptizatur vt paruulus in infantili ætate sit irregularis; & adducunt rationem; quia irregularitas incurri potest sine culpa, vt patebit infra in alijs speciebus irregularitatis.

Refellitur à Scoto.

96 Verùm Scotus, quem deinde sequuti sunt omnes, hanc opinionem reijcit eadem quęstio. 8 Primò, qu a non videtur esse maior ratio de rebaptizato, quàm de rebaptizante. At rebaptizans inscienter non fit irregularis; ergo Minor probatur: quia est vera etiam secundum auctores illius opinionis; quia Canon ille non loquitur de baptizante, sed solum de baptizato. Pręterea dummodo non adsit aliquod dubium verisimile, quod ille nõ sit baptizatus, rebaptizans non fit irregularis; quia non tenetur quicũque sacerdos strictam inquisitionem facere, an vetula baptizauerit paruulum in domo, sed sufficit, quod nulla de hac re habeatur dubitatio, & communiter pro firmo habeatur, quod illum non baptizauerit. Maior quoque probatur, quia videretur minus excusandus baptizãs quã baptizatus. Nam baptizatus videtur quærere salutem suam ne sit in dubio, an sit baptizatus: at hoc non potest dici de baptizante.

Fundamẽtũ aduersariorum euertitur.

97 Fundamentũ autem illius opinionis est nullius momenti: quia Canon ille, *qui bis*, inquit Scotus non cogit, quia desumptus est ille Canon ex pęnitentiali Theodori Episcopi Cantuatiensis, qui non habebat auctoritatem super totam Ecclesiam. Nec apparet, quod Canones adductà Gratiano in suo decreto confirmati sint à Papa, vt supra diximus. Nec valet quod ibi dicatur rebaptizatum esse irregularem secundum Canones: Quia neque in illo capite, neque in Glosa notatur qui sint isti Canones: ideò cũ non reperiantur in iure alij Canones, ille non cogit.

Cõclusio Scoti.

98 Vnde concludit Scotus, dicendum esse, quod ignorantia facti, dummodo non sit trufatica, seu crassa, sed probabilis totaliter excusat conferentem Baptismum, & recipientem ab illa pœna, & adducit rationem, & fundamentum sæpius supra repetitum, quod vniuersaliter pęna canonica non incurritur nisi à latore Canonis inferatur. Vbi ergo non inuenitur ea vi verborum inflicta, tunc dicendum est simpliciter, quod nulla est. Non enim verba Constitutionum pęnalium sunt amplianda, sed restringenda iuxta illam Maximam de Regulis iuris in 6. *odia restringi, &c.* Atque hæc hodie est communis sententia, quam sequitur Soto d. art. 9. Nauarus cap. 27. num. 246. Couaruuias vbi supra. Suarez disput. illa 31. qui plurimos alios citat; & alias rationes adducit, sed istæ sufficiunt. Addè quod etiam si

Nunquam pœna canonica incurritur, nisi ex verborũ habeatur inflicta à canone.

Fab. de Censuris.

rebaptizatus inscienter postea ratam haberet illam rebaptizationem non ob hoc fieret irregularis scilicet, quia illa ratihabitio non est causa rebaptizationis; ideò illam inducere non potest, vt in simili de ratihabitione de damno dato diximus eam non obligare ad restitutionem, quia non est causa influens in damnificationem disputatione 50. num. 42. & consentit Suarez eadem disput. 31. sectio. 6. in fine.

Quid dicẽdũ de ignorãtia iuris.

99 At loquendo de ignorantia iuris, quę est ignorare quod in iure posita sit pœna irregularitatis rebaptizationi tam actiuę, quàm passiuę inquit Scotus eam non excusare, quia incurratur hæc irregularitas. Fundamẽtum est quia ignorantia iuris diuini non excusat à culpa. In proposito est lex diuina prohibens rebaptizationem; ergo. Rursus qñ legi diuinæ apposita est pęna canonica, ignorantia talis pęnæ nõ excusat ab illa pęna; quia qui violat illam legem diuinam, & consequenter dat operam rei illicitæ, incurrit pęnam illam; Vnde cum in proposito sit præceptum iuris diuini ne homo rebaptizetur, & ius canonicum apposuerit pęnam irregularitatis violatori huius præcepti, sequitur quod ignorantia istius iuris non excusat ab incursu huius pęnæ.

Opinio Soto, Suarez, & aliorum.

100 Soto illa dist. 3. art. 9. Suarez ead. disput. 31. sect. 6. & alij dicunt ignorantiam huius iuris aliquando posse excusare. Sed de hac contentione egimus supra ead. dist. 6. quæst. 8. disp. 22. ideò vide ibi, & in materia de pęnitentia disp. 7. cap. 2. num. 31. & sequentibus. Ibi enim explicatur qualiter non omnis ignorantia iuris diuini, naturæ, & humanæ est culpabilis, sed aliqua. Ratio est: Quia præcepta legis naturæ diuinæ positiuæ, & humanę non sunt eiusdem rationis. Quędam enim præcepta legis naturæ sunt adeo nota, vt nemo illa ignorare possit, illa, & quædam præcepta legis diuinæ positiuè scilicet euangelicę sunt adeo facilia vt vnusquisque fidelis teneatur illa scire explicitè; quædam verò tàm legis naturæ, quàm legis euangelicæ non sunt ita facilia, ideò simplices excusantur, si illa ignorent. Et hoc idem dicendum de iuris ecclesiastici præceptis. Ignorantia iuris, & præceptorum secundi generis excusat à peccato in foro conscientiæ, vt Scotus docet in 3. dist. 25. & ea dispu. 7. cap. 2. explicauimus. Ignorantia pręceptorum primi generis non excusat. Ad propositum Scotus in hoc 4. distin. 6. q. 8. dicit ignorãtiã huius præcepti, quod Baptismus non est iterã ius, nõ excusare à peccato, quia hoc pręceptũ est pręceptũ adeò facilè, & vsu frequẽtatum, vt nullus sit Christianus quantumcunque ignorans, qui non sciat, quod Baptismus vna sola vice suscipitur, & quod semel baptizatus amplius nõ baptizatur, quia per Baptismum fit Christianus & recipitur in statu salutis. Ex quo apparet hoc præceptum esse de numero eorum, quæ quicunque fidelis tenetur scire explicitè, & proinde ignorantia illius non excusat baptizatum quicunque ille sit, & quantumcunque simplex, & multo minus baptizantem, & maximè sacerdotem & parochũ ordinarium ministrum huius sacramenti, quia vltra facilitatem præcepti propter quam omnes obligat ad illud explicitè sciendum, accidit, quod ipse tenetur scire quæ ad suũ statum pertinent, inter quę est debita ministratio sacramẽtorum, & maximè Baptismi, qui est ianua sacramentorum ideò hæc ignorantia iuris non excusat.

Opinio Scoti.

De eo qui fictè baptizatur, an sit irregularis.

101 Adducũt alij Auctores alios casus, in quibus susceptione Baptismi cõtrahitur irregularitas, vt Maiolus lib. 1. cap. 7. primus est de eo, qui fictè suscipit Baptismum. Sed hoc reijcit Suarez tomo de Censuris disp. 42 sect. 1. quia in iure hic casus expressus non habetur; Quæ est regula toties supra ex Scoto, & alijs Doctoribus replicata. Neque argumentum à simili hic valet. Alius casus est de eo qui differt Baptismum vsq; ad mortis articulum, & de illo, qui ex necessitate, & timore mortis illum recipit, qui habetur capite *si quis in ęgritudine* dist. 57. vbi sic habetur *si quis in ęgritudine constitutus fuerit baptizatus presbyter ordinari no debet. Non enim fides illius voluntaria, sed ex necessitate est, nisi fortè postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.* Alius casus est de eo, qui post culpabilem dilationem Baptismi, illum suscipit dein-

De eo, qui differt Baptismũ vsque ad mortis articulum.

De eo qui culpabiliter differt Baptismum.

de ante ægritudinem, vel articulum mortis: præsumitur enim differre ob maiorem peccandi licentiam. Sed reijcitur à Suarez vbi supra; quia hic casus non habetur in illo textu, *si quis*, vt vult Maiolus, quia ibi nulla fit mentio de dilatione, sed solum de necessitate.

De peregrino baptizato.

Alius casus de eo qui in loco quo peregrinatur, & est incognitus baptizatur: habetur enim Canone, *omnes*, dist. 98. in quo sic habetur *omnes, qui peregrè seu in peregrinatione fuerint baptizati eo quod eorum minime sit cognita vita placuit ad Clerum non esse promouendos*.

De eo, de cuius baptismo dubitatur.

Alius casus adducitur de eo, de quo dubitatur an sit baptizatus, quem inquit Suarez vbi supra desumi ex cap. *placuit*, de infantibus de consec. dist. 4. Verùm in eo capitulo non habetur talis irregularitas: quoniã in eo capitulo solum habetur, quod quando non inueniuntur certissimi testes de baptismo infantium nec ipsi sciunt reddere rationem, an sint baptizati, quod sine trepidatione debent baptizari ne propter hanc trepidationẽ careant sacramenti purgatione. Verba illius capitis sunt ista. *Placuit de infantibus quoties non inueniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testificent, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi sacramentis respondere absque vllo scrupulo eos esse baptizãdos, ne ista trepidatio eos faciat sacramentorum purgatione priuari. Hinc etiã Legati Maurorum fratres nostri consuluerunt, quia multos tales à Barbaris redimunt. similiter & de Ecclesiis quoties super earum consecratione hesitatur, agendum est, vt sine vlla trepidatione consecrentur.* Hic autem vt patet nulla fit prohibitio ne huiusmodi infantes cum peruenerint ad ætatem requisitã non ordinẽtur.

De baptizato ab hæreticis.

Alius casus est de eo, qui baptizatus est ab hæreticis, qui clarè habetur cap. *Ventum est*. quæstio. 1. in quo Innocentius Primus ait legem ecclesiasticam esse. *Ex his qui ab hæreticis veniunt, vel ibi baptizati sunt, neminem in clericatus honorem, vel exiguum subrogare*. & idem habetur cap. *qui in quolibet* 1. quæst. 7.

Prima regula generalis.

102 His casibus exceptis non video alios numerari ab auctoribus, in quibus per susceptionem Baptismi incurratur irregularitas. Vnde regula generalis videtur posse elici. His casibus exceptis per nullam aliam susceptionem Baptismi cum quacunque culpa incurri irregularitatem, quia nullus alius in iure repertus expressus.

Secunda regula generalis.

103 Additur & alia regula generalis, quod per susceptionem indignam passiuam quatuor Sacramentorum scilicet Confirmationis, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis non incurritur irregularitas.

An per susceptionẽ passiuã quatuor Sacramẽtorum incurratur irregularitas.

Dixi per susceptionem passiuam, quia de administratione actiua iam diximus supra. De Matrimonio infra agam agendo de Bigamia. De quatuor prædictis sacramentis probatur: quia in iure nulla susceptio sacramentorum horum quacunque indigna, & culpabilis punitur hac pœna. Probatur etiam inductiuè, & primò de Confirmatione, per cuius reiterationem est aliquod dubium an quis fiat irregularis. Nam Canonistæ in caput *dictum* de Consecratione dist. 5. & in caput quibus de Consecratione dist. 4. asserunt iterantem sacramentum Confirmationis esse irregularẽ, quos sequũtur Nauarus cap. 27. nu. 247. d. Antoninus citatus à Nauaro, Maiolus lib. 3. cap. 15. & alij.

An iteratio Cõfirmationis faciat irregularem.

sed contrariam sententiam tenet Scotus in hoc 4. dist. 7. quæst. 5. vt supra diximus quem deinde communiter omnes alij ferè sequuti sunt, & cuius opinionem affirmat Nauarus esse communiter receptam. Et eam amplectuntur Paludanus, Couaruuias, Suarez tomo 3. in 3. par. disp. 38. sect. 1. & tomo de Censuris disp. 42. sect. 2. num. 2. & alij ab eis citati. Ratio est, quia in iure non habetur per huiusmodi delictum reconfirmationis incurri irregularitatem, Quæ est regula superius inties explicata, & ibi probata à Scoto. Quod autem in iure non habeatur, probat Scotus, quia in capitulo illo *dictam* adducto ab aduersariis nulla pœna infligitur Episcopo iterum confirmanti, sed nec suscipienti, nisi quod sub habitu regulari, vel clericali ipsum religiosissimè famulari decretum est: hoc autem innuit non pœnam irregularitatis, sed magis oppositum, puta exercitium officij clericalis. Nam in executione ordinum, & præcipuè in consecratione Eucharistiæ clericus Deo suo religiosissimè famulatur. Caput verò illud, *quibus* non loquitur de Confirmationis reiteratione, sed de reiteratione Baptismi, & Auctores arguunt ex illo à simili, sed Scotus ibi optime probat, quod argumentum à simili hic non valet, quia ad nullam pœnam canonicam, quæ non est inflicta à Papa cõdente Canonem, potest quis astringi à Doctoribus exponentibus Canones, quia non possunt condere nouum ius, sed solum cõditum exponere. In hoc autem casu nouum ius conderent; ideò illi non sunt audiendi. Et hæc sententia Scoti, quæ est cõmunis, est amplectenda.

De susceptione Eucharistiæ.

104 Quo ad susceptionẽ Eucharistiæ, quando est distincta ab actione idest à celebratione Missæ, vt laici eam suscipiunt, & non celebrantes, nulla est ei annexa irregularitas, quantumcunque talis susceptio sit culpabilis, & peccaminosa. Atque in hac re nullam inuenio discrepãtiam.

De susceptione sacramẽti Pœnitentiæ.

105 De Sacramento Pœnitentiæ idem dicendum. Et licèt cap. *ex pœnitentibus* distin. 50. & alijs similibus excludantur ab ordinatione qui sunt in actuali pœnitentia, hæc non intelligitur de Pœnitentia sacramento, sed de pœnitẽtia solemni, quæ olim in Ecclesia fiebat, quæ non erat sacramentalis, Hodie autem istæ pœnitentiæ non sunt in vsu, & consequenter irregularitas illis annexa nunc cessat, vt tradunt Syluester *verbo irregularitas*, quæst. 17. & Angelus num. 49. cum Innocentio, & Hostiensi. Deinde illæ pœnitentiæ tàm solemnis, quàm publica non pertinent ad forum internum, & sacramentalem Pœnitẽtiæ, sed ad externum, vt diximus in tractatu de Pœnitẽtia disp. 35. cap. 8.

De sacramẽto Extremæ Vnctionis.

106 De Sacramento Extremæ Vnctionis idem dicendum. Nam in iure non inuenitur imposita aliqua irregularitas pro indigna eius susceptione. Neque in hac re vllam inuenio dissensionem.

De Irregularitate ex hæresi, infamia, & an ex alijs criminibus. Caput Quartum.

De hæresi.

107 Aliud crimen principale, cui est imposita pœna irregularitatis, est hæresis. Obseruãdum est autem, quod multis modis aliquis dicitur hæreticus in iure, & varij modi enumerantur à Doctoribus, & Canonistis in caput *firmissime* de hæreticis, & multi sunt improprij. Tamen distinguitur cõmuniter, quod hæreticus duobus modis potest accipi.

Hæreticus duobus modis accipitur.

Vno modo extenso nomine, & in lata significatione. Alio modo propriè, & verè. In primo sensu loquuntur Auctores cum enumerãt multos modos, quibus quis dicitur hæreticus, non secundo modo. Vt patet ex Emerico in Directorio Inquisitorum p. 2. quæst. 31. & ex Commentario Pẽnæ ibidem, qui refert Turrecrematam in summa lib. 4. par. 2. cap. 12. & Tabiensem in summa *verbo hæreticus*, enumerare duodecim modos, & alios qui plurimos alios assignant. Tamẽ Emericus ibi assignat octo modos, qui sunt frequentiores, & sunt isti.

Octo modis quis in iure dicitur hæreticus, sed impropriè.

Primus quilibet excommunicatus 4. quæstio. 1. capit. *quod autem*. Secundus quilibet simoniacus 1. quæst. cap *quisquis*. Tertius qui aduersus Romanam Ecclesiam agit, & eius dignitatem à Domino traditam auferre conatur distin. 22. cap. *omnes*. Quartus quicunque errat in expositione Sacræ Scripturæ 24. quæst. 1. cap. *hæreticus*. Quintus quicunque confingit nouam sectam, vel confictam sequitur 24. quæst. 1. cap. *hæreticus*. Sextus quicunque malè sentit de Ecclesiæ Sacramentis. de hæreticis. cap. *ad abolendam*. Septimus quicunque aliter sentit de articulis fidei, quàm Romana Ecclesia 24. quæst. 1. *hæc est fides*. Octauus quicunque est dubius in fide de hæreticis. cap. *dubius*.

Quid sit hæreticus propriè.

108 Hæreticus verò propriè, & in rei veritate tàm secundum Theologos, quàm secundum Canonistas est qui habet errorem in intellectu de ijs, quæ sunt de fide cũ pertinacia in voluntate. Vnde ad constituendum aliquem hæreticum requiruntur duo. Primò error in intellectu eorum quæ pertinent ad fidem. Secundò pertinacia in voluntate. Hæc enim conditio complet rationem perfectam hæretici. Vnde cum hæc deficit, est purus error, neque ob hoc

vnquam

vnquam quis censetur hæreticus, sed solum quando pertinacia adest, nimirum, quia scit esse de fide, & tamen oppositum tenere vult. Aliqui addunt tertiam conditionem scilicèt quod sit baptizatus; sed hæc subintelligitur: error enim in non baptizato est infidelitas, non hæresis. Hæc est communis sententia, vt est videre apud Emericum in Directorio Inquisitorum par. 2. quæst. 32. & in commentario ibidem apud Pennam. Ex his habetur illum esse hæreticum, qui tenet aliquam propositionem contrariam propositionibus de fide.

Propositiones hæreticæ quomodo cognoscendæ.

109 Quæ autem sint propositiones de fide, & quæ regulæ ad eas cognoscendas assignari possint, vario modo à Doctoribus explicatur. Et quoniam propositiones hæreticæ opponuntur propositionibus de fide, regulæ ad cognoscendum propositiones hæreticas inseruiunt ad cognoscẽdum propositiones de fide. Penna in Comment. 27. secundæ partis Directorij ad quæst. 2. tractans cum Emerico materiam cognoscendi quando propositio sit hæretica, adducit varios modos dicendi Doctorum præsertim Turrecrematæ in summa de Ecclesia lib. 4. par. 2. cap. 10. & Melchioris Cano lib. 12. de locis Theologicis cap. 7. Afferam ego tres modos dicendi communiores ex tribus authoribus ex quibus hæc cognitio haberi poterit: multi enim coincidunt: ideò satius est principaliores adducere, quam subtiliter inuestigare qui sint accommodatiores, præsertim cum hæc obiter tangam propter vtilitatem cognitionis huius materiæ adeò necessariæ Theologo vnicunque.

Tres regulæ ad cognoscẽdum propositionem hæreticam ex Emerico.

Emericus ergo primo loco tres regulas ad cognoscendum, quæ sit propositio hæretica adducit ex Diuo Thoma prima parte quæst. 32. art. 4. & 2. 2. quæst. 11. art. 2. quæ licèt explicitè in eo non habeantur, deducuntur tamen ex eo, & ex alijs Doctoribus; quia est doctrina communis catholicorum. Prima est, omnis propositio, quæ est contra aliquẽ articulum fidei, est propositio hæretica: vt si quis asserat, quod Deus non est trinus in personis. Secunda regula, propositio, quæ est contra Ecclesiæ generalis diffinitionem, vt de fide factam, est hæretica: vt si quis assereret, quod Spiritus Sanctus non procedit æternaliter à patre, & filio tanquam ab vno principio, & vnica spiratione. Ratio est quia tanquam de fide determinatum est ab Ecclesia, quod Spiritus Sanctus procedit à patre, & filio æternaliter tanquam ab vno principio, & vnica spiratione. Tertia regula, propositio, quæ est contra aliquam propositionem assertam in Biblia, vt si quis neget, quod Deus fecit cœlum, & terram, est hæretica.

Septem gradus propositionũ catholicarũ ex Turrecremata.

110 Turrecremata verò, quẽ deindè multi alij sequuti sunt diligentius, rem hanc explicat: assignat enim septem gradus propositionum catholicarum. Vndè elicitur hæc regula generalis, quod propositiones contrariæ his sunt hæreticę: contraria enim contrarijs cognoscuntur. Primus gradus propositionum catholicarum est earum, quæ in libris sacris expressè habentur. Secundus est earum, quæ ex sacris litteris necessaria consequentia deducuntur. Tertius earum quæ verbotenus Christus Apostolis, & Apostoli Ecclesiæ tradiderunt: cuiusmodi sunt traditiones Apostolicę. Quartus earum quæ in Concilijs vniuersalibus diffinitæ sunt. Quintus earum quæ à sede Apostolica sunt fidelibus propositę de fide credenda. Sextus earum quæ de fide, & confutatione hęresum Sancti Patres vna mente, vnoque consensu docuerunt. Septimus earum quæ ex 3. 4. 5. & 6. gradu consecutione firma, & necessaria deducuntur. Qui ergo aliquam propositionem his contrariam tenet, est hęreticus.

Octo regulæ ex Melchiore Cano cognoscendi veritates catholicas.

111 Melchior Cano verò vbi supra lib. 12. cap. 7. assignat octo regulas, quarum prima est. Illæ habendæ sunt catholicæ veritates, quæ in scriptura sacra veteris, vel noui testamenti clarè continentur, vt Deum totio creasse cœlũ, & terram, & similes. Quando autem quædam propositiones ex scriptura ipsa nõ sunt adeò clarè, sed est aliqua ambiguitas, ille sensus in quo ab Ecclesia catholica intelligitur est verus sensus; ideò qui illum negaret in sensu intellecto ab Ecclesia, esset hæreticus. Secunda regula. Quidquid Doctores, & Pastores Ecclesiæ in Concilio generali legitimè congregati fidelem populum docent quo ad fidem Christi attinet, id planè, verissimum, & pro veritate catholica accipiendum est. Tertia regula. Si sedes Apostolica Summusve Pontifex matitro consilio quidspiam diffiniat tanquam ad fidem spectans, id catholica veritas censendũ est. Quarta sententia communis omnium Sanctorũ Patrum, est veritas catholica. Quinta regula. Si ecclesiæ vsus communis ex Apostolorum traditione aliquam scripturę interpretationem accepit, aut aliud quid circa Sacramentorum vsus, aut res alias ecclesiasticas ad cultum diuinum spectantes desumpserit, id pro catholica veritate sumendum est, atque ita custodiendum, ac si in ipsis sacris litteris esset expressum; traditiones enim Apostolicæ inconcussam, inuiolabilemq. veritatem habent. Sexta regula. Quodcunque fidei dogma, quod vel Ecclesia habuerit, vel Concilium authoritate Papæ roboratum ediderit, vel etiam Summus Pontifex Romanus fidelibus præscripserit pro veritate catholica est habendum. Septima regula. Si Ecclesia, Concilium, aut fides Apostolica, vel etiam Sancti Patres vna voce, & vno consensu aliquam Theologiæ conclusionem confecerint, & fidelibus præscripserint, hęc veritas catholica tenenda est. Octaua regula. Conclusio, quæ communi consensu à Theologis scholasticis statuitur, & semper statuta est vt firmum, & certum dogma catholicum, est veritas catholica. Verùm hæc non approbatur penitus ab ipso Penna; sed de his infra contra hæreticos dabitur locus disserendi. Quicunque aliquam propositionem cõtra has regulas, præsertim septem priores tenuerit, est hæreticus propriè, verè, & formaliter.

Secunda regula.

Tertia regula.

Quarta regula.

Quinta regula.

Sexta regula.

Septima regula.

Octaua regula, quę non approbatur.

Dubius in fide est hęreticus, & quo modo.

112 Addendum est, quod nedum, qui clarè, & certè tenet propositionem aliquam contrariam alicui propositioni catholicę secundum regulas superius enumeratas est hæreticus; sed qui dubitat de aliqua propositione catholica ex prædictis iuxta cap. 1. de hæreticis in 6. est hæreticus. Sed vt habet Penna in Directorio part. 2. com. 1. non quilibet dubitans in fide est hæreticus. Multis enim modis contingit dubitare de aliqua propositione de fide, vel etiam de tota fide, sed solum ille, qui dubitat de aliqua propositione de fide, ita quod ipse cognoscit se habere dubitationem de fide, & tamen non repellit, vel non laborat, vt depellat huiusmodi dubitationem, sed animo deliberato assentit illi dubitationi: ita vt non magis applicet deliberationem parti catholicæ, quàm hæreticæ, sed nutat voluntariè sic inter vtranque. Hęc assertio patet: quia ad fidem catholicam requiritur in mente credentia, & in voluntate adhæsio firma absque vlla hæsitatione: quæ est communis doctrina.

Vno verbo quid sit hæreticus & species eius.

113 Vno verbo possumus omnia comprehendere dicendo, hęreticum propriè, & verè esse eum, qui post Baptismum recedit pertinaciter à fide Ecclesię Romanę. Cuius deindè sunt variæ species: Aliqui enim recedunt in totum, & isti propriè dicuntur Apostatę. Vel recedunt in vno articulo tantùm, vel aliquibus, non in omnibus; vel dubitant pertinaciter, & scienter de fide catholica, vel aliquo eius articulo, vt dictum est supra, & isti sunt propriè hæretici. Et hęc videtur esse sententia Diui Augustini libro de vtilitate credendi cap. 1. ad Honoratum, vbi habet hæc verba ponens discrimen inter hæreticum, & credentem hæreticis. *Hæreticus est, vt mea fert opinio, qui alicuius corporalis commodi, & maximè gloria principatus, sui gratia falsas, ac nouas opiniones vel gignit, vel sequitur; ille autem qui huiusmodi hominibus credit homo est imaginatione quadam veritatis & pietatis illusus.*

Differentia inter hęreticum, & credentem hęreticis.

Hęreticus est irregularis.

114 Est ergo communis sententia crimini hæresis impositam esse pœnam irregularitatis ita quod quisquis fuit hæreticus, irregularis est, etiam si conuersus, & admissus ad gremium Ecclesiæ pœnitẽtiam peregerit, vt tradit Penna in Directorio 3. par. com. 162. in fine. Emericus tamen de illa nihil dicit in illa quæst. 113 Hanc probat Penna ex Speculatore Titulo de dispensatione, §. *iuxta* ex D. Antonino tractatu de Censuris cap. 100. Syluestro verbo *irregularitas*, quæst. 5. Maiolo lib. 5. de irregularitate cap. 46.

Neque

Scotus.

Neque Scotus dissentit ab hac sententia, sed cum illa sentit. Nam in hac dist. 25. quæst. 1. in argumentis principalibus vltimo loco sic arguit. Nulla pœna canonica magis excludit ab aliquo gradu, vel actu ecclesiastico, quàm hæresis; sed hæresis non excludit, vt habetur 1. quæst. 1. cap. *quòd quidam*. ergo. Respondens deindè ad hoc argumentum inquit. *Ad illud de hæresi verum est, quod non excludit de facto, sed de iure excludit si talis etiam non sit condemnatus.* Subiungit deinde, quod si sit condemnatus, & præcisus ab Ecclesia, & hæreticus sit Episcopus secundum opinionem illam, quod Episcopatus non sit ordo, Episcopus talis non posset conferre ordines: quia potestas iurisdictionis sibi ablata est: potestas autem ordinis in ipso non esset: Quia secundũ istos episcopatus nõ est ordo, ideò non posset conferre ordines: Tamen hanc opinionem Scotus suprà dixit esse falsam, vt vidimus distinctione præcedenti. Sententia ergo Scoti est quod hæreticus ipso iure tam ante condemnationem, quàm post condemnationem sit irregularis, & quod caput illud *quod quidam* adductum intelligitur de facto non de iure idest, quod hæreticus si attentet conferre ordines, & sacramenta facit; quia vt dicemus, & diximus potestas ordinis est inamissibilis, & sacramenta imprimentia characterem sunt indelebilia: sed tamen non rectè facit, nec vtiliter, quia contra obedientiam Ecclesiæ, & quia est priuatus iurisdictione. Sustinet ergo Scotus, quod hæreticus ipso facto etiam ante declarationem est irregularis secundum iura.

Opinio Scoti.

Quibus iuribus probetur hæreticum esse irregularem.

115 Verùm quæ sint iura ista per quæ habeatur, quod hæreticus sit irregularis, Scotus non dicit. Cœteri autem Doctores adducunt varia capitula ad hoc probandum. Adducunt autem caput *conuenientibus* 1. quæst. 7. & caput *inter solicitudines* de purgatione canonica. Sed præsertim hoc colligitur ex capite *saluberrimum* 1. quæst. 7. vbi de clericis reuertentibus ab hæresi decernitur quod recipiantur quidem in ordine, quem habebant, sed quod vlterius promoueri non possint. Et confirmatur ex capite *Nos consuetudinem* dist. 12. sed vt inquit Suarez disp. 43. sect. 1. in his cap. fit mentio solum de clericis, qui fuerunt hæretici. Dubium est ergo an hæc irregularitas incurratur etiam à laicis: sed optimè respondet, hoc etiam intelligi secundum omnes de laicis quoque. Ratio est, quia hæc pœna irregularitatis non imponitur clericis, quatenus clerici sunt, sed simpliciter ratione talis criminis, quæ est hæresis: ideò comprehendit quoque laicos, & non obscurè colligitur ex cap. 2. de hæreticis in 6. §. *hæretici*. Sunt ergo irregulares omnes hæretici tàm clerici, quam laici, nec possunt ordinari ad ordines sine dispensatione; & si quos habent, non possunt in illis ministrare sine dispensatione, & sic in vsu videtur seruari. Quod adhuc confirmatur ex Bulla quadam Clementis Octaui, quæ incipit *cum sicut*, & solet poni in Directorio Inquisitorum.

Laicus hæreticus est irregularis.

An intelligatur de hæresi occulta.

116 An verò ad incurrendam hanc irregularitatem requiratur quod non sit occulta, est dubium. Non loquimur autem de mentali hæresi, quia illa est occulta. & Ecclesia nõ iudicat de occultis, & pœnæ ecclesiasticæ non extenduntur ad illas, vt infra agendo de excommunicatione dicemus: sed de exteriori, quam scilicet hæreticus protulit exterius, sed tamen non est publicata nec facto, nec iure scilicet quia non est notoria: nec hæreticus de illa est conuictus. Scotus vt supra vidimus tenet hanc pœnam non requirere declarationem, & consequenter sufficere, quod sit huiusmodi crimen perpetratum. Et hæc videtur esse sententia communis: quia Auctores supradicti, qui dicunt irregularitatem esse pœnã criminis hæresis absolutè loquuntur, neque distinguunt de hæresi occulta, vel publica: neque requirunt infamiam, nec scandalum, sed de hoc crimine loquuntur sicut de alijs criminibus, quibus imposita est pœna irregularitatis; in illis autem incurritur ipso facto: ergo multò magis hoc verificatur de hac irregularitate. Consentiunt prædicti Auctores, quos refert, & sequitur Suarez vbi supra.

Opinio Scoti.

Sententia communis.

117 Verùm circa dicta occurrunt quædam dubia. Primò an hæc irregularitas extendatur ad eum, qui exterius tantum metu, vel humana aliqua cupiditate illectus facit aliquem actũ hæreticalem, vt si adoret idola, vel affirmet aliquam hæresim, corde tamen retineat fidem catholicam hic incurrat hanc pœnam? Respõdetur. Certum esse hunc grauiter peccare, & dicere oppositum est hæresis Elchesitarum asserentium licere in tormentis negare Christum ore, non tamen corde. Est enim apertè contra illud Pauli ad Romanos 10. *corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*. Quo ad irregularitatem habetur decisio in cap. *Presbyteros*, dist. 50. Nam in eo cap. secundum Glosam tres casus decidũtur. Primus est eorum Presbyterorum, & Diaconorum, qui coacti quadam coactione conditionali, quæ tamen fuit peccaminosa Dæmonibus immolauerunt, sed postea fideliter paganos impugnarunt: de his decernitur, quod si pœnitentiam egissent, retineant honorem suum, tamen in suis officijs nullo modo ministrent, nisi Episcopus cum eis dispensauerit. Secundus casus est eorum: qui fugientes à paganis comprehensi fuerunt, & coacti fuerunt coactione violenta Dæmonibus immolare, vt puta, manibus eorum violenter attractis, & funestis sacrificijs admotis, ipsis reclamantibus, & dicentibus se esse Christianos: & de his decernitur siue sint laici, siue clerici, cum non peccauerint, quod non prohibeantur à promotione ad ordines. Tertius casus est eorum, qui sponte hoc fecerunt, sicut factum fuit sub Tyranno Licinio. & de his decernitur, quod recipiantur ad pœnitentiam, & communionem Ecclesiæ, sentit ergo istos esse irregulares, neque cum illis esse dispensandum, sed sufficere, quod ad pœnitentiam, & communionem recipiantur, quod etiam asserunt supracitati Auctores præsertim Suarez, qui alios citat.

An qui metu, vel cõmodò humano exterius est hæreticus sit irregularis

118 Secundò dubitatur, an hæc pœna extẽdatur ad fautores, receptatores, consilium aut fauorem hæreticis dantes? Breuiter respondetur secundum omnes, extendi. Patet ex cap. 2. de hæreticis. §. Hæretici, vbi idem quod de hæreticis, statuitur de eorum fautoribus, receptatoribus, & defensoribus sub his verbis. *Hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticũ beneficium seu officium publicum admittantur.* Aliqui extendunt etiam hanc irregularitatem ad schismaticos: sed distinguit Suarez vbi supra sect. 2. cum alijs Doctoribus Emerico, & Penna in Directorio Inquisitorum 2. par. quæst. 48. & alijs quod schismaticus potest accipi prout coincidit cũ hæretico: Hæreticus enim est quoque schismaticus, quia diuisus est ab Ecclesia catholica: & ad hos verè extenditur irregularitas. At accipiendo schismaticum propriè pro illo, qui non discrepat ab Ecclesia in articulis fidei, sed nititur scindere Ecclesiam, vsurpando potestatem in aliqua parte Pontificis Romani, vel eam in alium transferre, cui de iure non competit, asserit non esse subiectum huic pœnæ irregularitatis: quia in iure non videtur expressa. Nihilominus, quia huiusmodi schismatici sunt suspecti de hæresi vehementer, vel leuiter pro qualitate schismatis hac ratione sunt irregulares. Nam hæc irregularitas extenditur ad suspectos quoque de hæresi, vt Penna vbi supra cum alijs explicat: & fatetur ipse Suarez vbi supra nu. 8. Probatur præsertim ex cap. *infames* 6 quæst. 1. vbi suspecti de fide recta prohibentur ad sacros ordines promoueri.

119 Tertiò dubitatur an hæc irregularitas extendatur ad filios hæreticorum, & aliorum eis aliquo modo fauentium? Respondetur affirmatiuè. Hoc enim clarè habetur in capite 2. de hæreticis superius adducto § *Hæretici*. Et clarius capite *statutum* 2. eodem titulo. Vbi insuper declaratur quod extenditur ad filios per paternam lineam descendentes vsque ad secundam generationem; ad filios descendentes à matre hæretica solum ad primum gradum. Atque hoc intelligi de illis hæreticis, qui impenitentes mortui sunt, non autem de ijs qui pœnitentes mortui sunt. Atque hanc irregularitatem extendi ad credentes hæreticis, receptatores, defensores, & fautores, atque ad eorum filios modo prædicto declaratur eodem capite *statutum* 2. eodem

An extendatur ad filios hæreticorũ.

titulo

titulo; quod fusè explicatur ab Emerico in Directorio Inquisitorum 3.par.q.114.& 115. & à Penna in commentario ibidem latissimè, qui alios auctores de hac recitat. Attingunt quoque Nauarus in Man.cap.27. nu.205. & summistæ verbo *irregularitas*.

De quibus filijs hæreticorum intelligatur.

120 De quibus autem filijs hęc decreta intelligantur latè ibidem tractat Penna sed resolutio est, intelligi indifferenter de omnibus tam legitimis, quàm illegitimis quocunque modo, siuè sint nati post patris lapsum, vel ante: (licèt aliqui sustineant intelligi tantùm de filijs natis post lapsum.) Ratio est, quia iura absolutè loquuntur de filijs hæreticorum, fautorum &c. *quos tales fuisse, vel esse probantur.* De filijs verò hęreticorum relapsorum sed denuo pœnitentiũ, qui traditi Curiæ seculari vltimo supplicio sunt affecti, est dubium an hanc irregularitatem incurrant. Aliqui negant: quia licèt eorum patres combusti, & puniti fuerint pęna corporali: tamen vniti sunt Ecclesiæ per absolutionem ab excommunicatione, & illi sunt incorporati; ideò non intelliguntur iura prædicta de illis: sed solum de impęnitentibus publicis, quos tales esse probatum est. Alij oppositum docẽt, vt Penna cum alijs loco citato, quia qui traduntur brachio seculari, non videntur incorporati Ecclesiæ vt requirunt Canones: qui videntur velle, vt ita reconcilientur, quod pœnitentiam agant, vel saltem se ostendant omninò paratos satisfacere, & esse liberos ab illa suspitione hæresis: quod non apparet in relapsis pœnitentibus. Et hæc opinio videtur probabilior.

De Neophitis.

121 Adest etiam irregularitas similis præcedenti, quæ oritur ex nouitate in fide Christiana, qui enim nouus est in fide Christiana, (qui ob hoc dicitur Neophitus in sacris litteris) est irregularis, & inhabilis ad omnes gradus clericales. Vbi est obseruandum per Neophitum hic accipi propriè eum, qui in ætate adulta baptizatus est, & est nouus in fide. Nam Neophiti in fide dicuntur cathecumeni, vel qui post Baptismum recenter sunt baptizati. Hæc irregularitas introducta est ab Apostolis 1.ad Thimot. 3. vbi Paulus loquens de conditionibus Episcopi, inter alias ait. *non Neophitum. ne in superbiam elatus incidat in laqueum Diaboli.* Et licèt ibi Paulus loquatur de Episcopo tamen hæc irregularitas extensa est ad omnes ordines a Concilijs. Nam in Niceno Can.2. prohibetur vsus promouendi ad Episcopatum, & Presbyteratum gentiles, nuper ad fidem cõuersos, quod inquit aliàs aduersus ecclesiasticam regulam factum fuisse, vel propter necessitatem, vel cogentibus hominibus. Verba Canonis sunt. *Quoniam plura aut per necessitatem, aut alids cogentibus hominibus aduersus ecclesiasticam facta sunt regulā. vt homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem & instructas breui tempore mox ad lauacrum spirituale perducerent simulque baptizati sunt ad Episcopatum, vel ad Presbyteratum promouerent, optimè placuit nihil tale de reliquo fieri.* Deinde in Concilio Sardicensi Canone 13. dicitur. *Nec ratio nec disciplina patitur, vt temerè, vel leuiter ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophitus est.* Demum Diuus Gregorius Epistola 51. lib. 4. ait. Ad sacros ordines Paulus Apostolus Neophitum venire prohibet. Vbi cum vniuersaliter loquatur de ordine videtur intelligere de omnibus ordinibus tàm maioribus, quàm minoribus. Et hæc est sententia communis. Et ratio Diui Pauli militat in omnibus ordinibus. Si enim qui recenter suscepit fidem Christianam assumeretur ad clericatum, qui est dignior status Ecclesiæ, posset facilè incidere in superbiam, & in laqueum diaboli, & habetur cap. *Neophitus* dist.61.

Quanto tempore duret inhabilitas. Neophiti.

122 Quo tempore autem finiatur hæc nouitas in fide, vt quis non dicatur amplius Neophitus, nihil videtur præscriptum à sacris Canonibus. Nauarus in cap.27.nu.205. videtur requirere ad minus decem annos, quatanus Christianos vulgo appellatos nouos etiam à decem viginti, triginta, & amplius annis conuersos, & baptizatos ait sub hac irregularitate non comprehendi. Suarez disp. 43. hoc relinquit arbitrio prudentis Episcopi, quo ad clericos: quoad Episcopos summo Pontifici. Quæ sententia est procul dubio vera. Nam exercitatio in virtutibus, & actibus Christianæ religionis magis, & minus potest ostẽdere aliquem dignum, vel indignum esse, vt promoueatur ad sacros ordines, & consequenter, quod prædicta irregularitas cessauerit.

Hæc irregularitas nõ extenditur ad filios Neophitorum.

123 Neque hæc irregularitas extenditur ad filios Neophitorum, qui ante vsum rationis nascuntur: quia ipsi non sunt Neophiti, vt patet ex declaratione termini huius, Neophitus, propriè accepti: qui est ille qui in ætate adulta recenter est cõuersus ad fidem nostram, cuiusmodi non sunt infantes eorum ante vsum rationis baptizati. Nec valet arguere à simili de filijs hæreticorum: quia iam diximus hoc argumentum in materia irregularitatis non valere; sed irregularitatem debere esse expressam in iure, quod in casu isto non habetur.

Quis dispenset in hac irregularitate.

124 Demum difficultas est, quis dispẽsare possit in hac irregularitate. In hac re Emericus in Directorio Inquisitorum 3.par.quæst.126. dicit, Inquisitores posse dispensare. Penna in commentario ibi, & commentario super quæst. 113. eadem 3.parte commendat eos, qui asserunt solum Papam posse dispensare in hac irregularitate cum ijs, qui ab hæresi redeunt, & auctores supracitati, & alij vt Nauarus in Manuali cap.27.nu.205. Zanchinus tractatu de hæreticis cap. 38. & alij idem affirmant absolutè tam de dispensatione ad exercendum ordinem susceptum si sit clericus, quàm ad suscipiendum si sit laicus.

125 Alij verò distinguunt hanc irregularitatem quo ad susceptionem ordinum esse simpliciter reseruatam Papæ: quo ad vsum verò ordinum susceptorum nequaquam, vt Suarez disp.43. sed tandem quoad vsum quoque fatetur esse reseruatam Papæ.

An Episcopus possit dispensare in irregularitate ex hæresi occulta.

126 Sed difficultas est de irregularitate orta ex hæresi occulta, an Episcopus possit dispensare in illa. Nam hæc facultas videtur Episcopis concessa ex Concilio Tridentino sess.24.cap.6. de reformatione, ibi enim concedit facultatem Episcopis dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, *& idem in hæresis crimine* in foro conscientiæ per seipsos non per Vicarium. Verùm hęc concessio reuocata videtur per Bullam in Cœna Domini, in qua reseruatur Pontifici potestas absoluendi à censura, & culpa hęresis: cum autem sit reuocata quoad facultatem absoluendi, multò magis videtur reuocata quoad facultatem dispensandi, cum prohibetur autem maius, intelligitur quoque prohiberi minus, argumento cap. *cum illorum* de sententia excom. quid maius autem est dispẽsatio, quàm absolutio, vt patet: ideò cum reuocetur potestas absoluendi, intelligitur quoque reuocari potestatem dispensandi. Quare communis opinio, quod solus Papa possit dispensare in hac irregularitate, verificatur de irregularitate, & absolutione in vtroque foro quoad susceptionem, & quoad executionem.

Nulla crimina pręter prædicta inducunt irregularitatem.

127 Præter crimina adducta, quidam auctores adducunt multa alia, vt Maiolus lib.5.cap.12.30 & alij per quę asserunt incurri irregularitatem, contra quos latè disputat Suarez disput.43.sect.4.& 5. & statuit regulam generalem hanc; nullum crimen præter adducta supra, & homicidiũ, de quo, & bigamia cum Scoto dicemus infra, inducere irregularitatem. Quam firmat illo principio certo, & à Scoto supra validè comprobato, & communiter recepto, quod per nullum crimen incurritur irregularitas, nisi hoc sit expressum in iure. At pręter prędicta non inuenitur in iure imposita irregularitas, quæ est pœna canonica alicui alteri criminum, ergo per nullum aliud crimen irregularitas incurritur.

Limitatio prædictæ regulæ.

128 Vbi tamen obseruandum est hoc esse verum de crimine ipso simpliciter sumpto, & quatenus non parit infamiam: at verò quatenus parit infamiam tunc induci irregularitatem. Quando autem quis ex crimine fiat infamis, diximus supra agendo de infamia. Et verificatur de infamia tam iuris, quàm facti, quę est communis sententia. & sumitur ex cap. *infames* 6. quęst. 1. vbi enumeratis multis criminosis, quos infames esse dicit, subiungit hæc verba.

verba. *Hi omnes inquam nec ad sacros gradus debent proue-hi. &c.* & cap. *qui in aliquo* dist. 51. & ex regula iuris *infamibus* in 6. idem asserunt Nauarus cap. 27. nu. 204. Summistæ verbo *infamia.* & verbo *irregularitas.* Panormitanus in caput *licet Heli* de sim. & alij, quos citat, & sequitur Suarez disp. 48. sect. 2. Quare nihil aliud dicendum circa hoc occurrit.

De dispensatione super irregularitatem istam.

129 Quantum ad dispensationem super hanc irregularitatem dicendum est, tolli posse eo modo, quo tollitur infamia, & ab eo, qui potest tollere infamiam: quomodo autem infamia tollatur, diximus supra disp. 2. ablata enim causa irregularitatis, aufertur irregularitas, causata per illam, argumentis cap. *cum cessante* de appellationibus.

De irregularitate, quæ contrahitur ex defectibus, qui non sunt crimina, vti sunt seruitus, illegitimitas corporis, vitia & similia. Caput Quintum.

Seruitus inducit irregularitatem.

130 PRosequitur Scotus eadem quæstione explicare secundum caput principale per quod incurritur irregularitas. Quod continet defectus, qui non sunt crimina, & tamen reddunt hominem inhabilem ad suscipiendum ordines sacros. Enumerat autem tres defectus, qui sunt seruitus, illegitimum natale, & mutilatio enormis, seu corporis defectus. An alij verò dentur præter istos tres, postea videbimus. Quantum ad primum, quod seruitus sit impedimentum reddens hominem inhabilem ad ordines sacros suscipiendos habetur clarè dist. 54. in multis cap. præsertim primo desumpto ex Leone Papa Epistola 1. ad Episcopos per Campaniam &c. & alijs, ac toto titulo de seruis non ordinandis lib. 1. Titulo 18. & omnes consentiunt, vt est videre apud Theologos in hoc 4. dist. 25. & Summistas verbo *seruus.* Nauarum cap. 27. num. 204. Ratio autem principalis, & fundamentalis, quā adducit Scotus, & desumitur ex eodem cap. 54. ex Epistola Diui Leonis Papæ, est quia seruus est possessio Domini: & ideò non debet ab eo auferri ipso inuito: qui autem ordinatur ad ordines, & clericatum fit inhabilis ad quosdam actus seruiles: ideò iustitiæ repugnat, vt seruus manente seruitute sit habilis ad ordines sacros suscipiendos. Vndè Leo Papa relatus eo cap. habet hæc verba. *Debet enim esse immunis ab alijs qui diuinæ militiæ est aggregandus, vt a castris dominicis, quibus nomen eius adscribitur nullis necessitatis vinculis abstrahatur.*

Ablata seruitute no est opus dispensatione.

131 Ex his habetur quod durāte seruitute homo est irregularis, & ablata seruitute, aufertur irregularitas, nec opus est aliqua dispensatione: quia iam impedimentum illud, & inhabilitas est ablata per manumissionem, & est communis opinio.

Seruus de licentia Domini potest ordinari.

132 Habetur etiam, quod durante seruitute, seruus de licentia Domini potest ordinari quod clarè habetur in Canone 81. Apostolorum, in quo dicitur. *seruos in clerum proueui sine voluntate Dominorum non permittimus.* ergo cū voluntate Dominorum possunt ordinari. Illa vero licentia est manumissio, siue sit expressa, siue tacita. quod habetur capite *si seruus.* 2. dist. 54. vbi sic habetur *si seruus sciente, & non contradicente domino in clerum fuit ordinatus ex hoc ipso quod constitutus est liber. & ingenuus erit.*

Manumissio sufficit.

133 Ex quo etiam habetur, quod licet manumissio, seu liberatio a seruitute regulariter præcedere debeat iux a caput *Nulli* dist. 54. in quo dicitur. *Nulli de seruili conditione ad sacros ordines promoueantur, nisi prius à proprijs dominis libertatem consequantur, cuius libertatis charta ante ordinationem in Ambone publicè legatur.* tamen si illa licentia expressa, vel tacita in ipsa susceptione ordinum habeatur, sufficit, vt ex prædicto cap. *si seruus,* habetur.

Seruitus impeditus à susceptione prima tonsura.

134 Ex eodem capite habetur, quod seruitus impedit nedum à susceptione ordinum maiorum, sed etiam minorum, & primæ tonsuræ: hoc enim indicant illa verba *in clerum fuit ordinatus.* Nam cum quis accipit primam tonsuram ipso facto dicatur, & consecratur ministerio diuino, ideò liber fit à seruitute domini: ideò sine licentia domini ad illam ordinari non potest; accedente autem voluntate eius expressa, vel tacita, vt dictum est, ipso facto fit liber.

Quid si seruus ordinetur inuito Domino.

135 Sed quid si seruus ordinetur sine licentia Domini, & ipso inuito? Respondet Scotus, seruum sic ordinatum debere restitui domino, nisi consentiat eum sic ordinatum liberum manere: si autem non consentiat, sed velit eum sibi esse seruum, dominus non debet eum actibus dedecentibus ordinem suum applicare, sed debet seruire domino suo in actibus decentibus statum suum.

Quod si quis obijciat, quod res semel consecrata Deo, etiam si iniustè, & contra voluntatem domini sit consecrata, nō debet restitui domino iuxta regulam iuris *semel Deo,* de regulis iuris in 6. Respondetur illam regulam loqui de rebus inanimatis, in quibus non est dolus; & facilè potest damnum illatum domino compensari, in homine autem, qui est res animata est dolus, qui non debet illi suffragari.

An manumissio debeat esse libera, et sine vlla conditione.

136 Sed dubium est, quando Dominus manumittit seruum, an hæc manumissio debeat esse omnino libera, ita vt Dominus nullum obsequium sibi reseruare possit. Vel dato, quod nullum obsequium sibi dominus reseruet, tamen ex iure ipso teneatur ad aliquod obsequium? Hic sunt variæ opiniones, vt est videre in Glosa, & apud Doctores cap. *nullus.* de seruis non ordinandis. Sed videtur esse dicendum, quod manumissio facta liberè omnino à Domino sine vllo pacto liberet seruum à quacunque obligatione ad dominum, loquendo de iustitia: hoc enim apertè colligitur ex cap. *nullus* dist. 54. supra adducto, & ex cap. *quicunque* eadem dist. Ratio, quæ in illis canonibus adducitur, est, quia qui ascribitur militiæ Christi, debet esse omnino liber, ne aliquando cogatur ab obsequijs diuinis redire ad seruitutem domini temporalis: Et hoc quantum ad secundum positum in dubio. Quantum verò ad primum positum in dubio distinguendum est, quod obligatio potest esse ad seruitia temporalia, & repugnantia statui clericali, vel ad seruitia non repugnantia statui clericali, cuiusmodi sunt opera spiritualia. Vel etiam obligatio ad non præstanda officia iustitiæ, & gratitudini repugnantia. Manumissio cum retentione obligationis ad opera primi generis repugnat, sed manumissio cum retentione obligationis ad opera secundi generis, non repugnant, quæ est sententia Abbatis, & Turrecrematæ in eo cap. *nullus,* de seruis non ordinandis. Si tamen quis manumissus etiam hæc opera spiritualia negaret domino, licèt peccaret vitio ingratitudinis: non tamen mereretur degradari, sed solum quando cum ingratitudine coniungeret iniuriam. Et hoc modo videtur posse intelligi caput *nullus* prædictum, in quo decernitur, quod manumissus ordinatus in presbyterum in superbiam elatus domino suo horas canonicas psallere noluit, degradetur; neque enim ibi fuit præcisè ingratitudo, sed iniuria, & despectus ex superbia adfuisse quoque videtur.

De quibus seruis sit sermo.

Prædicta autem omnia intelliguntur de seruis vndecūque seruitutem trahentibus vt habetur cap. *Generalis,* & cap. *admittuntur* dist. 54.

De obligato ad ratiocinia.

137 Ad hanc speciem irregularitatis reducitur etiam obligatio ad ratiocinia, vt patet ex capite vnico in dicto titulo. Obligatio autem ad ratiocinia est illa obligatio, qua detinentur ij, qui exercent aliquas administrationes, & officia de quibus tenentur reddere rationem, vt sunt procuratores, actores, executores, seu curatores pupillorum, & similes. isti enim tenentur ad reddēdum rationem sui muneris, ideò donec reddiderint hanc rationem sunt irregulares ad ordines. Vndè in prædicto capite habetur sic. *Magnus Episcopus Augustensis dixit Procuratores, actores, & executores, seu curatores pupillorum debeant ordinari. Gratus Episcopus dixit si post deposita onera, & reddita ratiocinia &c. debent honore munerari; si enim ante libertatem negotiorum vel officiorum fuerint ordinati Ecclesia infamatur.* Debēt ergo deponere officia & reddere rationem administrationis suæ: quia donec rationem reddiderint suæ administrationis expositi sunt iudicibus sæcularibus, à quibus si fortè dolus, aut fraus in administratione comisissent, possent

possent puniri, & infamari; reddita autem ratiocinatione liberi sunt ab hac irregularitate.

Intelligitur de omni obligato ad ratiocinia.

138 Distinguunt verò aliqui, quod obligatio ad ratiocinia est duplex. Alia est de administratione publica siuè bonorum Republicæ, & alia de administratione priuata, seu bonorum alicuius personæ priuatæ, & dicunt primam obligationem solum facere irregularem; non autem secundam, nisi obijciatur fraus, vel dolus, vt est videre in Glosa dicto cap. vnico de obligatis ad ratiocinia. Mihi autem videtur caput illud loqui de vtraque obligatione, quia tam obligatus ad ratiocinia pro administratione publica, quã priuata subijcitur iudicio iudicis sæcularis, & est expositus periculo infamiæ, si fortè iudicetur adesse dolum, vel fraudem. Præterea videretur Ecclesia excipere obligatos ad ratiocinia priuata à redditione rationis administrationis: si enim isti possent ordinari, & fieri clerici, eximerentur à potestate sæculari, à qua non possent cogi ad reddendum rationem administrationis, quod est iniustum, & sic Ecclesia infamaretur, quæ est ratio adducta in prædicto capite.

Non intelligitur de eo, qui remanserit debitor sine infamia.
An quis propter debita contracta sit irregularis.

139 Si verò reddita ratione, & soluta obligatione ad ratiocinia, qui erat obligatus remaneat debitor pecuniarum absque alia lite, & infamia, licèt debitum nondum sit solutum, liber est ab irregularitate ista: quia est solutus ab obligatione ad ratiocinia: quod est illud, quod requirit ius canonicum. An verò aliquis propter debita contracta fiat irregularis est aliud negotium. Neque ego video in aliquo auctore propter solum debitum pecuniarum aliquem censeri irregularē. Nisi dicamus hoc elici ex Bulla Sixti Quinti incipiente, *Cum de omnibus* vbi decernitur, quod criminosi, vel suspecti, aut ære alieno, vel reddendis rationibus obnoxij ad Religionem non admittantur. sed non loquitur de suspensione ordinum extra Religionem, & clerico sæculari; ideò ex ea Bulla non habetur irregularitas.

De illegitimitate.

140 Secundus defectus, non crimen, quem Scotus assignat, est illegitimitas, seu defectus natalium. Pro cuius intelligentia obseruãdum est, quod sicut filius legitimus propriè est ille, qui oritur ex matrimonio vero, vel bono, aut probabili fide reputato vero; ita ille est illegitimus propriè, qui non oritur ex matrimonio tali, sed ex quacunque alia copula carnali illicita. Nihilominus etiam numerantur inter legitimos filios, qui licèt ex illicito coitu fuerint concepti, tamen per subsequens matrimonium legitimantur. Huiusmodi autem matrimonium est quãdo ambo parentes tempore conceptionis erant soluti, & habiles ad matrimonium; quia nullum aderat impedimentum ad contrahendum matrimonium, deinde contrahunt matrimoniũ.

Quod nam matrimoniũ subsequẽs legitimet.

Cum ergo post huiusmodi copulam carnalem illicitamve sequitur matrimonium inter huiusmodi carnaliter copulatos, hoc matrimonium purgat turpitudinem præcedentis copulæ ex quadam benignitate iuris canonici, & decernitur filios eo modo cõceptos nihilominus esse legitimos, vt habetur cap. *Tanta*, qui filij sint legitimi. Vbi sic habetur. *Tanta est vis matrimonii, vt qui antea sunt geniti post contractum matrimonium legitimi habeantur.* Requiritur autem vt dixi, quod sic carnaliter copulati non habeant aliquod impedimentum ad contrahendũ matrimonium; quia si aliquod habeãt per subsequens matrimonium, non legitimatur filius, nam in eodem capite *Tanta*, sic sequitur. *si autem vir viuente vxore sua, aliam cognouerit, & ex ea prolem susceperit, licèt post mortem vxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Hoc autem est dicendum de alijs impedimentis similibus, nimirum dirimentibus contractum, non autem de impedientibus tãtum, sed non dirimentibus, quia impedimenta non dirimentia non sunt similia dirimentibus, sed valdè inferiora. Papa autem loquitur de dirimente, ideò non licet extendere hanc pœnam.

Filius ex matrimonio putato verò est legitimus.

141 Dixi autem filium conceptum ex matrimonio putato bona fide esse verum, esse legitimum, dato casu, quod non esset verum matrimonium: quia sic apertè deciditur in cap. *ex tenore*, qui sint filij legitimi. & ibi Doctores, & intelligitur licèt bona fides sit ex parte vnius partis tantum scilicet matris, quia in casu expresso in illo cap. erat bona fides solum ex parte matris, & tamẽ Papa in fauorem prolis iudicauit filium esse legitimum.

Ex dictis ergo habemus, quod sicut illi filij dicuntur legitimi, qui ex vero, vel putato matrimonio nascuntur, vel per subsequens matrimonium legitimantur, ita omnes alij filij, qui aliter generantur, sunt illegitimi: vt supra dicebamus, & omnes isti sunt irregulares; enumerantur autem plures species illegitimorum à Doctoribus in cap. *Nisi*, de Ren. § *persona* in glosa. & Panormitano nu. 20.

Species illegitimorum filiorum.

Illegitimi naturales.

142 Alij enim dicuntur naturales, alij spurij. Illegitimi naturales dicuntur illi, qui per copulam illicitam oriuntur ex parentibus solutis, & inter quos poterat esse matrimonium; quia nullum aderat impedimentum. Et isti illegitimi solent quoque distingui in illegitimos pure naturales, & nothos. Illegitimi puri naturales sunt qui nascuntur ex soluto, & soluta, non concubina, sed extra domum viri manente. Nothi sunt illi, qui oriuntur ex soluto, & soluta, sed concubina, idest maneat in domo viri quasi vxor illius sit.

Nothi.

Spurii.

Spurij verò dicuntur omnes alij, qui non sunt illegitimi naturales, sed ex alio coitu nascuntur, qui damnabilis dicitur. & est triplex species istorum. Nam alij dicuntur filij adulterini; & isti illi sunt, qui nascuntur ex adulterio, qui possunt esse in triplici gradu. Vel enim sunt ex coniugato & soluta, vel soluto, & coniugata, vel ex coniugato, & coniugata. Secunda species est eorũ, qui dicuntur illegitimi incestuosi, & sunt illi, qui nascũtur, ab ijs qui inter se habẽt impedimentum affinitatis, vel consanguinitatis sufficiens ad dirimendum matrimonium. Tertia species est eorum, qui dicũtur, vel possunt dici sacrilegi, & sunt illi, qui nascuntur ex parentibus habentibus votum solemne castitatis, siue illud fuerit in vtroque, siue in altero tantum, siue sit votum annexum ordini sacro, vt in Presbyteris sæcularibus, seu professioni Religionis. vt in Regularibus. Spurij autem sunt deterioris conditionis, quam illegitimi naturales, & nothi: quia licèt cõcubinatus valdè detestetur ab Ecclesia, tamen circumstantiæ in spurijs sunt magis damnabiles. Vndè fornicatio, & concubinatus licèt in foro animæ sit peccatum: tamen permittitur, & non damnatur, nec punitur à iure; sed alij coitus, ex quibus spurij nascũtur puniuntur. & ideò dicuntur coitus damnati.

De genito à sacerdote ex legitimo matrimonio, an sit illegitimus.

143 Est autem dubium, an posito casu, quod vterque coniux, qui legitimè contraxerunt matrimonium emittant votum solemne validum, vel alterum illorum de licentia tamen alterius, ita quod vterque maneat priuatus iure petendi, & reddendi debitum, deindè ob incontinentiam redeant ad copulam carnalem, & procreent filium; an ille filius sit illegitimus, & spurius. In hac re, licèt sit aliqua difficultas, tamen communior opinio videtur esse, quod licèt sit legitimus naturaliter, tamen canonicè sit illegitimus. & hic casus videtur decisus in cap. *litteras*, de filijs Presbyterorum, & in Glosa eodem capite.

Omnes illegitimi sunt irregulares.

144 Ad propositum omnes filij illegitimi modo prædicto sunt irregulares. Probatur à Scoto ex cap. 1. & 2. de filijs Presbyterorum non ordinandis. Nam primo cap. habetur sic. *& filii Presbyterorum. & cæteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoueantur*, nisi fiant monachi, vel Regulares. & capite secundo amouetur ab vsu ordinis sacri quidam, qui obtinuerat dispensationem à Papa tacito, quod esset filius Presbyteri. Idem habetur ex multis alijs capitibus dist. 56. & est communis sententia Doctorum eisdem locis, & Summistarum. Ratio autem, propter quã Ecclesia ordinauit illegitimos esse irregulares ex Scoto vbi supra, est: quia illegitimi præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ; præsumuntur etiam malè morigerati: quia malè educati. Accedit quædam turpitudo, & infamia, quę consequitur eum sic genitum ex hoc illicito coitu, licèt sit sine culpa filij. Vnde rationabile fuit huiusmodi arcere à sacris ordinibus propter decentiam status clericalis. subiungit tamen Scotus, quod cum istis facilè dispensatur. & adducit factum Benedicti ij. qui cum quodam tali sine dispensatione ordinato, & in ordinibus ministrante, postea

Ratio ob quã illegitimi sũt irregulares.

facilius

facilitet dispensauit, & ipse Scotus asserit se vidisse Bullam dispensationis.

Quid dicendum quando est dubium an quis sit illegitimus.

145 Verùm est grauis difficultas, quid dicendum, quãdo non est certum, an quis sit illegitimus, sed est dubium, an sit legitimus, vel illegitimus, & adsunt aliquæ coniecturæ, quod quis sit illegitimus, vt constat de infantibus expositis. Nam etiam parentes pauperes quandoque exponunt filios suos legitimos propter paupertatem: similiter aliquãdo quis nascitur ex matre habente maritum, & communi existimatione censetur filius mariti, & tamen reuera est filius alterius, licèt hoc non constet, sed adsint solum aliquæ coniecturæ, & infamia: vel confessio matris, licèt non teneatur filius credere matri, vt aliàs diximus; similiter si quis genitus sit ex matrimonio vero in facie Ecclesiæ: tamen in foro interiori nullo, & deindè declarato nullo: & dubium est an isti contraxerint bona fide. Hos tres casus ponunt Doctores, de quibus est magna controuersia, de qua agunt Canonistæ antiqui, & recentiores.

Quid dicendum de exposito.

146 De exposito disserunt Ancharanus in cap. 1. *de infantibus expositis*, & Barbatia in caput *cum deputati*, & alij, quos Couaruuias *in Clem. si furiosus* par. 1. in principio nu. 9. & Suarez tomo de Censuris disp. 50. sect. 4. & alij citãt. Et quantum ad hoc mihi placet sententia eorum, qui asserunt consulendum esse in hoc casu, vt petat dispensationẽ: hoc enim securius est, & in rebus dubijs tutior pars est eligenda; & maximè cum sit facilè obtinere huiusmodi dispensationem: si enim facilè dispensatur in illegitimitate nota, quanto magis in dubia.

Quid de nato ex adultera.

147 Quantum ad secundum casum iam diximus supra agendo cum Scoto de restitutione disput. 50. cap. 6. ad 7. quod huiusmodi filius non tenetur credere matri nec alijs coniecturis. Et ratio est, quia licèt filius credat matrẽ suam fuisse adulteram, non ob hoc cogitur credere se esse illegitimum: quia cum simul maneat cum marito, potuit concipere ex marito æquè ac ex adultero; & ideò non est censendus irregularis. Quę est communis opinio, vt habet Nauarrus c. 27. nu. 201. qui alios citat. & Abbas in caput *per tuas* de probationibus num. 4. Couaruuias regula *peccatum* 1. par. nu. 3. & 6. & alij, quos adducit, & sequitur Suarez disp. illa 50. sect. 4. num. 5.

De filio coniugatorũ in foro exteriori tantum.

148 Ad aliud de filio cõiugatorum per matrimonium validum tantùm in foro externo. Respondeo ex cap. *prouenit*, qui filij sint legitimi, quod quotiescumque non constat de mala fide parentum credendum est filium esse legitimum, & proindè non esse irregularem hac irregularitate: si tamen constaret non fuisse verum matrimonium, esset iudicandus illegitimus iuxta dicta superius ex c. *litteras* de filijs presbyterorum. & habetur in Glosa cap. illo *prouenit*. qui filij sint legitimi.

Quis possit dispensare cũ illegitimis.

149 Tollitur autem hæc irregularitas primò per dispẽsationem Summi Pontificis. Quo ad ordines minores verò potest dispensare Episcopus ex cap *is qui* de filijs presbyterorum. Et potest etiam dispẽsare quoad beneficium simplex, siue cui non est annexa cura animarum, dummodo non sit tale beneficium, quod aliàs ei non possit conferri ab Episcopo propter alia iura impedientia; vt puta si sit beneficium paternum, vt habetur eodem capite, & in Glosa. Et videtur extendi ad alios Prælatos exemptos habentes iurisdictionem episcopalem, licèt non sint Episcopi: quia hoc pertinet ad potestatem iurisdictionis quam habent, non ordinis. Tollitur etiam per legitimationem factam à Pontifice, non per legitimationem factam a Principe sæculari. Quia, vt dictum est aliàs, Princeps sæcularis non habet potestatẽ super Canones ecclesiasticos; legitimatio autem est quædam totalis, & vniuersalis dispensatio ad omnes actus, & effectus, ad quos erat inhabilis, vt ait Panormitanus cap *per venerabilem*. qui filij sint legitimi, & extenditur quoque ad dignitatem Episcopalem secundum omnes, vt patet ex Panormit. vbi supra, & ex Syluestro verbo *illegitimus* q. 3. & in verbo *legitimus* num. 4. Suarez disp. 50. sect. 5. quamuis aliqui oppositum doceant. Tollitur etiam per ingressum Religionis cap. 1. de filijs presbyterorum.

Tollitur hęc irregularitas per legitimationem.

vbi dicitur. *Vt filii presbyterorum, & cæteri, qui ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoueantur, nisi aut monachi fiant, vel in Congregatione canonica regulariter viuentes.* Nec obstat quod Sixtus Quintus hoc decretum irritauerit, ordinando, quod illegitimi essent inhabiles ad Religionem: quia Gregorius 14. constitutionem illam Sixti Quinti reduxit ad terminos iuris. Et hæc irregularitas tollitur non in susceptione habitus, sed in emissione professionis: quia tunc verè fit monachus, & regularis. Alioquin si Nouitius posset ordinari cum possit ex religione exire, sequeretur habere ordines, & non esse monachum, quod cederet in fraudem iuris. Quæ est sententia communis Theologorum in 4. dist. 25. præsertim Richardi q. 3. & Canonistarum in prædictũ caput 1. de filijs præsbyterorum.

Obiectio ex Bulla Sixti V. tollitur.

Non extenditur ad educationem in religione.

150 Ex quo habetur, quod quantumcumque quis educetur in aliqua religione, vt regularis fiat, non tollitur hæc irregularitas: neque potest ordinari ad sacros ordines hac intentione vt fiat regularis, quia in prædicto Canone habetur, quod non possit suscipere ordines sacros nisi fiat monachus, tunc autem fit monachus cum emittit professionem.

Ingressus religionis habilitat ad ordines non ad prælaturas.

151 Ingressus etiã religionis habilitat ad ordines quidem, non tamen ad prælaturas, & dignitates, nedum in religione, sed quascumque alias: quia in prædicto cap. 1. de filijs presbyterorum sequuntur hæc verba. *prælationem vero nullatenus habeant* quæ cum sint vniuersales extenduntur ad omnes dignitates etiã extra religionem secundum omnes: & Nauarrus cap. 27. nu. 101. extendit illam etiam ad fœminas, & alijs iuribus, & auctoritatibus confirmat.

Non tollitur propter probitatem vitæ.

152 Ex eodem capite reijcitur sententia illorum, qui dicunt per morum probitatem, scientiam, & alias dotes personæ illegitimæ hanc irregularitatem tolli. Vndè hodie est indubitata, & recepta sententia huiusmodi dotes extra professionem religionis minimè tollere hanc irregularitatem: quia in capite illo excipitur solum professio religionis; ergo nulla alia exceptio adest; exceptio enim firmat regulam in contrarium.

Tertius defectus non crimen adductus a Scoto.

153 Tertius defectus non crimen adductus à Scoto est turpis, seu enormis mutilatio, vel infirmitas corporis. Hunc defectum inducere irregularitatem est certũ: multis enim iuribus est firmatum. Scotus adducit cap. *exposuisti*. extra de corpore vitiatis non ordinandis, & caput *si euangelica* dist. 55. & cap. præcedenti *præcepta canonum*, & idem habetur extra de clerico ægrotante, vel debilitato. Obseruandum est autem quod in mutilatione membri duo sunt consideranda, vt obseruat Scotus, & alij cõmuniter. Primum est causa actiua scilicet an ipse se ipsum mutilauerit. Secũdum deformitas mutilationis. Quando quis se ipsum mutilauerit voluntariè, & cum aduertentia, quæ non excusat à peccato mortali, est generalis regula, quòd siue hæc mutilatio antecedat, siue sequatur ordinationem; siue sit grauis idest alicuius membri principalis, & necessarij, vel partis eius, vel notabiliter debilitet: siue sit valdè deformis, siue non, sed sit leuis, semper inducit irregularitatẽ. Hoc apertè statuitur pluribus c. dist. 55. sed præsertim c. *qui partem*. vbi sic dicitur, *qui partem cuiuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad clerũ canones non admittunt. Cui verò casu aliquo contingit dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos canones percipiunt, & clericos fieri.* Subiungit rationem vtriusque his verbis. *in illis enim voluntas est iudicata, quæ sibi ausa fuit ferrum iniicere, in istis verò casus veniam meruit.* Quicunque ergo qui per indignationem, & iram aliquam partem sibi abscindit fit irregularis: ita quod si est laicus non potest ad ordines ascendere: & si est ordinatus ad aliquos, & non ad oẽs non potest ascẽdere ad superiores, nec in acceptis ministrare. c. *Hi qui se*. & cap. *si quis à medicis* dist. 55. & alijs c. ibidẽ pręsertim vltimo. atque idem dicendum est si se abscindat ne vitio carnali delinquat, vel aliqua alia iusta causa, vt apertè habetur cap. *Hi qui* eadem dist. 55. & dist. 33. *maritum*.

Adiungitur etiam à Doctoribus qui se indirectè, & voluntariè mutilat, cuiusmodi est ille, qui quamuis non à se, tamè ab alio sua culpa mutilatur, etiã si membrum illud sit

occul-

occultum, nec afferat deformitatem, & non sit necessarium ad exercendum ordines, dummodo sit membrum principale, vt si aliquis in pœnam delicti iussu Iudicis Eunuchus fiat, vel si inueniatur cum adultera & à marito patiatur idem per iniuriam, aut si iniustè aggrediens aliquem ab ipso mutiletur. Quæ est sententia communis, vt est videre in Nauaro cap. 27. num. 198. qui citat Hostiensem, Ioann. Andr. & alios. Et in hac irregularitate difficilè dispensatur. Vnde ait Scotus quod Nicolaus Quartus cum difficultate magna dispensauit cum quodam tali quamuis Religioso.

Qui casu mutilatur, non est irregularis.

Qui verò hanc abscisionē, vel debilitationē patitur ab alio, si non sit talis quæ pariat impedimentum ad vsum, vel magnam deformitatem, non est irregularis. Patet cap. *si quis à medicis*, vbi dicitur. *si quis à medicis propter languorem disectus est, aut à Barbaris excisus, hic in Clero permaneat.*

Deformitas nisi sit grauis in indecē te, non inducit irregularitatem.

154 Secundum quod in mutilatione considerandum venit, est deformitas. Nam si non est tanta deformitas, vt sine scandalo, & indecentia possit sacrum ministerium exercere, vel non impediat vsum ordinis, ita quod securè, & sine periculo exercere possit, secundum omnes non est irregularis, & sumitur ex prædictis capitibus, in quibus dicitur, quod si quis casu vel à Barbaris &c. sit mutilatus, possit ordines recipere, & quod in clero permaneat. Si verò sit talis deformitas, vel mutilatio, vel debilitatio, quæ impediat vsum, vel causet indecentiam, & scandalum, inducit irregularitatem. habetur expresse cap. *si euangelica*, distinct. 55. nam ibi decernitur quod ille Sacerdos, cui iniustè erutus fuit oculus à sacerdotio arceatur. & idem habetur cap. 1. & vltimo, de corpore vitiatis.

Differentia inter laicum & clericum quo ad hos defectus.

155 Est tamen obseruandum differentiam esse inter laicum, & clericum in huiusmodi defectibus contractis sine culpa. Nam si sint in laico, qui nondum sit ordinatus, non potest ordinari, & est irregularis absolutè: Si verò isti defectus superueniant ipsi ordinato, non potest ministrare in actibus illis ordinum ad quos sunt necessaria illa membra, vt si sacerdoti abscindatur manus, non potest celebrare Missam, quia manus est necessaria. Poterit tamen exercere alios actus ordinis, vt audire confessiones, & absoluere, quia manus ad illum actum non requiritur, patet cap. 2. de clerico ægrotante, & per Doctores ibidem. habet enim sic. *ipsum autem cæteris sacerdotalibus officiis fungi minimè prohibemus.* idem dicendum de similibus.

Cæcitas.

Nam cæcitas antecedens facit omninò inhabilem sacerdotem; Superueniens verò sacerdoti impedit à celebratione, non autem ab absolutione à peccatis.

Surditas.

E contrario surditas superueniens sacerdoti impedit à ministerio sacramenti Pœnitentiæ, quia non potest audire confessionem, non autem à celebratione Missæ: quia ad illum non requiritur vt audiat respondentem, sed sufficit, vt nutibus, & signis illud percipiat. quod etiam admittit Suarez disputat. 51. sectio. 3. numer. 13.

De deformitate corporis vel membri.

156 Alius defectus non crimen adductus à Scoto est deformitas corporis. Vnde sentiunt omnes, quæuis deformitas notabilis corporis, vel alicuius membri, licèt non adsit mutilatio, nec ægritudo inducit hanc irregularitatem. Et sumitur ex capite 2. de corpore vitiatis, & adminiculantur caput primum, & vltimum eodem titulo.

De monoculo.

Ex quo cōmuniter tenetur, quod qui caret virtute videndi in oculo dextro, si nec oculo caret, nec exterius apparet deformitas, non sit irregularis. si verò careat virtute videndi in oculo sinistro, fit irregularis. Nam non sine quadam deformitate videtur posse legere canonem Missæ, si oculus sinister careat virtute videndi: quia opus est nimis faciem vertere ad sinistram partem, quæ versio causat deformitatem in actu illo. Vnde oculus sinister dicitur oculus canonis stylo Romanæ Curiæ, vt habet Nauarus cap. 27. num. 199. & Suarez disp. illa 51. sect. 3 num. 15. & canone, *si euangelica*. Et alij qui asserunt cæcum tantum ex vno oculo esse irregularem, aiunt debere intelligi de eo, qui simul est cæcus, & cum cæcitate habet deformitatem. Et Nauarus addit, quod si qui caret virtute visiua in oculo canonis, tanta polleat virtute in dextro, vt possit legere canonem sine illa deformitate, non esse irregularem. Quam opinionem Suarez sustinet esse certissimam, si defectus adueniat post ordinationem, si verò antecedat ordinationem esse probabilem, sed maturo consilio egere, quod mihi quoque probatur. Hoc idem dicendum de cæteris deformitatibus corporis vel membrorum.

Ad Episcopū spectat cognoscere quādo deformitas sit notabilis et īducat irregularitatem.

157 Quando autem deformitas hæc sit notabilis, & sufficiens ad inducendum irregularitatem, pertinet ad Episcopum iudicare cum consilio peritorum. probatur ex eodem cap. 2. de corpore vitiatis in quo habetur sic. *Cum de tua electione quæstio mota fuisset.* & infra. *tibi quod in oculo maculam habeas, & filius canonici fueris est obiectum.* deinde in resolutione § vltima habetur sic. *de macula verò Archiepiscopo prædicto mandauimus, vt cum consilio suffraganeorum suorum. quod exinde sibi visum fuerit exequatur, in quo tibi ex maxima dispensatione curauimus prouidere.* & licèt in eo capite causa cognitionis illius defectus committatur Archiepiscopo cum consilio suffraganeorum, non ob hoc sequitur, quod hæc cognitio non pertineat ad Episcopum quo ad clericos: illud enim factum est: quia ibi agebatur de Episcopo. Hinc autem cum proportione benè sequitur hanc cognitionem pertinere ad Episcopum, vt deducunt Syluester verbo *corpore vitiatus*, numero 2. & Nauarus cap. illo 27. numero 200. cum Doctoribus ab eo adductis.

De infirmitate inducēte irregularitatem.

158 Ad hunc eundem defectum pertinet infirmitas, quæ inducit notabilem deformitatem in corpore, & perpetuam, seu incurabilem, vt omnes sentiunt; & desumitur ex eisdem cap. & præsertim cap. 2. 3. & 4. de clerico ægrotante, & alijs de corpore vitiatis. Requiritur autem vt hæc infirmitas sit incurabilis, & perpetua; nam quando est curabilis nullam inducit irregularitatem nisi pro tempore, quo durat; & quando antecedit ordinationem omninò illam impedit, & facit absolutè irregularem (idest impedit à susceptione licita, & ab vsu eius, non autem impedit à susceptione characteris, vt capite sequenti dicemus de puero carente vsu rationis) quādo verò subsequitur, impedit vsum, non omninò, sed quantum ad actum repugnantem morbo tali.

Infirmitates in particulari quæ inducunt irregularitatem.

159 Huiusmodi infirmitates sunt lepra, de qua cap. *tua*, de clerico ægrotante, æpilepsia, seu morbus caducus, de qua cap. *in litteris*, 7. quæstione 2. arepititus, seu energumenos, seu à dæmone oppressus: item amens de quo cap. sequenti quoque dicam. lunaticus, furiosus, de quibus Nauarus eodem cap. 27. numero 203. & Summistæ & cap. *maritum*, & cap. *communiter*, cap. *clerici*, cap. *vsque*, distinct. 33. & corpore vitiatus, donec istæ infirmitates permanent. Idem dicendum de Abstemio, seu de eo, qui non potest bibere vinum, quin euomat; quia non potest conficere sacrificium Missæ, Nauarus cap. illo 27. num. 204. hanc colligit ex Glosa in caput *ipsi Apostoli*, 2. quæst. 7. quæ reuera hoc asserit, licèt nullum textum adducat; sed hæc ratio sufficit, quia Abstemius, cum non possit sumere sanguinem, est inhabilis ad sacrificium Missæ celebrandum, in quo est de essentia communicare sub vtraque specie. Et idem erit iudicium de similibus. Quæ autem fuerint tales, quando dubium est, erit iudicandum ab Episcoporum prudenti consilio, & similiter quando cessauerit. non tamen Episcopus dispensare poterit, sed solum Papa iuxta caput secundum de corpore vitiatis, vbi Papa reputat hoc vitium corporis maximum, & solum dispensandum per Sedem Apostolicam, quod elicitur ex illis verbis. *in quo tibi ex maxima dispensatione curauimus prouidere.*

160 Hic adducuntur aliqua alia impedimenta, quæ secundum aliquos inducunt irregularitatem, vt est sexus fœmineus, ætas, idiota, iudæus, & quædam alia, sed ista potius sunt defectus, inducentes incapacitatem, quàm irregularitatem, ideò de istis agemus cum Scoto, qui de ipsis tractat distinctione 25. quæstione 2. cap. sequenti.

De defectibus quibusdam inculpabilibus personalibus tàm ex parte animæ, quàm corporis. vt sunt carentia Baptismi. sexus muliebris, ætas. ignorantia. & si quæ alia sunt. & explicabitur secunda quæstio Scoti distinctione 25.

Caput Sextum.

161 Supersunt quidem alij defectus, qui non sunt crimina, sed sunt defectus inculpabiles, & sunt defectus personales, quorum aliqui sunt ex parte animæ, aliqui ex parte corporis, & communiter dicuntur inducere irregularitatem; ab alijs verò, & præsertim à Recentioribus dicuntur inducere potius incapacitatem; sed quia aliàs istæ personæ sine istis defectibus essent habiles ad ordines suscipiendos; sunt enim homines, & capaces beatitudinis, hi defectus sunt pœnæ in illis; & cum in sacris Canonibus his defectibus imponatur hæc pœna, vt inhabiles sint ad sacros ordines, potest dici, quod inducant irregularitates, vt supra diximus in primo capite de Irregularitate. De his agit Scotus, licèt non de omnibus hac distinct. 25. quæstion. 2. vbi in particulari agit de sexu muliebri, & ætate: nos tamen ad complementum huius materiæ de reliquis, de quibus Doctores agunt, tractabimus.

De infidelitate.

162 Numeratur ergo primò hic infidelitas, seu carentia characteris Baptismatis à Nauaro cap. 27. num. 205. & quidem desumitur apertè ex cap. 1. & 3. de Presbytero non baptizato: in illis enim decernitur, quod si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur; ergo signum est quod ante Baptismum per ordinationem nihil fuit factum. Licèt ergo hæc sit incapacitas maior, quàm ea, quæ prouenit ex delictis, & alijs defectibus: Quia in his imprimitur character, non autẽ in infidelitate; tamen, quia sunt homines capaces beatitudinis, non animalia irrationalia, ideò infidelitatis defectus causat in illis hanc pœnam, vt sint inhabiles ad ordines sacros, ad quos aliàs essent habiles scilicet si non carerent Baptismo.

De Apostasia.

De Apostasia autem, & hæresi, quia sunt defectus culpabiles, & crimina, egimus supra.

De amentia

Numeratur etiam hic amentia, seu carentia vsus rationis, sed quia hæc venit sub defectu corporis, & ex infirmitate enormi, ideò de ea diximus superiori capite, quantum autem spectat ad paruulum carentem vsu rationis, nunc infra explicabo.

De non litteratis.

163 Numeratur etiam ignorantia: de hac enim habetur apertè distinct. 36. cap. *illitteratos*, vbi Gelasius Papa illos arcet ab ordinibus sacris ea ratione, quia non sunt apti ministrare diuina officia. idem habetur cap. *cum in cunctis*, de electione. dicit enim, in cunctis sacris ordinibus, & ecclesiasticis ministerijs tria esse necessaria, ætatem, maturam grauitatem, morum, & litterarum scientiam; sed fortius hæc in Episcopo requirit.

Scientia requisita ad suscipienda prima tonsurā.

Ex ictibus autem hoc habetur in Concilio Tridentino sessione 23. Nam cap. 4. requirit in ordinandis ad primam tonsuram, vt Fidei rudimenta edocti sint, & legere, & scribere sciant. In suscipientibus ordines minores, vt saltem Latinam linguam intelligant, atque sint in ea dispositione, & exercitio vt de gradu in gradum eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina maior accrescat; & hoc in cap. 11. In capite verò 13. requirit, quod ordinandi ad Subdiaconatum, & Diaconatum sint instructi in litteris, & in ijs, quæ ad ordinem exercendum pertinent. In cap. 14. requirit vt habeant tantam scientiam, vt sit idoneus ad docendum populum ea, quæ sunt necessaria omnibus ad salutem, ac ad administranda sacramenta.

De scientia necessaria ad ordines minores.

Sess. verò 7. cap. 1. de Reformatione quantum ad scientiam Episcopi renouat Constitutionem Alexandri Tertij, quæ habetur cap. *cum in cunctis*, de electione. Sessione autem 22. cap. 2. de Reformatione addit, quod huiusmodi scientia polleat, vt muneris sibi iniungendi necessitati possit satisfacere: ideòque antea in Vniuersitate Studiorum Magister, siuè Doctor, siuè Licentiatus in sacra Theologia, vel iure canonico meritò sit promotus: aut publico aliquo Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur: si verò sit Regularis, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat.

De scientia necessaria Episcopo.

164 Vbi est obseruandum, quod hic defectus non solum impedit à susceptione ordinum, sed si quis suscepit, & non habet prædictam scientiam, manet impeditus quo ad vsum quocunque modo acceperit, quia scientia requiritur propter vsum. Quod probatur argumento desumpto ex cap. vltimo, in quo Episcopatu priuatur Episcopus, quoniam nunquam grammaticam didicit, nec legit Donatum. Et cap. *cum sit ars*, de ætate, & qualitate ordinand. graues pœnæ imponuntur ordinantibus, & ordinatis, qui sint illitterati.

Quis verò dispensare possit: immò an Papa dispensare possit, est non leuis controuersia, vt est videre apud Nauarum in prælectione cap. *si quando*, de Rescriptis exceptione 13. & Felynum cap. *inquisitioni*.

Quis dispensare possit in hoc defectu.

165 Sed Respondetur certum esse non posse dispensare Episcopum circa omninò illitteratum, Quod patet ex cap. *nullus*, de tempore ordinand. in Sexto, & ex Decretis Concilij Tridentini adductis. Quantum ad Pontificem sunt qui sentiant neque ipsum posse dispensare, quia scientia de iure diuino, & ex natura rei requiritur ad exercendum ordines. Aliqui tamen ex Recentioribus distinguunt duplicem esse scientiam, quæ requiritur ad ordines sacros exercendos: Alia ex iure diuino, & alia secundum Canones.

Quo ad primam non potest dispensare. Vnde cum idiota, & penitus illitterato, qui nullo modo est aptus ad ordines sacros exercendos, Papa non potest dispensare. Verùm etsi actu quis non habeat scientiam requisitam, si tamen sit aptus ad illam habendam, poterit Papa dispensare ad suscipiendum ordinem, quia non est necesse, quod statim illum ordinem exerceat, & poterit interim discere. Vnde Nauarus cap. illo 27. numero 205. dicit quod Papa nunquam, vel raro dispensat in hoc defectu directè, sed aliquando indirectè dispensando super ætate necessaria ad discendum. Loquendo verò de scientia requisita secundum Canones, de qua ex Concilio Tridentino diximus, clarum est posse dispensare.

Suarez disp. 51. sectio. 1. num. 11.

166 Numeratur quoque inter hos defectus sexus muliebris, de quo Scotus agit in hac disputatione 25. quæstione 2. & simul agit de ætate pueruli, de qua seiunctim infra agam. Quod ergo sexus muliebris non impediat susceptionem ordinum, neque inducat irregularitatem, probat Scotus argumentis pro parte falsa. Primò sic. Ad Galatas 3. inquit Apostolus *in Christo Iesu non est seruus, neque liber, non est fæmina neque masculus*; ergo nulla est differentia inter fœminam, & masculum in lege Christi, sicut nec circa seruum, & liberum, ergo illud sacramentum potest recipere fœmina, quod potest recipere masculus: at masculus potest recipere sacramentum ordinis, ergo, & mulier.

De sexu muliebri.

Prima ratio quod sexus muliebris nō inducat irregularitatē.

Secundò distin. 32. cap. *Presbyter*, fit mentio de presbytera, & 27. quæstion. 1. cap. *Diaconissam*, ex Concilio

Secūda ratio ad idem.

cilio

cilio Chalcedonensi decernunt, Diaconissam non debere ordinari ante quadraginta annos; ergo certum est, mulierem ordinari posse ad Presbyteratum, & Diaconatum.

Opposita sententia est vera.

167 Opposita sententia est certa scilicet muliebrem sexum inducere irregularitatem seu incapacitatem ad sacros ordines, & est communis tàm Theologorum in hoc 4. distinct. 25. quàm Canonistarum, & habetur expresse cap. *sacratas Deo*, distinct. 23. quem canonem integrum adducit Scotus in primo argumento ad oppositum, & est Soteris Papæ epistola 2. ad omnes Episcopos Italiæ, in eo enim canone sic habetur. *Sacratas Deo fœminas, vel Monachas sacra vasa, vel sacratas palas penes vos contingere, & incensum circa altaria deferre perlatum est ad Apostolicam Sedem, quæ omnia reprehensione plena esse, & vituperatione nulli rectè sapientum dubium est. Quamobrem huius sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare funditus quanto citius poteritis censemus: & ne pestis hæc latius diuulgetur per omnes Prouincias abstergi citissimè mandamus.* Ex hoc canone habemus omne ministerium mulieris circa res sacras esse vituperio plenum; ergo est incapax ordinis sacri. Adducit Scotus deinde auctoritatem epistolæ primæ ad Corinth. 1. in qua dicitur *turpe esse mulierem tondi*. Ex quo deducit; ergo etiam est turpe ordinari ad clericatum: quia tonsura concomittantur ordinem, quod confirmat ex cap. *si quis*, de vita, & honestate clericorum, & dist. 23. cap. *clerici*.

Prima probatio.

Quomodo hoc declarat Scotus.

168 Respondet Scotus, ergo quod sexus muliebris est defectus adeo grauis, quod non solum impedit ne licitè possit suscipi ordo sacer, sed absolutè impedit, ita quod si de facto attentetur nihil fit. Atque hoc non est præcisè de iure ecclesiastico, sed de iure diuino, quod probat Scotus duplici ratione. Prima si de iure diuino mulier non esset incapax ordinis sacri Ecclesia non præsumpsisset totum sexum muliebrem priuare sine culpa sua actu, qui sibi licitè posset competere, & qui actus esset ordinatus ad salutem ipsius mulieris, & aliorum in Ecclesia per eam: Quia hoc videretur maximæ iniustitiæ non solum in toto sexu, sed etiam in paucis personis. At ordo ecclesiasticus si de lege diuina licitè posset mulieribus competere, clarum est quod posset esse ad salutem ipsarum mulierum, & aliorum; ergo.

Cõfirmatur dupliti ratione.

Secũda ratio

169 Secundò idem probat, quia dictum Apostoli 1. ad Thimotheum 2. *docere mulierem non permitto.* Quod intelligitur de doctrina publica in Ecclesia, non est dictum Apostoli tanquam ipsius statuentis hoc decretum, atque proinde sit de iure humano; sed est Apostoli obsequentis, & executionis mandantis præceptum Christi; dicit enim non permitto, scilicet quia nec Christus permisit. Quod probatur ex ratione, quam ibi adducit Apostolus: inquit enim *neque dominari in virum*. supple permitto, *sed esse in silentio: Adam enim primus formatus est, deinde Eua, & Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit, saluabitur autem per filios in generatione, si permanserit in fide & dilectione & in sanctificatione cum sobrietate.* Cum ergo mulier debeat esse subdita viro, & fuerit causa præuaricationis, non potest ipsa ascendere ad ordines sacros, sic enim esset superior homine, & illi dominaretur in spiritualibus, quod est contra Sacram Scripturam. Quod etiam confirmatur ex ratione naturali, quam adducit Apostolus prima ad Corinth. cap. 11. quæ est. Quod mulier naturaliter est subiecta viro, saltem post peccatum. Vnde Genesis 2. dicitur ei, *sub viri potestate eris*. & Apostolus vbi supra inquit, *omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir*. & infra adducit rationem naturalem, dicens. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro, etenim non est creatus vir propter mulierē, sed mulier propter virum.* De iure ergo naturæ & diuino mulier est incapax ordinis sacri; quia si esset capax illius, esset superior in spiritualibus, quod est contra iura prædicta, vt patet.

Prima cõfirmatio.

170 Confirmat Scotus hanc rationem ab exemplo Christi. Nam ipse Christus Dominus Matrem suam Beatam Virginem, cui nulla alia potuit, vel poterit in sanctitate æquiparari, nunquam in aliquo gradu Ecclesiæ posuit; ergo signum est euidens, quod noluit mulierem ad illum gradum euehi.

Obiectio ex Scoto.

171 Quod si quis arguat ab agente, & patiente eiusdem speciei producitur semper idem effectus; sed sic est quod agens in ordinatione sacra est Episcopus, patiens est homo; vir autem, & mulier sunt homines eiusdem speciei; anima enim hominis, & viri sunt eiusdem speciei; ergo si Episcopus eadem intentione, & eodem modo ordinet mulierem, quo ordinat virum, cum mulier sit eiusdem speciei cum viro, sequitur quod agens, & patiens in hac ordinatione sint eiusdem speciei; ergo sequitur quod idem effectus producatur, sed sic est, quod in viro imprimitur character ordinis; ergo & in muliere.

172 Respondet Scotus, quod maior est vera de agente inducente formam, & de agente naturali, non de agente operante voluntariè, & contingenter. Neque de agente faciente tantùm aliquem actum, ad quem alius inducit formam, & effectum. In proposito autem Episcopus non inducit characterem ordinis, sed solum facit actum illum ordinationis, ad quem Deus imprimit, & inducit characterem; Deus autem, qui est agens inducens illum effectum, est agens liberum, & contingens, & inducit illum effectum, quia sibi placet: inducit autem hunc effectum in virum; quia ex parte sic cum Ecclesia conuenit; non conuenit autem inducere in mulierem; ideò licèt Episcopus ordinaret mulierem, non sequeretur effectus, quod esset ordinata, & illi collata esset potestas conficiendi, & ministrandi, ac simul character ordinis.

173 Ex qua solutione Scotus deduxit hanc Maximam esse veram in sacramentis. quod Minister nullum actum necessarium facit, ad quem necessariò sequatur effectus sacramenti, sed sequitur effectus tantùm contingenter, & vt in pluribus ex pactione diuina; & sic manet probatum, quod sexus muliebris de iure diuino, & naturali inducit incapacitatem, seu irregularitatem.

De Hermophrodito.

174 Sed difficultas est de Hermophrodito, qui vtroque sexu polet, sed breuiter est respondendum, quod si vtrumque sexum æquè participet, vel magis participet de sexu fœmineo est irregularis propter rationem superius adductam, quia non sexus fœmineus, sed solum virilis est capax ordinationis: talis autem Hermophroditus non est perfectus vir, ideò hæc est communior opinio, vt est videre apud Theologos distinct. 25. Diuum Thomam, Soto quæstione 1. artic. 2. & Summistas verbo *Hermophroditus*. Nauarum cap. 27. numer. 203. & sumitur ex Glosa in caput *si testes* 4. quæstione 3. in verbo Hermophroditus, vbi Archidiaconus, & alij Doctores, & Recentiores. Si verò viget magis sexus virilis, conueniunt esse capacem ordinationis; quia iam est vir, non fœmina, & sumitur ex eadem Glosa in verbo *Hermaphroditus*, cap. *si testes*, 4. quæstione 3. sed an tunc sit irregularis, sunt contentiones. Aliqui enim dicunt esse irregularem propter corporis vitium, & monstruositatem cap. *illitteratos*. distinct. 36. & cap. vltimo distinct. 49. certum est enim quod hoc est corporis vitium: & Nauarus vbi supra cum aliquibus alijs hanc sententiam tenet, quem sequitur Suarez disputatione 51. section. 2. Alij ex aduerso negant esse irregularem, cum Borgasio de irregularitate part. 5. titul. de corpore vitiatis numer. 22. Soccin. in cap. *sententia sanguinis*. Ne clerici vouentes, & alijs. Et ratio est, quia mutilatio, seu monstruositas sine culpa, quæ non impedit munus altaris, nec affert scandalū nō inducit

ducit irregularitatem. Defectus autem hic Hermophroditi, licet sit vitium corporis, tamen cum sit occultum, nec impediat aliatis ministerium, nec afferat scandalum, cum sit secretum, non videtur inducere irregularitatem. Et hęc mihi videtur sententia vera, iuxta dicta prędicti capitis de mutilatione inculpabili. Et hoc idem dicendum si contingat fœminam erumpente natura in virum mutari totaliter, vel ita quod prævaleat sexus masculinus, quod aliqui ex Plinio lib.7. cap.4. aliquando contingere posse asserũt. Nam tunc non est amplius fœmina, sed vir; & ideò cessat incapacitas, & irregularitas prædicta.

Ad primam in oppositum

175 Ad argumentum superius adductum in oppositũ Respondet ipse Scotus, distinguendo, quod inter fœminam, & masculum non est differentia quantum ad habendum gratiam, & gloriam: quia fœmina potest habere tantam gratiam, & gloriam, quantam vir: sed quantum ad gradus Ecclesiæ est differentia propter decentiam, vt ipse Apostolus docet.

Ad secundã

Ad secundum Respondet Scotus, quod fortè in Græcia vbi licet Sacerdotibus vti matrimonio prius contracto, vxor Presbyteri potest dici presbytera, sed in Ecclesia Latina, vbi hoc non licet, presbytera potest dici illa, quæ præest Collegio, vt Abbatissa. Et quo ordinatur ad legendum Homeliam potest dici Diaconissa, sed impropriè, & per quandam similitudinem, non verè: quia nullum ordinem suscipiunt. Sed vt alibi dixi, & infra dicam contra hæreticos, olim presbytera dicebatur vxor illius qui cum prius esset vxoratus ascendebat ad sacerdotium de consensu illius, & illa emittebat votum castitatis. Vnde quia fuerat vxor viri, qui deinde factus erat presbyter, dicebatur presbytera. Sic de Diaconissa, Episcopa, & alijs ministris illarum mulierum antiquarum.

Quæ dicatur presbytera, episcopa, diaconissa.

De defectu ætatis.

176 Numeratur denique inter hos defectus inculpabiles defectus ætatis, de quo tamen est difficultas. Et quidem quod paruulus in ætate puerili sit capax, & licitè possit ordinari, probat Scotus in argumentis pro parte falsa sic. Paruulus in ętate puerili est capax aliorum sacramentorum, vt Baptismi, & Confirmationis; ergo videtur, quod sit etiam capax, & licitè sacramenti ordinis. Et confirmatur maximè ex sacramento Confirmationis: quia videtur esse minus aptus ad suscipiendum illud; quia sacramentum Confirmationis datur ad dignè confitendum fidem Christi; iste autem actus non potest competere, nisi adulto; ergo licèt actus sacramenti ordinis possit competere solum adulto, hoc non videtur impedire, quin paruulus licitè possit suscipere sacramentum ordinis.

Resolutio Scoti.

177 Respondet Scotus per distinctionem pulchram. Non posse suscipere ordines tripliciter intelligi potest. Vno modo non posse suscipere debitè, & honestè. Secundo modo non posse licitè. Tertiò modo nullo modo suscipere, ita quod si de facto attenteter nihil fiat. Ad propositum loquẽdo de tertio modo asserit Scotus, paruulum posse suscipere ordines sacros, idest, si quis Episcopus ordinet paruulum de facto suscipit characterem, & ordinem sacrum: & hoc idem videtur asserere de amente, & non habente vsum rationis. Eandem sententiam tenet D. Thomas in 4. distinct. 25. quæst. 2. artic. 1. quæst. 2. Soto dist. 25. quæst. 1. artic. 2. & est communior, licèt aliqui Diuum Thomam citent in oppositum sed falsò.

Opinio Durandi in oppositum

178 Est tamen difficultas ex Durando, qui distinct. 25. quæst. 2. tenet, quod paruulus ante vsum rationis sit omninò incapax ordinis, ita quod si attentetur nihil fiat. Prima eius ratio est, quia est absurdum quod infans, & ante vsum rationis fiat Episcopus, & Sacerdos; ergo est incapax ordinis.

Prima ratio

Secũda ratio

179 Secundò. Quia ad susceptionem cuiuscumque sacramenti requiritur intentio suscipientis, vel propria, vel interpretatiua ex consensu parentum: infans verò propriã habere non potest, vt patet, interpretatiuam verò ex consensu parentum non potest, nisi in ijs, quæ sunt de necessitate salutis, At sacramentum ordinis non est de necessitate salutis, sicut est Baptismus; ergo.

Tertia ratio

180 Tertiò ideò paruulus ex voluntate interpretatiua parentum potest suscipere, & consentire in Baptismum: Quia illud sacramentũ est institutũ contra peccatũ originale, quod non propria voluntate, sed peccato primorum parentũ contrahimus. At hæc ratio non militat in sacramento ordinis, vt patet; ergo. Idem habet dicere Durandus de amente, & maximè perpetuo: Quia hic nec potest consentire in susceptionem ordinis, nec illo vti.

Opinio Durãdi reijcitur.

181 Nec opinio Durandi ab omnibus reijcitur vt falsa, & rationabiliter. Scotus autem eam reijcit, suam probando, nimirum quod paruulus sit capax etiam ordinis sacri, vt Presbyteratus, & Episcopatus sic. Ordo qui recipitur per ordinationem sacram, quæ est sacramentum, vt superiori distinctione diximus cum Scoto, nihil aliud est, nisi gradus quidam disponens ad ministrandum in determinato gradu ecclesiastico, siuè nihil aliud est nisi potestas ministrandi in tali gradu ecclesiastico. At talis gradus, & potestas potest conferri alicui ante executionem talis ministerij, & gradus, & ante potestatem propinquam exercendi talem potestatem, & gradum; ergo talis ordo potest conferri homini antequam solutis impedimentis sit in potentia propinqua ad exercendam illam potestatem, & actum illius gradus. Maior est probata loco supracitato. Minor verò patet: quia potestas, seu actus primus potest duratione pręcedere operationem ipsam, seu actum secundum; in proposito autem, ordo, seu gradus, & potestas illa exercendi actum ordinis sacri est veluti actus primus; ipsa executio est actus secundus; ergo licèt paruulus, & carens vsu rationis non possit actu exire in actum secundum, neque habeat potentiam propinquam; tamen habet potentiam remotam, & potest fieri in potentia proxima, & in actu secundo crescendo in ætate, & perueniendo ad vsum rationis.

Prima ratio

Secũda ratio

182 Secundò. Fundamentum Aduersarij quod ad suscipiendum ordinem, & sacramentum requiritur consensus in suscipiente, qui non potest esse in carente vsu rationis, est fundamentum falsum. Quoniam vt inquiunt Scotus hac eadem quæstione secunda, & Diuus Bonauentura in hoc 4. distinct. 25. artic. 2. quæstio. 1. & Richardus eadem distinct. artic. 4. quęst. 2. Soto eadem distinct. quæstion. 1. artic. 2. & tribuitur quoque Diuo Thomæ ad impressionem characteris, qui per sacramentum ordinis confertur, non requiritur consensus suscipientis: quod declarant Richardus, & alij: quia ad sacramentum Pœnitentiæ, quod non imprimit characterem requiritur contritio, & peccatorum accusatio; & matrimonia requirunt consensum; at sacramenta imprimentia characterem, se habent veluti virtutes infusæ, quæ præcedunt actus, cum illos gignant, non autem ex illis fiunt ad differentiam virtutum acquisitarum, quæ per actus gignuntur. Nam character est forma supernaturalis; ideò ad eius impressionẽ non requiritur actus suscipientis, sed solum capacitas; ergo ex necessitate sacramenti non requiritur consensus, sicut in Pęnitentia, & Matrimonio, sed solum ex necessitate pręcepti requiritur ad ordines minores, quia habent annexum votum continentiæ, quod requirit vsum rationis, & consensum: Ad minores autem ad decentiam solum requiritur. Vnde Diuus Bonauentura, vbi supra, inquit, quod quando aliquis citra necessitatem, sed solum ad illum ditandum ad hos ordines promouet ante vsum rationis, vix potest esse sine contemptu canonum, & periculo animarum.

Obiectio.

183 Sed contra hoc est, quia in Baptismo imprimitur character, & tamen in adulto requiritur consensus in actu Baptismi, vt habet Scotus in hoc 4. dist. 4. quæst. 4. in fine, vbi ait, quod si quis adultus esset, qui nec omninò esset cõsentiens, nec dissentiens, tàm actualiter, quã habitualiter, hic non esset capax sacramenti, quia ex quo habet vsum rationis oportet, quod habeat aliquam deuotionem ad sacramẽtũ, aliter videretur contemnere. Resp. vt diximus ead. dist.

Solutio.

dist. & quæst. disputat. ij. contra Caietanum, quod aliud est loqui de adulto, & aliud loqui de paruulo, & carente vsu rationis. In primo requiritur consensus, in secundo nequaquam: & hoc ex dispositione diuina, quæ propter decentem rationem de subiectis diuerso modo dispositis aliter ordinauit. Vndè eodem modo iudicandum est de Baptismo, Confirmatione, & Sacramento ordinis quo ad suscipientis, & volentis consensum, & quæ ibi diximus de Baptismo valent de his alijs duobus sacramentis. Et hæc intelliguntur de ordinibus etiam Episcopatus, & Presbyteratus inquantum ordines sunt, non inquantum habent annexam potestatem iurisdictionis, & curam animarum; quia quantum ad hanc partem requiritur consensus: Neque enim fieri potest sponsus Ecclesiæ nisi consentiat.

De perpetuo amentibus.

184 Hoc idem dicendum est de amentibus perpetuò, quod dictum est de paruulo, licèt sit aliquod discrimen; quia paruulus poterit venire ad vsum rationis, omnes nequaquam vt supponimus. Ideò dicendum, quod quantum ad susceptionem ordinis est capax quantum est ea necessitate sacramenti, licèt quantum ad vsum & necessitatem præcepti, & ius diuinum, quod requirit vsum rationis in actuali ministratione, vt etiam dicit Soto in hoc 4. dist. 25. quæst. 1. ar. 2. ad secundum Durandi, sit incapax. Vndè esset peccatum mortale, & sacrilegium ordinare huiusmodi perpetuò amentem.

Aetas secundum canones legitima.

185 Hæc dicta sunt de ætate hominis quantum ad necessitatem sacramenti, & de iure diuino. Loquendo verò de iure canonico paruulus ante vsum rationis est irregularis, & sic perpetuò amens. Paruuli autem sunt irregulares vsque ad septimum annum quo ad primam tonsuram (nisi vellent ingredi religionem) vt habetur ex Glosa in caput *nullus*, de tempore ordinand. in 6. & ex iuribus ab ea citatis, & Episcopus, qui ante hanc ætatem ordinaret, esset suspensus per annum à collatione primæ tonsuræ, vt eodem capite *nullus* dicitur. Aetas ad suscipiendum ordines minores est à septenio vsque ad duodecimum. Aetas ad suscipiendum ordines maiores, antiquitus erat varijs decretis constituta. In Clementina de ætate, & qualitate cap. 3. statuitur, quod ætas legitima subdiaconatus sit decimus, & octauus annus: Diaconatus 20. Presbyteratus 25. Ex Concilio Tridentino sess. 23. cap. 12. de reformatione statuitur, vt nemo ad subdiaconatum promoueatur nisi 22. annum ætatis suæ attigerit. Ad Diaconatum nisi 23. Ad Presbyteratum nisi 25. Ad Episcopatum nihil est innouatum, sed seruatur cap. *cum in cunctis*. de electione, in quo statuitur, quod ętas legitima suscipiendi ordinem episcopatus sit annus 30. cōpletus, ideò omnes carentes hac ætate ad quemlibet ordinem requisita est irregularis, & inhabilis ad illum suscipiendum.

Aetas legitima ad episcopatum.

An ordinatus ante legitimā ætatē & celebrans nouā incurrat irregularitatem.

186 Est modò dubium an qui suscipit ordinem ante ætatem requisitam propter quam est irregularis, & in illis ministrat ante legitimam ætatem, & absque dispensatione incurrat nouam irregularitatem. Ratio dubitationis est. Quia sic ordinatus in irregularitate videtur esse ipso facto suspensus. At suspensio est censura; dictum est autem supra, quod celebrans ligatus censura, incurrit irregularitatem; ergo qui ordinatur ante legitimam ætatem est ipso facto suspensus, & celebrans absque dispensatione incurrit nouam irregularitatem, scilicet: quia celebrat in censura, quæ est irregularitas alterius rationis ab irregularitate, quę est ex defectu ætatis. Vnde sicut qui esset illegitimus, & excommunicatus suscipiens ordines incurreret duas irregularitates diuersæ rationis: sic qui ante ætatem ordinatur, & deindè celebrat, manet in duabus irregularitatibus, in priori, quam incurrit propter carentiam ætatis, & in secunda, quia in censura suspensionis celebrat.

Solutio.

187 Respondetur. quæstionem hanc esse difficilem, quam latè tractat Couaruuias in Clement. parte prima §. 5. num. 4. & citat Auctores multos pro vtraque parte. Tamen dicendum est. Primò illud esse certum, quod qui suscipit ordines ante legitimam ætatem, per quam est irregularis, & celebrat, manet in eadem irregularitate. Neque enim per iniquam susceptionem ordinum illa irregularitas est ablata. Alioquin ex sua iniquitate, & peccato reportaret commodum. Quotiescunque ergo celebrat peccat semper mortaliter contra præceptum Ecclesię, quæ facit illum irregularem, & inhabilem, ad huiusmodi vsum.

188 Certùm etiam videtur esse neminem fieri irregularem noua irregularitate per celebrationem in irregularitate simplici priori. Vt exempli gratia. Si quis ante legitimam ætatem ordinatus non sit suspensus, nec excommunicatus, vel interdictus, sed solum maneat in priori irregularitate propter defectum ætatis, & celebret, non videtur incurrere nouam irregularitatem. Ratio est, quia in iure habetur solum celebrantem in censura aliqua fieri irregularem, vt supra diximus capite tertio huius disputationis, agendo de irregularitate contracta ex contumacia in censuris, seu ex non seruando censuras Ecclesiæ. At irregularitas non est censura, vt supra diximus. Ergo non incurrit nouam irregularitatem.

An imposita sit cēsura celebrāti ante debitam ætatem.

189 Dubium est autem an imposita sit aliqua censura sic celebranti ante legitimam ætatem. Et quidem de iure antiquo nulla censura sic celebranti est imposita, vt tradit, & probat Couaruuias citato loco. At iure nouo scilicèt ex Bulla Pij II. quæ non est impressa, sed à multis Doctoribus allegata, quos refert idem Couaruuias, & tenent Recentiores multi est imposita censura suspensionis ipso facto incurrenda sic ordinato. Adeò quod ordinatus ante legitimam ætatem non solum manet in priori irregularitate, sed est etiam ex Pio II. ipso facto suspensus; Suspensio autem est censura, ergo qui sic ordinatus celebrat, violat censuram suspensionis, & consequenter incurrit nouam irregularitatem propter violationem censuræ suspensionis, vt ibi diximus. Vndè communiter tenetur nunc sic celebrantem incurrere nouam irregularitatem, vt insinuat ipse Couaruuias citato loco in fine. Vbi tamen inquit, quod qui bona fide celebraret, putans sibi id licere fortassis non foret censendus irregularis, quod comprobat auctoritate Nauari in Repet. cap. *Accepta* de restitutione spoliat. opposit. 8. nume. 34. Neque Suarez dispu. 31. sect. 1. numero 22. tandem discrepat; quia ignorantia inuincibilis excusat.

Ad primā rationē Durandi.

190 Ex dictis patet solutio ad rationes pro Durando: Ad primam enim respondetur, quod si Paruulus ordinaretur Episcopus, ordo teneret, & character imprimeretur, sed non honestè, nec debitè, nec licitè fieret: ideò qui sic ordinaret grauiter peccaret. Idem dicendum de susceptione ordinum sacrorum. Hoc enim non licet, cum sit prohibitum per sacros canones ante debitam ætatem aliquem ordinari. Sed quantum ad ordines minores nulla est prohibitio, sed solum adest indecentia, & inhonestas quædam: quia huiusmodi paruulus, & amens non potest cum debita reuerentia recipere talem gradum, qui confertur in ordine.

Ordinatus ad minores ante legitima ætatē an incurrat censuram.

Ad 2. & 3.

191 Ad secundam, & tertiam patet fundamentum illud esse falsum, quod requiratur consensus in suscipiente huiusmodi sacramentum in paruulo, & in amente. Neque discrimen Durandi assignatum in tertio argumento quidquam valet: quia illa non est ratio propter quam valeat sed ea, quam diximus. Quia scilicèt in susceptione characteris non requiritur consensus, sicut nec in receptione formarum supernaturaliter infusarum, quia illæ præcedunt actus, non ex actibus gignuntur.

Ad argumētum Scoti cōtra seipsum.

192 Ad argumentum, quod facit Scotus, ipsemet respondet, quod concludit de facto suscipere sacramentum; sed tamen non habet ex hoc, quod debitè: & honestè & licitè possit recipi à puero eo modo, quo declaratum est.

De ætate decrepita.

193 Difficultas verò esse potest, an hæc irregularitas extendi possit ad ętatem decrepitam. Ad quod breuiter dicis, quod ratione ætatis præcisè nulla est restrictio: quia in canonibus nullus terminus circa hāc ætatem pręscribitur.

tur. Et meritò, quia senilis ætas aptior est per se ad sacros ordines; sed si tanta sit senectus, vt habeat annexum morbum, seu æquiualeat morbo inducenti impedimentum, circa organa, & vires necessarias ad vsum sacramentorum est dicendum hac ratione esse irregularem, sicut dictum est de morbo enormi. Et hoc modo videtur intelligere Glosa 2. in cap. 1. §. 1. dum asserit senectutem impedire promouendum, non tamen deijcere promotum, qui autem promotus est si per se non possit, & cū adiutorio possit, permittitur ministrare argumento cap. *illud*, & cap. *petiisti*, cum alijs 7. quæst. 1. & caput *litterarum*, de renuntiatione. & quæ dicta sunt supra, hic proportionaliter sunt applicanda, atque hæc de speciebus irregularitatis.

De ablatione irregularitatis, ad quem pertineat, dictū est in qualibet specie. tamen in genere dicemus infra, postquam egerimus de excommunicatione: eodem enim modo dicendum est de ablatione irregularitatis, & excommunicationis, ac aliarum censurarum, licèt aliqui discrepent, vt suo loco infra videbimus.

Dicendum etiam esset, qualiter irregularitas se habeat ad alias pœnas superius adductas, & ad excommunicationem, & alias cēsuras in grauitate. Sed quia Scotus hoc facit explicata censura excommunicationis, neque enim hoc potest cognosci nisi habita cognitione vtriusque pęnę, Ideo hæc duo capita explicabimus infra absoluta disputatione de excommunicatione, vbi agemus de modo auferendi vnamquamque pęnam, & de earum grauitate ad inuicem.

De Irregularitate quæ contrahitur ex defectibus, qui possunt esse crimina, & non crimina. Et primò de homicidio. Caput Septimum.

194 TErtium caput Irregularitatis secundum Scotum prouenit ex quibusdam defectibus, qui possunt esse crimina, & non crimina, idest possunt esse perpetrata cum culpa, & sine culpa. Quorum primum est homicidium. Secundum est bigamia. Agemus prius de homicidio, deinde de bigamia. Distinguēdum est autem in primis de homicidio, Duplex enim est homicidium, scilicet voluntarium, & casuale. Voluntarium est illud quod directè & per se primò intenditur ab occidente, vt elicitur ex Scoto in hac quæst. 2. versiculo *sequuntur etiam duo*.

Primū notabile.

Circa quod licèt sit aliqua controuersia, tamen hæc assertio est vera, vt ostendimus supra in materia de restitutione agendo de restitutione bonorum corporis ablatorū nimirum disput. 51. cap. 1. contra Couaruuiam, Mollinā, & alios, oppositum sentientes, quæ non oportet hic repetere, Supposito ergo quod homicidium voluntarium sit illud, quod voluntate directa, & per se est intētum ab occidente, Adhuc est distinguendum, quod homicidium voluntarium est duplex. Aliud est simpliciter, & omninò voluntarium. Aliud verò est voluntarium simpliciter, sed inuoluntarium secundum quid, seu mixtum cum inuoluntario, Et è conuerso, homicidium inuoluntarium est quoque duplex scilicet inuoluntarium simpliciter, & omninò, & inuoluntarium secundum quid. Cum ergo quis intendit occidere aliquē immediatè, quia aliter non potuit euadere mortem, vt cum occidit inuasorem hoc homicidium est voluntarium simpliciter, sed inuoluntarium secundum quid. Est voluntarium simpliciter; Quia directè, & immediatè intendit occidere hominem, Est verò inuoluntarium secundum quid: Quia est mixtum inuoluntario, quia si aliter posset euadere mortem non occideret.

Homicidiū voluntariū, & inuolūtariū quid. & quotuplex.

195 Ex hoc patent alia duo mēbra; cum enim quis occidit aliquem, non tamen quia aliàs non posset euadere mortem, vel aliquod aliud incommodum graue non pati, neque habet admixtum aliquid de inuoluntario, dicitur homicidium simpliciter, & omninò voluntarium. Cum verò nullo modo intendit occidere, nec directè, nec indirectè, sed omninò homicidium sequitur præter intentionem occidentis, est inuoluntarium simpliciter, vt si quis irruat in gladium alterius ex se ipso nullam præbente occasionem illo cuius est gladius dicitur homicidium omninò & simpliciter inuoluntarium. Quæ omnia certa sunt in foro conscientiæ, secus in foro exteriori; in quo ex coniecturis proceditur, & in dubijs semper præsumitur contra occidentem, de qua re latè Antonius Gomez tomo 3. Variarum cap. 13.

196 Homicidium casuale est quod non directa voluntate nec immediatè intenditur ab occidente, sed per accidens euenit, vt si quis ludens cum aliquo proijciat eum in aliquem gladium, quem non aduerterat & interficiatur. Obseruandum tamen est hoc homicidium casuale aliquādo dici voluntarium, non quia reuera sit voluntarium, vt dictum est, sed quia imputatur occidenti tanquam voluntarium, & hoc in duobus casibus vt ibi diximus, & hic docet Scotus scilicet quando occidens dat operam rei illicitę, vt si percutiat aliquem fuste non intendens occidere, sed fustigare, & sequatur homicidium, imputatur, ac si esset voluntarium: Quia dabat operam rei illicitę, à qua abstinere debebat. E conuerso si medicus vulnerans aliquem, vt ipsum curet ab aliquo morbo sequatur homicidium, nō imputatur illi tanquam voluntarium, quia dabat operam rei licitæ.

Homicidiū casuale quid. & quomodo voluntarium dici possit.

197 Secundus casus est quando non adhibet diligentiam debitam, vt si quis proijciat lapides in viam, nō monendo, vel non apponendo aliquod signum, quo transeūtes moneantur sibi debere cauere, imputatur tanquam voluntarium, si verò adhibeat debitam diligentiam, nequaquam reputatur voluntarium.

198 Obseruandum est secundò, quod eadem est ratio de mutilatione membri, ac homicidio quo ad præsentem irregularitatem. Quia iura subijciunt huic pęnæ nedum homicidium, sed etiam mutilationē, vt videbimus. Quid verò per mutilationem membri intelligatur, est cōtrouersia inter Doctores. Certum est autem per mutilationem intelligi abscisionem alicuius membri, non autem sanguinis effusionem solam, quia quamuis sit abscisio, vel potius dimissio carnis, ob quam effunditur sanguis, tamen non est abscisio membri, quoniam est corpus homogeneū, at corpus homogeneum vt sanguis caro, cutis, & similia non dicuntur membra corporis propriè loquendo, quia licèt, vt dixi, sit contentio inter Doctores quid intelligatur per mēbrum & iurisperiti teneat membrum in corpore humano appellari partem illam, quæ est quasi integrum instrumētum proximum alicuius actionis, vt manus, pes, oculus, non verò partes aliquas talium membrorum, vt videre est in Nauaro in Manuali cap. 27. num. 206. & Summistis, Syluestro verbo homicidium num. 6. Angelo verbo homicidium num. 6. & apud Auctores, ab illis citatos, & aliqui alij Theologi per membrum intelligant non solum partē illam principalem, sed etiam eam quę est pars partis principalis, ita quod e. g. nedum manus dicatur membrum corporis humani, sed etiam digitus, vnde abscindens duos digitos principales manus, quamuis non abscindat totam manum dicitur irregularis, & mutilasse, vt volunt Recentiores cum Caietano 2. 2. q. 5. art. 1. Soto lib. 5. de Iust. & Iure, quæst. 2. ar. 1. & Recentioribus, quos sequitur Suarez disputa. 44. sect. 2. num. 8. Quæ opinio mihi quoque videtur verior; tamē omnes videntur velle quod membrum sit aliqua pars corporis organica, siuè instrumentaria seu principalis, seu minus principalis, quæ esse non potest nisi sit eterogenea, & ex partibus dissimilaribus composita, cuiusmodi non est caro, nec sanguis, nec cutis & similia. Vnde breuiter est dicendum per mutilationem hic intelligi abscisionem integram alicuius membri principalis, vt manus, pedis, & similium. Vel grauis diminutio alicuius talis membri. Vnde Scotus dixit sub hac irregularitate contineri mutilationem actiuam enormem, quæ potest esse abscisso nedum integri membri præcipui, sed alicuius partis illius, vt diximus aliquorum digitorum in manu, & similium.

Secundum notabile eadē est ratio ḡ homicidio ac de mutilatione quo ad hanc irregularitatem.

Quid p mutilationē intelligatur.

Quid intelligatur p mēbrum.

199 Quæ autem dicēda sit enormis mutilatio non potest

Qua sit dicē da enormis mutilatio.

test certa regula dari, sed videtur pendere ex iudicio communi, quod erit desumendum ex impedimento actionis, illius membri, & ea deformitate eiusdem, ad eum modū quo præcedenti cap. circa finem diximus de defectibus in corporibus vitiatis.

An sub mutilatione cō prehēdatur deformatio.

200 An verò sub mutilatione intelligitur etiam debilitatio, quę reddat membrum inutile, vel requiratur simpliciter abscisio totalis, est dubium. Aliqui tenent requiri abscisionem, nec sufficere debilitationem, quia iura non nominant debilitationem, sed mutilationem, mutilatio autē est abscisio totalis membri, & pœnæ non sunt ampliandæ sed restringendæ. Et hanc sequitur Nauarus num. 206. 219. & 223. qui alios citat in hanc opinionem, & Recentiores eam amplectuntur. Alij dicunt sufficere debilitationem, vt Syluester, & Angelus vbi supra sequuti Panormitanum in cap. *cum illorum*, de sent. excommunicaoonis num. 8.

Res hæc est difficilis, nihilominus non recedo à prima opinione propter illam regulam quod pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ, hęc autem esset ampliatio magna. Quia reuera mutilatio est truncatio, & abscisio totalis membri, non debilitatio. Et in iuribus fit solum mentio de homicidio, & mutilatione, & obtruncatione, vt videbimus. Posset tamen accidere quod deformatio esset talis quæ faceret membrum penitus inutile, & aridum seu mortuum, & in hoc casu putarem secundam sententiam habere locum, quia talis deformatio est idem quod abscisio totalis, seu obtruncatio. Cum enim sit inutile, licèt sit tunctum corpori, videtur obtruncatum, & pendulum tātum manere. Atque hoc modo has duas opiniones conciliat Suarez quoque disp. 48. sect. 2. num. 11.

An fiat irregularis q mutilat seipsum.

201 An verò qui mutilat seipsum fiat irregularis nulla est dubitatio. Omnes conueniunt incurrere duplicem irregularitatem. Primò, quia actiuè se mutilat, quicunque autem sic se mutilat est irregularis. Sub præcepto enim nō occidendi connectur nedum non occidere alium, sed etiā non seipsum; vt diximus disp. illa 52. cap. 1. Quod autem dicitur de occisione, dicitur quoque de mutilatione, vt dictum est, ideò mutilatio est connexa sub hac specie irregularitatis. Secundò est irregularis ob mutilationem passiuam, hęc autem pertinet ad defectus corporis, de quibus diximus cap. præcedenti. Hic verò obseruanda sunt quæ diximus cap. præcedenti de mutilāte, quia mutilatio sui ipsius culpabilis est maior excessus in ordine ad irregularitatem, quàm mutilatio alterius; vnde mutilatio facta in seipso, poterit quandoque inducere irregularitatem, quæ facta in alio non induceret irregularitatem, vt mutilatio digiti à seipso inducit irregularitatē, vt diximus cap. præcedenti ex cap. qui partem d. 55. quæ facta in alio non inducit irregula. tatem, vt vidimus. Mutilatio actiua, etiam in seipso, difficilius dispensatur quàm mutilatio in alio, vt diximus vbi supra cum Scoto.

An necessariū sit ad incurrendū irregularitatē quod abscisio sequatur.

202 Est autem dubium an necessarium sit ad hanc irregularitatem incurrendam, quod occisio, & mutilatio actu sequatur, vel actio interna, & attentata, sed non sequuta, sufficiat. Aliqui dixerunt solam intentionem cum attentatione proxima sufficere, ex verbis D. Augustini adductis cap. *si tus*, de pœnitentia dist. 1. quæ sunt *qui tentauit facere adulterium non minus esse reum, quàm si in ipso facto deprehenderetur, vt si quis vulneret aliquem intentione occidēdi, non occidat autem neque mutilet.* Quod confirmant; quia in criminibus atrocioribus affectus punitur pro effectu, lege *Diuus.* ff. *de* sicarijs. Sed opposita sententia est vera, & communis. Nauarus num. 223. & Summistæ verbo homicidium, & Suarez disp. 48. sect. 2. qui Doctores veteres, & alios citant. Quia pęna ipso iure imposita non incurritur nisi delicto consumato, ex regulis iuris in 6. regula *in pœnis.* Et quia pœnæ non sunt extendendæ, sed limitandæ ad verba legis, auctoritas autem illa D. Augustini intelligitur quo ad peccatum; Vult enim dicere quod voluntas peccandi est peccatum, licèt actu exterioti non sit perfectum, vt diximus agendo de pœnitentia, supra in disput. An actus exterior addat grauitatem actui interiori.

Sententia vera.

203 Aliud dubium est. An qui membrum aridum ab scindit fit irregularis. Hic distinguitur à recentioribus, quod membrum vel est omninò aridum, seu mortuum, vel est viuum membrum, sed solum debilitatum, ac inutile. Si primo modo, mutilans nō est irregularis; quia non est vera mutilatio membri humani, cum sit membrum mortuū, sicut nec cadauer est corpus humanū, nec mutilatio ipsius inducit irregularitatem, vt tenet Nauarus cap. 27. nu. 219. Aliquando membrum est viuum licèt sit debile, & inutile, tamen est membrum humanum, ideò qui illud abscindit est irregularis, quia reuera illa est abscisio seu mutilatio. Denique regula generalis de hac irregularitate est, quod solum incurritur per homicidium, & mutilationem enormem, quia iura hæc duo explicant; Pęnæ autem non sunt ampliandæ sed restringendæ, ideò non est extendenda ista pęna ad deformationem alicuius partis, si fit sine mutilatione, & abscisione. Vt verbigratia. Si quis per vulnus in facie deturpetur, quia iura faciunt mentionem de mutilatione, non de deturpatione, & deformitate quantum ad hanc irregularitatem, quæ incurritur per homicidium, & mutilationem factam in alio.

An qui abscindit mem brum aridū vel impeditū incurrat hanc irregularitatem.

Per deformationē an incurritur hac irregularitas.

204 Atque ex hoc fundamēto sequitur veram esse opinionem asserentium procurantes abortum, etiam si effectus sequatur, dummodo maleficium totum fiat ante animationem fœtus, non inducere irregularitatem. Quia non est homicidium. Quæ sententia est communis, & habetur expressè cap. *sicut.* 2. de homicidio voluntario, & probatur à Glosa in cap. *si aliquis*, eodem titulo, in quo cap. decernitur quod *qui homini, vel mulieri aliquid fecerit, vel dederit, vt non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, vt homicida teneatur*, Glosa autem exponit quod ille verè non est homicida, qui facit abortum fœtus nō animati, sed solum illius qui est animatus. Et probat ex eo cap. *sicut.* 2. eodem & ex cap. *Quod verò*, 3. quæst. 2. & alijs iuribus. Vnde licèt Sixtus V. extenderit hanc irregularitatem, ad procurantes abortum ante animationem, vel sterilitatem; tamen, nunc non incurritur, quia Gregorius XIIII. reduxit Bullam Sixti V. ad terminos iuris antiqui, quod vt vidimus, hoc intelligit solum de fœtu animato.

Per abortū procuratum ante animationē non incurritur irregularitas.

205 Tertiò, obseruandum est homicidium, & mutilationem voluntariam esse duplicis generis, scilicet iniustam seu priuatam idest factam auctoritate priuata. & iustam, seu publicam, idest factam auctoritate publica, vt est homicidium, seu mutilatio facta ex sententia Iudicis. Quod homicidium dicitur prouenire ex defectu perfectæ lenitatis. De omni homicidio voluntario, & mutilatione volūtaria est sermo in præsenti, quia per quodcumque homicidium, & mutilationem voluntariam seu iustam, seu iniustam incurritur hæc irregularitas, vt nunc dicemus, licèt sit aliqua diuersitas quantum ad personas committentes ista homicidia, vt patebit ex dicendis.

Tertiū notabile. De homicidio iniusto, & iusto.

206 Quartò, obseruandum est non solum decisorem, seu illum, qui immediatè occidit, vel mutilat incurrere hanc irregularitatem, sed etiam omnes concurrentes voluntariè ad homicidium, vel mutilationem. Illi autē sunt omnes illi, qui continentur in illis duobus versibus, quos adduximus supra, agendo de Restitutione disp. 52. cap. 2. qui sunt,

Qua personæ cōcurrentes ad homicidiū incurrant irregularitatem.

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestās.

Hæc est enim communis sententia. Et fundatur super caput *Notum sit.* 2. q. 1. vt ibi probauimus ex Scoto. In eo enim cap. habetur illa Maxima. *Facientem. & consentientem, par pęna constringit.* Et fundatur in dicto Pauli ad Romanos 1. in fine. *Qui talia agunt digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Qui autem consentiunt sunt omnes, qui clauduntur in prędictis versibus. Sunt autem intelligendæ particulæ illorū versuum eo modo, quo ibi explicauimus. Nimirum primò quod concursus, seu consensus in quolibet sit efficax, & expressus, vel interpretatiuus vt prædicta disp. 52. num. 59. di-

diximus. Secundò quod iste consensus sit verè causa homicidij, vel mutilationis, quia si ex eo non sequatur effectus nulla est irregularitas. Quia homicidium non erit voluntarium. Neque ratihabitio sufficit, vt eadem disp. nu. 43. Tertiò quod sex priores consentiêtes semper incurrunt irregularitatem, sed tres vltimi solum quando tenêtur ex officio prohibere homicidium, & mutilationem. Qui verò non tenentur ex officio non incurrunt, quia non dicuntur concurrere voluntariè ad effectum homicidij, sed solum peccant contra charitatem, quando possunt sine lęsione personæ propriæ, & status impedire, & non impediunt, vt eadem disp. diximus num. 67. eo modo enim peccant circa furtum, sicut circa homicidium, & alia crimina. Et hęc est doctrina communis. Dubitationes autem occurrentes circa vnumquemque eorum, qui in prædictis versibus côtinentur, vt circa consulentem, & alios quos Nauarus, Suarez, & alij locis supra citatis pertractant ibi expediuimus.

Prædicta omnia non solum sunt vera de homicidio voluntario, iniusto, & iusto priuato, sed etiam de homicidio publico, & iusto voluntario, vt de occisione hominis facta ex sententia Iudicis. Nam non solum minister qui mutilat, suspendit, & occidit est irregularis, sed Iudex, Assessores, Consultores, Exortatores, Accusatores, Testes, & omnes illi, qui concurrunt vt causę proximę cum Iudice ad ferendam sententiam, vel illam exequendam, iuxta dicta supra cum proportione.

Primum dubium.

206 Verùm hic sunt aliqua dubia. Primum est an quicumque Iudex proferens huiusmodi sententiam sanguinis fiat irregularis. Respondetur communiter omnes comprehendi excepto Summo Pontifice, qui non subest iuri humano, hæc autem pœna est de iure humano, ideò eum non ligat.

Secundū dubium. An Principes per delegationē auctoritatis fiant irregulares.

207 Secundum dubium est an Principes delegantes iurisdictionem Iudicibus in criminalibus fiant irregulares. Nam per hanc delegationem videntur cooperari ad mortem illorum, qui per Iudicem occidi mandantur. Respôdetur. Non fieri irregulares, quia ista cooperatio non est proxima, sed remota valde ab ipsa interfectione. Nec valet obiectio quorundam, quia etiam sententia Iudicis est remota causa respectu executionis sententiæ: Quia longè remotior causa est delegatio auctoritatis, quàm sententia condemnatoria ad mortem, quia hæc directè, & per se influit in effectum mortis, At delegatio auctoritatis directè ordinatur ad bonum publicū, indirectè verò ad punitionem mortis. Quod habetur expresè cap. *Episcopus ne clerici*, vel monachi in 6. In eo enim cap. Pontifex decernit Episcopum, & quemcumque alium Prælatum, vel Clericum habentem iurisdictionem temporalem delegātem huiusmodi iurisdictionem alicui baliuo, seu Iudici qui inquiret de homicidio, aut alio maleficio facto in sua iurisdictione, vt supra hoc veritatem inquirens iustitię debitum exequatur, non incurrere irregularitatem, quamuis ipse baliuus, vel Iudex contra malefactores ad pœnam sāguinis processerit. Immò subiungit quod huiusmodi potestatem possunt, & debent alijs delegare absque metu irregularitatis. Ex hoc ergo cap. quod iurisdictio debet sic abstractè, & in vniuersali concedi, non autem in particulari ordinando vt talem personam occidat, habetur sic delegantes nô esse proximas causas occisionis, quia sensus illius cap. videtur esse, vt sic in vniuersali, hæc auctoritas delegetur.

Quid de prælatis, & Inquisitoribus tradentibus aliquem brachio seculari

208 Sed maius dubium est de Prælatis, & Inquisitoribus tradentibus hæreticum brachio seculari vltimo supplicio feriendum. Nam isti videntur esse causa proxima mortis illorum. Nec valet dicere quod tradunt cum protestatione citra sanguinis effusionem, iuxta cap. *Nouimus*, de verborum significatione; Quia hæc protestatio videtur ficta, cum ideo tradant reum brachio seculari vt ipsum morte puniat. Respondetur prædicto cap. *Nouimus*, optimè declarari, cur huiusmodi Prælati, & Inquisitores non fiant irregulares. Et est, quia in tali actione Prælatus non applicat reum foro seculari, & iudicio mortis, quia

Solutio.

hoc esset valde principaliter cooperari ad mortem; sed solum declarat illum esse reum talis criminis, & proinde se eum proijcere à statu clericali, & intimare Iudici seculari, vt eum in suum forum recipiat, qui deinde de ipso iudicat secundum iustitiam, & cum iustitia requirat vt puniatur pœna mortis eum adiudicat morti. Vnde Prælatus ecclesiasticus propter hoc nō se immiscet causalitati mortis, nisi valde per accidens & remotè scilicet, quia reum eximit à statu clericali, si est clericus, si autem est laicus declarat solum eum esse reum talis criminis, & eum monet de reatu talis criminis, & nihil aliud facit. Et hoc habetur in illis verbis canonis. *Ad pronunciandum eidem cum fuerit celebrata, vt in suum forum recipiat, degradatum, & sic intelligitur tradi Curiæ seculari.* Illa autem protestatio non est ficta, nec frustra, quia fit præsertim ad ostendendum quod Iudex ecclesiasticus quātum est ex se non petit mortem, & quod potius optat liberationem à morte si fieri posset secundum iustitiam, talis enim protestatio fieri debet, ne quis incurrat irregularitatem, quia in iure est expressum vt fiat.

Cur protestatio citra sanguinis effusionem nō sit ficta.

209 Hoc idem dicendum est de accusatore clerico, vel laico, quando accusat suos malefactores, & iniquos homines nocentes, & petentes emendam sibi fieri, & damnum illatum restaurari, dummodo simul vel saltem ante executionem mortis, vel mutilationis faciant protestationem, se accusare citra præiudicium mortis. Quod habetur expressè cap. *Prælatis, vel Clericis in 6.* de homicidio. Ratio .n. est eadem. Quia directè non intendunt mortem, sed suā emendam, & liberationem à molestia. Vnde Pontifex ibi adducit rationem, propter quam statuat huiusmodi accusationem cum tali protestatione factam non inducere irregularitatem, quæ est, *quia aliter daretur materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè dilapidandi.* Atque si hæc accusatio hoc modo fiat à laicis puto cum communi opinione, etiam illos per illam vitare incursum in irregularitate, licèt textus loquatur solum de clericis. Quia illa protestatio ponitur in canone, tanquam regula ad euitandum irregularitatem, ideò potest etiam valere pro laicis. Puto autem illam protestationem debere fieri ex animo, quidquid aliqui dicāt; Quia fictio & dolus numquam intenditur à lege, sed excluditur, & dolus nulli patrocinatur nec affert priuilegium, ideò licèt non fiat expressa mentio in illo textu de vera protestatione ex animo, tamen præsupponitur: quia ad veram protestationem requiritur. Præsumendum est autem legem intelligere de vera protestatione.

Quartū dubium. De Accusatore clerico, vel Laico.

Extenditur ad laicos.

Intelligitur de protestatione ex animo.

210 Atque puto veram esse sententiam illorum, qui asserunt hanc Accusationem esse licitam absolutè, sine vlla limitatione dummodo sit iusta, etiam si esset aliud remedium; quia in canone nulla alia affertur conditio, & sine contra personam Accusatoris talia deinde fiant, quæ prouisio non potest fieri nisi per superiorem.

Fieri potest absolutè sine aliqua limitatione.

Et debent seruari conditiones assignatæ in illo canone, quæ sunt, quod sit Accusatio de laico, non de clerico, quia clericus non potest accusari coram Iudice laico, sed solum ecclesiastico, qui non potest procedere ad sententiam sanguinis; & si procederet temerè, nihil noceret Accusanti, quia illud non intendebat; nisi dolo procederet, & quod fiat ad emendam, id est ad recuperandum bona. Ex quo intelligitur posse reliqua prosequi, quæ necessaria sunt ad prosequendum querelam, vt præsentare testes, &c. immò petere vt malefactor capiatur, atque potest illum ostendere ministris vt capiatur, siuè sit fugitiuus, siuè non, semper enim reus reputatur fugitiuus respectu curiæ; quia hoc est medium ad recuperandum emendam. Quod tenent Couaruuias de irregularitate par. 2. §. 5. num. 4. Tabienn. irregularitas, 3. num. 8. Suarez disp. illa 47. sect. 2. num. 10. & alij. An verò possit clericus accusare in causa aliena est difficultas, vt est videre in Nauaro cap. 27. num. 113. Caiet. 2. 2. q. 33. art. 7. Suarez vbi supra, & alios. Verior sententia mihi videtur, quæ asserit hoc licere, quando accusatio est necessaria, ad præueniendum, ac impediendū ali-

Debet seruari cōditiones assignatæ q̄ sunt.

An clericus accusare possit in causa aliena.

aliquod malum proximo. Nec puto faciendam esse differentiam inter Accusationem, & Denunciationem, quia hodie Accusatio, & Denunciatio in idem coincidunt, quia solemnitates in Accusatione requisitæ, de consuetudine non seruantur, vt dixi supra de Restitutione, disp. 54. Hoc tamen licet, quando nulla alia via lenior reperitur, & quādo periculum, & damnum proximi est propinquum, tunc enim videtur esse necessaria Accusatio ex præcepto charitatis, ideò Ius canonicum non videtur velle hoc præceptum impedire.

Quintū dubiū de testibus.

211 Quintum dubium est, An testis vel aliquis alius dicens testimonium in causa sanguinis coactus, & ob timorē cadētem in constantem virum, vt ob timorem mortis, vel amissionis magnæ partis bonorum fiat irregularis. Videtur enim concursus hic inuoluntarius, & proinde non cooperari ad homicidium voluntarium. sed Respondetur omissis multis quæ profert Suarez disputat. illa 47. sect. 3. proculdubio esse concursum voluntarium simpliciter, licèt sit inuoluntarius secundum quid, & proinde non excusatur ab irregularitate. Et hæc est vera solutio, & verum fundamentum, quia homicidium, licèt inculpabile, facit irregularem.

De curialibus.

212 Sextum dubium occurrit de curialibus, in causa criminali. Nam Suarez disp. illa 47. sect. 4. distinguit de curialibus dicēs, quod omnes sunt irregulares quamdiu in ministerio permanent; Quosdā verò illo dimisso non manēre irregulares; scilicet illos quorum causa sententia sanguinis non fuerit deducta ad actum, quod probat ex cap. primo distinct. 51. per illa verba *qui dum parent potestatibus quæ sunt imperata fecerint*, & cap. 2. ead. dist. ex Glosa, quæ exponit ista præcepta esse *sæua præcepta*. & per caput *Osius*, dist. 61. & supra eadem disputat. sect. probauit, quod Iudex per prolationem sententiæ sanguinis nō fit irregularis, nisi sequatur effectus, ex Nauaro n. 211. Syluest. homicidio 3. n. 3. & alijs adductis ab eis. Atque idem dicit de Aduocato in causa sanguinis; si enim sequatur causa sanguinis ait remanere irregularem, siuè patrocinetur cōtra reū, siuè pro reo, adhibitis quibusdam limitationibus, sin minus dimisso officio nequaquam.

Opinio Authoris.

213 Ego autem puto omnes curiales, & Aduocatos etiam defendentes reos iniustè accusatos, & omnes exercentes actus fori criminalis, siuè sequatur effectus mortis, vel mutilationis, siuè nō, esse irregulares. Et ratio est quia isti alia ratione fiunt irregulares ab illa quę est propter homicidium. Nam iura faciunt specialiter inhabiles ad ordines huiusmodi curiales; Neque faciunt hanc exceptionē siuè sequatur effectus mortis, vel mutilationis, siuè non. Ideò est alia species irregularitatis ab illa quæ incurritur propter homicidium voluntarium. Illam enim certum est neminem incurrere propter homicidium mentale tātùm, sed requiri effectum externum, & de hoc loquuntur Nauarus, Syluester, & alij locis supra citatis. Hæc sententia mihi videtur explicitè haberi in cap. *sententiam*, ne clerici, vel monachi quod habet sic. *Sententiam sanguinis, nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut vbi exerceatur intersit. Si quis autem huiusmodi occasione statuti Ecclesijs, vel ecclesiasticis personis aliquod pręsumpserit inferre dispēdium per censuram ecclesiasticam compescatur; Nec quisquam clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sāguinis destinandas. Vnde in curijs Principum hæc sollicitudo non clericis, sed laicis committatur. Nullus quoque clericus ruptarijs, vel Ballistarus, aut huiusmodi viris sanguinum præponatur, nec vllam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ ad vstionem, vel incisionem ducit.* Glosa tamen in eo cap. asserit existentem præsentem his non fieri irregularem, sed tamen debet puniri, quia facit cōtra præceptum huius canonis. Idem elicitur apertè ex cap. 1. & 2. dist. 51. Nam cap. 1. enumerans varia personarum genera, quæ in Prouincia Hispaniæ erant ad clericatum promota contra canones, enumerat curiales his verbis, *aliquantos ex curialibus, qui dum parent potestatibus, quæ sibi sunt imperata fecerunt*, ecce non limitat ad eos qui in causa sanguinis actu sequutam tantùm hanc pœnam incurrerunt, sed vniuersaliter ad eos qui in curijs præceptis Principum paruerūt. Et licèt in cap. 2. Glosa ad illud verbum, *si quis*. fidelis administrauerit, exponat in sæuis actibus, non ob id sequitur quod actus sæui sint solum executio mutilationis, vel mortis. Nam etiam scriptio processus in causa sanguinis, examinatio testis, licèt reus nō cōuincatur, nec sequatur mors, vel mutilatio, proculdubio est actus sæuus, & contrarius lenitati perfectæ hominis. Nec habetur arctatio illa vllibi quod actus sæui sint tantùm mutilatio & mors, quia cap. 1. eadem dist. enumerantur milites inter eos, qui erāt inhabiles ad clericatum, quia exercuerunt necessariò actus sæuos. Inquit enim *Aliquantos ex militia, qui cum potestatibus obedierunt sæua necessariò præcepta sunt executi*. Constat autem quod milites alios actus sæuos, & crudeles præter mutilationem & mortem in bello exercēnt. Glosa autem exposuit actus sæuos ad significandum quod administrans curialibus in actibus familiaribus domus, vel alijs non pertinentibus ad curiam criminalem nō subsunt huic pœnæ; caput autem illud, *Osius*, oppositum non probat vt est videre in Glosa.

De militibus vel clericis militantibus

214 Septimum dubium est de militantibus in bello. Respondetur breuiter quod licèt in hoc fiant multæ distinctiones a Doctoribus, ego puto dicendum omnes milites, seu in iusto bello, siuè in iniusto, seu secuta morte, vel mutilatione, siue non, siuè ad defensionem, siuè ad offensionem esse irregulares. Ratio est, quia hoc est expressum in capitibus adductis 1. dist. 51. Nam Innocentius Papa ibi apertè dicit. *aliquantos ex militia assumptos esse ad clericatum inhabiles*, Vnde infra habet hæc verba. *Sed ne deinceps similia committantur. dilectionis vestræ maturitas prouidere debebit, vt tantæ vsurpationi saltem nunc finis necessarius imponatur, eo videlicet cōstituto vt quicumque tales ordinati fuerint cum ordinatoribus suis deponantur.* Iudicant ergo militis ordinationem esse vsurpationem, quod alia ratione esse non potest, nisi quia est inhabilis, & irregularis, & cap. 2. eadem distinct. *designata sunt genera laicorum de quibus ad clericatum peruenire non possunt, 1. si quis fidelis militauerit, &c.* Et quia est difficultas de illo qui in bello iusto, ad se defendēdum occidit, vel mutilat, agemus infra circa secundam conclusionem Scoti. Clericos autem non posse pugnare in bello iusto, ex eisdem cap. à fortiori intelligitur, & expressè habetur cap. penultimo de homicidio, possunt tamen exhortare ad pugnam fortiter ineundam, iam ante bellum, quàm in ipso actu belli, quia hoc non est pugnare, & est actus valde remotus ab homicidio, & mutilatione, vt habetur in cap. prædicto in Glosa.

Prima conclusio Scoti.

215 His habitis, Scotus ponit quinque conclusiones cōplectentes exactè totam hanc materiam. Prima committens homicidium voluntarium (subintellige) simpliciter est irregularis. Secunda committens homicidium inuoluntarium simpliciter non est irregularis. Tertia cōmittens homicidium inuoluntarium secundum quid, sed voluntarium simpliciter est irregularis. Si verò homicidium est casuale, tunc ponit alias duas conclusiones. Quarta ergo conclusio erit hæc. Committens homicidium casuale, & dans operam rei licitæ, & adhibens debitam diligentiā non fit irregularis. Quinta committens homicidium casuale, & dans operam rei illicitæ fit irregularis. Omnes istas conclusiones esse veras inquit Scotus probari extra toto titulo de homicidio voluntario, & inuoluntario, & dist. 55. cap. vltimo, & distinct. 50. cap. *miror*, sed specialiter prima conclusio, quæ est de homicidio voluntario simpliciter, probatur ex cap. primo de homicidio voluntario, vel casuale, vbi sic habetur. *Si quis per industriam occiderit proximum suum & per insidias ab altari meo euelles eum, vt moriatur*, qui textus apertè loquitur de homicidio voluntario iniusto. De homicidio verò voluntario iusto publico, habetur specialiter cap. *sententiam*, ne clerici, vel monachi. Vbi dicitur, *Sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat*, &

Secūda conclusio.

Tertia cōclusio.

Quarta conclusio.

Quinta conclusio.

Prima conclusio probatur ex iuribus.

cap.

cap. *clericis*, eodem titulo idem statuitur. Hæc iura apertè loquuntur de clericis, sed de laicis habetur apertè cap. 1. & 2. distinctio. 51. vt vidimus supra, in eis enim apertè explicatur inter eos qui arcentur à munere clericali esse milites, & curiales, seu ministrantes in curia criminali, & deducitur euidenter ex cap. *sententiam sanguinis*, & cap. *clericis* adductis, quia si clerici exercentes causam sanguinis sunt irregulares; ergo & laici: Exercent enim eundem actū, cui imposita est hæc pęna irregularitatis, sicut incurrunt irregularitatem alij perpetrantes actus, quibus pœna irregularitatis est imposita.

Probatur ratione.

Ratio autem propter quam Ecclesia ordinauit homicidam voluntarium etiam inculpabilem esse inhabilem ad ordines sacros & esse irregularem, est, vt inquit Scotus, hic horror sanguinis effusi; Vnde Deus nō permisit quod Dauid ædificaret domum nomini suo, propter multum sanguinem effusum 1. Regum cap. 7. licèt ego non repertam in eo capite illa verba. *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es*, quæ Scotus notauit, & adducunt Couaruuias de irregularitate par. 2. §. 3. num. 3. Suarez disput. 40. sect. 4. nu. 1. & alij. Sed in 1. Paralipomenon cap. 22. habentur illa verba Dauid. *Fili mi voluntatis meæ fuit vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, sed factus est sermo ad me dicens. Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, nō poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me, filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus.* Ex his autem verbis eruitur præceptum factum a Domino Dauid 2. Reg. cap. 7. ne ædificaret sibi templum fuisse hanc sanguinis effusionem, licèt ibi nō nominetur: subiungit Scotus, quod homicidium voluntarium nunquam deletur nisi per Baptismum. Vbi videtur velle quod irregularitas homicidij contrahatur ante Baptismō, & sit de iure diuino, & tamen supra dixit irregularitatem esse pęnam canonicam idest statutam ab Ecclesia; Videtur etiam velle quod non sit dispensabilis à Papa, & tamē hoc repugnat dictis eius, quia tenet quod irregularitas sit pęna canonica, idest instituta à iure humano, vt supra ex ipso ostendimus, Certum est autem quod Papa potest dispensare super ius humanum vt patet, vnde communiter tenetur quod Papa possit dispensare propter prædictā rationem; & vsus hoc comprobat, licèt aliqui tenuerint esse indispensabilem. Respondeo quod forlan Scotus fuit illius opinionis, quod irregularitas homicidij sola propter horrorē sanguinis fuerit de iure diuino, quia reuera Exod. cap. 21. habentur illa verba. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles illum vt moriatur.* Et idem habetur in Paralipo. cap. 22. & 28. vt vidimus, & eam sententiam tenuit Panormitanus cap. *Ad audientiam*, de homicidio, & ibi Maiol. Soc. & alij quos referunt Couaruuias, & alij, vbi supra. Sed melius possumus dicere quod Scotus non vult dicere quod irregularitas ex homicidio sit de iure diuino, propter rationes superius adductas, & maximè, quia licèt istud esset statutum in lege veteri, tamen Testamētum Vetus quo ad iudicialia est abrogatum, vnde cum in Nouo Testamento non denuo statuta sit, nō adest. Vult ergo dicere quod per homicidium contrahitur quædam indecentia, & horror, qui valde abhorret à lenitate Christi Domini. Hic autem horror & indecentia nō tollitur nisi per Baptismum; quia, vt inquit Scotus, qui fecit homicidium ante Baptismum, *amplius non habetur horrori, iam nouus homo factus.* Possumus ergo dicere quod homicidium trahit secum quendā horrorem, & quandam immanitatem contra institutum naturæ, quæ reddit hominem inhabilem ad munus sacerdotale, quod requirit lenitatem & mansuetudinem, cum, diet & sit aduocatus apud Deum pro populo, non eius vindex, & propter hāc causam Deus in veteri Lege prohibuit homicidam à munere sacerdotali. Verùm quia in Baptismo homo totus regeneratur & peccatum originale, & omne delictum diminuitur, & renouatur homo, etiam hæc macula & horror perpetratus per effusionem sanguinis abluitur, Et quia Vetus Testamentum est abrogatū per Nouū, statuta de homicidio pro illa lege non ligant modò, nisi quatenus renouata sunt in lege noua; in lege autē noua diuina de hoc nihil est statutum, sed solum de iure positiuo humano, vt patet ex capitibus superius adductis; Ideo sicut statuta sunt humana, ita per humanam auctoritatem possunt dispensari. Nihilominus hæc irregularitas quantum ad homicidium voluntarium iniustum licet secūdum omnes sit dispensabilis; tamen à solo Papa, & nō nisi cum maxima necessitate est dispensabilis. Vnde Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 7. de Reformatione habet hęc verba. *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suū & per insidias, ab altari euelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetrauerit, etiam si crimē id nec ordine iudiciario prolatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat.* Qui locus maximè fauet opinioni Scoti. Videtur enim velle, homicidium voluntarium, iniustum esse indispensabile absolutè; Nihilominus exponitur quod velit asserere esse indispensabile, non quia absolutè sit indispensabile, sed quia difficillimè, & non nisi in magna necessitate dispensatur. Secus de homicidio non ex proposito, sed casu commisso, vel vim vi repellendo; vt eodem cap. statuitur; & idem dicendum est de homicidio publica auctoritate, vel in bello facto; huiusmodi enim irregularitates reseruatæ sunt Papæ, vt ex dictis supra patet, sed quare defectus homicidij facti ante Baptismū per Baptismum tollitur, & defectus bigamiæ per Baptismum non tollitur? Hoc dubium sequenti cap. dissoluam.

Concil. Trid.

Secunda cōclusio Scoti probatur.

217 Secūda conclusio Scoti, nimirū quod cōmittēs homicidium inuoluntariū simpliciter, & omninò, nō fiat irregularis, patet ex dictis. Nam in iure irregularitas & inhabilitas ad clericatum imponitur homicidio voluntario; ergo ex opposito, cum homicidium non est voluntarium nō subiacet huic pęnæ, & inhabilitati. Probabitur etiam ex sequentibus, quia vt videbimus homicidiū casuale in eo qui adhibet debitam diligentiam, & non dat operam rei illicitæ non subijcitur huic irregularitati; quia est homicidiū inuoluntarium; ergo certum est quod homicidium omninò & simpliciter inuoluntarium non facit committentem irregularem. Probatur & declaratur adhuc exemplo. Si quis irruit in gladium alterius ex se, nihil operante illo, cuius est gladius non est irregularis. Probatur à Scoto ex distinct. 50. nullum tamen capitulum adducit. Sed euidenter probatur per cap. quartum, *dicit iste placidus*, & cap. *hi qui arbores*, & cap. *sæpè contingit*, & cap. *si duo fratres*, eadem dist. 50. In his enim quatuor capitibus decernitur à Gelasio, & Nicolao Pontificibus, & ex Concilio Vormaciensi, & Triburiensi, quod vbi homicidium committitur non concurrente voluntate, nec desiderio, homicidium non est culpabile. Verba cap. sunt hæc. *Hi qui arbores incidere videntur, si contigerit quod cadens arbor, & occiderit hominem inculpabiles sunt, atque innoxij: quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est, si verò aliqua culpa eorum, vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur aduenisse, abijciendi sunt à gradu, & in sacro ordine nullatenus recipiendi.* Sumitur etiam ex cap. *dilectus*, de homicidio voluntario, & alijs, & est certa apud omnes.

Tertia cōclusio Scoti probatur.

218 Tertia cōclusio Scoti, nimirū quod qui committit homicidium volūtariū simpliciter, sed inuoluntarium secundum quid, fiat irregularis, vt qui occidit hominē ad sui defensionem, quia aliter non poterat euadere mortē, probatur à Scoto, ex eadem dist. 50. cap. *de his*, in quo statuitur quod clerici, qui in obsidione positi necessitate sanguinem fuderunt, post duorum annorum pęnitentiam ad officium, & communionem recipiantur; sumitur etiā ex cap. *significasti*, 2. 9. vltimo, Hæc etiam fuit opinio D. Thomæ 2. 2. quæst. 64. art. 2. ad 3. & multorum antiquorum. Verùm post tempora Scoti iure nouo declaratum est expressè, neq; in hoc homicidio contrahi irregularitatem. Nam in Clementina vnica de homicidio expressè habetur sic. *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominē mutilet, vel oc-*

cidat

cidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit & idem de illo censemus qui mortem aliter vitare nō valens, suum occidit vel mutilat inuasorem. Tamen Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. videtur supponere huiusmodi occidentem inuasorem esse irregularē. Nam habet hæc verba. *Si verò homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellēdo aliquis se à morte defenderet, fuisse commissum, nascetur quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcumque, & dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, &c.* Videtur ergo Cōcilium vel renouare ius antiquum, vel supponere illud non esse abrogatum. De qua re longa est disputatio apud Recētiores vt est videre apud Couaruuiam in Clementina illa 3. p. §. 1. Nauarū cap. 27 num. 207. Suarez disp. 46. & alios citatos ab eis. Sed videtur dicendum hæc iura esse sic concilianda. Quod Clementina intendit occidentem inuasorem seruato moderamine inculpatæ tutelæ, ita quod nulla sit culpa in sic occidente aggressorem, non fieri irregularem. Verùm quia difficile est, in huiusmodi casu seruare ad vnguem tutelam inculpabilem, sed facilè est excedere modū defensionis, ideò Cōcilium Tridentinum dixit in hoc casu, dispensationem iure quodammodo deberi, & illam committendam esse ordinarijs locorum.

Resolutio.

De tutela inculpata.

219 Quæ autem sit inculpata tutela, & quæ ad eam requirantur diximus supra in materia de restitutione disput. 52. cap. 1. vbi de homicidio volūtario fusè disseruimus, & explicauimus dubia, quæ his pertractantur à Suarez, & ab alijs. Subiungit Scotus ibidem quod hæc irregularitas facilè est dispensabilis. Quod patet, quia Concilium Tridētinum vbi supra dicit illam esse committendam Episcopo, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo. Et ratio est quia in hoc homicidio vel nulla est culpa, vel parua, ideo est facilis dispensationis.

Facile dispēsatur hæc irregularitas.

Quarta conclusio probatur.

220 Quarta conclusio Scoti, nimirum quod committēs homicidium casuale & dans operam rei licitæ, & adhibēs debitam diligentiam non fit irregularis, est communis Theologorum, & Canonistarum. Eam habet D. Thomas 1. 2. quæst. 75. art. 8. & 2. 2. quæst. 64. art. 8. Soto lib. 5. de iustitia & iure quæst. 1. art. 9. Nauarus cap. 27. num. 290. Suarez disput. 45. sect. 5. & alij ab eis citati, & habetur expressè in cap. *diuersis*. Nam cap. *dilectus* de homicidio habetur expressè prima regula scilicet quod dans operam rei licitæ non incurrat. Inquit enim Papa ibi. *Ideoq; mandamus quatenus si ita est, cum idem Capellanus nec volūtate, nec actu homicidium perpetrauit, nec dedit operam rei illicitæ, non impedias quominus diuina possit officia celebrare.* Clarius habetur in cap. *Ioannes* eodem titulo, vbi sic habetur. *Nos igitur attendentes quod dicto sacerdoti, qui dabat operam rei licitè nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non præuidit, &c. dictum sacerdotem sacerdotale officiū exequi permittatis.* Idem habetur cap. vltimo eodem titulo de homicidio.

221 Altera regula de diligentia debita adhibenda habetur ex eisdem cap. præsertim vltimo, vbi dicitur. *Attendentes igitur quod sacerdos ipse dabat operam rei licitæ. Studuit etiam quàm debuit diligentiam adhibere circumstantibus, quibus periculum imminebat, ita tēpestiuè, & alta voce præmonitus quod intelligere, & fugere potuerunt, &c.* & cap. *ex litteris*, eodem titulo dicitur. *Nos autem ab eodem quæsiuimus sacerdote si priusquā iaceret perticā circumspexisset sollicitè, an esset aliquis circa currū, qui quod diligenter circumspexit asseruit, sed quod vidisset aliquē denegauit, &c.* ob hoc decernit vt sacerdotale officiū exequi permittatur.

Culpa triplex lata, leuis, & leuissima.

222 Quāta verò debeat esse ista diligētia quęritur à Doctoribus, sed est breuiter dicendum, quod Triplex est culpa, secundum iuris peritos, scilicet lata, leuis, & leuissima, vt diximus supra in materia de Restitutione disp. 47. cap. 2. num. 26. & sequentibus, & hæc distinctio culpæ est distinctio culpæ non Theologicæ, quæ est peccatum mortale, vt malè intellexit Soto, quem Suarez secutus est in hac disput. 45. sect. 5. nu. 6. sed est culpa iuridica: Vnde eo loco reiecimus opinionem Soto. Nam licèt quis dans operam rei licitæ possit non peccare, tamen potest incurrere culpā iuridicam, & fieri irregularem, sicuti etiā potest teneri ad restitutionem, licèt non peccauerit, vt ibi diximus. Neque enim homicidium casuale est voluntarium licèt vt volūtarium imputetur, vt diximus disputa. 52. cap. 1. vnde est sine culpa Theologica quacumque tàm mortali, quàm veniali, & tamen inducit irregularitatem: quia Canones imposuerunt hanc pęnam irregularitatis homicidio, quod etiam nullum est peccatum vt supra diximus solum propter sanguinis horrorem, quæ non oportet repetere.

Error Soto & Suarez

Culpa iuridica sine Theologia sufficit ad inducendū irregularitatem.

223 Ad propositum ergo certum est culpam latam inducere irregularitatem: Culpa enim lata est negligentia magna quam communiter omnes in eo opere vitandam esse scirent. Ideò qui dat operam rei licitæ, ex qua tamen communiter omnes sciūt posse oriri homicidium vel mutilationem, & ideò solent aduertere ne quid tale eueniat, & ille nihil tale cogitat, nec aduertit, est in culpa lata, si sequitur homicidium. De culpa leui verò, & leuissima est contemptio. Sed nō incurri irregularitatem per leuissimū, mihi est certissimum, immò neque per leuem culpam. Quod probo ex cap. *ex litteris*, de homicidio. Nam eo cap. habetur hic casus. Quidam presbyter dum fęnum vellet de curru deponere, perticam quæ fęnū ligabat proiecit in terram, & dum fęnum in terram proijceret quendam puerū iuxta currum quidem inuenit semiuiuum, qui modicum liuoris in fronte habebat, & nihil aliud lęsionis; dubitauit Sacerdos, an hoc esset ei imputandum. Accessit ad Papam cum litteris Episcopi sui; Papa quæsiuit ab eo, vtrum circa currum sollicitè circumspexerit priusquam perticam in terram proijceret, an esset aliquis circa currum, qui respondit quod diligenter circumspexit, sed neminem vidit, Papa autem ipsum ad suum Episcopum remisit, mandans quatenus si ita est, ipsum permittat liberè exequi suum officium sacerdotis. At hæc diligentia, quam iste presbyter adhibuit mihi videtur esse ea quæ communiter in tali casu adhiberi solet. Qui enim ex curru, vel aliquo alio loco alto proijciunt aliquod lignum, vel quid simile in terram, solent tēspicere an aliquis sit circa currum, vel in eo loco in quem proijciunt lignum; Non est autem aliqua diligentia exquisitior quàm quidam per diligentes adhibere solent, quia in hoc casu non videtur adesse aliqua specialis circunstātia, quæ specialem diligentiam indicet. Vnde si in illo casu fuit culpa aliqua, fuit leuis, & tamen Papa iudicare se nō incurrisse irregularitatem. Idem elici videtur ex cap. vltimo eodem titulo, de homicidio, quia diligētia, quam eo casu, adhibuit presbyter ille scilicet monendo omnes præsentes tēpestiuè, & alta voce, vt possent fugere periculum quod instabat ne soluēdo illum lignum alligatum occasione fabricæ ecclesiæ aliquod detrimentum paterentur, est diligentia quam communiter adhibent homines in ædificando domos, vel veteres dissoluendo quæ tollit culpam latā. Quod si quis iudicet non sufficere hæc ad excusandum existētem in culpa leui, saltem excusat existentem in culpa leuissima. Demum hoc iudicium, quādo culpa sit leuis, vel lata, vel leuissima, arbitrio prudentum relinquitur.

Culpa lata quæ.

De culpa leui, & leuissima.

224 Quinta conclusio Scoti, nimirum quod dans operā rei illicitæ, & committens homicidium, si sequatur homicidium fieri irregularem, quātacumque diligentia adhibita, etiam maxima, ita quod nec fuerit in culpa leuissima, habet aliquem difficultatem. Nam licèt omnes ferè illam admittant, vt D. Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 8. Caietanus ibi, & cæteri tàm Theologi, quàm Canonistæ, tamē aliqui faciunt aliquam difficultatem, & adducunt aliquas limitationes. Soto lib. 5. de iustitia & iure quæst. 1. artic. 9. dicit hanc conclusionem non haberi expressè in iure, sed eā deduci à Doctoribus ex contrario sensu, ex cap. *ex litteris*, 2. & cap. *dilectus*, de homicidio, vbi habetur, quod qui non dat operam rei illicitæ, si non est negligens non fit irregularis. Vnde addit limitationem quod non per quodcumq; opus illicitum ad quod sequatur homicidium, quis fit irregularis, sed per opus illud illicitum, quod ex se potest esse causa

Quinta cōclusio Scoti probatur.

causa homicidij; vt si clericus dat operam rei bellicæ, licèt imprudens, & nesciens aliquem occidat, est irregularis. At si clericus committens adulterium inuadatur à marito, qui à clerico occidatur, clericus non fit irregularis, ex hoc cap. Quia adulterium, licèt sit opus illicitum, tamen nō est causa ex se apta nata inducere homicidium. Cum Soto sentit Suarez disput. illa 45. sect. 6. Addit verò opus illicitum in iure debere intelligi illud quod est prohibitum propter periculum homicidij, hoc enim opus est illud, quod per iura prohibetur, & ad quod aiunt sequi irregularitatem, non autem quodcumque opus illicitum, vel cōtra aliquam virtutem si non sit tale, quod periculum immineat homicidij atque multa hinc inde dicuntur à Couarruuia, Suarez, & alijs.

Reijcitur.

225 Mihi placet opinio communis quod absolutè per opus quocumque modo illicitum, siuè sit ordinatum, & in causa contineat homicidium, siuè nō, quis fiat irregularis. Quam opinionem communem tenet Nauarrus capitulo 27 num. 222. contra Soto, licèt alijs principijs, nec sibi multū constare videatur eodem cap. nume. 237. & Glosa in cap. *sicut*, de homicidio, licèt citet multa iura, quæ hoc non probant. Ratio mea est, quia licèt in iure non habeantur hæc verba formalia. *dantem operam rei illicitæ si homicidium ex ea sequatur manere irregularem quātumuis casu, & inuoluntariè sequatur*, vt vellet Suarez, tamen in iure habentur casus expressi, in quibus quis iudicatur irregularis dans operam rei illicitę, quę ex se nullo modo est apta nata inducere homicidium, vt causa illius: vnde nō potest dici voluntarium in causa. Hoc habetur in cap. *continebatur*, de homicidio. Nam eo cap. continetur quidam casus in quo Diaconum incurrisse irregularitatē declaratur, ex eo quod dabat operam rei illicitæ, quæ tamen ex se non erat inductiua homicidij. Casus enim erat. Cum quidam Diaconus, & alij quidam clerici à vineis suis opere completo redderent causa leuandi laboris immitati sunt quendam ludum viatorum projciendo baculos suos in directum, vt alter alterius fustem feriret; cuius ludi conditio talis erat vt ille, qui percuteret baculum alterius quasi victor pro equo veheretur alio, Sed clerici equitandi licentia non vtentes sola iactatione contenti erant. Quidam laicus superuenit & percussit baculum Diaconi prædicti, & statim indiscretè dorsum Diaconi insilijt, & à falce ipsius Diaconi, quam ad cingulū habebat, mortale vulnus accepit ex quo infra octo dies expirauit. Hic est casus propter quem Papa decernit quod Diaconus ille factus fuerit irregularis. Constat autem quod nulla ab alia causa hic fuit nisi ludus; At ludus ille non erat aptus natus vt causa inducere homicidium illud, sed illud fuit merè casuale, nulla ergo alia causa adfuit nisi quia ludus ille erat res illicita. Et licèt Suarez disp. illa 45. sect. 5. num. 3. nitatur ostendere quod ille ludus non erat res illicita, quia ludus ex suo genere nō est prohibitus, & actio illa videretur honesta, quia erat leuādi causa otiū; tamen non satisfacit, quia non potest negari, quin ille ludus haberet ex se quandam indecentiam repugnantem clericali ordini, vt erat illud, vti alio pro equo; Vnde hoc insinuans textus habet ista verba. *Sed præfati clerici equitandi licentia non vtentes, sola erant iactatione contenti*, cōtinebat ergo ille ludus quandam licentiam indecentem, & propter hoc potest dici fuisse opus illicitum.

Fundamētū Authoris.

226 Accedit quod ex capitulo *dilectus*, eodem titulo de homicidio non solum sumitur argumentum à contrario, sed explicatur causa irregularitatis. Inquit enim, *nec dedit operam illicitæ rei*. ergo ex eo textu habetur, quod opus illicitum ad quod casualiter, & inuoluntariè sequitur homicidium, ex sententia Pontificis est causa irregularitatis. Distinguere autem de hoc opere illicito, vel alio, non est nostrum, sed Pōtificis, vnde cum communis opinio intelligat absolutè de opere illicito, est intelligendum de omni opere illicito, Vnde in casibus adductis à Soto de clerico deprehenso in adulterio, & occidente maritum superuenientem, & de Presbytero deponente campanā omni diligentia, sed contra præceptum Prælati, vel tempore festiuo, & idem dic de exercēte venationem sibi prohibitam vel modo indebito, vel in loco non suo, Dico incurri irregularitatem, quia, & si sic operantes non influant voluntariè per has actiones in homicidium, tamen sunt causę illius, & debebant abstinere, qui illa commiserunt ab illis; & quia non abstinuerunt, imputatur illis, quia sic à iure est statutum. Facienti enim quod non debet euenire solet quod nō credit. Ideò est sibi imputandum. In homicidio ergo casuali sufficiunt illæ duæ regulæ Scoti, Diui Thomę & communis opinionis. Si detur opera rei illicitæ incurri irregularitatem, si etiam detur opera rei licitæ, sed non adhibita debita diligentia incurri irregularitatem, alias nunquam.

Duæ regulę sufficiunt.

De irregularitate contracta ex bigamia, quæ potest esse crimen, & non crimen. Caput Octauum.

227 Altera species irregularitatis est bigamia, de qua Scotus agit in hoc 4. dist. 33. quæst. 2. & duo de ipsa pertractat, Primum an per bigamiam contrahatur irregularitas. Secundum quænam sit causa propter quam per bigamiam irregularitas contrahatur. Verùm pro clariori notitia huius materiæ notanda est distinctio vulgaris horum nominum, scilicet Monogamia, Bigamia, seu Digamia, & Poligamia. Monogamia venit à nomine Græco Monogamos, quod significat idem quod virum vnius vxoris solius contentum. Bigamia venit à nomine Bigamo quod significat idem quod homo, qui binas nuptias contraxit, seu duas vxores habuit. Poligamia venit à nomine Poligamos, quod significat hominē, qui plures vxores babuit, vel habet. De Monogamia fuit quondam hæresis Montani, quem secutus fuit Tertullianus, vt patet in suo libro de Monogamia, secūdam esse sub pœna peccati mortalis, & illicitum esse transire ad secūdas nuptias. Sed hęc hæresis à Catholicis est reprobata; vt patet ex Cōcilio Nicæno cap. 8. Nam ex Apostolo habemus Poligamiam non simul, sed successiuè plurium vxorum, idest non solum primas, sed secundas, tertias, quartas, & alias nuptias deinceps esse licitas, dum ad Romanos 6. ait. *Si dormierit vir eius cui vult nubat, tantum in Domino*, & ad Timotheū 5. hortatur viduas iuniores vt secundo nubant ob incontinentię periculum, licèt dicat melius esse si castitatem seruent, & in viduitate permaneant, & proinde cōtinentiam matrimonio præferat. Poligamia verò multarum seu plurium vxorum simul semper fuit prohibita, nec nisi ex speciali dispēsatione fuit licita cap. *gaudemus* de diuortijs. de qua re Scotus, & Theologi in hoc 4. dist. 33. sed præsertim eam prohibitam fuisse a Christo Domino, patet Matth. 19. vbi apertè ait non licere repudiare vxorem, quia dixit Dominus: *Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ. & erunt duo in carne vna, itaque iam non sūt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo non separet*. Dixit cū vxore sua, non cum vxoribus suis: dixit, erunt duo in carne vna, at si essent plures vxores, non essent vna caro, sed plures carnes. Et Marc. 10. & Lucæ 16. declarat eum, qui dimissa vxore, aliam duxerit, mechari; ergo patet prohibuisse Poligamiam plurium vxorum simul. Hac eadem ratione prohibetur Bigamia duarum vxorum simul.

Monogamia Poligamia, Bigamia q. d. sint.

Hæresis Mōtani & Tertuliani.

Poligamiā successiuā esse illicitam.

Poligamia uxorū simul est illicita.

228 Nunc accedendo ad Bigamiam adhuc est distinguēdum, vulgata illa distinctione ex Glosa in cap. *super eo*, de Bigamis. quod Bigamia est triplex scilicet vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera Bigamia & propriè dicta est, quæ ex duobus matrimonijs perfectis, & consumatis oritur. Hæc autem non potest esse, nisi hæc duo matrimonia sint successiua, quia simul vnus non potest habere duas vxores legitimas, vt dictum est, sed vna erit vera, & legitima vxor per verum matrimoniū, scilicet prima, secunda verò erit adultera. Bigamia ergo propriè dicta, & vera est quando aliquis post mortem primæ vxoris legitimæ aliam per legitimum matrimonium ducit, & consummat matrimonium cum illa, vt habetur ex Canonistis, in rubrica de Bigamis, & ex Theologis in 4. dist. 27. & 33. vbi Magister sententiarum non tenetur, qui dist. 27. dixit solos cōsensus

Bigamia triplex.

Bigamia vera quæ sit.

Magister sententiarum in quo in materia de bigamia non tenetur.

sensus de præsenti inter duo matrimonia citra copulam carnalem efficere bigamũ. Nam in capite *debitor*, de bigamis requiritur cõsũmatio copulæ carnalis. Ex quo infertur multo minus sponsalia plura inducere hanc irregularitatẽ.

Bigamia interpretatiua quæ & quotuplex est.

229 Bigamia verò interpretatiua, vt sumitur ex eadem Glosa in cap. *super eo*, de bigamis, & communiter ex Doctoribus, est, quæ non oritur ex duplici matrimonio vero, & consummato, sed ex interpretatione iuris, est bigamia, quia oritur ex actionibus quibusdam, quæ habent similitudinem quandam duorum matrimoniorum. Et est multiplex, vt ex eadem Glosa sumitur. Prima species est cum quis habet duas vxores simul, & vtramque cognoscit. Nam tunc vna est vera, & legitima vxor, & de iure; Altera est illegitima, & tantum de facto non de iure; & hæc est crimen. Et propter hanc Scotus dixit quod bigamia quandoq. est crimen, quandoq. non est crimen. Bigamia vera non est crimen; sed hæc bigamiæ species est crimẽ, quia oritur ex duabus vxoribus ductis eodẽ tẽpore, quod est illicitum vt diximus. Secunda species est, cũ quis habuit duas vxores successiuè, sed vnam de iure, alteram de facto idest vnam legitimam, & alteram illegitimam, & vtramque cognouit: si enim non cognosceret vtramque non oriretur bigamia. Tertia species est quando quis duxit viduã, quæ iam per matrimonium verum, & consummatum fuit iuncta alteri viro. Hanc speciem Soto in 4. senten. distin. 27. quæst. 3. art. 1. dicit esse bigamiam veram, quia interfuerunt duo matrimonia, ex parte vxoris. Tamen Nauarus in Man. cap. 27. num. 195. & alij eam numerant inter species bigamiæ interpretatiuæ. Et rationabiliter: quia ex parte viri, qui est principalis, nõ est duplex matrimonium verum. Quarta species est quando quis contrahit, & consũmat cum aliqua quæ prius per fornicationem fuit corrupta, siuè ipse qui ducit eam, hoc sciuerit, siuè ignorauerit, vt si quis virginem prius stupratam ducat in vxorem. Quinta species cum quis cognouit propriam vxorem, quam virginem duxerat, postquam cum alio adulterauerit.

Prima species bigamiæ interpretatiuæ.

Secunda species bigamiæ interpretatiuæ.

Tertia species.

Quarta species.

Quinta species.

Bigamia similitudinaria.

230 Bigamia similitudinaria est in qua non intercedet duplex matrimonium carnale, sed vnum spirituale per votum solemne continentiæ factum; Alterum carnale, sed attentatum, & inualidum, vt cum clericus votum solemne continentiæ emisit, & deinde ducit vxorem; hoc enim secũdum matrimonium carnale est inualidum propter impedimentum voti solemnis. Hæc ergo dicitur bigamia similitudinaria, quia habet similitudinem duorũ matrimoniorum, quorum alterum est spirituale scilicet primum, secundum est carnale, licèt inualidum. De vnaquaque istarum bigamiarum, videndum est breuiter an inducat irregularitatem, & quomodo.

An bigamia vera inducat irregularitatem.

231 Quantum ad bigamiam veram Scotus in hoc 4. distinct. 33. mouet duas quæstiones. Prima est vtrum in lege naturæ, & Mosaica fuerit licita. Secunda vtrum in lege Euangelica sit licita. Sed in his quæstionibus accipit bigamiam, & poligamiam pro eodem scilicet pro coniunctione duarum, vel plurium vxorum, simul cum eodem viro, in matrimonium, quæ est bigamia crimen, & in prima quæstione decernit quod nunquam, neque in lege naturæ, neque in lege Moysis fuerit licita, sed Sanctos Patres habuisse plures vxores simul ex dispẽsatione diuina, ad procreandos filios, qui in vero cultu Dei nutrirentur. *Si qui tamen*, inquit Scotus, *Sancti Patres non ex dispensatione sic plures vxores habuerunt. Non est mihi inconueniens quod mortaliter peccauerint: quia non reputo hos cõfirmatos fuisse in gratia.* Sed dimissa bigamia in illo sensu, quæ est bigamia interpretatiua, de qua infra. Accipiendo bigamiam propriè pro vera bigamia, quæ est duarum vxorum successiuè; certum est illam inducere irregularitatem. Hæc assertio est certa, & ab omnibus Catholicis concessa: habetur enim apertè cap. 1. & 2. de bigamis, & cap. *debitum*, eod. titulo, & alijs iuribus dist. 26. vnde Scotus ead. dist. 33. quæst. 2. hanc assertionem probat. Primò auctoritate prædictorum canonũ. Secundò ratione, vt postea videbimus.

De Sanctis Patribus habentibus plures vxores simul.

Cur Sancti Patres plures vxores legitimas habuerint.

Bigamia vera inducit irregularitatẽ.

232 Sed difficultas est vtrum bigamia quæ inducit irregularitatem sit ea quæ contrahitur post Baptismum tãtùm, an ex quoque quæ contrahitur ante Baptismum. Exempli gratia, an si quis duas vxores veras successiuè habuerit ante Baptismum, vel vnam habuerit ante Baptismum, alterã post Baptismum duxerit priori mortua, iste sit propriè bigamus, & irregularis. Scotus pro parte negatiua adducit cap. *vnius vxoris virum*, dist. 26. in quo ex Diuo Hieronymo in epistola ad Decanom asseritur, quod Monogamo baptizato non imputatur si ante Baptismum habuerit vxorem, sicut neque stupra, nec alia quæ commiserat cum sit factus nouus homo per Baptismum, & distin. 50. in Glosa dicitur, quod qui ante Baptismum occidit, post Baptismum potest ordinari; ergo à simili de bigamia. Respondet deinde partem affirmatiuam esse veram, & communem, quã art. 1. probat; in 2. artic. autem adducit rationem propter quam bigamia contracta ante Baptismum inducat irregularitatem. Quod ergo bigamia contracta ante Baptismũ inducat irregularitatem probat præsertim per caput *Acutius*, dist. 26. & per caput *vna tantum*, eadem distinct. quę duo cap. accipiuntur primum ex Diuo Augustino super epistolam ad Titum, secundum ex Diuo Ambrosio lib. 1. de officiis cap. vltimo. Vt autem materia hæc dilucida fiat, probemus prius in communi bigamiam inducere irregularitatem. Secundò videbimus hoc extendi etiam ad bigamiam contractam ante Baptismum.

An bigamia ante Baptismũ cõtracta irregularitatem inducat

233 Quod ergo bigamia inducat irregularitatem probatur, quia hæc irregularitas introducta est ab Apostolo, 1. ad Timot. 3. *vnius vxoris virum*, idest monogamum. Ex eo enim loco habetur, vt Ecclesia Catholica semper cẽsuit, ad ordines sacros non esse promouendum illum, qui quouis modo bigamus fuerit. Hunc enim sensum apertè præseferunt illa verba. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, ornatum, prudentẽ, &c.* Significant enim Episcopum non solum debere esse sine crimine, & irreprehensibilem, sed multis præclaribus dotibus ornatum, vt monogamia, sobrietate, compositione gestuum, & actionum, eloquij, & alijs bonis moribus, prudentia, & alijs virtutibus, quas ibi enumerat.

234 Quare ridendi sunt hæretici nostrorum temporũ, qui cum Luthero exponunt illum locum, *vnius vxoris virum*, idest oportet vt Episcopus sit contentus sola vxore legitima, siuè vna, siuè pluribus, non autem indulgere concubinis. Tenuit enim Lutherus in lege Christi, etiam Episcopis licitam esse poligamiam, quia dicit se nullibi eã prohibitam in lege inuenire. Et tamen Christus præter hunc locum Pauli dixit Lucæ 16. & Marci 10. qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, iam mechatus est, vt diximus supra hoc eodem cap. Vel cum alijs hæreticis, quod hìc Paulus prohibeat multitudinem vxorum pluriũ simul, non tamen successiuè; nam clarum est, quod tunc temporis nõ erat in vsu poligamia inter Christianos, neque enim consueuerant homines, habere simul plures vxores; Scriptura enim Noui Testamenti cum loquitur de coniuge, in numero singulari loquitur. *Qui dimiserit vxorem suam, &c.* Matth. cap. 19. *si licet homini dimittere vxorem suam, &c.* Lucæ 14. *qui patrem, matrem, & vxorẽ, & filios, &c.* quomodo ergo Paulus potuit prohibere illud, quod non erat in vsu. Est ergo certa assertio Catholicorum eo loco prohiberi bigamos ordinari, & proinde bigamiam inducere irregularitatem.

Expositiones hæreticorum ridiculę.

235 Non tamen ex eo loco deducitur bigamiæ irregularitatem esse de iure diuino, quia supra iam diximus omnes pœnas canonicas, & consequenter irregularitatem esse de iure ecclesiastico, sed ex eo loco habetur bigamiæ irregularitatem fuisse introductam ab Apostolis ex sua propria auctoritate, quia erant pastores ecclesiæ vt supra diximus ostendendo, quod neque ex lege naturæ, neque ex lege Euangelica habetur vlla irregularitas. Quod autem bigamia, quę inducit irregularitatem, extẽdatur quoque ad bigamiam contractam ante Baptismum, probatur ex cap. *Acutius*, dist. 26. adducto à Scoto. Nam ibi D. Augustinus inquit *Acutius intelligunt qui nec eum qui Cathecume-*

Bigamia irregularitas est de iure ecclesiastico.

Extenditur ad bigamiã contractam ante Baptismum.

nus, vel Paganus habuit alteram ordinandum cēsuerunt, & cap. *vna tantum*, ead. dist. Diuus Ambrosius dicit: *Vna tātum, nec repetita nobis copula permittitur. & in ipso coniugio lex est non iterare coniugiū nec secundæ coniugis sentire coniunctionem, quod plerisq. mirum videtur, cur etiam ante Baptismum iterata coniugia electioni muneris, & prærogatiuæ ordinationis impedimenta generent, cum etiam delicta non obesse soleant, si lauacri remissa fuerint sacramenta. sed intelligere debemus, quia in Baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest, in coniugio nō culpa, sed lex est. Quod culpæ est igitur in Baptismo relaxatur quod legis est in coniugio non soluitur quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit.*

Cur bigamia & non homicidiū ante baptismum inducat irregularitatē.

236 Si autem quis obijciat de homicidio, quia homicidium commissum ante Baptismum nō inducit irregularitatem; ergo neque deberet hanc pœnam inducere bigamia. Respōsum est supra nō esse parē rationē; quia in bigamia est defectus sacramenti, vt dicā explicando causā propter quā Bigamia introducat irregularitatē, q defectus nō est in homicidio, sed ibi est quidā horror, & defectus lenitatis, q amittit p Baptismū, in quo totus homo renouatur.

Opinio quorundā quod ante Baptismū nullus incurrere possit irregularitatem, nisi bene declaretur est falsa. Prima regula Suarez. Secunda regula Suarez. Prima regula probatur.

237 Verùm hic aliqui dicunt neminem posse cōtrahere irregularitatem ante Baptismum, vt Henricus quolib. 6. quæst. 20. vt ei tribuit Margo Scoti eodem loco, & hanc sententiam secuti sunt Soto in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. & Suarez tomo prædicto, de censuris disp. 40. sect. 7. vbi assignat duas regulas generales. Prima, nullum esse capacem irregularitatis, qui non sit capax ordinis. Secunda, omnem hominem, qui est capax ordinis, esse capacem irregularitatis, si in terris habeat superiorem. Hoc est dictu, nullum non baptizatum esse capacem irregularitatis, & omnem baptizatum excepto Papa esse capacem irregularitatis. Secunda regula nullam habet difficultatem, sed prima. Eam ergo probant ratione Henrici adducta à Scoto ead. qu. 2. art. 1. Nemo potest esse capax priuationis, qui non est capax habitus oppositi illius priuationis; sed homo non baptizatus non est capax ordinis sacri, qui est habitus oppositus irregularitati; ergo homo non baptizatus nō est capax irregularitatis; ergo ante Baptismum nulla est irregularitas. Maior probatur, quia catulus ante nonum diem non potest esse cæcus, seu priuatus visione, quia ante nonum diē non est capax visionis. Minor probatur, quia Baptismus est ianua sacramentorum, ideo nemo est capax aliorum sacramentorum ante Baptismum. Quod confirmat Scotus per illud extra de præsbytero non baptizato. c. *si quis*, vbi dicitur *quod si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*; ergo colligitur quod in ordinatione ante Baptismum non suscepit ordinē, Alioqui non esset reordinādus, quoniam vt habetur extra de clerico, per saltum promoto, qui ordinatur ad aliquem ordinem posteriorem, aliquo priori prætermisso debet recipere eum ordinem quem prætermisit, non iterādo eum, quem suscepit. Si ergo ante Baptismum recepisset ordinem non deberet post Baptismum ordinari.

Cōfirmatio.

Refellitur à Scoto.

238 Scotus autem licèt sustineat eandem cōclusionem vt vidimus, tñ dicit hanc rationem, & fundamentum horū Doctorū esse nullum, quod probat dupliciter. Primò, quia illa maior propositio potest intelligi, vel de priuatione pro formali, vel de fundamento priuationis, & impedimento habitus; licèt ergo verum sit quod priuatio formaliter non possit inesse subiecto, quod non est capax habitus, tñ potest inesse impedimentum habendi habitū. Quod declarat in eodē exemplo. Nam licèt catulus ante nonū diem nō possit esse formaliter cæcus, tñ potest habere impedimentū ne habeat visum, tempore quo sibi cōpeteret. Vnde ad propositū subiungit quod irregularitas nō est priuatio propriè eius quod est habere ordines, vt patet. (Potest enim aliquis nullam habere irregularitatē & tamen nullū habere ordinē,) sed est impedimentū, ne quis sit capax ordinis p tēpore, quo sibi cōpeteret, ergo hoc īpedimētū pōt esse ante baptismū.

Prima ratio

Secunda rō.

239 Secūdò, & redit ferè in idē, esto quod priuatio nō possit inesse nisi subiecto, nisi p tēpore quo est capax habitus, tñ causa priuationis potest inesse eo tēpore, quo habitus nō est natus inesse, vt in exemplo catuli, si ante nonum diem oculus catuli esset infirmus, & impeditus, ita quod cū peruenirei ad nonum diem non posset videre, ita irregularitas bigamiæ videtur inesse ante Baptismum, quia est causa priuandi, vel carendi ordine pro tempore congruo.

Quomodo bigamia ante Baptismū sit irregularitas.

240 Sed quomodo tunc saluatur q irregularitas hęc sit de iure canonico, & non diuino, vel naturali? Respōdetur quod aliud est loq de impedimēto, seu defectu cui est imposita pęna irregularitatis, & aliud est loqui de ipsa irregularitate, seu de impositione irregularitatis illi defectui. impedimentū illud est ante Baptismū, sed non habet annexā irregularitatē, nisi post Baptismū; Ecclesia enim ordinauit quod huiusmodi defectus etiā contractus ante Baptismum faciat inhabilē hominem ad sacros ordines, pro eo tēpore, quo est capax illorū, quod est qñ est baptizatus, ideo bigamia ante Baptismū non est irregularitas, sed solū post Baptismū, ad differentiā homicidij, facti ante Baptismū, quod Ecclesia noluit esse impedimentū ordinum, nec inducere irregularitatē post Baptismū susceptum. Cōclusio ergo est certa, quod bigamia cōtracta ante Baptismum, etiam post Baptismum est impedimentum (non aūt homicidium) ad suscipiendos ordines, & habet annexam irregularitatem.

Causa propter quā bigamia ante baptismum nō autem homicidiū inducat irregularitatem.

241 Secundò principaliter differit Scotus, quænā causa sit propter quā bigamia ante Baptismū contracta inducat irregularitatē, nō autē homicidium, sed deformitas homicidij per Baptismū tollatur non aūt bigamiæ, cū bigamia quid minus malū videatur quā homicidium; Et respondet quod duplex potest assignari causa. Altera est causa cōgruitatis. Altera est causa necessitatis. Loquendo de causa congruitatis, inquit Scotus esse communē opinionē (& hęc causa currit de bigamia in communi, & ideo cōplectitur oēs species bigamiæ) eā esse defectum sacramenti. Per defectū autē sacramēti hic non intelligitur quod iteratū matrimonium includat aliquod peccatum, & sit malum, vt dicebat hæretici Montanistæ, vt supra diximus, quia secūdū matrimoniū est sacramētum verè, & propriè, sed intelligitur defectus conformitatis hominis bigami, ad Christū Dñm, quatenus est sponsus Ecclesiæ. Nā Christus est spōsus ecclesiæ suę, & habet vnicā sponsā, quia ecclesia est vnica, Sacerdos aūt est Vicarius Christi in Ecclesia, & repræsentat personā Christi; ergo debet esse conformis Christo, sed Christus habet vnicū matrimoniū spirituale, & vnicā sponsam, ergo congruū quoq. fuit quod Sacerdos, qui est eius Vicarius nō pluſquā vnā vxorē, & spōsā haberet, & ideo qui plures duxit sponsas, vel viduā quæ fuit duorū virorū, debet excludi ab hoc munere, qa non est cōformis Christo, qui habet vnicā spōsā, & quę non fuit alterius viri spōsā. s. Ecclesiā.

Causa congruentiæ. Quid per defectū sacramenti in bigamia intelligatur.

Causa necessitatis.

242 Loquendo verò de causa necessitatis Scotus affert varias causas propter quas Aliqui dixerunt, bigamū etiam ante Baptismū necessariò excludi ab ordinibus sacris, non aūt homicidiū ante Baptismū, quæ his tēporibus in nulla consideratione sunt. Aliqui ergo cōueniebant in hoc, quod causa, propter quā homicidij inhabilitas tollatur pp Baptismū, non aūt bigamię, est, quia per Baptismū tollitur omne peccatū, quod notū est esse peccatū propriè, & sequela peccati, non autē tollitur illud, quod ex se non est propriè peccatū, nec sequela peccati, bigamia se habet hoc secūdo modo, homicidiū primo modo. Hāc sententiā impugnat Scotus plurib. rationib. sed hęc ratio sufficiat. Quia tunc sequeretur quod qui cōmitteret bigamiā peccando, vt qui simul duas vxores haberet, p Baptismū habilitaretur ad ordines, qui verò cōmitteret bigamiā non peccando, per Baptismū non habilitaretur, quod est absurdū manifestum, quia melioris conditionis esset qui peccaret, quā qui non peccaret.

Prima opinio.

Reijcitur.

243 Aliqui alij dixerunt quod duplex est infamia. Alia ex natura actus. Alia ex statuto ecclesię. Infamia quæ sequitur ad bigamiā oritur ex natura actus. s. ex defectu significationis, ideo illa non potest tolli neq. per sacramētū, neq. per Ecclesiā, infamia verò quæ sequitur ad homicidiū oritur ex statuto Ecclesię, ideo illa per sacramētū, & p Ecclesiā potest tolli. Sed hæc opinio reijcitur à Scoto, præsertim hac

Secundus modus dicendi refellitur.

Reijcitur.

ratio-

ratione, q̃a si irregularitas bigamię esset ex alio priori, quã ex statuto ecclesiæ: Ecclesia non posset dispensare super illã, & tamen oppositum huius habetur de facto, & patet ex cap. *lector*, distin. 34. sed circa dispensationem huius irregularitatis est aliqua difficultas, de qua infra.

Vera causa necessitatis.

244 Vera causa necessitatis ergo propter quam bigamus est irregularis nulla alia est, nisi statutum ecclesiæ, inquit Scotus; Quæ est communis sententia, vt ex dictis supra patet. Ideo enim pœna est inhabilitas homicidij, & non bigamiæ remittitur in Baptismo, quia sic ecclesia statuit; Ista aũt ecclesiæ ordinatio est rationalis ex hoc, q̃a homicida non est inhabilis ad ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter quem Dauid fuit prohibitus ædificare Templum Domini, vt supra diximus ex 1. Paralip. cap. 22. Iste autem horror tollitur per Baptismum, quia præsupponitur quod per illum homo de lupo fiat agnus, sicut Paulus ante Baptismum erat lupus, & persecutor ecclesię, post Baptismum verò factus est ouis, & pastor. In Baptismo ergo cessat caosa illius inhabilitatis, & consequenter cessat illa inhabilitas, & irregularitas; sed causa inhabilitatis in bigamo ad ordines non tollitur per Baptismum, quia semper remanet defectus sacramenti scilicet illa non conformitas hominis ad Christum, quæ requiritur in homine volente fieri Sacerdotem Christi, vt diximus supra; ideo neque tollitur effectus prouemens ex illo defectu, qui est inhabilitas ad sacros ordines. Et hæc ratio habetur cap. *debitum*, de bigamia. Quamquam etiam alia ratio assignatur à Patribus huius statuti de bigamia; nimirum quia Sacerdos non solum debet esse castus, sed hortator ad castitatem; At vt inquit Diuus Ambrosius cap. *vna tantum*, dist. 26. *Quomodo potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit*: & plura alia similia alibi. Hæc de bigamia verè, & propriè dicta.

De prima, et secunda specie bigamiæ interpretatiua.

245 Nunc accedendo ad bigamiam interpretatiuam, loquendo de prima, & secunda specie eius est aliqua difficultas inter Doctores. Aliqui enim distinguunt sic. Quando aliquis simul contrahit cum duabus, vt contingit in prima specie; Vel cum duabus successiuè, vt contingit in secunda specie; cum in vtraque specie alterum illorum sit nullum de iure, hæc nullitas potest prouenire ex duplici causa. Primò ex defectu consensus, exempli gratia. Si in primo matrimonio non fuit consensus, sed solum in secundo matrimonio, primum matrimonium fuit nullum, & idem dicendum in secunda specie: Secundo modo potest esse nullum ex aliquo alio impedimento dirimente matrimonium, vt si fuit nullum propter affinitatem, vel consanguinitatem in gradu prohibito. Ad propositum dicunt, quando alterum matrimonium est nullum propter defectum consensus non esse bigamiam; quia dicunt requiri intentionem, & consensum in duo matrimonia; si autem sit nullum propter alia impedimenta inducere bigamiam; quia licèt alterum illorum matrimoniorum sit nullum, non tamen ob hoc sequitur quin ille habuerit affectum contrahendi duo matrimonia. Quod colligunt à contrario sensu ex cap. *nuper* de bigamis, in quo dicitur ad contrahendum hanc bigamiam, sufficere intentionem cum opere subsequuto.

Secunda opinio.

246 Alij dicunt cum alterum matrimonium est omninò nullum tàm propter defectum consensus, quàm propter aliquod aliud impedimentum, nullam contrahi bigamiam. Fundamentum illorum est, quia iura declarant illum esse bigamum, qui post primam vxorem ducit secundam; At ex hoc non possumus inducere, ergo si ducit aliquam aliam, quæ reuera non sit eius vxor; sed appareat esse, est bigamus, quia irregularitas non habetur nisi in iure sit expressa, vt supra toties dictum est, hoc autem consequens in iure non est expressum.

Tertia sententia quæ est communior & vera.

247 Tertia sententia communior, quam habet Diuus Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 3. artic. 4. quæst. 2. Richardus ibidem artic. 4. quæst. 3. Et Scotus supponit in hac quæstione dum dicit bigamiam posse esse crimen, & non crimen. (Bigamia enim crimen est solum prima species irregularitatis interpretatiuæ, quia nemo sine culpa, absque dispensatione potest simul habere duas vxores, vt diximus supra.) Soto in 4. distinct. 27. quæstio. 3. artic. 1. conclusione secunda, Couaruuias in Clementina *si furiosus*. parte 1. §. 2. numero 2. & Alij adducti ab ipso, & denique Suarez disputat. 49. sectio. 2. qui latè hanc difficultatem tractat, est hæc. quotiescumquè fiunt duo matrimonia, quorum vnum est validum de iure, alterum verò est inualidũ de iure, sed est tantùm de facto, & vtrumque sit consummatum, inducunt bigamiam interpretatione iuris, & consequenter inducunt irregularitatem.

Ratio ꝑ hac sententia valet cõtra præcedentes.

248 Ratio propter quam hæc tertia sententia probatur duæ priores impugnantur. Ratio autem est, quia in cap. *nuper*, de bigamis, decernitur quod ad contrahendam bigamiam duo sufficiant scilicet intentio animi ad matrimonium, & consummatio carnalis, & quando hæc adsunt, licèt alterum matrimonium sit nullum, nihil impedire: Cum ergo aliquis ducit duas vxores simul, vel successiuè per matrimonium, exterius, & cum illis consummat copulam carnalem, licèt non intendat intrinsecus ducere illas in vxores vel alteram illarum, vel adsit aliud impedimentum propter quod matrimonium sit nullum, adsunt omnia illa quæ ad substantiam bigamiæ interpretatiuæ requiruntur, siuè adsunt omnia, per quæ Pontifex decernit quod hoc modo contrahens habeatur tamquam bigamus verus, & duxerit duas veras vxores, licèt reuera non sit propriè bigamus, neque duas veras vxores duxerit, & propterea vult illum esse irregularem. Quod autem illa duo sufficiant patet ex verbis illius textus. *quoniã cum in matrimonijs contrahendis* (idest illicitis, & prohibitis vt Glosa ibi exponit) *non iuris effectus, sed animi destinatio attendatur*. Et infra in fine cap. *licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis; cum opere subsequto*. Per affectum autem intentionis non intelligitur intentio interna contrahendi verum matrimonium, sed intentio contrahendi exterius, quo ad copulam carnalem. Quod probatur per verba illa *cum opere subsecuto*. Nam opus, quod subsequitum est ad intentionem illam, non fuit verum matrimonium, sed matrimonium exterius, idest copula carnalis sub velamine matrimonij.

Refellitur prima opinio superius adducta.

250 Et per hoc impugnatur prima opinio, supra adducta, quæ requirit in hac duplici specie bigamiæ, verum consensum internum in matrimonium, quod est falsum, vt patet ex dictis. Et confirmatur, quia tunc deterioris conditionis esset, qui contraheret duo matrimonia vera successiuè, quàm qui contraheret duo matrimonia nulla, & prohibita, quod est absurdum. Consequentia est euidens, quia in primo esset vera bigamia, & consequenter esset irregularitas clarè. In secundo verò nulla esset bigamia, nec irregularitas. Per hoc idem refellitur secunda opinio adducta, quia ex eo cap. *nuper*, elicitur quod Papa vult illum esse irregularem, qui habet illas duas conditiones scilicet qui habet intentionem ducẽdi duas vxores exterius, & opere complet hanc intentionem exterius per copulam carnalem, licèt hæc duo matrimonia sint inualida, & nulla de iure. Quod elicitur ex illis verbis textus, *Si quis de facto contraheret cum diuersis, quibus de iure non posset matrimonialiter copulari*. Quocumque ergo modo de iure sint nulla, siuè propter defectum consensus interni, in matrimonium siuè propter aliquod aliud impedimentum de iure impediens, ille ex decreto Pontificis est bigamus, & irregularis. Et confirmatur eadem ratione, qua supra, quia sequeretur quod qui contrahit cum duabus legitimè esset deterioris conditionis, quàm qui contrahit cum duabus contra iura, & modo illicito, & prohibito, quod est absurdum. Causa enim propter quam huic primæ & secundę speciei matrimonij imponitur irregularitas bigamiæ non est culpam, quæ in illa committitur, sed indecentia, quia apparet hic eadem incontinentia, quæ in ducente duas vxores legitimas, ideò siuè hic scienter, & cum culpa ducat duas vxores inualidè, siuè ignoranter,

Refellitur tertia opinio

Ratio propter quam est inducta hæc duplex species bigamię

Ad rationes duarũ priorũ opinionũ.

& sine culpa, est interpretatione iuris, bigamus, & consequenter irregularis. Atque ex his satisfactum manet rationibus illarum duarum opinionum.

Intelligitur nedũ de presbytero, sed de laicis.

251 Quod si quis objiciat caput illud loqui solum de presbyteris, & clericis, qui cum sint voto castitatis adstricti non possunt contrahere matrimonium verum, & validũ: vnde si cõtrahant Papa decernit esse cum eis tanquam cũ bigamo, vel bigamis agendum. Respondetur communiter quod etsi adducat exemplum illud de presbytero, & clericis; tamen resolutio, & decretum deinde est generale, de quocumque similia matrimonia contrahente. Quia illud decretum non est factum in pœnam illorum clericorũ, sed propter illam indecentiam duplicis matrimonij, quæ præsefert illam incontinentiam, omninò repugnãtem sacerdoti, qui gerit vices Christi. Et ideò debet esse purissimus. In quocumque ergo est hęc incontinentia, & desformitas ad Christum Dominum, in eo cadit hæc bigamia, & irregularitas.

De tertia specie bigamiæ interpretatiuæ.

252 Tertia species bigamiæ interpretatiuæ, quę est quãdo quis contrahit cum vidua, expressè habetur cap. *debitum* de bigamis, & dist. 34. cap. *si quis viduam*. 1. cap. *lector.* cap. *si quis viduam*. 2. cap. *præcipimus*. His enim capitibus decernitur quod si quis cõtrahat matrimonium cum vidua iuris interpretatione decernitur esse bigamum, & ideo hæc est tertia species bigamiæ interpretatiuæ, & requiritur semper vt copula carnalis sequatur, vt supra diximus. Ratio, propter quam in hoc casu decernitur esse bigamiam, est quia in cap. *debitum*, de bigamis adductum dicitur quod qui ducit in vxorem corruptam vel viduam, non conformatur sponso Christo, cui Sacerdos debet conformari; Nam Christus Dominus habet vnicam sponsam nec vnquam habuit aliam, neque ecclesia, quæ est sponsa Christi, fuit vnquam alterius sponsa. Ita quod Christus est vnus vnius sponsæ, & ecclesia est vnica vnici sponsi. Qui aũt ducit viduã non est vnus sponsus vnius sponsæ, sed est sponsus vnius, quæ fuit bis sponsa, neq; ipsa vidua est sponsa vnici, sed est sponsa duorum.

Quid si matrimoniũ cũ vidua sit nullum.

Opinio Nauar.

253 Est autem dubium an si quis cõtrahat cum vidua, sed inualidè, propter aliquod impedimentum dirimens, vt est votum castitatis solemne, vel consanguinitatis, & huiusmodi, fiat irregularis. Nauarus cap. 27. num. 195. tenet partem negatiuam, hac ratione; quia hoc nullo iure cauetur, irregularitas autem non contrahitur nisi in casibus in iure expressis, vt sæpius supra dictum est: Sed in contrariũ est, quia cap. vltimo de bigamis decernitur quod Subdiaconus, qui contraxit cum vidua, & eam cognouit sit bigamus, & tamen matrimonium illud erat nullum. Respondet Nauarus quod ibi decernitur Subdiaconum illum esse bigamum, quia erat sacro ordine initiatus, non autem, quia contraxit cum vidua. Vnde vult quod illa bigamia sit similitudinaria, adeo quod laicus, vel ordinatus ad minores tantum, contrahens inualidè cum vidua, non esset bigamus, neque irregularis.

Opposita sententia est vera.

254 Sed contrà, Quia ratio, quam textus ibi adducit propter quam Subdiaconus ille dicitur bigamus, non est, quia sit sacris initiatus, sed quia contraxit cum vidua, licèt inualidè, verba textus sunt. *Cum eo tamen contra doctrinam Apostoli tanquam cum marito vidua dispensare non licet, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis, cum opere subsequuto*. Vnde Couarruuias in dicta Relect. par. 1. §. 2. numer. 2. dicit hanc sententiam esse communem, & Recentiores eam sequuntur, & eam tenet Ricardus in 4. dist. 27. art. 4. quæst. 3. & mihi quoque probatur.

An qui ducit corruptã sed non ab alio cognitã fiat bigamus

255 Quarta species bigamię scilicet quod qui ducit corruptam, seu non virginem fiat bigamus, probatur ex cap. *maritum*, distinct. 33. & cap. *curandum*, & cap. *præcipimus*, distinct. 34. In his enim capitibus decernitur quod qui duxerit non virginem, vel meretricem, vel concubinam non ordinetur. Sed dubium est de eo, qui ducit in vxorem corruptam à se ipso, nec ab alio prius fuit cognita, an fiat bigamus. Hic duplex est opinio. Aliqui dicunt fieri bigamum; Quia expressè in cap. *maritum*, dicitur; *qui vnam vxorem non matronam, sed concubinam habuit, non potest esse clericus*, & in cap. *præcipimus*, distinct. 34. dicitur: *aut qui virginem non est sortitus in vxorem*; corrupta autem prius quàm fiat matrimonium, non est virgo.

Communior opinio.

256 Communior tamen opinio Summistarum, verbo *bigamia*, quam sequuntur Nauarus cap. 27. numero 196. Suarez qui plures alios citat disputat. illa 49. sect. 3. num. 6. & Glosa in cap. sanè primo de clericis coniugatis, quæ adducit multa iura in oppositum, & illis respondet & alij, est quod non fiat bigamus. Pro hac opinione nullum ius adducitur in quo directè probetur, sed solum affertur hæc ratio. Quia cum subsequitur matrimonium filij nati prius legitimantur, & ideò videtur matrimonium retrotrahi, & censeri quasi factum cum illa ante primam copulam, ideo hoc priuilegio gaudet. Accedit, quod qui sic vnam solam cognouit non diuisit carnem suam cum alijs; Ideò non videtur contrahere illã dissimilitudinem cum Christo, quam contrahit, qui se miscet cum cognita ab alijs.

Cur vir corruptus ducẽs virginem nõ fit bigamus & ducẽs corruptam fit.

257 Occurrit autem hic dubium, quare vir contrahens cum corrupta fiat bigamus, & irregularis, & tamen ipse vir non virgo ducens virginem non fit bigamus. Respondetur quod rationes variæ adducuntur, sed præcipua est hæc, quia maior castitas requiritur ex parte mulieris, quàm ex parte viri. Plures rationes huius reddit Glosa in cap. *debitum*, verbo *cognitam*. hæc autem est præcipua quantum spectat ad contractionem bigamiæ: Quia vir significat Christum, qui primo copulauit sibi Synagogam, & postea ecclesiam degentibus, scilicet militantem, in qua sunt boni, & mali, & ideo non nocet, si vir non fuerit virgo. At vxor significat ecclesiam triumphantem, in qua non est macula, nec ruga, quæ semper virgo permansit saltem mente, & ideo exigitur quod vxor carnem suam non diuiserit in plures, Ratio autem, ob quam absolutè requiritur maior castitas in muliere, quàm in viro est, quia maior est indecentia in sponsa si non sit casta, quàm in homine.

Maior castitas requiritur in muliere, quam in viro.

258 Præterea est quædam infamia ducere corruptam. Item facilius est mulieri seruare castitatẽ, quàm viro; ideo ecclesia voluit quod integritatis corruptio in muliere faceret bigamiam, non in homine.

Impugnatio Sota.

259 Cæterum hæc ratio impugnatur à Soto, & ab alijs in 4. distinct. 27. quęst. 3. art. 1. conclus. 4. eo quia synagoga non fuit concubina Christi, sed vera vxor; quoniam vna eademq. fuit antiquorum fides, & nostra, Quia quod illa significabat futurum, nostra significat factum. Verùm res hæc est parui momenti; & responderi potest quod licèt ecclesia semper vna, & eadem fuerit quantum ad substantiam, tamen quantum ad faciem exteriorem fuit diuersa; vnde in Scriptura ponitur aliquod discrimen dum. Actorum 15. dicitur *oportuit primum vobis prædicari Regnum Dei, sed quia illi resistitis ecce transimus ad gentes*.

Solutio.

In capite autem *si quis viduam*. 2. distinct. 34. declaratur irregularis, qui ducit in vxorem ancillam, vel aliquam de ijs, quæ publicis spectaculis mancipantur, intelligitur autem licèt sit virgo, quia solum hanc causam ibi assignat textus, sed hæc irregularitas non est irregularitas propter bigamiam, sed propter infamiam, quæ contrahitur propter vilem conditionem personæ.

Qui ducit personam vilẽ est irregularis propter infamiam non propter bigamiam.

260 Quinta species bigamię scilicet cum quis cognoscit propriam vxorem postquam adulterium commisit, etiam si eam virginem duxit. Probatur ex cap. *si laici*, & cap. *si cuius*, distinct. 34. In his enim capitibus decernitur, quod si constiterit laici alicuius vxorem commisisse adulterium, huiusmodi laicus non admittatur ad sacros ordines; hoc autem intelligitur, vt ait ibi Glosa, si eam post adulterium cognouit. Sed dubium est an hoc intelligatur de marito sciente, an ignorante. Glosa ibi dicit aliquos intelligere de marito sciente, qui est leno, & est patronus turpitudinis, sed quãdo maritus ignorat non videtur fieri bigamus, & irregularis: sed Glosa respondet hoc intelligi etiam de ignorante; nam si maritus esset sciens, & leno, repelleretur

tur propter proprium delictum. Dicendum est ergo quod sit bigamus, quia cognoscit iam corruptam ab alio, & est maritus corruptæ, ideo est bigamus superioris speciei, si tamen nõ cognoscit eam, post perpetratum adulterium, non est bigamus, nec irregularis, vt habet eadem Glosa, argumento ex cap. vltimo eadem distinctione, & consentiunt omnes. Hoc idem dicendum si per vim absque culpa mulier ab alio violetur; quia vt dictum est, hoc impedimentum non oritur propter culpam vxoris, sed quia est corrupta. Idem dicendum si quis iure, vel iniuria cogatur reddere debitum vxori, quæ prius commisit adulterium. Nam licèt de hac re sint diuersæ opiniones, vt notauit Glosa eodem cap. *cuius*, tamen hæc videtur probabilior propter eandem rationem, quia hoc impedimentum contrahitur non propter culpam, sed quia cognoscit corruptam, quod etiam asserit D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 3. ad quartum, & Angelus, & Syluester, verbo bigamia.

Bigamia similitudinaria.

261 Bigamia similitudinaria quæ est illa quæ accidit propter duo matrimonia, quorum vnum est spirituale scilicet per votum solemne castitatis, & alterum carnale. Nimirum quando habens votum castitatis contrahit matrimonium carnale, probatur ex cap. *quotquot*. 27. quæstion. 1. In eo enim sic dicitur *quotquot virginitatem pollicitam prauaricati sunt professione contempta*. (Intellige per contractionem matrimonij, non per violationem castitatis extra matrimonium, vt ex sequentibus capitibus elicitur) *inter bigamos, qui ad secundas nuptias transierũt haberi debent*. Ex quo habetur hanc irregularitatem extendi nedum ad Religiosos professos in Religionibus, sed etiam ad clericos in sacris promotos; licèt aliqui de clericis hoc negent; Est tamen communior opinio quod ad illos quoque extendatur; Quam tenent Summistę verbo bigamia, & Nauarus cap. 27. numer. 195. & ante illos fuit Glosæ in cap. *superiori*, de bigamis, quæ citat ad hoc caput *quotquot*, superius adductum. Loquitur enim vniuersaliter illud caput neminem excipiendo; loquit enim *quotquot*. præterea cap. *presbyter*. distinct. 28. apertè inquit, *presbyter si vxorem duxerit ab ordine suo illum deponi debere*; vbi hæc depositio est idem quod inhabilitas, seu irregularitas ab officio suo exercendo, & cap. *monacho* 27. quæst. 1. dicitur de monacho, *& si postea vxori fuerit sociatus tanta prauaricationis reus nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur*; & denique hoc euidenter colligitur, quicquid aliqui dicant; ex cap. *sanè*, 2. de clericis coniugatis, nam ibi dicitur sic. *sanè Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potius nuncupanda post pœnitentiam longam, & vitam laudabilem continentes officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi eius executionem habere*. Si ergo concedit Papa quod post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem possit Episcopus eum restituere, & secum dispensare; sequitur quod Papa supponit ipsum esse bigamum, & irregularem: quod etiam sentiunt Recentiores cum Couaruuia dicta Clementin. part. 1. §. 2. numero 2.

De dispensatione super irregularitatem ex bigamia.

262 Circa dispensationem super irregularitatem ex bigamia contractam, est magna controuersia, vt notauit Scotus in hoc 4. distinct. 33. quæst. 2. artic. 2: Nam ex vna parte videtur quod Papa non possit super illam dispensare, quia cap. *super eo*. de bigamis dicitur: *Quia cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet, vt debeant ad sacros ordines promoueri*. & cap. *nuper*, eodem titulo dicitur: *Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quod cum huiuscemodi clericis, qui quantum in eis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt tamquam cum bigamis non liceat dispensari*. Idem habetur cap. *si quis viduam*. distinct. 50. contrarium tamen est verum: nam cum omnis irregularitas sit de iure canonico, certum est Papam super illam dispensare posse. Quod etiam probatur à Scoto ex cap. *lector*. distinct. 33. & ex Glosa ibi. Nam Papa Martinus dispensat lectorem, qui duxit viduam, vt possit ad Subdiaconatum promoueri,

sed non vltra. Et Glosa ibi dicit, quod Papa dispensat in bigamia; & quod Lucius Papa dispensauit cum Panormitano Episcopo, qui fuit bigamus. Hanc eandem sententiam tenent Theologi alij in hoc 4. distinct. 27. præsertim Diuus Thomas quæst. 8. artic. 3. & alij quos citat Nauarus cap. 27. num. 297.

Ad canones in contrarium.

263 Ad canones in contrarium Scotus affert quandam glosam, quæ hæc iura concordat, dicendo quod in primitiua Ecclesia Subdiaconatus non erat ordo sacer, ideo Papa concessit quod ille lector posset ordinari ad Subdiaconatum, non autem supra. Sed hæc Glosa nunc est abrasa, & iure, quia falsum est quod in veteri ecclesia Subdiaconatus non fuerit habitus pro ordine sacro. Quod nos supra agendo de ordine sacro ostendimus.

264 Est ergo dicendum, vt ibi ait Scotus, quod in prędictis cap. non dicitur quod Papa non possit, sed quod non liceat dispensare; dicitur autem non licere, non quia omninò non liceat, sed solum quod pro vrgenti necessitate talis dispensatio licet. Et ad factum Lucij Papæ inquit Scotus eum improbari (videtur enim reprobari ab Innocentio, Martino, & alijs Pontificibus in citatis canonibus dum ab eis dicitur non licere dispensari cum bigamo) non quia non potuerit dispensare, sed quia non decet nisi vrgenti necessitate.

An liceat Episcopo dispensare cum bigamo.

265 An verò liceat Episcopo dispensare cum bigamo; saltem quoad ordines minores est dubium; aliqui affirmant vt Diuus Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 3. artic. 3. quo ad bigamiam veram, & interpretatiuam, & eandem sententiam tenent Richardus, Durandus, Syluester verbo bigamia. quęst. 7. & quidam Alij. Alij ex aduerso asserunt Non licere dispensare ad suscipiendum ordines minores, sed solum ad viendũ iam susceptis ordinibus, vt Nauarus cap. 27. num. 197. Alij denique tenent vniuersaliter non posse Episcopum nec ad ordines minores suscipiendos, nec ad ministrandum in susceptis dispensare. Hanc sententiam tenent Recentiores quam desumunt ex Abbate, cap. a. de bigamis, num. 5. in fine, & ex Doctoribus in caput vnicum de bigamis in 6. Ratio est quia in dicto cap. vnico de bigamis in 6. bigami bigamia vera, & interpretatiua, vt Glosa exponit, priuantur omni priuilegio clericali, & in cap. *nuper*. & cap. vltimo de bigamis, hæc potestas dispensandi cum bigamis simpliciter Episcopis aufertur.

De dispensatione super bigamia similitudinaria.

266 Super bigamia similitudinaria vero si fuit virgo Episcopus dispensare potest cap. 1. *qui clerici, vel vouentes*, & Glosa ibidem, & est communis opinio, vt ait Nauarus cap. 27. num. 196.

DISPVTATIO QVARTA.

De Excommunicatione.

Diuisio in Maiorem & Minorem, à iure & ab homine, & eorum differentia. Quid sit Excommunicatio, & Anathema. *Caput Primum.*

AGit breuiter Scotus de excommunicatione in hoc quarto duobus locis scilicet distinct. 19. quæst. vnica, in qua agit de potestate clauium artic. 5. & hac distinct. 25. quæst. 1. §. *quarta pœna*. Nihilominus tangit omnia necessaria ad cognitionem huius pœnæ ecclesiasticæ. Circa explicationem huius pœnæ Recentiores vario ordine vtuntur: Nimirum discurrendo per quatuor genera causarum. Nos quatuor tractabimus sicut Scotus facit ad quæ reliqua reducuntur. Primò agemus de quidditate, & essentia eius, siuè qd sit ex-

communicatio. Secundò de causis ob quas ea incurritur Tertiò quomodo tollitur. Quartò quomodo se habet ad alias pęnas, & censuras ecclesiasticas.

Differentia inter pęnam canonicam, & cẽsuram.

2 Dimitto disputationem de differentia inter pœnam canonicam, & censuram ecclesiasticam, scilicet an excommunicatio sit pęna vel censura; nam de hoc discrimine dixi supra disp. 2. cap. 1. & disp. 3. cap. 1. agendo, an irregularitas sit pœna canonica, sufficit enim quod excommunicatio cõtineatur sub numero pęnarum canonicarum, & specialius sub nomine censuræ, vt ibi diximus; & quod omnes conueniãt in causa materiali, quia versantur circa ordines sacros, ob res spirituales magis vel minus, vt patet ex corũ differentijs particularibus, de quibus infra.

De potestate ferendi censuras.

3 Dimitto etiam disputationem vnde sit hæc potestas in Ecclesia imponẽdi has pęnas; An scilicet sint de iure diuino, vel humano; diximus enim supra distin. 19. disp. 31. cap. 3. hanc potestatem quæ est iurisdictionis esse institutã à Deo, Ioan. cap. 21. vbi potestatem supremam iurisdictionis dedit Petro, & in persona Petri suis Successoribus, & Ecclesiæ ipsi. Specialiter tamen potestatem iurisdictionis in foro exteriori, & forum externum Ecclesię, in quo spiritualiter possit ligare, punire & absoluere, instituit, Matt. 18. *Dic Ecclesiæ, &c.* Quæ auctoritas postea per Ecclesiam vario modo est disposita, & diuisa; Vnde diuersæ species pœnarum, & censurarum ortæ sunt, vt etiam infra tangam. Qua ratione communiter dicitur has pęnas & censuras esse de iure humano. Nam licèt Christus Dominus dederit auctoritatem imponendi has censuras, & pœnas, tamen illas ipse Christus in specie non distribuit, nec diuisit, nec ordinauit eo modo, quo ordinatæ sunt ab Ecclesia; sed ipse Sũmus Põtifex, & Ecclesia ex auctoritate accepta à Christo, Eas eo modo distribuit, & accõmodauit, quomodo nũc sũt in vsu in Ecclesia; vt patet ex sacris canonibus de ipsis disponentibus. Neque alius quàm Summus Pontifex potuit hanc distributionem seu institutionem particularem facere: quia istę pertinent ad totam Ecclesiam, solus autem Papa est caput, & Pastor vniuersalis Ecclesię: licèt deinde Episcopi, & inferiores Prælati habeant potestatem illas ferendi in suos subditos per potestatem ordinariam, vel delegatam prouenientem à Summo Pontifice, vt diximus disput. 21. cap. 3. & disp. 31. cap. 3. & 4. de Pęnitentia contra hæreticos, vt etiam infra tangam.

Christus ore proprio explicauit formã excommunicationis.

4 Nihilominus licèt hæc vera sint, tamen negari non potest, quin forma excommunicationis sit explicata in Sacra Scriptura, & tradita ab ipso Christo ore proprio. Nam Matth. 18. in illis verbis. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Etnicus, & publicanus.* explicat, & tradit formam, & quidditatem excommunicationis, licèt nõ apponat omnia verba, & non ita clarè explicet, sicut per Ecclesiam postea est explicata: quia etiam formę sacramentorũ, & præsertim Eucharistiæ corporis, & sanguinis est ea, quã tradidit Christus Dominus ore proprio, licèt Ecclesia aliqua verba addiderit, & eo modo, quo in vsu est in Ecclesia, sit ordinata ab ipsa Ecclesia. Immò ex hac forma tradita à Christo excommunicationis, & auctoritate in foro exteriori concessa eidem Ecclesiæ in verbis illis sequentibus. *amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erũt ligata, & in cælis, &c.* Ecclesia deinde quasi diuisit hanc excommunicationem in diuersas partes. Nam cæteræ cẽ-

Censuræ aliæ sũt quasi partes excomm.

suræ, & pęnæ sunt quasi partes ipsius excommunicationis. Quoniam vt videbimus excommunicat. est maior censura ecclesiastica omnibus alijs pęnis, & censuris: quia priuat à pluribus; priuat enim nõ solum à susceptione, & vsu sacrorum ordinum, vt aliæ censurę, sed à communicatione fidelium, quæ est maxima pęna; Vnde est veluti quoddam totum integrale, cæteræ pęnæ sunt quasi partes integrales excommunicationis; quę omnia magis patebunt ex declaratione diffinitionis. Et hæc videtur esse opinio Scoti in 4.

Opinio Scoti.

dist. 19. art. 5. dum inquit, hanc potestatem in foro exteriori datam esse Ecclesiæ Matt. 18. dum dixit Petro *si peccauerit, &c.* Nam non dicit, quod dederit solum potestatem in communi ferẽdi censuras, & pęnas ecclesiasticas, sed in particulari hanc pęnam, vt inobedientem Ecclesię haberet vt etnicum, & publicanum, idest quod separaret eum à communione fidelium, quæ est forma, & quidditas excõmunicationis, vt videbimus.

Obiectio Suarez.

5 Sed contra obijcit Suarez tomo de censuris dispu. 2. sect. 1. n. 4. quia si hoc esset verũ, sequeretur omnẽ hominẽ inobedientem Ecclesię esse excommunicatum, quod tamẽ est falsum. Secundo, quia tunc sequeretur, quod Ecclesia

Secũda ratio

neminem excommunicaret, sed solum declararet esse excommunicatum iure diuino, quia non parit Ecclesiæ, quod pariter est absurdum. Tertiò sequeretur quod quando le-

Tertia ratio.

ges ecclesiasticæ ferunt censuram ipso iure incurrendam, non esset intelligendum de iure humano, sed diuino, & q̃ non essent differentes ab illis alijs legibus, quæ ponunt excommunicationem comminatoriè, & sub pęna tãtum, nisi quod illæ priores expressè contineant declarationem pęnæ impositæ iure diuino; posteriores verò minimè, quòd est pariter absurdum, vt patet. Hęc autem omnia absurda sequi ad nostram opinionem probat: quia Christus generaliter ibi loquitur. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã*

Consequẽtia principalis probatur.

etnicus, & publicanus, Vel ergo est sermo in particulari de excommunicatione, ita quod Christus huic delicto inobedientiæ ad Ecclesiam imposuit pęnam excommunicationis: & sic omnes, qui non obediunt Ecclesiæ, sunt excommunicati, sicut omnis, qui violat litteras Apostolicas, est excõmunicatus; quia tali violationi est imposita pęna excommunicationis; quod est absurdum euidens. Vel est dicendum, quod Christus illis verbis nõ loquitur de excommunicatione in particulari; & sic habet propositum, quod excommunicatio non est instituta ibi à Christo, neque est de iure diuino, sed humano.

Refellitur Suarez.

6 At illæ rationes non cogunt. Vnde pro rei huius intelligentia est notandum, quod aliud est dicere, Deum instituisse formam censurę excommunicationis, qua puniret contumacem Ecclesiæ; & aliud Deum imposuisse censurã excõmunicationis inobedienti Ecclesiæ. Differentia istorum patet: Nam Doctores & etiã superiores lege sua quandoque docent iudicem quomodo, & qualiter debeat ferre sententiam, non tamen propter hoc ferunt ipsi sentẽtiam. Sic ad propositum Christus Dominus in eo loco docuit Ecclesiam, qua sententia deberet punire, & corrigere contumacem ecclesiæ, & præscripsit formam huius sententiæ, dicens, quod huiusmodi contumacem haberet pro ethnico, & publicano idest illum separans à communione fidelium extra ecclesiam ejiceret, quæ est forma, & sentẽtia excommunicationis. Deinde in verbis sequentibus dedit auctoritatem ecclesiæ ferendi hanc censuram sub illa forma. At ipse Christus non sententiauit, neque huic peccato contumaciæ actu imposuit censuram excommunicationis, sed reliquit hoc in arbitrio ipsius ecclesiæ. Et hoc modo intelligunt Scotus, & alij Auctores dicentes excommunicationem esse de iure diuino, & institutam a Christo illo loco Matth. 18. ex his patet ad rationes Suarez. Ad primam enim negatur consequentia. Valeret enim si diceremus,

Ad rationes Suarez.

quod Christus illis verbis imposuisset pœnam excommunicationis contumaci ecclesiæ, tunc enim sequeretur omnem contumacem esse excommunicatum, & ecclesiam nõ imponere excommunicationem, sed declarare, &c. At hoc non dicimus; sed solum asserimus Christum Dominũ eo loco instituisse censurã excommunicationis, ac eius formam, & essentiam explicasse; & dedisse deinde Apostolis, & ecclesiæ facultatem illa vtendi contra rebelles ecclesiæ, quando illi videretur vtile, & necessarium. Ex qua auctoritate Christi data ecclesiæ oritur obligatio in subditis ad obediendum ecclesiæ, & facultas ecclesię auferendi & imponendi eam. Et per idem patet ad alias duas rationes.

Anathema quid significet.

7 Antequam enim videamus quid sit excommunicatio adhuc est obseruandum, quod excommunicatio, quandoque vocatur anathema, Vnde sæpè in sacris canonibus habetur loco excommunicationis nomen anathematis, cap. 1. de eo, qui furtiuè ordinem suscipit *sub interminatione anathematis* præcipitur illi Diacono ne ad ordinationẽ

acce-

accederet, idest sub pœna excommunicationis, vt Glosa ibidem, & sæpius similia habentur. Nam hoc nomen, anathema, quod est Græcum, propriè significat detestationem, vel execrationem. Vnde cum in Concilijs decernitur aliquis articulus de fide, vt sæpè contingit, & maximè in Tridentino oppositum tenentibus, dicitur anathema, idest oppositum sentientes detestant, & execrantur: Et quia excommunicatio est detestatio, & abiectio, ac separatio quædam hominis ab ecclesia, hæc actio dicitur anathema. Habet etiam alias significationes, quæ huic significationi inseruiunt, vt est videre apud Budæum in canon. linguæ Græcę. Aliquando enim significat idem, quod remotū, seu separatū, vnde donaria, quæ Dijs apud Gentiles suspendebantur in columnis, vel parietibus Templi appellabantur anathemata, idest separata ab vsu humano, & solum dicata Dijs. & in hoc sensu Apostolus ad Romanos 9. dicit: *optabam ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Vult enim dicere, quod quando versabatur in Iudaismo ante conuersionem ad Christum, erat adeo zelans pro lege, quod optabat esse separatus potius a Christo, quā à fratribus suis Iudæis, adeo diligebat Iudæos. Hęc autem significatio congruit excommunicationi. Quia vt videbimus excommunicatio est separatio hominis ab ecclesia: quod etiam habetur 24. quæstio. 3. cap. *certum.* significat etiam aliquando id quod abominationi, & detestationi habetur, secundum quem sensum Numeri 21. Ciuitates illæ Cananeorum vocantur Horma, idest anathema, vt exponit Diuus Hieronymus in epistola ad Galatas 1. Et in hoc sensu etiam accommodatur excommunicationi, & congruit propriè significationi, quam prius adduximus. Quia homo excommunicatus in abominationem, & execrationem habetur. Habet alia significata, quæ omitto.

Locus Pauli optauā anathema esse, &c. quomodo intelligitur.

8 Est tamen aliqualis differentia inter excommunicationem, & anathema: Nam anathema propriè est excommunicatio maior, vt elicitur ex cap. *Engeltrudam,* 3. quęst. 4. & ex Glosa ibi, & ex Gratiano, & ex cap. *De Presbyterorum.* 17. quæst. 4. excommunicatio autem absolutè sumpta accipitur etiam pro excommunicatione minori; & hoc modo accipitur excommunicatio in cap. illo *Engeltrudam,* dum dicitur Engeltrudam percussam fuisse non solum *excommunicatione, quæ à fraterna societate separat,* sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est ecclesia separat. Nam excommunicatio minor separat à communione fraterna fidelium solum in sacramentorum perceptione; sed maior eijcit omninò extra ecclesiam. Ponitur etiam discrimen aliud ab aliquibus inter excommunicationem maiorem, & anathema, eo quod anathema dicitur excommunicatio maior, quę profertur cum solemnitate, de qua cap. *debent.* 11. quæst. 3. quæ est, quod proferatur ab Episcopo cum duodecim Sacerdotibus lucernas ardentes in manibus tenentibus, quas in cōclusione anathematis, seu excommunicationis proijcere debeat in terram, & conculcare pedibus, nec debent amplius ad aliquem vsum assumi, sed proijci velut sal infatuatum. Excommunicatio verò maior, sed non anathema, est, quæ sine hac solēnitate profertur à quocumque Prælato iurisdictionem habente ordinariam, vel delegatam; vt habetur cap. Cum ab ecclesiarum de officio, & potestate iudicis delegati, & ex Glosa ibidem, quæ ibi docet, Pręlatos alios habentes potestatem iurisdictionis posse excommunicare, licèt non cum illa solemnitate; & exponit iura, quæ videntur dicere excōmunicationem esse proprium mucronem Episcoporum, vt cap. *visis.* 16. quæst. 7. & cap. *corripiantur.* 24. quæst. 3. intellige de excommunicatione cum solemnitate illa; Eo enim modo ferè excommunicationem pertinet ad solum Episcopum: habet enim hoc modo maiorem terrorem externus, sed interius, & in se est eiusdem valoris prolata tàm cum solemnitate illa, quàm sine. Vnde cum in rebus magni momenti fertur excommunicatio, est in vsu nomen anathematis, ad significandum grauitatem delicti, propter quod fertur excommunicatio.

Quæ differētia sit inter anathema, & excōmunicationem.

Solemnitas ferendi excōmunicationem maiorē

9 Nunc ad diffinitionem excommunicationis accedamus, quæ à diuersis diuerso modo assignatur. Aliqui sic definiunt. *Excommunicatio est ecclesiastica censura, qua homo Christianus bonis communibus fidelium priuatur.* Apponunt illam particulam, Christianus, ad denotandum hanc censuram ligare posse solum baptizatos, & Christianos. Sed hæc particula est redundans: Quia cum dicitur hanc censuram esse priuationem bonorum communium fidelium, supponitur, illum, contra quem fertur, esse iā baptizatum, & Christianum, & iam frui illis bonis communibus, alioquin non posset illis priuari, si prius illis non potiretur.

Variæ diffinitiones excommunicationis.

10 Aliqui dicunt. *excommunicationem esse censuram, qua quis separatur ab vsu communionis fidelium.* Nolunt enim poni illam particulam, à communione fidelium, quia per illam videtur excommunicato adimi facultas, & potētia vtendi communione ecclesiæ; quod est falsum. Quia non tollitur character baptismatis, in quo illa habilitas cōsistit: Non priuat ergo simpliciter communione, sed solum vsu communionis. Sed hæc consideratio nullius est momenti, quia priuare communione fidelium in tali diffinitione, non est priuare potentia remota & radicali ad huiusmodi communionem, sed actuali communione, & potentia proxima licita, vt patebit ex dicendis.

Aliorū diffinitio.

Reijcit.

11 Alij vt Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. dicunt *excommunicatio est ecclesiastica censura, qua homo ab aliqua ecclesiæ communione separatur.* In hac diffinitione Soto ponit illam particulam, ab aliqua ecclesiæ communione, vt comprehendat excommunicationem maiorem, & minorē simul. Nam minor tantùm separat à participatione passiua, siuè à susceptione sacramentorum: maior verò, & ab illa, & insuper à suffragijs, & conuictu fidelium simul. Non existimat tamen Soto hanc esse diffinitionem excōmunicationis propriè, quia paulò infra assignat diffinitionem excommunicationis maioris, quam dicit esse simpliciter excommunicationem, vt videbimus, sed dicit, si quis velit assignare diffinitionem, quæ simul cōprehendat maiorem, & minorem illam esse assignandam. Et hoc modo intelligendus est quoque Abbas in rubrica de sententia excommunicationis, dum assignat diffinitionem quæ comprehendit vtramque excommunicationem. Suarez tamē disput. 8. sect. 1. nititur exponere hanc diffinitionem Soto ita vt coincidat cum diffinitione, quam ipse ibi assignat, quam vult sub se vniuocè comprehendere maiorem, & minorem; & excommunicationem esse genus, & maiorē, & minorem esse propriè species excommunicationis propriè dictæ in communi. Assignat enim pro diffinitione excommunicationis hanc. *Excommunicatio est censura qua quispiam separatur ab ecclesiastica communione fideliū,* inquit. n. se ponere illā particulam *ab ecclesiastica communione fidelium* abstractè absque illa particula *aliqua,* vel alia simili, quia sic abstractè sumpta comprehendit separationem à communione fidelium in communi, quæ potest esse ab aliqua communione, vel ab omni communione, & sic comprehendit minorem, & maiorem.

Alia diffinitio, quæ est Soto.

Diffinitio Suarez.

12 Cæterùm hic modus dicendi Suarez, etsi prima facie videatur esse rationabilis, nihilominus non videtur admittendus. Ratio est; Quia ratio generis includitur in suis speciebus æqualiter, & species addunt solum differentiam diffinitioni generis. Animal enim quod est substantia animata sensibilis includitur secundum se æqualiter in homine, leone, & alijs speciebus, sed species ipsæ deinde addunt differentiam essentialem super ipsam, vt homo rationalitatem: dicimus enim homo est animal rationale, seu substantia animata rationalis. At in proposito diffinitio illa excommunicationis in communi non clauditur in excommunicatione minori, quia per excommunicationē minorem nemo excluditur à communione fidelium. Et cum dicitur quod separatio à communione fidelium in cōmuni, & abstractè, est quid commune vtrique excommunicationi. Contrà, illa separatio à communione fidelium sumitur à verbo Christi Matt. 18. in illis enim habent suū fundamentum, etiam ex ipso Suarez ibidem, & infra videbi-

Refellitur.

debimus, at illa separatio à communione fidelium, quam Christus ibi docet, est separatio tanquam ab etnico, & publicano; Patet autem, quod excommunicatio minor non excludit hominem à communione fidelium, sicut excluditur fidelis Christianus ab etnico, & publicano: sed solum à susceptione sacramentorum, in reliquis omnibus communicat cum fidelibus, quod non facit etnicus & publicanus; ergo separatio illa à communione fidelium non potest intelligi abstractè, sed determinatè pro separatione totali à communione fidelium, vt infra declarabitur, alioquin non haberet fundamentum in Euangelio.

13 Melius ergo dicitur cum Scoto in hoc 4. distin. 25. quæst. 1. §. *quarta pœna*, & dist. 18. quæst. vnica art. 5. & cũ Soto eadem dist. 22. quęst. 1. art. 1. quod excommunicatio maior est simpliciter excommunicatio: excommunicatio minor verò est excommunicatio secundum quid. Vnde cum Iudex excommunicat aliquem sine expressione maioris, vel minoris, sed simpliciter dicendo, te excommunico, vel similibus cap. penult. de sententia excomm. semper intelligitur de excommunicatione maiori, quæ etiam anathema dicitur. Excommunicatio autem minor est censura diuersa instituta ab ecclesia, sicut est suspensio, (Vnde sæpè appellatur in iure suspensio, vt infra videbimus) cessatio à diuinis, & interdictum, licèt hoc nomine excommunicationis appelletur. Placuit enim ecclesiæ hanc separationem à communione fidelium distinguere in varias species, quæ quodammodo sunt partes excommunicationis propriè institutæ à Christo, quatenus separant quoad vnũ effectum, non quoad alium, vt sic paulatim à minoribus pœnis incipiendo contumacem ecclesiæ corrigeret.

Vera diffinitio excõmunicationis ex Scoto.

14 Vera ergo & perspicua diffinitio excommunicationis est, quam explicat Scotus in hoc 4. dist. 18. quæst. vnica art. 5. quam deinde Alij amplexi sunt, licèt Scoti nullam mentionem fecerint, additis aliquibus particulis, quæ in ipsa clauduntur, nimirum. *Excommunicatio est exclusio, alicuius à communione fidelium.* Explicat tamen aliqualiter Scotus hanc diffinitionem, dicendo, quod est exclusio, non quidem corporalis, quæ fit in carceratione, vel exclusione ab alijs, sed excludendo per prohibitionem ne quis communicet cum alijs, nec alij cum illo. De qua exclusione infra agemus, explicando effectus excommunicationis: sat sit nunc, quod excommunicatio est prohibitio, ne quis communicet cum fidelibus alijs, nec alij cum ipso. Soto in 4. dist. illa 22. quæst. 1. art. 1. assignat diffinitionem coincidentem cum ista, licèt verbis quoquo modo diuersam, inquit enim. *Excommunicatio est ecclesiastica censura, qua homo ab ecclesiæ communione quoad fructum & suffragia communia separatur.*

Diffinitio Soto.

Nauarus cap. 27. num. 1. inquit. *excommunicatio est censura qua priuat à communione sacramentorum, & hominum,* ibi specificat effectus excommunicationis, sed si in diffinitione excommunicationis ponendi essent effectus excommunicationis in particulari multo longior esse deberet, quia quibus effectibus, & quomodo priuet eget maxima declaratione. Ideo vltimo Suatez vbi supra assignat diffinitionem excommunicationis, quæ omninò est eadem cum diffinitione Scoti, solũ in hoc differt à Scoto: quia vult hanc diffinitionem esse communem maiori, & minori, quod est falsum, vt diximus supra; diffinitio enim eius in illa disp. 8. sect. 1. est hæc. *excommunicatio est censura, qua quispiam separatur ab ecclesiastica communione fidelium.*

Diffinitio Nauari.

Diffinitio Suarez quæ coincidit in diffinitione Scoti.

Allata diffinitio explicatur.

15 Hæc diffinitio est simul diffinitio quid nominis, & quid rei. Est quid nominis, quia hoc nomen excommunicatio perinde est, ac extra communionem factio, & excõmunicatus perinde est, ac extra communionem factus. Est verò quid rei, quia explicat essentiam, & quidditatem huius censuræ, quæ excommunicatio appellatur. Vnde genus eius est pœna, seu censura ecclesiastica: diximus enim supra in materia de irregularitate, quod excommunicatio enumeratur inter pœnas canonicas, quia est pęna imposita à canonibus. Dicitur verò censura, quia est pęna canonica, non quæcunque, sed ordinata ad correctionem & medicinam peccati: Vnde diximus eodem loco censuram per hanc differentiam distingui ab alijs pœnis. Diximus enim tres esse censuras ecclesiasticas, inter quas prima est excommunicatio, ex cap. *querenti*, de verborum significatione. Differentia verò est illa vnica particula *à communione fidelium*: per hanc enim distinguitur ab alijs censuris scilicet à Suspensione, Interdicto, & ab omnibus alijs pœnis ecclesiasticis, vt est Excommunicatio minor, Suspẽsio à diuinis, Degradatio, Depositio, & alijs: Quia reliquæ omnes priuant solum à communione quadam partiali fidelium, scilicet à communione aliquo modo cum fidelibus in sacramentis tantùm; sed excõmunicatio separat ab omni communione fidelium, etiam extra sacramẽta, & proijcit excommunicatum extra ecclesiam etiam quantum ad communionem externam, licèt quantum ad fidem, & charitatem, & communionem internam possit manere coniunctus. Nam excõmunicatio directè non priuat gratia, sed supponit eum, qui excommunicatur amisisse gratiã propter peccatum contumaciæ, sed si pœniteat, ille peccato poterit esse in gratiam antequam absoluatur ab excõmunicatione, & propter hoc dicitur, quod priuat quantum ad communicationem exteriorem, priuat enim excommunicatum omni communione tàm spirituali, quàm ciuili, & humana, vt postea videbimus.

16 Hæc autem diffinitio elicitur ex verbis Christi in Euangelio Math. 18. ex communi consensu, vt etiam fatetur Suatez vbi supra, idem enim significant illa verba Christi. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam etnicus, & publicanus,* ac si dixisset, si quis fuerit contumax, & inobediens ipsi Prælato Ecclesiæ, separa, proijce eum extra ecclesiam, prohibendo illi omnem communionem bonorũ ecclesiæ, sicut etnicis, & publicanis huiusmodi communicatio bonorum non est communicata. Prohibitio autem ista communicationis bonorum ecclesię est tradere sic excommunicatum Sathanę secundum modum loquẽdi Diui Pauli 1. ad Corinth. 5. vbi fornicarium illum tradidit Sathanæ, i. excommunicauit, & 1. ad Timot. 1. vbi inquit se tradidisse Himeneum, & Alexandrum Sathanæ, vt discerent non blasphemare. Ratio autem, propter quam excommunicatus dicitur tradi Sathanæ per ipsam excommunicationem, est, quia diabolus est extra ecclesiam, ideo qui per excommunicationem prohibetur communione fidelium orationibus, & suffragijs ecclesiæ, & eijcitur extra ecclesiam, quasi traditur in potestate dæmonis. Vnde 11. quæst. 3. cap. *omnis Christianus* ex Diuo Augustino serm. 68. de verbis Domini dicitur: *Omnis Christianus dilecti ssimi, qui à Sacerdotibus excommunicatur, sathanæ traditur: quomodo scilicet, quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apostolus sathanæ esse traditos prędixit excommunicatos à se esse demonstrat,* & eodem capite sequenti ex eodem Diuo Augustino in tractatu 27. ad caput 6. Ioannis. *Nihil sic debet formidare Christianus quam separari à Christi corpore, si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius, si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius; quisquis autem, inquit Apostolus, spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Vnde multi aiunt vt Anselmus, Caietanus, & aliqui Alij, Paulum tradidisse fornicarium illum Sathanæ vexandum corporaliter ad denotandum grauitatem huius pœnæ, ac in primitiua Ecclesia permisisse Deum excommunicatum etiam corporaliter vexari. Diuus Hieronymus tamen adductus 11. quęst. 3. cap. *Audi*, inquit duobus modis homines tradi de Ecclesia in potestatẽ diaboli. *Vno modo cum delictum eius manifestum fit Ecclesiæ, & per Sacerdotes de Ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, & è conuerso conueniat illi illud, quod sequitur, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi.* Quomodo videtur velle, quod hæc traditio non fiat per vexationẽ corporalem, sed solum per exclusionem à communione fidelium, per quam erubescat, & redeat ad cor.

Probatur hęc diffinitio

17 Hinc patet, quod licèt hæc pœna non videatur censen-

Excōmunicationis pœna non est cō tra pietatem

sentanea pietati Christianæ, cū priuet bonis spiritualibus, tamen non est sic, sed est maximè illi congruens, quia ordinatur ad salutem illius, iuxta illud allegatū Pauli, *vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi*. Et declaratur cap. 1. de sententia excommunic. in 6.

Solā excommunicationem maiorē esse excōmunicationē propriè.

18 Ex omnibus his cōfirmatur id quod diximus solam excommunicationem maiorem esse excommunicationē simpliciter, & proinde diffinitionem assignatam non posse competere excommunicationi minori: quia isti effectus, & ratio illi non competunt. Vnde rationabiliter à Scoto, & alijs excommunicatio minor appellatur excommunicatio secundum quid, priuat enim sola perceptione sacramētorum, seu sola participatione passiua sacramentorum. Neque potest dici species excommunicationis in communi, nisi æquiuocè. Vnde dicendum est esse speciem quandam censuræ institutam ab ecclesia ex potestate sibi tradita à Christo Domino limitandi pœnam hanc contra contumaces, ac non statim puniendi hanc contumaciam toto illo rigore, de quo auctoritatem illi dedit, sed prout illi videretur expediens iuxta verba sequentia Christi ibidem. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terra erunt ligata in cælis, &c.* Quod videtur confirmari ex cap. vltimo de clerico excommunicato, & ex capite penultimo de sent. excommun. quia ibi ponitur differentia inter excommunicationem Maiorem, & Minorem, & in hoc vltimo dicitur, quod cum quis sub hac forma excommunicat, *excommunico illum*. dicendum est eum non tantum *Minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam Maiori excommunicatione, quæ a communione fidelium separat, esse ligatū.* Patet enim hoc discrimen esse à iure institutum, & ex Glossa ibi colligitur, quod excommunicatio minor dicitur de varijs actionibus, vt de peccato mortali, de pęna imposita ab aliquo sibi ipsi, & alijs modis, qui propriè ad excōmunicationem secūdum diffinitionem assignatam ex verbis Christi non congruunt.

Differentia inter excommunic. Maiorē. & minorem.

De excōmunicationi minori.

19 Vnde quidam tàm ex Antiquis, quàm ex Recentioribus varias species excommunicationis Minoris colligūt, & aliquibus textibus moniunt. sed vt breuiter agamus, nō est recedendum à communiori sententia Theologorum, qui vnicam speciem excommunicationis minoris statuunt & eam diffiniunt esse censuram, quæ à participatione passiua sacramentorum totum priuat, vt supra diximus. Vnde licèt antiquitus, & speculatiuè procedendo videantur posse assignari variæ species: tamen prout nunc est in vsu non est nisi hæc vnica. Quod aperiè colligitur ex cap. penultimo de sent. excommunicationis nunc supra adducto, quia ibi dicitur, quod *excommunicatio minor priuat à perceptione sacramentorum*, quę perceptio est idem quod participatio passiua sacramentorum. Atque idem elicitur manifestè ex cap. *si celebrat*, de clerico excommunicato. Nā in eo capitulo ponuntur sex particulę ex quibus tota natura excommunicationis minoris declaratur. Prima est ꝙ existens ligatus excommunicatione minori, & in ea celebrans peccat grauiter. Secondò, quod tamen nullam incurrit irregularitatem. Tertiò, quod non prohibetur eligere, nec ea exercere, quæ ratione iurisdictionis ei competunt. Quartò, quod tamen si scienter sit electus, eius electio est irritanda. Quintò, quod peccat conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata nō carent effectu virtutis suæ. Sextò, quod est prohibitus, & remotus à participatione sacramentorum (quæ in sola perceptione consistit) idest, est prohibitus à participatione passiua sacramentorum. Ex his particulis sexta sola continet proprium & substantialiter effectum, immò essentiam excommunicationis minoris. Vnde hæc solum enumeratur in cap. penultimo de sent. excommunicationis, & per illā distinguitur à maiori eodem cap. & proinde illam solam in diffinitione eius posuimus. Cæteræ particulæ explicant quosdā eius effectus, qui ex ea consequuntur, & sunt declarādi ad exactam cognitionem huius censuræ.

Vnica est species excōmunicationis minoris.

Diffinitio excomm. minoris.

Sex enumerātur de excomm. minori totam eius naturā explicantes.

Particulæ allatę de excomm. minori explicātur

20 Ex prima ergo particula patet quale peccatum sit suscipere sacramenta in ligato excommunicatione minori: est enim peccatum mortale. Quod insinuat canon: dum ait huiusmodi excommunicatū *grauiter* peccare celebrando: grauiter enim peccare, est peccare mortaliter. Dum autem ait grauiter peccare celebrando significat peccatum mortale ab ipso committi, nedum in celebratione sacramenti Eucharistiæ, sed in perceptione aliorum sacramentorum: quia prohibetur à receptione omnium, ideo faciendo contra hanc prohibitionem, peccat mortaliter. Secunda particula denotat huiusmodi excommunicatum non incurrere irregularitatem propter huiusmodi susceptionē indebitam sacramentorum, per quod differt à maiori excommunicatione, in qua qui celebrat fit irregularis, atque hic nulla est dubitatio. Tertia particula est clara.

An excōmunicatus minori excōmunicat. possit eligi ad gradus. beneficia. &c.

21 Circa quartam particulam est dubiū, quomodo intelligatur. & primò quidem certum est intelligi de electione ad gradus, dignitates, & beneficia ecclesiastica: Quoniā hoc elicitur ex ratione, quam ibi adducit Pontifex, quæ est, *Pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur à quorum perceptione a Sanctis Patribus est priuatus.* Quæ habet locum in beneficijs ecclesiasticis, quæ ordines sacros habent annexos. Verùm est difficultas circa illam particulam *scienter*, quomodo intelligatur, de qua Syluester verbo *excommunicat.* 4. num. 4. Couaruuias cap. *alma*, par. 1. §. 8. num. 3. Suarez disp. 24. sect. 2. nume. 13. & sequentibus, & Alij ab eis citati plura dicunt. Sed breuiter est dicendum cum cōmuniori sententia, quod electio facta talis excommunicati scienter, siue scientia sit ex parte eligentium, siue electi, est irritāda, adeo quod valet solum cum facta est ignoràter tàm ex parte electi, quàm eligentium. Atque etiam hoc procedit post editam Bullā *ad euitanda* quo ad ipsum excommunicatum; licèt enim non sit publicatus, vel denuntiatus (quod in vsu non est) tamen non debet eligi, quia vt alias dictum est, illa Bulla non est edita in commodum excommunicati, si autem electio valeret donec non esset denunciatus, cederet in magnum commodum huiusmodi excōmunicati. Eligentes verò sic scienter, peccant quidem grauiter, quia faciunt contra ius canonicum, non tamen aliquam censurā incurrunt. Dubitatur etiam, an talis electio sit ipso facto irrita, & nulla, an sit irritanda, & donec nō sit irritata, sit valida. Aliqui tenēt, esse de facto irritam, & nullā, vt Couaruuias cum aliquibus alijs loco citato, atque exponit verbum illud *irritanda est* idest, est declaranda irrita. Alij verò dicunt talem electionem esse validam, donec à Iudice irritetur: quia quod decernitur esse irritandum, donec actu per Iudicem non sit irritatum est validum; hanc tamen electionem debere irritari, & hanc sententiam sequitur Richardus in 4. dist. 18. artic. 7. quæst. 4. in qua hoc dubium tractat. Eandem tenet Suarez vbi supra num. 21. & est vera, & intelligitur tam de beneficio, quod per electionem, quàm de eo, quod per collationem confertur, quia collatio est quædam electio; dū enim confertur vni ex multis, fit electio illius. Intelligitur etiam de omni beneficio tàm simplici, quàm ordinato ad curam animarum: quia textus simpliciter, & sine limitatione loquitur; & à Doctoribus sic sine limitatione intelligitur.

An ligatus minori excōmunicatione peccet ministrando actiuè sacramenta.

22 Circa quintam particulam occurrit dubitatio quale sit peccatum illud, quod committit ligatus minori excōmunicatione, ministrando actiuè sacramenta. Nam textus dicit, quod licèt peccet, tamen sacramēta collata ab ipso sunt valida. Quidam dicunt peccare mortaliter, vt Adrianus, & Durandus apud Soto in hoc 4. dist. 22. quęst. 2 art. 3. & Alij apud Suarez disputatione citata sect. 2. num. 5. sed hæc opinio reijcitur; quia apertè repugnat textui allegato. siquidem ibi dicitur, quod ligatus minori excommunicatione non videtur remoueri a collatione, sed à perceptione sacramentorum. Cum ergo non sit illi prohibitum actiuè ministrare sacramenta, nulla est ratio, quod peccet mortaliter. Alij asserunt sic excommunicatum non peccare per se loquendo, sed per accidens, vt Suarez vbi supra, qui citat alios, & eiusdem sententiæ est Nauarrus cap. 27. num. 24. sed hæc sententia quoque est falsa: quia repugnat

textus

cap. *clericis*, eodem titulo idem statuitur. Hæc iura apertè loquuntur de clericis, sed de laicis habetur apertè cap. 1. & 2. distinctio. 51. vt vidimus supra, in eis enim apertè explicatur inter eos qui arcentur à munere clericali esse milites, & curiales, seu ministrantes in curia criminali, & deducitur euidenter ex cap. *sententiam sanguinis*, & cap. *clericis* adductis, quia si clerici exercentes causam sanguinis sunt irregulares; ergo & laici: Exercent enim eundem actũ, cui imposita est hæc pœna irregularitatis, sicut incurrunt irregularitatem alij perpetrantes actus, quibus pœna irregularitatis est imposita.

Probatur ratione.

Ratio autem propter quam Ecclesia ordinauit homicidam voluntarium etiam inculpabilem esse inhabilem ad ordines sacros & esse irregularem, est, vt inquit Scotus, hic horror sanguinis effusi; Vnde Deus nõ permisit quod Dauid ædificaret domum nomini suo, propter multum sanguinem effusum 1. Regum cap. 7. licèt ego non repertam in eo capite illa verba. *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es*, quæ Scotus notauit, & adducunt Couarruuias de irregularitate par. 2. §. 3. num. 3. Suarez disput. 40. sect. 4. nu. 1. & alij. Sed in 1. Paralipomenon cap. 22. habentur ista verba Dauid. *Fili mi voluntatis meæ fuit vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei, sed factus est sermo ad me dicens. Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, nõ poteris ædificare domum nomini meo tanto effuso sanguine coram me, filius qui nascetur tibi erit vir quietissimus.* Ex his autem verbis colligitur præceptum factum a Domino Dauid 2. Reg. cap. 7. ne ædificaret sibi templum fuisse hanc sanguinis effusionem, licèt ibi nõ nominetur: subiungit Scotus, quod homicidium voluntarium nunquam deletur nisi per Baptismum. Vbi videtur velle quod irregularitas homicidij contrahatur ante Baptismũ, & sit de iure diuino, & tamen supra dixit irregularitatem esse pœnam canonicam idest statutam ab Ecclesia; Videtur etiam velle quod non sit dispensabilis à Papa, & tamẽ hoc repugnat dictis eius, quia tenet quod irregularitas sit pœna canonica, idest instituta à iure humano, vt supra ex ipso ostendimus, Certum est autem quod Papa potest dispensare super ius humanum vt patet, vnde communiter docetur quod Papa possit dispensare propter prædictã rationem; & vsus hoc comprobat, licèt aliqui tenuerint esse indispensabilem. Respondeo quod forsan Scotus fuit illius opinionis, quod irregularitas homicidij sola propter horrorẽ sanguinis fuerit de iure diuino, quia reuera Exod. cap. 21. habentur illa verba. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles illum vt moriatur.* Et idem habetur in Paralipo. cap. 22. & 28. vt vidimus, & eam sententiam tenuit Panormitanus cap. *Ad audientiam*, de homicidio, & ibi Maiol. Soc. & alij quos referunt Couarruuias, & alij, vbi supra. Sed melius possumus dicere quod Scotus non vult dicere quod irregularitas ex homicidio sit de iure diuino, propter rationes superius adductas, & maximè, quia licèt illud esset statutum in lege veteri, tamen Testamẽtum Vetus quo ad iudicialia est abrogatum, vnde cum in Nouo Testamento non denuo statuta sit, nõ adest. Vult ergo dicere quod per homicidium contrahitur quædam indecentia, & horror, qui valde abhorret à lenitate Christi Domini. Hic autem horror & indecentia nõ tollitur nisi per Baptismum; quia, vt inquit Scotus, qui fecit homicidium ante Baptismum, *amplius non habetur horrori, iam nouus homo factus.* Possumus ergo dicere quod homicidium trahit secum quendã horrorem, & quandam immanitatem contra institutum naturæ, quæ reddit hominem inhabilem ad munus sacerdotale, quod requirit lenitatem & mansuetudinem, cum sit & sit aduocatus apud Deum pro populo, non eius vindex, & propter hãc causam Deus in veteri Lege prohibuit homicidam à munere sacerdotali. Verùm quia in Baptismo homo totus regeneratur & peccatum originale, & omne delictum dimittitur, & renouatur homo, etiam hæc macula & horror perpetratus per effusionem sanguinis abluitur, Et quia Vetus Testamentum est abrogatũ per Nouũ,

An irregularitas ex homicidio sit de iure diuino.

An sit dispensabilis à Papa.

statuta de homicidio pro illa lege non ligant modò, nisi quatenus renouata sunt in lege noua; in lege autẽ noua diuina de hoc nihil est statutum, sed solum de iure positiuo humano, vt patet ex capitibus superius adductis; Ideo sicut statuta sunt humana, ita per humanam auctoritatem possunt dispensari. Nihilominus hæc irregularitas quantum ad homicidium voluntarium iniustum licet secũdum omnes sit dispensabilis; tamen à solo Papa, & nõ nisi cum maxima necessitate est dispensabilis. Vnde Concilium Tridentinum sess. 14 cap. 7. de Reformatione habet hęc verba. *Cum etiam qui per industriam occiderit proximum suũ & per insidias, ab altari euelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetrauerit, etiam si crimẽ id nec ordine iudiciario prolatum, nec alia ratione publicum, sed occultum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoueri possit, nec illi aliqua beneficia ecclesiastica, etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat.* Qui locus maximè fauet opinioni Scoti. Videtur enim velle, homicidium voluntarium, iniustum esse indispensabile absolutè; Nihilominus exponitur quod velit asserere esse indispensabile, non quia absolutè sit indispensabile, sed quia difficillimè, & non nisi in magna necessitate dispensatur. Secus de homicidio non ex proposito, sed casu commisso, vel vim vi repellendo; vt eodem cap. statuitur; & idem dicendum est de homicidio publica auctoritate, vel in bello facto; huiusmodi enim irregularitates reseruatæ sunt Papæ, vt ex dictis supra patet, sed quare defectus homicidij facti ante Baptismũ per Baptismum tollitur, & defectus bigamiæ per Baptismum non tollitur? Hoc dubium sequenti cap. dissoluam.

Concil. Trid.

217 Secũda conclusio Scoti, nimirũ quod cõmittẽs homicidium inuoluntariũ simpliciter, & omninò, nõ fiat irregularis, patet ex dictis. Nam in iure irregularitas & inhabilitas ad clericatum imponitur homicidio voluntario; ergo ex opposito, cum homicidium non est voluntarium nõ subiacet huic pœnæ, & inhabilitati. Probabitur etiam ex sequentibus, quia vt videbimus homicidiũ casuale in eo qui adhibet debitam diligentiam, & non dat operam rei illicitæ non subijcitur huic irregularitati; quia est homicidiũ inuoluntarium; ergo certum est quod homicidium omnino & simpliciter inuoluntarium non facit committentem irregularem. Probatur & declaratur adhuc exemplo. Si quis irruit in gladium alterius ex se, nihil operante illo, cuius est gladius non est irregularis. Probatur à Scoto ex distinct. 50. nullum tamen capitulum adducit. Sed euidenter probatur per cap. quartum, *dicit iste placidus*, & cap. *hi qui arbores*, & cap. *sæpè contingit*, & cap. *si duo fratres*, ex dist. 50. In his enim quatuor capitibus decernitur à Gelasio, & Nicolao Pontificibus, & ex Concilio Vormaciensi, & Triburiensi, quod vbi homicidium committitur non concurrente voluntate, nec desiderio, homicidium non est culpabile. Verba cap. sunt hæc. *Hi qui arbores incidere videntur, si contigerit quod cadens arbor, & occiderit hominem inculpabiles sunt, atque innoxij: quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est, si verò aliqua culpa eorum, vel neglectu morientis hominis interitus cognoscitur aduenisse, abijciendi sunt à gradu, & in sacro ordine nullatenus recipiendi.* Sumitur etiam ex cap. *dilectus*, de homicidio voluntario, & alijs, & est certa apud omnes.

Secunda cõclusio Scoti probatur.

218 Tertia cõclusio Scoti, nimirũ quod qui committit homicidium volũtariũ simpliciter, sed inuoluntarium secundum quid, fiat irregularis, vt qui occidit hominẽ ad sui defensionem, quia aliter non poterat euadere mortẽ, probatur à Scoto, ex eadem dist. 50. cap. *de his*, in quo statuitur quod clerici, qui in obsidione positi necessitate sanguinem fuderunt, post duorum annorum pœnitentiam ad officium, & communionem recipiantur; sumitur etiã ex cap. *significasti*, 2. §. vltimo, Hæc etiam fuit opinio D. Thomæ 2. 2. quæst. 64. art. 2. ad 3. & multorum antiquorum. Verùm post tempora Scoti iure nouo declaratum est expressè, neq; in hoc homicidio contrahi irregularitatem. Nam in Clementina vnica de homicidio expressè habetur sic. *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominẽ mutilet, vel occidat*

Tertia cõclusio Scoti probatur.

cidat

cidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit & idem de illo censemus. qui mortem aliter vitare nō valens, suum occidit vel mutilat inuasorem. Tamen Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 7. videtur supponere huiusmodi occidentem inuasorem esse irregularē. Nam habet hæc verba. *Si verò homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellēdo aliquis se à morte defenderet, fuisse commissum, narretur quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum, & altaris ministerium, & beneficia quæcumque & dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, &c.* Videtur ergo Cōcilium vel renouare ius antiquum, vel supponere illud non esse abrogatum. De qua re longa est disputatio apud Recētiores vt est videre apud Couaruuiam in Clementina si furiosus 3. p. §. 1. Nauarū cap. 27 num. 207. Suarez disp. 46. & alios citatos ab eis. Sed videtur dicendum hæc iura esse sic conciliāda.

Resolutio.

Quod Clemētina intendit occidentem inuasorem seruato moderamine inculpatæ tutelæ, ita quod nulla sit culpa in sic occidente aggressorem, non fieri irregularem. Verùm quia difficile est, in huiusmodi casu seruare ad vnguem tutelam inculpabilem, sed facilè est excedere modū defensionis, ideò Cōcilium Tridentinum dixit in hoc casu, dispensationem iure quodammodo deberi, & illam committendam esse ordinarijs locorum.

De tutela inculpata.

219 Quæ autem sit inculpata tutela, & quæ ad eam requirantur diximus supra in materia de restitutione disput. 52. cap. 1. vbi de homicidio volūtario fusè disseruimus, & explicauimus dubia, quæ his pertractantur à Suarez, & ab alijs. Subiungit Scotus ibidem quod hæc irregularitas facilè est dispensabilis.

Facilè dispēsatur hæc irregularitas.

Quod patet, quia Concilium Tridētinum vbi supra dicit illam esse committendam Episcopo, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo. Et ratio est quia in hoc homicidio vel nulla est culpa, vel parua, ideo est facilis dispensationis.

Quarta conclusio probatur.

220 Quarta conclusio Scoti, nimirum quod committēs homicidium casuale & dans operam rei licitæ, & adhibēs debitam diligentiam non fit irregularis, est communis Theologorum, & Canonistarum. Eam habet D. Thomas 1. 2. quæst. 75. art. 8. & 2. 2. quæst. 64. art. 8. Soto lib. 5. de iustitia & iure quæst. 1. art. 9. Nauarus cap. 27. num. 290. Suarez disput. 45. sect. 5. & alij ab eis citati, & habetur expressè in cap. *diuersis*. Nam cap. *dilectus* de homicidio habetur expressè prima regula scilicet quod dans operam rei licitæ non incurrat. Inquit enim Papa ibi. *Ideoq. mandamus quatenus si ita est, cum idem Capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetrauit, nec dedit operam rei illicitæ, non impedias quominus diuina possit officia celebrare.* Clarius habetur in cap. *Ioannes* eodem titulo, vbi sic habetur. *Nos igitur attendentes quod dicto sacerdoti, qui dabat operam rei licitè nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non prauidit, &c. dictum sacerdotem sacerdotale officiū exequi permittatis.* Idem habetur cap. vltimo eodem titulo de homicidio.

221 Altera regula de diligentia debita adhibenda habetur ex eisdem cap. præsertim vltimo, vbi dicitur. *Attendentes igitur quod sacerdos ipse dabat operam rei licitæ. Induit etiam quàm debuit diligentiam adhibere circumstantibus, quibus periculum imminebat, ita tēpestiuè, & alta voce præmonitus quod intelligere, & fugere potuerunt, &c.* & cap. *ex litteris*, eodem titulo dicitur. *Nos autem ab eodem quæsiuimus sacerdote si priusquā iaceret perticā circumspexisset sollicitè, an esset aliquis circa currū, qui quod diligenter circumspexit asseruit, sed quod vidisset aliquē denegauit, &c.* ob hoc decernit vt sacerdotale officiū exequi permittatur.

Culpa triplex lata, leuis, & leuissima.

222 Quāta verò debeat esse ista diligētia quæritur à Doctoribus, sed est breuiter dicendum, quod Triplex est culpa, secundum iuris peritos, scilicet lata, leuis, & leuissima, vt diximus supra in materia de Restitutione disp. 47. cap. 2. num. 26. & sequentibus, & hæc distinctio culpæ est distinctio culpæ non Theologicæ, quæ est peccatum mortale, vt male intellexit Soto, quem Suarez secutus est in hac disput. 45. sect. 5. nu. 6. sed est culpa iuridica: Vnde eo loco

Error Soto & Suarez

reiecimus opinionem Soto. Nam licèt quis dans operam rei licitæ possit non peccare, tamen potest incurrere culpā iuridicam, & fieri irregularem, sicut etiā potest teneri ad restitutionem, licèt non peccauerit, vt ibi diximus. Neque enim homicidium casuale est voluntarium licèt vt volūtarium imputetur, vt diximus disput. 52. cap. 1. vnde est sine culpa Theologica quacumque tàm mortali, quàm veniali, & tamen inducit irregularitatem: quia Canones imposuerunt hanc pœnam irregularitatis homicidio, quod etiam nullum est peccatum vt supra diximus solum propter sanguinis horrorem, quæ non oportet repetere.

Culpa iuridica sine Theologica sufficit ad inducendū irregularitatem.

223 Ad propositum ergo certum est culpam latam inducere irregularitatem: Culpa enim lata est negligentia magna quam communiter omnes in eo opere vitandam esse scirent.

Culpa lata quæ.

Ideò qui dat operam rei licitæ, ex qua tamen communiter omnes sciūt posse oriri homicidium vel mutilationem, & ideò solent aduertere ne quid tale eueniat, & ille nihil tale cogitat, nec aduertit, est in culpa lata, si sequitur homicidium. De culpa leui verò, & leuissima est contemptio. Sed nō incurri irregularitatem per leuissimū, mihi est certissimum, immò neque per leuem culpam.

De culpa leui, & leuissima.

Quod probo ex cap. *ex litteris*, de homicidio. Nam eo cap. habetur hic casus. Quidam presbyter dum fœnum vellet de curru deponere, perticam quæ fœnū ligabat proiecit in terram, & dum fœnum in terram proijceret quendam puerū iuxta currum quidem inuenit semiuiuum, qui modicum liuoris in fronte habebat, & nihil aliud læsionis; dubitauit Sacerdos, an hoc esset ei imputandum. Accessit ad Papam cum litteris Episcopi sui; Papa quæsiuit ab eo, vtrum circa currum sollicitè circumspexerit priusquam perticam in terram proijceret, an esset aliquis circa currum, qui respondit quod diligenter circumspexit, sed neminem vidit, Papa autem ipsum ad suum Episcopum remisit, mandans quatenus si ita est, ipsum permittat liberè exequi suum officium sacerdotis. At hæc diligentia, quam iste presbyter adhibuit mihi videtur esse ea quæ communiter in tali casu adhiberi solet. Qui enim ex curru, vel aliquo alio loco alio proijciunt aliquod lignum, vel quid simile in terram, solent respicere an aliquis sit circa currum, vel in eo loco in quem proijciunt lignum; Non est autem aliqua diligentia exquisitior quam quidam per diligentes adhibere solent, quia in hoc casu non videtur adesse aliqua specialis circunstātia, quæ specialem diligentiam indicet. Vnde si in illo casu fuit culpa aliqua, fuit leuis, & tamen Papa iudicare se nō incurrisse irregularitatem. Idem elici videtur ex cap. vltimo eodem titulo, de homicidio, quia diligētia, quam eo casu, adhibuit presbyter ille scilicet monendo omnes præsentes tēpestiuè, & alta voce, vt possent fugere periculum quod instabat ne soluēdo illum lignum alligatum occasione fabricæ ecclesiæ aliquod detrimentum paterentur, est diligentia quam communiter adhibent homines in ædificandu domos, vel veteres dissoluendo quæ tollit culpam latā. Quod si quis iudicet non sufficere hæc ad excusandum existētem in culpa leui, saltem excusat existentem in culpa leuissima. Denum hoc iudicium, quādo culpa sit leuis, vel lata, vel leuissima, arbitrio prudentum relinquitur.

Quinta cōclusio Scoti probatur.

224 Quinta conclusio Scoti, nimirum quod dans operā rei illicitæ, & committens homicidium, si sequatur homicidium fieri irregularem, quātacumque diligentia adhibita, etiam maxima, ita quod nec fuerit in culpa leuissima, habet aliquem difficultatem. Nam licèt omnes ferè illam admittant, vt D. Thomas 2. 2. quæst. 64. artic. 8. Caietanus ibi, & cæteri tàm Theologi, quàm Canonistæ, tamē aliqui faciunt aliquam difficultatem, & adducunt aliquas limitationes. Soto lib. 5. de iustitia & iure quæst. 1. artic. 9. dicit hanc conclusionem non haberi expressè in iure, sed eā deduci à Doctoribus ex contrario sensu, ex cap. *ex litteris*, 2. & cap. *dilectus*, de homicidio, vbi habetur, quod qui non dat operam rei illicitæ, si non est negligens non fit irregularis. Vnde addit limitationem quod non per quodcumq; opus illicitum ad quod sequatur homicidium, quis fit irregularis, sed per opus illud illicitum, quod ex se potest esse

causa

causa homicidij; vt si clericus dat operam rei bellicæ, licèt imprudens, & nesciens aliquem occidat, est irregularis. At si clericus committens adulterium inuadatur à marito, qui à clerico occidatur, clericus non fit irregularis, ea hoc cap. Quia adulterium, licèt sit opus illicitum, tamen nõ est causa ex se apta nata inducere homicidium. Cum Soto sentit Suarez disput. illa 45. sect. 6. Addit verò opus illicitum in iure debere intelligi illud quod est prohibitum propter periculum homicidij, hoc enim opus est illud, quod per iura prohibetur, & ad quod aiunt sequi irregularitatem, non autem quodcumque opus illicitum, vel cõtra aliquam virtutem si non sit tale, quod periculum immineat homicidij atque multa hinc inde dicuntur à Couaruuia, Suarez, & alijs.

Reijcitur.

225 Mihi placet opinio communis quod absolutè per opus quocumque modo illicitum, siuè sit ordinatum, & in causa contineat homicidium, siuè nõ, quis fiat irregularis. Quam opinionem communem tenet Nauarus cap. illo 27 num. 222. contra Soto, licèt alijs principijs, nec sibi multũ constare videatur eodem cap. nume. 237. & Glosa in cap. *sicut*, de homicidio, licèt citet multa iura, quæ hoc non ꝓbant. Ratio mea est, quia licèt in iure non habeantur hæc verba formalia. *dantem operam rei illicitæ si homicidium ex ea sequatur manere irregularem quãtumuis casu, & inuoluntariè sequatur*, vt vellet Suarez, tamen in iure habentur casus expressi, in quibus quis iudicatur irregularis dans operam rei illicitę, quę ex se nullo modo est apta nata inducere homicidium, vt causa illius: vnde nõ potest dici voluntarium in causa. Hoc habetur in cap. *continebatur*, de homicidio. Nam eo cap. continetur quidam casus in quo Diaconum incurrisse irregularitatẽ declaratur, ex eo quod dabat operam rei illicitæ, quæ tamen ex se non erat inductiua homicidij. Casus enim erat. Cum quidam Diaconus, & alij quidam clerici à vineis suis opere completo redditent caosa leuandi laboris imitati sunt quendam ludum viatorum projciendo baculos suos in directum, vt alter alterius fultem feriret; cuius ludi conditio talis erat vt ille, qui percuteret baculum alterius quasi victor pro equo vteretur alio, Sed clerici equitandi licentia non vtentes sola iactatione contenti erant. Quidam laicus superuenit & percussit baculum Diaconi prædicti, & statim indiscretè dorsum Diaconi insilijt, & à falce ipsius Diaconi, quam ad cingulũ habebat, mortale vulnus accepit ex quo infra octo dies expirauit. Hic est casus propter quem Papa decernit quod Diaconus illæ factus fuerit irregularis. Constat autem quod nulla ab alia causa hic fuit nisi ludus; At ludus ille non erat aptus natus vt causa inducere homicidium illud, sed illud fuit merè casuale, nulla ergo alia causa adfuit nisi quia ludus ille erat res illicita. Et licèt Suarez disp. illa 45. sect. 5. num. 3. nitatur ostendere quod ille ludus non erat res illicita, quia ludus ea suo genere nõ est prohibitus, & actio illa videretur honesta, quia erat leuãdi causa onũ; tamen non satisfacit, quia non potest negari, quin ille ludus haberet ex se quandam indecentiam repugnantem clericali ordini, vt erat illud, vti alio pro equo; Vnde hoc insinuans textus habet ista verba. *Sed præfati clerici equitandi licentia non vtentes, sola erant iactatione contenti*, cõtinebat ergo ille ludus quandam licentiam indecentem, & propter hoc potest dici fuisse opus illicitum.

Fundamẽtũ Authoris.

226 Accedit quod ex cap. illo *dilectus*, eodem titulo de homicidio non solum sumitor argumentum à contrario, sed explicatur causa irregolaritatis. Inquit enim, *nec dedit operam illicitæ rei*. ergo ex eo textu habetur, quod opus illicitum ad quod casualiter, & inuoluntariè sequitur homicidium, ea sententia Pontificis est causa irregularitatis. Distinguere autem de hoc opere illicito, vel alio, non est nostrum, sed Põtificis, vnde cum communis opinio intelligat absolutè de opere illicito, est intelligendum de omni opere illicito, Vnde in casibus adductis à Soto de clerico deprehenso in adulterio, & occidente maritum superuenientem. & de Presbytero deponente campanã omni diligentia, sed contra præceptum Prælati, vel tempore festiuo, & idem die de exercẽre venationem sibi prohibitam vel modo indebito, vel in loco non suo, Dico incurri irregularitatem, quia, & si sic operantes non intẽdant voluntariè pec has actiones in homicidium, tamen sunt causę illius, & debebant abstinere, qui illa commiserunt ab illis, & quia non abstinuerunt, imputatur illis, quia sic à iure est statutum. Facienti enim quod non debet euenire solet quod nõ credit. Ideò est sibi imputandum. In homicidio ergo casuali sufficiunt illæ duæ regulæ Scoti, Diui Thomę & communis opinionis. Si detur opera rei illicitæ incurri irregularitatem, si etiam detur opera rei licitæ, sed non adhibita debita diligentia incurri irregularitatem, alias nunquam.

Duæ regulę sufficiunt.

De irregularitate contracta ex bigamia, quæ potest esse crimen, & non crimen. *Caput Octauum.*

227 ALtera species irregularitatis est bigamia, de qua Scotus agit in hoc 4. dist. 33. quæst. 2. & duo de ipsa pertractat, Primum an per bigamiam contrahatur irregularitas. Secundum quænam sit causa propter quam per bigamiam irregularitas contrahatur. Verùm pro clariori notitia huius materiæ notanda est distinctio vulgata horum nominum, scilicet Monogamia, Bigamia, seu Digamia, & Poligamia. Monogamia venit à nomine Græco Monogamos, quod significat idem quod virum vnius vxoris solius contentum. Bigamia venit à nomine Bigamo quod significat idem quod homo, qui binas nuptias contraxit, seu duas vxores habuit. Poligamia venit à nomine Poligamas, quod significat hominẽ, qui plures vxores habuit, vel habet. De Monogamia fuit quondam hæresis Montani, quem secutus fuit Tertullianus, vt patet in suo libro de Monogamia, secũdam esse sub pœna peccati mortalis, & illicitum esse transire ad secũdas nuptias. Sed hęc hæresis à Catholicis est reprobata; vt patet ex Cõcilio Niceno cap. 8. Nam ex Apostolo habemus Poligamiam non simul, sed successiuè plurium vxorum, idest non solum primas, sed secundas, tertias, quartas, & alias nuptias deinceps esse licitas, dum ad Romanos 6. ait. *Si dormierit vir eius cui vult nubat, tantum in Domino*, & ad Timothæũ 5. hortatur viduas iuniores vt secundo nubant ob incontinentię periculum, licèt dicat melius esse si castitatem seruent, & in viduitate permaneant, & proinde cõtinentiam matrimonio præferat. Poligamia verò multarum seu plurium vxorum simul semper fuit prohibita, nec nisi ea speciali dispẽsatione fuit licita cap. *gaudemus* de diuortijs. de qua re Scotus, & Theologi in hoc 4. dist. 33. sed præsertim eam prohibitam fuisse a Christo Domino, patet Math. 19. vbi apertè ait non licere repudiare vxorem, quia dixit Dominus: *Relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, itaque iam non sũt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit homo non separet*. Dixit cũ vxore sua, non cum vxoribus suis: dixit, erunt duo in carne vna, at si essent plures vxores, non essent vna caro, sed plures carnes. Et Marc. 10. & Lucæ 16. declarat eum, qui dimissa vxore, aliam duxerit, mechari; ergo patet prohibuisse Poligamiam plurium vxorum simul. Hac eadem ratione prohibetur Bigamia duarum vxorum simul.

Monogamia Poligamia, Bigamia q̃ sint.

Hæresis Mõtani & Fortuliani.

Poligamiã successiuã esse illicitam.

Poligamia uxorũ simul est illicita.

228 Nunc accedendo ad Bigamiam adhuc est distinguẽdum, vulgata illa distinctione ex Glosa in cap. *super eo*, de Bigamis. quod Bigamia est triplex scilicet vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera Bigamia & propriè dicta est, quæ ex duobus matrimonijs perfectis, & consumatis oritur. Hæc autem non potest esse, nisi hæc duo matrimonia sint successiua, quia simul vnus non potest habere duas vxores legitimas, vt dictum est, sed vna erit vera, & legitima vxor per verum matrimoniũ, scilicet prima, secunda verò erit adultera. Bigamia ergo propriè dicta, & vera est quando aliquis post mortem primæ vxoris legitimæ aliam per legitimum matrimonium ducit, & consummat matrimonium cum illa, vt habetur ex Canonistis, in rubrica de Bigamis, & ex Theologis in 4. dist. 27. & 33. vbi Magister sententiarum non tenetur, qui dist. 27. dixit solos cõ-

Bigamia triplex.

Bigamia vera quæ sit.

sensus

Magister sententiarum quoniam materia de bigamia non tenetur.

sensus de præsenti inter duo matrimonia citra copulam carnalem efficere bigamū. Nam in capite *debitor*, de bigamis requiritur cōsūmatio copulæ carnalis. Ex quo infertur multo minus sponsalia plura inducere hanc irregularitatē.

Bigamia interpretatiua quæ & quotuplex est.

229 Bigamia verò interpretatiua, vt sumitur ex eadem Glosa in cap. *super eo*, de bigamis, & communiter ex Doctoribus, est, quæ non oritur ex duplici matrimonio vero, & consummato, sed ex interpretatione iuris, est bigamia, quia oritur ex actionibus quibusdam, quæ habent similitudinem quandam duorum matrimoniorum. Et est multiplex, vt ea eadem Glosa sumitur.

Prima species bigamiæ interpretatiuæ.

Prima species est cum quis habet duas vxores simul, & vtramque cognoscit. Nam tunc vna est vera, & legitima vxor, & de iure; Altera est illegitima, & tantum de facto non de iure; & hæc est crimen. Et propter hanc Scotus dixit quod bigamia quandoq; est crimen, quandoq; non est crimen. Bigamia vera non est crimen; sed hæc bigamiæ species est crimē, quæ oritur ex duabus vxoribus ductis eodē tēpore, quod est illicitum vt diximus.

Secunda species bigamiæ interpretatiuæ.

Secunda species est, cū quis habuit duas vxores successiuè, sed vnam de iure, alteram de facto id est vnam legitimam, & alteram illegitimam, & vtramque cognouit; si enim non cognosceret vtramque non oriretur bigamia.

Tertia species.

Tertia species est quando quis duxit viduā, quæ iam per matrimonium verum, & consummatum fuit iuncta alteri viro. Hanc speciem Soto in 4. senten. distin. 27. quæst. 3. art. 1. dicit esse bigamiam veram, quia interfuerunt duo matrimonia, ex parte vxoris. Tamen Nauarus in Man. cap. 27. num. 195. & alij eam numerant inter species bigamiæ interpretatiuæ. Et rationabiliter: quia ex parte viri, qui est principalis, nō est duplex matrimonium verum.

Quarta species.

Quarta species est quando quis contrahit, & consūmat cum aliqua quæ prius per fornicationem fuit corrupta, siuè ipse qui ducit eam, hoc sciuerit, siuè ignorauerit; vt si quis virginem prius stupratam ducat in vxorem.

Quinta species.

Quinta species cum quis cognouit propriam vxorem, quam virginem duxerat, postquam cum alio adulterauerit.

Bigamia similitudinaria.

230 Bigamia similitudinaria est in qua non intercedet duplex matrimonium carnale, sed vnum spirituale per votum solemne continentiæ factum; Alterum carnale, sed attentatum, & inualidum, vt cum clericus votum solemne continentiæ emisit, & deinde ducit vxorem; hoc enim secūdum matrimonium carnale est inualidum propter impedimentum voti solemnis. Hæc ergo dicitur bigamia similitudinaria, quia habet similitudinem duorū matrimoniorum, quorum alterum est spirituale scilicet primum, secundum est carnale, licèt inualidum. De vnaquaque istarum bigamiarum, videndum est breuiter an inducat irregularitatem, & quomodo.

Anbigamia vera inducat irregularitatem.

231 Quantum ad bigamiam veram Scotus in hoc 4. distinct. 33. mouet duas quæstiones. Prima est vtrum in lege naturæ, & Mosaica fuerit licita. Secunda vtrum in lege Euangelica sit licita. Sed in his quæstionibus accipit bigamiam, & poligamiam pro eodem scilicet pro coniunctione duarum, vel plurium vxorum, simul cum eodem viro, in matrimonium, quæ est bigamia crimen, & in prima quæstione decernit quod nunquam, neque in lege naturæ, neque in lege Moysis fuerit licita, sed Sanctos Patres habuisse plures vxores simul ea dispēsatione diuina, ad procreandos filios, qui in vero cultu Dei nutrirentur. *Si qui tamen*, inquit Scotus, *Sancti Patres non ex dispensatione sic plures vxores habuerunt. Non est mihi inconueniens quod mortaliter peccauerint: quia non reputo hos cōfirmatos fuisse in gratia.*

De Sanctis Patribus habentibus plures vxores simul.

Sed dimissa bigamia in illo sensu, quæ est bigamia interpretatiua, de qua infra. Accipiendo bigamiam propriè pro vera bigamia, quæ est duarum vxorum successiuè; certum est illam inducere irregularitatem. Hæc assertio est certa, & ab omnibus Catholicis concessa: habetur enim apertè cap. 1. & 2. de bigamis, & cap. *debitum*, eod. titulo, & alijs iuribus dist. 26. vnde Scotus ead. dist. 33. quæst. 2. hanc assertionem probat. Primò auctoritate prædictorum canonū. Secundò ratione, vt postea videbimus.

Cur Sancti Patres plures vxores legitimas habuerint.

Bigamia vera inducit irregularitatē.

232 Sed difficultas est vtrum bigamia quæ inducit irregularitatem sit ea quæ contrahitur post Baptismum tātū̄m, an ea quoque quæ contrahitur ante Baptismum. Exempli gratia, an si quis duas vxores veras successiuè habuerit ante Baptismum, vel vnam habuerit ante Baptismum, alterā post Baptismum duxerit priori mortua, iste sit propriè bigamus, & irregularis. Scotus pro parte negatiua adducit cap. *vouit vxoris virum*, dist. 26. in quo ex Diuo Hieronymo in epistola ad Decanum asseritur, quod Monogamo baptizato non imputatur si ante Baptismum habuerit vxorem, sicut neque stupra, nec alia quæ commiserat cum sit factus nouus homo per Baptismum, & distin. 50. in Glosa dicitur, quod qui ante Baptismum occidit, post Baptismum potest ordinari; ergo à simili de bigamia. Respondet deinde partem affirmatiuam esse veram, & communem, quā art. 1. probat; in 2. artic. autem adducit rationem propter quam bigamia contracta ante Baptismum inducat irregularitatem. Quod ergo bigamia contracta ante Baptismū inducat irregularitatem probat præsertim per caput *Acutius*, dist. 26. & per caput *vna tantum*, eadem distinct. quę duo cap. accipiuntur primum ex Diuo Augustino super epistolam ad Titum, secundum ex Diuo Ambrosio lib. 1. de officiis cap. vltimo. Vt autem materia hæc dilucida fiat, probemus prius in communi bigamiam inducere irregularitatem. Secundò videbimus hoc extendi etiam ad bigamiam contractam ante Baptismum.

Anbigamia ante Baptismū cōtracta irregularitatem inducat.

233 Quod ergo bigamia inducat irregularitatem probatur, quia hæc irregularitas introducta est ab Apostolo, 1. ad Timot. 3. *vnius vxoris virum*, id est monogamum. Ex eo enim loco habetur, vt Ecclesia Catholica semper cēsuit, ad ordines sacros non esse promouendum illum, qui quouis modo bigamus fuerit. Hunc enim sensum apertè præseferunt illa verba. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, ornatum, prudentē, &c.* Significant enim Episcopum non solum debere esse sine crimine, & irreprehensibilem, sed multis præclaris dotibus ornatum, vt monogamia, sobrietate, compositione gestuum, & actionum, eloquij, & alijs bonis moribus, prudentia, & alijs virtutibus, quas ibi enumerat.

Expositiones hæreticorum ridiculæ.

234 Quare ridendi sunt hæretici nostrorum temporū, qui cum Luthero exponunt illum locum, *vnius vxoris virum*, id est oportet vt Episcopus sit contentus sola vxore legitima, siuè vna, siuè pluribus, non autem indulgere tentationibus. Tenuit enim Lutherus in lege Christi, etiam Episcopis licitam esse poligamiam, quia dicit se nullibi eā prohibitam in lege inuenire. Et tamen Christus præter hunc locum Pauli dixit Lucæ 16. & Marci 10. qui dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, tam mechatus est, vt diximus supra hoc eodem cap. Vel cum alijs hæreticis, quod hic Paulus prohibeat multitudinem vxorum pluriū simul, non tamen successiuè; nam clarum est, quod tunc temporis nō erat in vsu poligamia inter Christianos, neque enim consueuerant homines, habere simul plures vxores; Scriptura enim Noui Testamenti cum loquitur de coniuge, in numero singulari loquitur. *Qui dimiserit vxorem suam, &c.* Matth. cap. 19. *si licet homini dimittere vxorem suam, &c.* Lucæ 14. *qui patrem, matrem, & vxorē, & filios, &c.* quomodo ergo Paulus potuit prohibere illod, quod non erat in vsu. Est ergo certa assertio Catholicorum eo loco prohiberi bigamos ordinari, & proinde bigamiam inducere irregularitatem.

Bigamia irregularitas est de iure ecclesiastico.

Extenditur ad bigamiā contractam ante Baptismum.

235 Non tamen ex eo loco deducitur bigamiæ irregularitatem esse de iure diuino, quia supra iam diximus omnes pœnas canonicas, & consequenter irregularitatem esse de iure ecclesiastico, sed ex eo loco habetur bigamiæ irregularitatem fuisse introductam ab Apostolis ex sua propria auctoritate, quia erant pastores ecclesiæ vt supra diximus ostendendo, quod neque ex lege naturæ, neque ex lege Euangelica habetur vlla irregularitas. Quod autem bigamia, quę inducit irregularitatem, extēdatur quoque ad bigamiam contractam ante Baptismum, probatur ex cap. *Acutius*, dist. 26. adducto à Scoto. Nam ibi D. Augustinus inquit *Acutius intelligunt qui nec eum qui Catechume-*

nus, vel Paganus habuit alteram ordinandum cēsuerunt, & capi vnā tantum, ead. dist. Diuus Ambrosius dicit: *Vna tātum, nec repetita nobis copula permittitur, & in ipso coniugio lex est non iterare coniugiū nec secundæ coniugis sentire coniunctionem, quod plerisq. mirum videtur, cur etiam ante Baptismum iterata coniugia electioni muneris, & prærogatiuę ordinationis impedimenta generent, cum etiam delicta non obesse soleant, si lauacri remissa fuerint sacramento: sed intelligere debemus, quia in Baptismo culpa dimitti potest, lex aboleri non potest, in coniugio nō culpa, sed lex est. Quod culpę est igitur in Baptismo relaxatur, quod legis est in coniugio non soluitur quomodo autem potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit.*

Cur bigamia & non homicidiū ante baptismum inducat irregularitatē.

236 Si autem quis obijciat de homicidio, quia homicidium commissum ante Baptismum nō inducit irregularitatem; ergo neque deberet hanc pœnam inducere bigamia. Respōsum est supra nō esse parē rationē; quia in bigamia est defectus sacramenti, vt dicā explicando causā propter quā Bigamia introducat irregularitatē, q defectus nō est in homicidio, sed ibi est quidā horror, & defectus lenitatis, q amittit p Baptismū, in quo totus homo renouatur.

Opinio quorundā quod ante Baptismū nullus incurrere possit irregularitatem, nisi bene declaretur est falsa. Prima regula Suarez. Secunda regula Suarez. Prima regula probatur.

237 Verùm hic aliqui dicunt neminem posse cōtrahere irregularitatem ante Baptismum, vt Henricus quolib. 6. quæst. 20. vt ei tribuit Margo Scoti eodem loco, & hanc sententiam secuti sunt Soto in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 2. & Suarez tomo prædicto, de censuris disp. 40. sect. 7. vbi assignat duas regulas generales. Prima, nullum esse capacem irregularitatis, qui non sit capax ordinis. Secunda, omnem hominem, qui est capax ordinis, esse capacem irregularitatis, si in terris habeat superiorem. Hoc est dictu, nullum non baptizatum esse capacem irregularitatis, & omnem baptizatum excepto Papa esse capacem irregularitatis. Secunda regula nullam habet difficultatem, sed prima. Eam ergo probant ratione Henrici adducta à Scoto ead. qu. 2. art. 1. Nemo potest esse capax priuationis, qui non est capax habitus oppositi illius priuationis; sed homo non baptizatus non est capax ordinis sacri, qui est habitus oppositus irregularitati; ergo homo non baptizatus nō est capax irregularitatis; ergo ante Baptismum nulla est irregularitas. Maior probatur, quia catulus ante nonum diem non potest esse cæcus, seu priuatus visione, quia ante nonum diē non est capax visionis. Minor probatur, quia Baptismus est ianua sacramentorum, ideo nemo est capax aliorum sacramentorum ante Baptismum. Quod confirmat Scotus per illud extra de præsbytero non baptizato c. *si quis*, vbi dicitur *quod si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*; ergo colligitur quod in ordinatione ante Baptismum non suscepit ordinē, Alioqui non esset reordinādus, quoniam vt habetur extra de clerico, per saltum promoto, qui ordinatur ad aliquem ordinem posteriorem, aliquo priori prætermisso debet recipere eum ordinem quem prætermisit, non iterādo eum, quem suscepit. Si ergo ante Baptismum recepisset ordinem non deberet post Baptismum ordinari.

Cōfirmatio.

Refellitur à Scoto.

238 Scotus autem licèt sustineat eandem cōclusionem vt vidimus, tñ dicit hanc rationem, & fundamentum horū Doctorū esse nullum, quod probat dupliciter. Primò, quia illa maior propositio potest intelligi, vel de priuatione pro formali, vel de fundamento priuationis, & impedimento habitus, licèt ergo verum sit quod priuatio formaliter non possit inesse subiecto, quod non est capax habitus, tñ potest inesse impedimentum habendi habitū. Quod declarat in eodē exemplo. Nam licèt catulus ante nonū diem nō possit esse formaliter cæcus, tñ potest habere impedimentū ne habeat visum, tempore quo sibi cōpeteret. Vnde ad propositū subiungit quod irregularitas nō est priuatio propriè eius quod est habere ordines, vt patet (Potest enim aliquis nullam habere irregularitatē & tamen nullū habere ordinē,) sed est impedimētū ne quis sit capax ordinis ꝓ tēpore, quo sibi cōpeteret; ergo hoc ipedimētū pōt esse ante baptismū.

Prima ratio

Secunda rō.

239 Secūdo, & redit ferè in idē, esto quod priuatio nō possit inesse alicui subiecto, nisi ꝓ tēpore quo est capax habitus, tñ causa priuationis potest inesse eo tēpore, quo habitus nō est natus inesse, vt in exemplo catoli, si ante nonum diem oculus catuli esset infirmus, & impeditus, ita quod cū perueniret ad nonum diem non posset videre, ita irregularitas bigamiæ videtur inesse ante Baptismum, quia est causa priuandi, vel carendi ordine pro tempore congruo.

Quomodo bigamia ante Baptismū sit irregularitas.

240 Sed quomodo tunc saluatur q irregularitas hęc sit de iure canonico, & non diuino, vel naturali? Respōdetur quod aliud est loq de impedimēto, seu defectu cui est imposita pęna irregularitatis, & aliud est loqui de ipsa irregularitate, seu de impositione irregularitatis illi defectui. impedimentū illud est ante Baptismū, sed non habet annexā irregularitatē, nisi post Baptismū; Ecclesia enim ordinauit quod huiusmodi defectus etiā contractus ante Baptismum faciat inhabilē hominem ad sacros ordines, pro eo tēpore, quo est capax illorū, quod est qñ est baptizatus, ideo bigamia ante Baptismū non est irregularitas, sed solū post Baptismū, ad differentiā homicidij, facti ante Baptismū, quod Ecclesia noluit esse impedimentū ordinum, nec inducere irregularitatē post Baptismū susceptum. Cōclusio ergo est certa, quod bigamia cōtracta ante Baptismum, etiam post Baptismum est impedimentum (non aūt homicidium) ad suscipiendos ordines, & habet annexam irregularitatem.

Causa propter quā bigamia ante baptismum nō autem homicidiū inducat irregularitatem.

241 Secundò principaliter differit Scotus, quænā causa sit propter quā bigamia ante Baptismū contracta inducat irregularitatē, nō autē homicidium, sed deformitas homicidij per Baptismū tollatur non aūt bigamiæ, cū bigamia quid minus malū videatur quā homicidium; Et respondet quod duplex potest assignari causa. Altera est causa cōgruitatis. Altera est causa necessitatis. Loquendo de causa congruitatis, inquit Scotus esse communē opinionē (& hęc causa currit de bigamia in communi, & ideo cōplectitur oēs species bigamiæ) eā esse defectum sacramenti. Per defectū autē sacramēti hic non intelligitur quod iteratū matrimonium includat aliquod peccatum, & sit malum, vt dicebant hæretici Montanistæ, vt supra diximus, quia secūdū matrimoniū est sacramētum verè, & propriè, sed intelligitur defectus conformitatis hominis bigami, ad Christū Dñm, quatenus est sponsus Ecclesiæ. Nā Christus est spōsus ecclesiæ suę, & habet vnicā sponsā, quia ecclesia est vnica, Sacerdos aūt est Vicarius Christi in Ecclesia, & repræsentat personā Christi; ergo deberet esse conformis Christo, sed Christus habet vnicū matrimoniū spirituale, & vnicā sponsam, ergo congruū quoq. fuit quod Sacerdos, qui est eius Vicarius nō plusquā vnā vxorē, & spōsā haberet, & ideo qui plures duxit sponsas, vel viduā quæ fuit duorū virorū, debet excludi ab hoc munere, qa non est cōformis Christo, qui habet vnicā spōsā, & quę non fuit alterius viri spōsā. s. Ecclesiā.

Causa congruentiæ. Quid per defectū sacramenti in bigamia intelligatur.

242 Loquendo verò de causa necessitatis Scotus affert varias causas propter quas Aliqui dixerunt, bigamū etiam ante Baptismū necessariò excludi ab ordinibus sacris, non aūt homicidū ante Baptismū, quæ his tēporibus in nulla consideratione sunt. Aliqui ergo cōueniebant in hoc, quod causa, propter quā homicidij inhabilitas tollatur pp Baptismū, non aūt bigamię, est, quia per Baptismū tollitur omne peccatū, quod notū est esse peccatū propriè, & sequela peccati, non autē tollitur illud, quod ex se non est propriè peccatū, nec sequela peccati, bigamia se habet hoc secūdo modo, homicidiū primo modo. Hāc sententiā impugnat Scotus plurib. rationib. sed hęc ratio sufficiat. Quia tunc sequeretur quod qui cōmitteret bigamiā peccando, vt qui simul duas vxores haberet, p Baptismū habilitaretur ad ordines, qui verò cōmitteret bigamiā non peccando, per Baptismū non habilitaretur, quod est absurdū manifestum, quia melioris conditionis esset qui peccaret, quā qui non peccaret.

Causa necessitatis.

Prima opinio.

Reijcitur.

243 Aliqui alij dixerunt quod duplex est infamia. Alia ex natura actus. Alia ex statuto ecclesię. Infamia quæ sequitur ad bigamiā oritur ex natura actus. s. ex defectu significationis, ideo illa non potest tolli neq. per sacramētū, neq. per Ecclesiā. infamia verò quæ sequitur ad homicidiū oritur ex statuto Ecclesię, ideo illa per sacramētū, & p Ecclesiā potest tolli. Sed hæc opinio reijcitur à Scoto, præsertim hac ratio-

Secūdus modus dicendi refellitur.

Reijcitur.

ratione, quia si irregularitas bigamię esset ex alio priori, quã ex statuto ecclesiæ: Ecclesia non posset dispensare super illã, & tamen oppositum huius habetur de facto, & patet ex cap. *lector*, distin. 34. sed circa dispensationem huius irregularitatis est aliqua difficultas, de qua infra.

Vera causa necessitatis.

244 Vera causa necessitatis ergo propter quam bigamus est irregularis nulla alia est, nisi statutum ecclesiæ, inquit Scotus; Quæ est communis sententia, vt ex dictis supra patet. Ideo enim pœna est inhabilitas homicidij, & non bigamiæ remittitur in Baptismo, quia sic ecclesia statuit; Ista aũt ecclesiæ ordinatio est rationalis ea hoc, q̃a homicida non est inhabilis ad ordines, nisi propter horrorem sanguinis effusi, propter quem Dauid fuit prohibitus ædificare Templum Domini, vt supra diximus ex 1. Paralip. cap. 22. Iste autem horror tollitur per Baptismum, quia præsupponitur quod per illum homo de lupo fiat agnus, sicut Paulus ante Baptismum erat lupus, & persecutor ecclesię, post Baptismum verò factus est ouis, & pastor. In Baptismo ergo cessat causa illius inhabilitatis, & consequenter cessat illa inhabilitas, & irregularitas; sed causa inhabilitatis in bigamo ad ordines non tollitur per Baptismum, quia semper remanet defectus sacramenti scilicet illa non conformitas hominis ad Christum, quæ requiritur in homine volente fieri Sacerdotem Christi, vt diximus supra; ideo neque tollitur effectus proueniens ex illo defectu, qui est inhabilitas ad sacros ordines. Et hæc ratio habetur cap. *debitum*, de bigamia. Quamquam etiam alia ratio assignatur à Patribus huius statuti de bigamia; nimirum quia Sacerdos non solum debet esse castus, sed hortator ad castitatem; At vt inquit Diuus Ambrosius cap. *vna tantum*, dist. 26. *Quomodo potest hortator esse viduitatis, qui ipse coniugia frequentauerit*: & plura alia similia alibi. Hæc de bigamia verè, & propriè dicta.

De prima, et secunda specie bigamiæ interpretatiuæ.

245 Nunc accedendo ad bigamiam interpretatiuam, loquendo de prima, & secunda specie eius est aliqua difficultas inter Doctores. Aliqui enim distinguunt sic. Quando aliquis simul contrahit cum duabus, vt contingit in prima specie; Vel cum duabus successiuè, vt contingit in secunda specie; cum in vtraque specie alterum illorum sit nullum de iure, hæc nullitas potest prouenire ex duplici causa. Primò ex defectu consensus, exempli gratia. Si in primo matrimonio non fuit consensus, sed solum in secundo matrimonio, primum matrimonium fuit nullum, & idem dicendum in secunda specie: Secundo modo potest esse nullum ex aliquo alio impedimento dirimente matrimonium, vt si fuit nullum propter affinitatem, vel consanguinitatem in grado prohibito. Ad propositum dicunt, quando alterum matrimonium est nullum propter defectum consensus non esse bigamiam; quia dicunt requiri intentionem, & consensum in duo matrimonia; si autem sit nullum propter alia impedimenta inducere bigamiam; quia licèt alterum illorum matrimoniorum sit nullum, non tamen ob hoc sequitur quin ille habuerit affectum contrahendi duo matrimonia. Quod colligunt à contrario sensu ex cap. *nuper* de bigamis, in quo dicitur ad contrahendum hanc bigamiam, sufficere intentionem cum opere subsequto.

Secunda opinio.

246 Alij dicunt cum alterum matrimonium est omninò nullum tàm propter defectum consensus, quàm propter aliquod aliud impedimentum, nullam contrahi bigamiam. Fundamentum illorum est, quia iura declarant illum esse bigamum, qui post primam vxorem ducit secundam; At ex hoc non possumus inducere, ergo si ducit aliquam aliam, quæ reuera non sit eius vxor; sed appareat esse, est bigamus, quia irregularitas non habetur nisi in iure sit expressa, vt supra toties dictum est, hoc autem consequens in iure non est expressum.

Tertia sententia quæ est communior & vera.

247 Tertia sententia communior, quam habet Diuus Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 3. artic. 4. quæst. 2. Richardus ibidem artic. 4. quæst. 3. Et Scotus supponit in hac quæstione dum dicit bigamiam posse esse crimen, & non crimen. (Bigamia enim crimen est solum primæ species irregularitatis interpretatiuæ, quia nemo sine culpa, absque dispensatione potest simul habere duas vxores, vt diximus supra.) Soto in 4. distinct. 27. quæstio. 3. artic. 1. conclusione secunda, Couaruuias in Clementina *si furiosus*. parte 1. §. 2. numero 2. & Alij adducti ab ipso, & denique Suarez disputat. 49. sectio. 2. qui latè hanc difficultatem tractat, est hæc. quotiescumquè fiunt duo matrimonia, quorum vnum est validum de iure, alterum verò est inualidũ de iure, sed est tantùm de facto, & vtrumque sit consummatum, inducunt bigamiam interpretatione iuris, & consequenter inducunt irregularitatem.

Ratio ꝑ hac sententia valet cõtra præcedentes.

248 Ratio propter quam hæc tertia sententia probatur duæ priores impugnantur. Ratio autem est, quia in cap. *nuper*, de bigamis, decernitur quod ad contrahendam bigamiam duo sufficiant scilicet intentio animi ad matrimonium, & consummatio carnalis, & quando hæc adsunt, licèt alterum matrimonium sit nullum, nihil impedire: Cum ergo aliquis ducit duas vxores simul, vel successiuè per matrimonium, exterius, & cum illis consummat copulam carnalem, licet non intendat intrinsecus ducere illas in vxores vel alteram illarum, vel adsit aliud impedimentum propter quod matrimonium sit nullum, adsunt omnia illa quæ ad substantiam bigamiæ interpretatiuæ requiruntur, siuè adsunt omnia, per quæ Pontifex decernit quod hoc modo contrahens habeatur tamquam bigamus verus, & duxerit duas veras vxores, licèt reuera non sit propriè bigamus, neque duas veras vxores duxerit, & propterea vult illum esse irregularem. Quod autem illa duo sufficiant patet ex verbis illius textus. *quoniã cum in matrimonijs contrahendis* (idest illicitis, & prohibitis vt Glosa ibi exponit) *non iuris effectus, sed animi destinatio attendatur*. Et infra in fine cap. *licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis, cum opere subsequto*. Per affectum autem intentionis non intelligitur intentio interna contrahendi verum matrimonium, sed intentio contrahendi exterius, quo ad copulam carnalem. Quod probatur per verba illa *cum opere subsecuto*. Nam opus, quod subsequtum est ad intentionem illam, non fuit verum matrimonium, sed matrimonium exterius, idest copula carnalis sub velamine matrimonij.

Refellitur prima opinio superius adducta.

250 Et per hoc impugnatur prima opinio, supra adducta, quæ requirit in hac duplici specie bigamiæ, verum consensum internum in matrimonium, quod est falsum, vt patet ex dictis. Et confirmatur, quia tunc deterioris conditionis esset, qui contraheret duo matrimonia vera successiuè, quàm qui contraheret duo matrimonia nulla, & prohibita, quod est absurdum. Consequentia est euidens, quia in primo esset vera bigamia, & consequenter esset irregularitas clarè. In secundo verò nulla esset bigamia, nec irregularitas, Per hoc idem refellitur secunda opinio adducta, quia ex eo cap. *nuper*, elicitur quod Papa vult illum esse irregularem, qui habet illas duas conditiones scilicet qui habet intentionem ducẽdi duas vxores exterius, & opere complet hanc intentionem exterius per copulam carnalem, licèt hæc duo matrimonia sint inualida, & nulla de iure. Quod elicitur ex illis verbis textus, *Si quis de facto contraheret cum diuersis, quibus de iure non posset matrimonaliter copulari*. Quocumque ergo modo de iure sint nulla, siuè propter defectum consensus interni in matrimonium siuè propter aliquod aliud impedimentum de iure impediens, iste ex decreto Pontificis est bigamus, & irregularis. Et confirmatur eadem ratione, qua supra, quia sequeretur quod qui contrahit cum duabus legitime esset deterioris conditionis, quàm qui contrahit cum duabus contra iura, & modo illicito, & prohibito, quod est absurdum. Causa enim propter quam huic primæ & secundę speciei matrimonij imponitur irregularitas bigamiæ non est culpam, quæ in illa committatur, sed indecentia, quia apparet hic eadem incontinentia, quæ in ducente duas vxores legitimas, ideò siuè hic scienter, & cum culpa ducat duas vxores inualidè, siuè ignoranter,

Refellitur tertia opinio

Ratio propter quam est inducta hæc duplex species bigamię

Ad rationes duarũ priorũ opinionũ.

& sine culpa, est interpretatione iuris, bigamus, & consequenter irregularis. Atque ex his satisfactum manet rationibus illarum duarum opinionum.

Intelligitur nedũ de presbytero, sed de laicis.

251 Quod si quis objiciat caput illud loqui solum de presbytero, & clericis, qui cum sint voto castitatis adstricti non possunt contrahere matrimonium verum, & validũ; vnde si cõtrahant Papa decernit esse cum eis tanquam cũ bigamo, vel bigamis agendum. Respondetur communiter quod etsi adducat exemplum illud de presbytero, & clericis; tamen resolutio, & decretum deinde est generale, de quocumque similia matrimonia contrahente. Quia illud decretum non est factum in pœnam illorum clericorũ, sed propter illam indecentiam duplicis matrimonij, quæ præsefert illam incontinentiam, omninò repugnãtem sacerdoti, qui gerit vices Christi. Et ideò debet esse purissimus. In quocumque ergo est hęc incontinentia, & deformitas ad Christum Dominum, in eo cadit hæc bigamia, & irregularitas.

De tertia specie bigamiæ interpretatiuæ.

252 Tertia species bigamiæ interpretatiuæ, quę est quãdo quis contrahit cum vidua, expressè habetur cap. *debitum* de bigamis, & dist. 34. cap. *si quis viduam*. 1. cap. *lector*. cap. *si quis viduam*. 2. cap. *præcipimus*. His enim capitibus decernitur quod si quis cõtrahat matrimonium cum vidua iuris interpretatione decernitur esse bigamum, & ideo hæc est tertia species bigamiæ interpretatiuæ, & requiritur semper vt copula carnalis sequatur, vt supra diximus. Ratio, propter quam in hoc casu decernitur esse bigamiam, est quia in cap. *debitum*, de bigamis adductum dicitur quod qui ducit in vxorem corruptam vel viduam, non conformatur sponso Christo, cui Sacerdos debet conformari; Nam Christus Dominus habet vnicam sponsam nec vnquam habuit aliam, neque ecclesia, quæ est sponsa Christi, fuit vnquam alterius sponsa. Ita quod Christus est vnus vnius sponsæ, & ecclesia est vnica vnici sponsi. Qui aũt ducit viduã non est vnus sponsus vnius sponsæ, sed est sponsus vnius, quæ fuit bis sponsa, neq; ipsa vidua est sponsa vnici, sed est sponsa duorum.

Quid si matrimoniũ cũ vidua sit nullum.

Opinio Nauari.

253 Est autem dubium an si quis cõtrahat cum vidua, sed inualidè, propter aliquod impedimentum dirimens, vt est votum castitatis solemne, vel consanguinitatis, & huiusmodi, fiat irregularis. Nauarus cap. 27. num. 195. tenet partem negatiuam, hac ratione; quia hoc nullo iure cauetur, irregularitas autem non contrahitur nisi in casibus in iure expressis, vt sæpius supra dictum est: Sed in contrariũ est, quia cap. vltimo de bigamis decernitur quod Subdiaconus, qui contraxit cum vidua, & eam cognouit sit bigamus, & tamen matrimonium illud erat nullum. Respondet Nauarus quod ibi decernitur Subdiaconum illum esse bigamum, quia erat sacro ordine initiatus, non autem, quia contraxit cum vidua. Vnde vult quod illa bigamia sit similitudinaria, adeo quod laicus, vel ordinatus ad minores tantum, contrahens inualidè cum vidua, non esset bigamus, neque irregularis.

Opposita sententia est vera.

254 Sed contrà, Quia ratio, quam textus ibi adducit propter quam Subdiaconus ille dicitur bigamus, non est, quia sit sacris initiatus, sed quia contraxit cum vidua, licèt inualidè, verba textus sunt. *Cum eo tamen contra doctrinam Apostoli tanquam cum marito viduæ dispensare non licet. non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis, cum opere subsequuto*. Vnde Couaruuias in dicta Relect. par. 1. §. 2. numer. 2. dicit hanc sententiam esse communem, & Recentiores eam sequuntur, & eam tenet Ricardus in 4. dist. 27. art. 4. quæst. 3. & mihi quoque probatur.

An qui ducit corruptã sed non ab alio cognitã fiat bigamus

255 Quarta species bigamię scilicet quod qui ducit corruptam, seu non virginem fiat bigamus, probatur ex cap. *maritum*, distinct. 33. & cap. *curandum*, & cap. *præcipimus*, distinct. 34. In his enim capitibus decernitur quod qui duxerit non virginem, vel meretricem, vel concubinam non ordinetur. Sed dubium est de eo, qui ducit in vxorem corruptam à se ipso, nec ab alio prius fuit cognita, an fiat bigamus. Hic duplex est opinio. Aliqui dicunt fieri bigamum; Quia expressè in cap. *maritum*, dicitur; *qui vnam vxorem non matronam, sed concubinam habuit, non potest esse clericus*, & in cap. *præcipimus*, distinct. 34. dicitur: *aut qui virginem non est sortitus in vxorem*; corrupta autem prius quàm fiat matrimonium, non est virgo.

Communior opinio.

256 Communior tamen opinio Summistarum, verbo *bigamia*, quam sequuntur Nauarus cap. 27. numero 196. Soarez qui plures alios citat disputat. illa 49. sect. 3. num. 6. & Glosa in cap. sanè primo de clericis coniugatis, quæ adducit multa iura in oppositum, & illis respondet & alij, est quod non fiat bigamus. Pro hac opinione nullum ius adducitur in quo directè probetur, sed solum affertur hæc ratio. Quia cum subsequitur matrimonium filij nati prius legitimantur, & ideò videtur matrimonium retrotrahi, & censeri quasi factum cum illa ante primam copulam, ideo hoc priuilegio gaudet. Accedit, quod qui sic vnam solam cognouit non diuisit carnem suam cum alijs; Ideò non videtur contrahere illã dissimilitudinem cum Christo, quam contrahit, qui se miscet cum cognita ab alijs.

Cur vir corruptus ducẽs virginem nõ fit bigamus & ducẽs corruptam sic.

257 Occurrit autem hic dubium, quare vir contrahens cum corrupta fiat bigamus, & irregularis, & tamen ipse vir non virgo ducens virginem non fit bigamus. Respondetur quod rationes variæ adducuntur, sed præcipua est hæc, quia maior castitas requiritur ex parte mulieris, quàm ex parte viri. Plures rationes huius reddit Glosa in cap. *debitum*, verbo *cognitam*. hæc autem est præcipua quantum spectat ad contractionem bigamiæ: Quia vir significat Christum, qui primo copulauit sibi Synagogam, & postea ecclesiam degentibus, scilicet militantem, in qua sunt boni, & mali, & ideo non nocet, si vir non fuesit virgo. At vxor significat ecclesiam triumphantem, in qua non est macula, nec ruga, quæ semper virgo permansit saltem mente, & ideo exigitur quod vxor carnem suam non diuiserit in plures, Ratio autem, ob quam absolutè requiritur maior castitas in muliere, quàm in viro est, quia maior est indecentia in sponsa si non sit casta, quàm in homine.

Maior castitas requiritur in muliere, quam in viro.

258 Præterea est quædam infamia ducere corruptam. Item facilius est mulieri seruare castitatẽ, quàm viro, ideo ecclesia voluit quod integritatis corruptio in muliere faceret bigamiam, non in homine.

Impugnatio Soto.

259 Cæterum hæc ratio impugnatur à Soto, & ab alijs in 4. distinct. 27. quest. 3. art. 1. conclus. 4. eo quia synagoga non fuit concubina Christi, sed vera vxor; quoniam vna eademq. fuit antiquorum fides, & nostra, Quia quod illa significabat futurum, nostra significat factum. Verùm

Solutio.

res hæc est parui momenti; & responderi potest quod licèt ecclesia semper vna, & eadem fuerit quantum ad substantiam, tamen quantum ad faciem exteriorem fuit diuersa; vnde in Scriptura ponitur aliquod discrimen dum. Actorum 13. dicitur *oportuit primum vobis prædicari Regnum Dei, sed quia illi resistitis ecce transimus ad gentes*. In capite autem *si quis viduam*. 2. distinct. 34. declaratur irregularis, qui ducit in vxorem ancillam, vel aliquam de ijs, quæ publicis spectaculis mancipantur, intelligitur autem licèt sit virgo, quia solum hanc causam ibi assignat textus, sed hæc irregularitas non est irregularitas propter bigamiam, sed propter infamiam, quæ contrahitur propter vilem conditionem personæ.

Qui ducit personam vilẽ est irregularis propter infamiam non propter bigamiam.

260 Quinta species bigamię scilicet cum quis cognoscit propriam vxorem postquam adulterium commisit, etiam si eam virginem duxit. Probatur ex cap. *si laici*, & cap. *si cuius*, distinct. 34. In his enim capitibus decernitur, quod si constiterit laici alicuius vxorem commisisse adulterium, huiusmodi laicus non admittatur ad sacros ordines; hoc autem intelligitur, vt ait ibi Glosa, si eam post adulterium cognouit. Sed dubium est an hoc intelligatur de marito sciente, an ignorante. Glosa ibi dicit aliquos intelligere de marito sciente, qui est leno, & est patronus turpitudinis, sed quãdo maritus ignorat non videtur fieri bigamus, & irregularis: sed Glosa respondet hoc intelligi etiam de ignorante; nam si maritus esset sciens, & leno, repelleretur

tur

tur propter proprium delictum. Dicendum est ergo quod fit bigamus, quia cognoscit iam corruptam ab alio, & est maritus corruptæ, ideo est bigamus superioris speciei, si tamen nõ cognoscit eam, post perpetratum adulterium, non est bigamus, nec irregularis, vt habet eadem Glosa, argumento ex cap. vltimo eadem distinctione, & consentiunt omnes. Huc idem dicendum si per vim absque culpa mulier ab alio violetur; quia vt dictum est, hoc impedimentum non oritur propter culpam vxoris, sed quia est corrupta. Idem dicendum si quis iure, vel iniuria cogatur reddere debitum vxori, quæ prius commisit adulterium. Nam licèt de hac re sint diuersæ opiniones, vt notauit Glosa eodem cap. *cuius*, tamen hæc videtur probabilior propter eandem rationem, quia hoc impedimentum contrahitur non propter culpam, sed quia cognoscit corruptam, quod etiam asserit D. Thomas in 4. dist. 27. quæst. 3. ad quartum, & Angelus, & Syluester, verbo bigamia.

Bigamia similitudinaria.

261 Bigamia similitudinaria quæ est illa quæ accidit propter duo matrimonia, quorum vnum est spirituale scilicet per votum solemne castitatis, & alterum carnale. Nimirum quando habens votum castitatis contrahit matrimonium carnale, probatur ex cap. *quotquot*. 27. quæstion. 1. In eo enim sic dicitur *quotquot virginitatem pollicitam prauaricati sunt professione contempta*. (Intellige per contractionem matrimonij, non per violationem castitatis extra matrimonium, vt ex sequentibus capitibus elicitur) *inter bigamos. qui ad secundas nuptias transierũt haberi debent*. Ex quo habetur hanc irregularitatem extendi nedum ad Religiosos professos in Religionibus, sed etiam ad clericos in sacris promotos; licèt aliqui de clericis hoc negent; Est tamen communior opinio quod ad illos quoque extendatur; Quam tenent Summistę verbo bigamia, & Nauarrus cap. 27. numer. 195. & ante illos fuit Glosæ in cap. *superiori*, de bigamis, quæ citat ad hoc caput *quotquot*, superius adductum. Loquitur enim vniuersaliter illud caput neminem excipiendo; Inquit enim *quotquot*. præterea cap. *presbyter*. distinct. 28. apertè inquit, *presbyter si vxorem duxerit ab ordine suo illum deponi debere*; vbi hæc depositio est idem quod inhabilitas, seu irregularitas ab officio suo exercendo, & cap. *monacho*. 27. quæst. 1. dicitur de monacho, *& si postea vxori fuerit sociatus tanta prauaricationis reus nunquam ecclesiastici gradus officium sortiatur*; & denique hoc euidenter colligitur, quicquid aliqui dicant, ex cap. *sanè*, 2. de clericis coniugatis, nam ibi dicitur sic. *sanè Sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quæ non nuptiæ, sed contubernia sunt potius nuncupanda post pœnitentiam longam, & vitam laudabilem continentes officio suo restitui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi eius executionem habere*. Si ergo concedit Papa quod post longam pœnitentiam, & vitam laudabilem possit Episcopus eum restituere, & secum dispensare; sequitur quod Papa supponit ipsum esse bigamum, & irregularem: quod etiam sentiunt Recentiores cum Couaruuia dicta Clementin. part. 1. §. 2. numero 2.

De dispensatione super irregularitatem ex bigamia.

262 Circa dispensationem super irregularitatem ex bigamia contractam, est magna controuersia, vt notauit Scotus in hoc 4. distinct. 33. quæst. 2. artic. 2: Nam ex vna parte videtur quod Papa non possit super illa dispensare, quia cap. *super eo*. de bigamis dicitur: *Quia cum bigamis contra Apostolum dispensare non licet, vt debeant ad sacros ordines promoueri*. & cap. *nuper*, eodem titulo dicitur: *Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quod cum huiusmodi clericis, qui quantum in eis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt tamquam cum bigamis non liceat dispensari*. Idem habetur cap. *si quis viduam*. distinct. 50. contrarium tamen est verum: nam cum omnis irregularitas sit de iure canonico, certum est Papam super illam dispensare posse. Quod etiam probatur à Scoto ex cap. *lector*. distinct. 33. & ex Glosa ibi. Nam Papa Martinus dispensat lectorem, qui duxit viduam, vt possit ad Subdiaconatum promoueri,

sed non vlira. Et Glosa ibi dicit, quod Papa dispensat in bigamia; & quod Lucius Papa dispensauit cum Panormitano Episcopo, qui fuit bigamus. Hanc eandem sententiam tenent Theologi alij in hoc 4. distinct. 27. præsertim Diuus Thomas quæst. 8. artic. 3. & alij quos citat Nauarus cap. 27. num. 297.

Ad canones in contrariũ.

263 Ad canones in contrarium Scotus affert quandam glosam, quæ hæc iura concordat, dicendo quod in primitiua Ecclesia Subdiaconatus non erat ordo sacer, ideo Papa concessit quod ille lector posset ordinari ad Subdiaconatum, non autem supra. Sed hæc Glosa nunc est abrasa, & iure, quia falsum est quod in veteri ecclesia Subdiaconatus non fuerit habitus pro ordine sacro. Quod nos supra agendo de ordine sacro ostendimus.

264 Est ergo dicendum, vt ibi ait Scotus, quod in prędictis cap. non dicitur quod Papa non possit, sed quod non licet dispensare; dicitur autem non licere, non quia omninò non liceat, sed solum quod pro vrgenti necessitate talis dispensatio licet. Et ad factum Lucij Papæ inquit Scotus eum improbari (videtur enim reprobari ab Innocentio, Martino, & alijs Pontificibus in citatis canonibus dum ab eis dicitur non licere dispensari cum bigamo) non quia non potuerit dispensare, sed quia non decet nisi vrgenti necessitate.

An liceat Episcopo dispensare cum bigama.

265 An verò liceat Episcopo dispensare cum bigamo, saltem quo ad ordines minores est dubium; aliqui affirmant vt Diuus Thomas in 4. distinct. 27. quæst. 3. artic. 3. quo ad bigamiam veram, & interpretatiuam, & eandem sententiam tenent Richardus, Durandus, Syluester verbo bigamia, quęst. 7. & quidam Alij. Alij ex aduerso asserunt Non licere dispensare ad suscipiendum ordines minores, sed solum ad vtendũ iam susceptis ordinibus, vt Nauarus cap. 27. num. 197. Alij denique tenent vniuersaliter non posse Episcopum nec ad ordines minores suscipiendos, nec ad ministrandum in susceptis dispensare. Hanc sententiam tenent Recentiores quam desumunt ex Abbate, cap. 2. de bigamis, num. 5. in fine, & ex Doctoribus in caput vnicum de bigamis in 6. Ratio est quia in dicto cap. vnico de bigamis in 6. bigami bigamia vera, & interpretatiua, vt Glosa exponit, priuantur omni priuilegio clericali, & in cap. *nuper*. & cap. vltimo de bigamis, hæc potestas dispensandi cum bigamis simpliciter Episcopis aufertur.

De dispensatione super bigamia similitudinaria.

266 Super bigamia similitudinaria verò si fuit virgo Episcopus dispensare potest cap. 1. *qui clerici, vel vouentes*, & Glosa ibidem, & est communis opinio, vt ait Nauarus cap. 27. num. 196.

DISPVTATIO QVARTA.

De Excommunicatione.

Diuisio in Maiorem & Minorem, à iure & ab homine, & eorum differentia. Quid sit Excommunicatio, & Anathema. *Caput Primum.*

AGit breuiter Scotus de excommunicatione in hoc quarto duobus locis scilicet distinct. 19. quæst. vnica, in qua agit de potestate clauium artic. 5. & hac distinct. 25. quæst. 1. §. *quarta pœna*. Nihilominus tangit omnia necessaria ad cognitionem huius pœnæ ecclesiasticæ. Circa explicationem huius pœnæ Recentiores vario ordine vtuntur: Nimirum discurrendo per quatuor genera causarum. Nos quatuor tractabimus sicut Scotus facit ad quæ reliqua reducuntur. Primò agemus de quidditate, & essentia eius, siuè q d sit ex-

communicatio. Secundò de causis ob quas ea incurritur. Tertiò quomodo tollitur. Quartò quomodo se habet ad alias pœnas, & censuras ecclesiasticas.

Differentia inter pœnam canonicam, & censuram.

2 Dimitto disputationem de differentia inter pœnam canonicam, & censuram ecclesiasticam, scilicet an excommunicatio sit pœna vel censura; nam de hoc discrimine dixi supra disp. 2. cap. 1. & disp. 5. cap. 1. agendo, an irregularitas sit pœna canonica; sufficit enim quod excommunicatio cõtineatur sub numero pœnarum canonicarum, & specialius sub nomine censuræ, vt ibi diximus; & quod omnes conueniãt in causa materiali, quia versantur circa ordines sacros, ob res spirituales magis vel minus, vt patet ex eorũ differentijs particularibus, de quibus infra.

De potestate ferendi censuras.

3 Dimitto etiam disputationem vnde sit hæc potestas in Ecclesia imponẽdi has pœnas; An scilicet sint de iure diuino, vel humano; diximus enim supra distin. 19. disp. 31. cap. 3. hanc potestatem quæ est iurisdictionis esse institutã à Deo, Ioan. cap. 21. vbi potestatem supremam iurisdictionis dedit Petro, & in persona Petri suis Successoribus, & Ecclesiæ ipsi. Specialiter tamen potestatem iurisdictionis in foro exteriori, & forum externum Ecclesiæ, in quo spiritualiter possit ligare, punire & absoluere, instituit, Matt. 18. *Dic Ecclesiæ, &c.* Quæ auctoritas postea per Ecclesiam vario modo est disposita, & diuisa; Vnde diuersæ species pœnarum, & censurarum ortæ sunt, vt etiam infra tangam. Qua ratione communiter dicitur has pœnas & censuras esse de iure humano. Nam licèt Christus Dominus dederit auctoritatem imponendi has censuras, & pœnas, tamen illas ipse Christus in specie non distribuit, nec diuisit, nec ordinauit eo modo, quo ordinatæ sunt ab Ecclesia; sed ipse Sũmus Põtifex, & Ecclesia ex auctoritate accepta à Christo, Eas eo modo distribuit, & accõmodauit, quomodo nũc sũt in vsu in Ecclesia; vt patet ex sacris canonibus de ipsis disponentibus. Neque alius quàm Summus Pontifex potuit hanc distributionem seu institutionem particularem facere: quia istæ pertinent ad totam Ecclesiam; solus autem Papa est caput, & Pastor vniuersalis Ecclesiæ: licèt deinde Episcopi, & inferiores Prælati habeant potestatem illas ferendi in suos subditos per potestatem ordinariam, vel delegatam prouenientem à Summo Pontifice, vt diximus disput. 21. cap. 5. & disp. 31. cap. 3. & 4. de Pœnitentia contra hæreticos, vt etiam infra tangam.

Christus ore proprio explicauit formã excommunicationis.

4 Nihilominus licèt hæc vera sint, tamen negari non potest, quin forma excommunicationis sit explicata in Sacra Scriptura, & tradita ab ipso Christo ore proprio. Nam Matth. 18. in illis verbis. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*, explicat, & tradit formam, & quidditatem excommunicationis, licèt nõ apponat omnia verba, & non ita clarè explicet, sicut per Ecclesiam postea est explicata: quia etiam formæ sacramentorũ, & præsertim Eucharistiæ corporis, & sanguinis est ea, quã tradidit Christus Dominus ore proprio, licèt Ecclesia aliqua verba addiderit, & eo modo, quo ĩ vsu est in Ecclesia, sit ordinata ab ipsa Ecclesia. Immò ex hac forma tradita à Christo excommunicationis, & auctoritate in foro exteriori concessa eidem Ecclesiæ in verbis illis sequentibus. *amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erũt ligata, & in cælis, &c.* Ecclesia deinde quasi diuisit hanc excommunicationem in diuersas partes.

Censuræ aliæ sũt quasi partes excomm.

Nam cæteræ cẽsuræ, & pœnæ sunt quasi partes ipsius excommunicationis. Quoniam vt videbimus excommunicat. est maior censura ecclesiastica omnibus alijs pœnis, & censuris: quia priuat à pluribus; priuat enim nõ solum à susceptione, & vsu sacrorum ordinum, vt aliæ censuræ, sed à communicatione fidelium, quæ est maxima pœna; Vnde est veluti quoddam totum integrale, cæteræ pœnæ sunt quasi partes integrales excommunicationis; quæ omnia magis patebunt ex declaratione diffinitionis.

Opinio Scoti.

Et hæc videtur esse opinio Scoti in 4. dist. 19. art. 5. dum inquit, hanc potestatem in foro exteriori datam esse Ecclesiæ Matt. 18. dum dixit Petro *si peccauerit, &c.* Nam non dicit, quod dederit solum potestatem in communi ferẽdi censuras, & pœnas ecclesiasticas, sed in particulari hanc pœnam, vt inobedientem Ecclesiæ haberet vt ethnicum, & publicanum, idest quod separaret eum à communione fidelium, quæ est forma, & quidditas excõmunicationis, vt videbimus.

Obiectio Suarez.

5 Sed contrà obijcit Suarez tomo de censuris disput. 2. sect. 1. n. 4. quia si hoc esset verũ, sequeretur omnẽ hominẽ inobedientem Ecclesiæ esse excommunicatum, quod tamẽ est falsum.

Secũda ratio

Secundo, quia tunc sequeretur, quod Ecclesia neminem excommunicaret, sed solum declararet esse excommunicatum iure diuino, quia non pareret Ecclesiæ, quod pariter est absurdum.

Tertia ratio.

Tertiò sequeretur quod quando leges ecclesiasticæ ferunt censuram ipso iure incurrendam, non esset intelligendum de iure humano, sed diuino, & quod non essent differentes ab illis alijs legibus, quæ ponunt excommunicationem comminatoriè, & sub pœna latam, nisi quod illæ priores expressè continent declarationem pœnæ impositæ iure diuino; posteriores verò minimè, quod est pariter absurdum, vt patet.

Consequẽtia principalis probatur.

Hæc autem omnia absurda sequi ad nostram opinionem probat: quia Christus generaliter ibi loquitur. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã ethnicus, & publicanus*, Vel ergo est sermo in particulari de excommunicatione, ita quod Christus huic delicto inobedientiæ ad Ecclesiam imposuit pœnam excommunicationis: & sic omnes, qui non obediunt Ecclesiæ, sunt excommunicati, sicut omnis, qui violat litteras Apostolicas, est excõmunicatus; quia tali violationi est imposita pœna excommunicationis; quod est absurdum euidens. Vel est dicendum, quod Christus illis verbis nõ loquitur de excommunicatione in particulari; & sic habet propositum, quod excommunicatio non est instituta ibi à Christo, neque est de iure diuino, sed humano.

Refellitur Suarez.

6 At istæ rationes non cogunt. Vnde pro rei huius intelligentia est notandum, quod aliud est dicere, Deum instituisse formam censuræ excommunicationis, qua puniret contumacem Ecclesiæ; & aliud Deum imposuisse censurã excõmunicationis inobedienti Ecclesiæ. Differentia istorum patet: Nam Doctores & etiã superiores lege sua quandoque docent iudicem quomodo, & qualiter debeat ferre sententiam, non tamen propter hoc ferunt ipsi sentẽtiam. Sic ad propositum Christus Dominus in eo loco docuit Ecclesiam, qua sententia deberet punire, & corrigere contumacem ecclesiæ, & præscripsit formam huius sententiæ, dicens, quod huiusmodi contumacem haberet pro ethnico, & publicano idest illum separans à communione fidelium extra ecclesiam ejceret, quæ est forma, & sentẽtia excommunicationis. Deinde in verbis sequentibus dedit auctoritatem ecclesiæ ferendi hanc censuram sub illa forma. At ipse Christus non sententiauit, neque huic peccato contumaciæ actu imposuit censuram excommunicationis, sed reliquit hoc in arbitrio ipsius ecclesiæ. Et hoc modo intelligunt Scotus, & alij Auctores dicentes excommunicationem esse de iure diuino, & institutam à Christo illo loco Matth. 18. ex his patet ad rationes Suarez.

Ad rationes Suarez.

Ad primam enim negamus consequentia. Valeret enim si diceremus, quod Christus illis verbis imposuisset pœnam excommunicationis contumaci ecclesiæ, tunc enim sequeretur omnem contumacem esse excommunicatum, & ecclesiam nõ imponere excommunicationem, sed declarare, &c. At hoc non dicimus; sed solum asserimus Christum Dominũ eo loco instituisse censurã excommunicationis, ac eius formam, & essentiam explicasse; & dedisse deinde Apostolis, & ecclesiæ facultatem illa vtendi contra rebelles ecclesiæ, quando illi videretur vtile, & necessarium. Ex qua auctoritate Christi data ecclesiæ oritur obligatio in subditis ad obediendum ecclesiæ, & facultas ecclesiæ auferendi & imponendi eam. Et per idem patet ad alias duas rationes.

Anathema quid significet.

7 Antequam etiam videamus quid sit excommunicatio adhuc est obseruandum, quod excommunicatio, quandoque vocatur anathema, Vnde sæpè in sacris canonibus habetur loco excommunicationis nomen anathematis. cap. 1. de eo, qui furtiuè ordinem suscipit *sub interminatione anathematis* præcipitur illi Diacono ne ad ordinationẽ

acce-

accederet, idest sub pœna excommunicationis, vt Glosa ibidem, & sæpius similia habentur. Nam hoc nomen, anathema, quod est Græcum, propriè significat detestationem, vel execrationem. Vnde cum in Concilijs decernitur aliquis articulus de fide, vt sæpè contingit, & maximè in Tridentino oppositum tenentibus, dicitur anathema, idest oppositum sentientes detestant, & execrantur: Et quia excommunicatio est detestatio, & abiectio, ac separatio quædam hominis ab ecclesia, hæc actio dicitur anathema. Habet etiam alias significationes, quæ huic significationi inseruiunt, vt est videre apud Budæum in canon. linguæ Græcę. Aliquando enim significat idem, quod remotū, seu separatū, vnde donaria, quæ Dijs apud Gentiles suspendebantur in columnis, vel parietibus Templi appellabantur anathemata, idest separata ab vsu humano, & solum dicata Dijs. & in hoc sensu Apostolus ad Romanos 9. dixit: *optabam ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Vult enim dicere, quod quando versabatur in Iudaismo ante conuersionem ad Christum, erat adeo zelans pro lege, quod optabat esse separatus potius a Christo, quā à fratribus suis Iudæis, adeo diligebat Iudæos. Hęc autem significatio congruit excommunicationi. Quia vt videbimus excommunicatio est separatio hominis ab ecclesia: quod etiam habetur 24. quæstio. 3. cap. *certum*. significat etiam aliquando id quod abominationi, & detestationi habetur, secundum quem sensum Numeri 21. Ciuitates illæ Cananeorum vocantur Horma, idest anathema, vt exponit Diuus Hieronymus in epistola ad Galatas 1. Et in hoc sensu etiam accommodatur excommunicationi, & congruit propriè significationi, quam prius adduximus, Quia homo excommunicatus in abominationem, & execrationem habetur. Habet alia significata, quæ omitto.

Locus Pauli optabā anathema esse, &c. quomodo intelligatur.

8 Est tamen aliqualis differentia inter excommunicationem, & anathema: Nam anathema propriè est excommunicatio maior, vt elicitur ex cap. *Engeltrudam*, 3. quęst. 4. & ex Glosa ibi, & ex Gratiano, & ex cap. *De Presbyterorum*. 17. quæst. 4. excommunicatio autem absolutè sumpta accipitur etiam pro excommunicatione minori; & hoc modo accipitur excommunicatio in ca. illo *Engeltrudam*, dum dicitur Engeltrudam percussam fuisse non solum *excommunicatione, qua à fraterna societate separat*, sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est ecclesia separat. Nam excommunicatio minor separat à communione fraterna fidelium solum in sacramentorum perceptione; sed maior eijcit omninò extra ecclesiam. Ponitur etiam discrimen aliud ab aliquibus inter excommunicationem maiorem, & anathema, eo quod anathema dicitur excommunicatio maior, quę profertur cum solemnitate, de qua cap. *debeat*. 11. quæst. 3. quæ est, quod proferatur ab Episcopo cum duodecim Sacerdotibus lucernas ardentes in manibus tenentibus, quas in cōclusione anathematis, seu excommunicationis proijcere debeat in terram, & conculcare pedibus, nec debent amplius ad aliquem vsum assumi, sed proijci velut sal infatuatum. Excommunicatio verò maior, sed non anathema, est, quæ sine hac solēnitate profertur à quocumque Prælato iurisdictionem habente ordinariam, vel delegatam; vt habetur cap. Cum ab ecclesiarum de officio, & potestate iudicis delegati, & ex Glosa ibidem, quæ ibi docet, Pręlatos alios habentes potestatem iurisdictionis posse excommunicare, licèt non cum illa solemnitate; & exponit iura, quæ videntur dicere excōmunicationem esse proprium mucronem Episcoporum, vt cap. *visis*. 76. quæst. 7. & cap. *corripiantur*. 24. quæst. 3. intellige de excommunicatione cum solemnitate illa; Eo enim modo ferè excommunicationem pertinet ad solum Episcopum: habet enim hoc modo maiorem terrorem externus, sed internus, & in se est eiusdem valoris prolata tàm cum solemnitate illa, quàm sine. Vnde cum in rebus magni momenti fertur excommunicatio, est in vsu nomen anathematis, ad significandum grauitatem delicti, propter quod fertur excommunicatio.

Quæ differētia sit inter anathema, & excōmunicationem.

Solemnitas ferendi excōmunicationem maiorē

9 Nunc ad diffinitionem excommunicationis accedamus, quæ à diuersis diuerso modo assignatur. Aliqui sic definiunt. *Excommunicatio est ecclesiastica censura, qua homo Christianus bonis communibus fidelium priuatur*. Apponunt illam particulam, Christianus, ad denotandum hanc censuram ligare posse solum baptizatos, & Christianos. Sed hæc particula est redundans: Quia cum dicitur hanc censuram esse priuationem bonorum communium fidelium, supponitur, illum, contra quem fertur, esse iā baptizatum, & Christianum, & iam frui illis bonis communibus, alioquin non posset illis priuari, si prius illis non potiretur.

Variæ diffinitiones excommunicationis.

10 Aliqui dicunt. *excommunicationem esse censuram, qua quis separatur ab vsu communionis fidelium*. Nolunt enim poni illam particulam, a cōmunione fidelium, quia per illam videtur excommunicato adimi facultas, & potētia vtendi communione ecclesiæ; quod est falsum. Quia non tollitur character baptismatis, in quo illa habilitas cōsistit: Non priuat ergo simpliciter communione, sed solum vsu communionis. Sed hæc consideratio nullius est momenti; quia priuare communione fidelium in tali diffinitione, non est priuare potentia remota & radicali ad huiusmodi communionem, sed actuali communione, & potentia proxima licita, vt patebit ex dicendis.

Aliorū diffinitio.

Reijcis.

11 Alij vt Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. dicunt *excommunicatio est ecclesiastica censura, qua homo ab aliqua ecclesiæ communione separatur*. In hac diffinitione Soto ponit illam particulam, ab aliqua ecclesiæ communione, vt comprehendat excommunicationem maiorem, & minorē simul. Nam minor tantùm separat à participatione passiua, sinè à susceptione sacramentorum: maior verò, & ab illa, & insuper à suffragijs, & conuictu fidelium simul. Non existimat tamen Soto hanc esse diffinitionem excōmunicationis propriè, quia paulò infra assignat diffinitionem excommunicationis maioris, quam dicit esse simpliciter excommunicationem, vt videbimus, sed dicit, si quis velit assignare diffinitionem, quæ simul cōprehendat maiorem, & minorem illam esse assignandam. Et hoc modo intelligendus est quoque Abbas in rubrica de sententia excommunicationis, dum assignat diffinitionem quæ comprehendit vtramque excommunicationem. Suarez tamē dispu. 8. sect. 1. nititur exponere hanc diffinitionem Soto ita vt coincidat cum diffinitione, quam ipse ibi assignat, quam vult sub se vniuocè comprehendere maiorem, & minorem; & excommunicationem esse genus, & maiorē, & minorem esse propriè species excommunicationis propriè dictæ in communi. Assignat enim pro diffinitione excommunicationis hanc. *Excommunicatio est censura qua quispiam separatur ab ecclesiastica communione fideliū*, inquit .n. se ponere illā particulam *ab ecclesiastica communione fidelium* abstractè absque illa particula *aliqua*, vel alia simili, quia sic abstractè sumpta comprehendit separationem à communione fidelium in communi, quæ potest esse ab aliqua communione, vel ab omni communione, & sic comprehendit minorem, & maiorem.

Alia diffinitio, quæ est Soto.

Diffinitio Suarez.

12 Cæterùm hic modus dicendi Suarez, etsi prima facie videatur esse rationabilis, nihilominus non videtur admittendus. Ratio est; Quia ratio generis includitur in suis speciebus æqualiter, & species addunt solum differentiam diffinitioni generis. Animal enim quod est substantia animata sensibilis includitur secundum se æqualiter in homine, leone, & alijs speciebus, sed species ipsæ deinde addunt differentiam essentialem super ipsam, vt homo rationalitatem: dicimus enim homo est animal rationale, seu substantia animata rationalis. At in proposito diffinitio illa excommunicationis in communi non clauditur in excommunicatione minori, quia per excommunicationē minorem nemo excluditur à communione fidelium. Et cum dicitur quod separatio à communione fidelium in cōmuni, & abstractè, est quid commune vtrique excommunicationi. Contrà, illa separatio à commonione fidelium sumitur à verbo Christi Matt. 18. in illis enim habent suū fundamentum, etiam ex ipso Suarez ibidem, & infra vi-

Refellitur.

debi-

debimus, at illa separatio à communione fidelium, quam Christus ibi docet, est separatio tanquam ab etnico, & publicano; Patet autem, quod excommunicatio minor non excludit hominem à communione fidelium, sicut excluditur fidelis Christianus ab etnico, & publicano: sed solum à susceptione sacramentorum, in reliquis omnibus communicat cum fidelibus, quod non facit etnicus & publicanus; ergo separatio illa à communione fidelium non potest intelligi abstractè, sed determinatè pro separatione totali à communione fidelium, vt infra declarabitur, alioquin non haberet fundamentum in Euangelio.

13 Melius ergo dicitur cum Scoto in hoc 4. distin. 25. quæst. 1. §. *quarta pœna*, & dist. 18. quæst. vnica art. 5. & cũ Soto eadem dist. 22. quęst. 1. art. 1. quod excommunicatio maior est simpliciter excommunicatio: excommunicatio minor verò est excommunicatio secundum quid. Vnde cum Iudex excommunicat aliquem sine expressione maioris, vel minoris, sed simpliciter dicendo, te excommunico, vel similibus cap. penult. de sententia excomm. semper intelligitur de excommunicatione maiori, quæ etiam anathema dicitur. Excommunicatio autem minor est censura diuersa instituta ab ecclesia, sicut est suspensio, (Vnde sæpè appellatur in iure suspensio, vt infra videbimus) cessatio à diuinis, & interdictum, licèt hoc nomine excommunicationis appelletur. Placuit enim ecclesiæ hanc separationem à communione fidelium distinguere in varias species, quæ quodammodo sunt partes excommunicationis propriè institutæ à Christo, quatenus separant quoad vnũ effectum, non quoad alium, vt sic paulatim à minoribus pœnis incipiendo contumacem ecclesiæ corrigeret.

Vera diffinitio excõmunicationis ex Scoto.

14 Vera ergo & perspicua diffinitio excommunicationis est, quam explicat Scotus in hoc 4. dist. 18. quæst. vnica art. 5. quam deinde Alij amplexi sunt, licèt Scoti nullam mentionem fecerint, additis aliquibus particulis, quæ in ipsa clauduntur, mirum. *Excommunicatio est exclusio, alicuius à communione fidelium.* Explicat tamen aliqualiter Scotus hanc diffinitionem, dicendo, quod est exclusio, non quidem corporalis, quæ fit in carceratione, vel exclusione ab alijs, sed excludendo per prohibitionem ne quis communicet cum alijs, nec alij cum illo. De qua exclusione infra agemus, explicando effectus excommunicationis: sat sit nunc, quod excommunicatio est prohibitio, ne quis communicet cum fidelibus alijs, nec alij cum ipso. Soto in 4. dist. illa 22. quæst. 1. art. 1. assignat diffinitionem coincidentem cum ista, licèt verbis quoquo modo diuersam, inquit enim. *Excommunicatio est ecclesiastica censura, qua homo ab ecclesiæ communione quoad fructum, & suffragia communia separatur.* Nauarus cap. 27. num. 1. inquit. *excommunicatio est censura qua priuat à communione sacramentorum, & hominum,* isti specificãt effectus excommunicationis, sed si in diffinitione excommunicationis ponẽdi essent effectus excommunicationis in particulari multo longior esse deberet, quia quibus effectibus, & quomodo priuet eget maxima declaratione. Ideo vltimo Suarez vbi supra assignat diffinitionem excommunicationis, quæ omninò est eadem cum diffinitione Scoti, solũ in hoc differt à Scoto: quia vult hanc diffinitionem esse communem maiori, & minori, quod est falsum, vt diximus supra. diffinitio enim eius in illa disp. 8. sect. 1. est hæc. *excommunicatio est censura, qua quispiam separatur ab ecclesiastica communione fidelium.*

Diffinitio Soto.

Diffinitio Nauari.

Diffinitio Suarez quæ coincidit in diffinitione Scoti.

Allata diffinitio explicatur.

15 Hæc diffinitio est simul diffinitio quid nominis, & quid rei. Est quid nominis, quia hoc nomen excommunicatio perinde est, ac extra communionem factio, & excõmunicatus perinde est, ac extra communionem factus. Est verò quid rei, quia explicat essentiam, & quidditatem huius censuræ, quæ excommunicatio appellatur. Vnde genus eius est pœna, seu censura ecclesiastica: diximus enim supra in materia de irregularitate, quod excommunicatio enumeratur inter pœnas canonicas, quia est pęna imposita à canonibus. Dicitur verò censura, quia est pęna canonica, non quæcunque, sed ordinata ad correctionem & medicinam peccati: Vnde diximus eodem loco censuram per hanc differentiam distingui ab alijs pœnis. Diximus enim tres esse censuras ecclesiasticas, inter quas prima est excommunicatio, ex cap. *querentis*, de verborum significatione. Differentia verò est illa vnica particula *à communione fidelium*: per hanc enim distinguitur ab alijs censuris scilicet à Suspensione, Interdicto, & ab omnibus alijs pœnis ecclesiasticis, vt est Excommunicatio minor, Suspẽsio à diuinis, Degradatio, Depositio, & alijs: Quia reliquæ omnes priuant solum à communione quadam partiali fidelium, scilicet à communione aliquo modo cum fidelibus in sacramentis tantùm; sed excõmunicatio separat ab omni communione fidelium, etiam extra sacramẽta, & proijcit excommunicatum extra ecclesiam etiam quantum ad communionem externam, licèt quantum ad fidem, & charitatem, & communionem internam possit manere coniunctus. Nam excõmunicatio directè non priuat gratia, sed supponit eum, qui excommunicatur amisisse gratiã propter peccatum contumaciæ, sed si pœniteat de peccato poterit esse in gratiam antequam absoluatur ab excõmunicatione, & propter hoc dicitur, quod priuat quantum ad communicationem exteriorem, priuat enim excommunicatum omni communione tàm spirituali, quàm ciuili, & humana, vt postea videbimus.

Probatur hęc diffinitio

16 Hæc autem diffinitio elicitur ex verbis Christi in Euangelio Matth. 18. ex communi consensu, vt etiam fatetur Suarez vbi supra, idem enim significant illa verba Christi. *si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam etnicus, & publicanus,* ac si dixisset, si quis fuerit contumax, & inobediens ipsi Prælato Ecclesiæ, separa, proijce eum extra ecclesiam, prohibendo illi omnem communionem bonorũ ecclesiæ, sicut etnicis, & publicanis huiusmodi communicatio bonorum non est communicata. Prohibitio autem ista communicationis bonorum ecclesię est tradere hic excommunicatum Sathanę secundum modum loquẽdi Diui Pauli 1. ad Corinth. 5. vbi fornicarium illum tradidit Sathanæ. i. excommunicauit, & 1. ad Timot. 1. vbi inquit se tradidisse Himeneum, & Alexandrum Sathanæ, vt discerent non blasphemare. Ratio autem, propter quam excommunicatus dicitur tradi Sathanæ per ipsam excommunicationem, est, quia diabolus est extra ecclesiam, ideo qui per excommunicationem prohibetur communione fidelium orationibus, & suffragijs ecclesiæ, & ejcitur extra ecclesiam, quasi traditur in potestate dæmonis. Vnde 11. quæst. 3. cap. *omnis Christianus* ex Diuo Augustino serm. 68. de verbis Domini dicitur: *Omnis Christianus dilectissimi, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ traditur: quomodo scilicet, quia extra Ecclesiam est diabolus, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab ecclesiastica communione remouetur: Vnde illos, quos tunc Apostolus sathanæ esse traditos prędixit excommunicatos à se esse demonstrat,* & eodem capite sequenti ex eodem Diuo Augustino in tractatu 27. ad caput 6. Ioannis. *Nihil sic debet formidare Christianus quam separari à Christi corpore: si enim separatur à corpore Christi, non est membrum eius. si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius: quisquis autem, inquit Apostolus, spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Vnde multi aiunt vt Anselmus, Caietanus, & aliqui Alij, Paolum tradidisse fornicarium illum Sathanæ vexandum corporaliter ad denotandum grauitatem huius pœnæ, ac in primitiua Ecclesia permisisse Deum excommunicatum etiam corporaliter vexari. Diuus Hieronymus tamen adductus 11. quęst. 3. cap. *Audi*, inquit duobus modis homines tradi de Ecclesia in potestatẽ diaboli. *Vno modo cum delictum eius manifestum fit Ecclesiæ, & per Sacerdotes de Ecclesia pellitur, vt notatus ab omnibus erubescat, & è conuerso conueniat illi illud, quod sequitur, vt spiritus saluus fiat in die Domini nostri Iesu Christi.* Quomodo videtur velle, quod hæc traditio non fiat per vexationẽ corporalem, sed solum per exclusionem à communione fidelium, per quam erubescat, & redeat ad cor.

17 Hinc patet, quod licèt hæc pœna non videatur con-

sen-

Excõmunicationis pœna non est cõtra pietatem

sentanea pietati Christianæ, cũ priuet bonis spiritualibus, tamen non est sic, sed est maximè illi congruens, quia ordinatur ad salutem illius, iuxta illud allegatũ Pauli, *vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi*. Et declaratur cap. 1. de sententia excommunic. in 6.

Solã excommunicationẽ maiorẽ esse excõmunicationẽ propriè.

18 Ex omnibus his cõfirmatur id quod diximus solam excommunicationem maiorem esse excommunicationẽ simpliciter, & proinde diffinitionem assignatam non posse competere excommunicationi minori: quia isti effectus, & ratio illi non competunt. Vnde rationabiliter à Scoto, & alijs excommunicatio minor appellatur excommunicatio secundum quid, priuat enim sola perceptione sacramẽtorum, seu sola participatione passiua sacramentorum. Neque potest dici species excommunicationis in communi, nisi æquiuocè. Vnde dicendum est esse speciem quandam censuræ institutam ab ecclesia ex potestate sibi tradita à Christo Domino limitandi pœnam hanc contra contumaces, ac non statim puniendi hanc contumaciam toto illo rigore, de quo auctoritatem illi dedit, sed prout illi videretur expediens iuxta verba sequentia Christi ibidem. *Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis in terra erunt ligata in cælis, &c.* Quod videtur confirmari ex cap. vltimo de clerico excommunicato, & ex capite penultimo de senten. excommun. quia ibi ponitur differentia inter excommunicationem Maiorem, & Minorem, & in hoc vltimo dicitur, quod cum quis sub hac forma excommunicat, *excommunico illum*. dicendum est eum non tantum *Minori, quæ à perceptione sacramentorum, sed etiam Maiori excommunicatione, quæ à communione fidelium separat, esse ligatũ.* Patet enim hoc discrimen esse à iure institutum, & ex Glosa ibi colligitur, quod excommunicatio minor dicitur de varijs actionibus, vt de peccato mortali, de pęna imposita ab aliquo sibi ipsi, & alijs modis, qui propriè ad excõmunicationem secũdum diffinitionem assignatam ex verbis Christi non congruunt.

Differentia inter excommunic. Maiorẽ, & minorem.

De excõmunicationi minori.

19 Vnde quidam tàm ex Antiquis, quàm ex Recentioribus varias species excommunicationis Minoris colligũt, & aliquibus textibus muniunt. sed vt breuiter agamus, nõ est recedendum à communiori sententia Theologorum, qui vnicam speciem excommunicationis minoris statuunt & eam diffiniunt esse censuram, quæ à participatione passiua sacramentorum tantum priuat, vt supra diximus. Vnde licèt antiquitus, & speculatiuè procedendo videantur posse assignari variæ species: tamen prout nunc est in vsu non est nisi hæc vnica. Quod apertè colligitur ex cap. penultimo de sent. excommunicationis nunc supra adducto, quia ibi dicitur, quod *excommunicatio minor priuat à perceptione sacramentorum*, quę perceptio est idem quod participatio passiua sacramentorum. Atque idem elicitur manifestè ex cap. *si celebrat.* de clerico excommunicato. Nã in eo capitulo ponuntur sex particulę ex quibus tota natura excommunicationis minoris declaratur. Prima est quòd existens ligatus excommunicatione minori, & in ea celebrans peccat grauiter. Secundò, quod tamen nullam incurrit irregularitatem. Tertiò, quod non prohibetur eligere, nec ea exercere, quæ ratione iurisdictionis ei competunt. Quartò, quod tamen si scienter sit electus, eius electio est irritanda. Quintò, quod peccat conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata nõ carent effectu virtutis suæ. Sextò, quod est prohibitus, & remotus à participatione sacramentorum (quæ in sola perceptione consistit) idest, est prohibitus à participatione passiua sacramentorum. Ex his particulis sexta sola continet proprium & substãtialiter effectum, immò essentiam excommunicationis minoris. Vnde hæc solum enumeratur in cap. penultimo de sent. excommunicationis, & per illã distinguitur à maiori eodem cap. & proinde illam solam in diffinitione eius posuimus. Cæteræ particulæ explicant quosdã eius effectus, qui ex ea consequuntur, & sunt declarãdi ad exactam cognitionem huius censuræ.

Vnica est species excõmunicationis minoris.

Diffinitio excomm. minoris.

Sex enumerãtur de excomm. minoris totam eius naturam explicantes.

Particula allata de excomm. minoris explicãtur

20 Ex prima ergo particula patet quale peccatum sit suscipere sacramenta in ligato excommunicatione minori: est enim peccatum mortale. Quod insinuat canon: dum ait huiusmodi excommunicatũ *grauiter* peccare celebrando: grauiter enim peccare, est peccare mortaliter. Dum autem ait grauiter peccare celebrando significat peccatum mortale ab ipso commissi, nedum in celebratione sacramenti Eucharistiæ, sed in perceptione aliorum sacramentorum: quia prohibetur à receptione omnium, ideo faciendo contra hanc prohibitionem, peccat mortaliter. Secunda particula denotat huiusmodi excommunicatum non incurrere irregularitatem propter huiusmodi susceptionẽ indebitam sacramentorum, per quod differt à maiori excommunicatione, in qua qui celebrat fit irregularis, atque hic nulla est dubitatio. Tertia particula est clara.

An excõmunicatus minori excõmunicat. possit eligi ad gradus, beneficia, &c.

21 Circa quartam particulam est dubiũ, quomodo intelligatur. & primò quidem certum est intelligi de electione ad grados, dignitates, & beneficia ecclesiastica: Quoniã hoc elicitur ex ratione, quam ibi adducit Pontifex, quæ est, *Pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur à quorum perceptione à Sanctis Patribus est priuatus.* Quæ habet locum in beneficijs ecclesiasticis, quæ ordines sacros habent annexos. Verùm est difficultas circa illam particulam *scienter*, quomodo intelligatur, de qua Syluester verbo *excommunicat.* 4. num. 4. Couarruuias cap. *alma*, par. 1. §. 8. num. 3. Suarez disp. 24. sect. 2. nume. 13. & sequentibus, & Alij ab eis citati plura dicunt. Sed breuiter est dicendum cum cõmuniori sententia, quod electio facta talis excommunicati scienter, siue scientia sit ex parte eligentium, siue electi, est irritãda, adeo quod valet solum cum facta est ignorãter tàm ex parte electi, quàm eligentium. Atque etiam hoc procedit post editam Bullã *ad euitanda* quo ad ipsum excommunicatum; licèt enim non sit publicatus, vel denuntiatus (quod in vsu non est) tamen non debet eligi, quia vt aliàs dictum est, illa Bulla non est edita in commodum excommunicati, si autem electio valeret donec non esset denunciatus, cederet in magnum commodum huiusmodi excõmunicati. Eligentes verò sic scienter, peccant quidem grauiter, quia faciunt contra ius canonicum, non tamen aliquam censurã incurrunt. Dubitatur etiam, an talis electio sit ipso facto irrita, & nulla, an sit irritanda, & donec nõ sit irritata, sit valida. Aliqui tenẽt, esse de facto irritam, & nullã, vt Couarruuias cum aliquibus alijs loco citato, atque exponit verbum illud *irritanda est* idest, est declaranda irrita. Alij verò dicunt talem electionem esse validam, donec à Iudice irritetur: quia quod decernitur esse irritandum, donec actu per Iudicem non sit irritatum est validum; hanc tamen electionem debere irritari, & hanc sententiam sequitur Richardus in 4. dist. 18. artic. 7. quæst. 4. in qua hoc dubium tractat. Eandem tenet Suarez vbi supra num. 21. & est vera, & intelligitur tam de beneficio, quod per electionem, quàm de eo, quod per collationem confertur, quia collatio est quædam electio; dũ enim confertur vni ex multis, fit electio illius. Intelligitur etiam de omni beneficio tàm simplici, quàm ordinato ad curam animarum: quia textus simpliciter, & sine limitatione loquitur; & à Doctoribus sic sine limitatione intelligitur.

An ligatus minori excõmunicatione peccet ministrando actiuè sacramenta.

22 Circa quintam particulam occurrit dubitatio quale sit peccatum illud, quod committit ligatus minori excõmunicatione, ministrando actiuè sacramenta. Nam textus dicit, quod licèt peccet, tamen sacramẽta collata ab ipso sunt valida. Quidam dicunt peccare mortaliter, vt Adrianus, & Durandus apud Soto in hoc 4. dist. 22. quęst. 2 art. 3. & Alij apud Suarez disputatione citata sect. 2. num. 5. sed hæc opinio reijcitur; quia apertè repugnat textui allegato. siquidem ibi dicitur, quod ligatus minori excommunicatione non videtur remoueri à collatione, sed à perceptione sacramentorum. Cum ergo non sit ibi prohibitum actiuè ministrare sacramenta, nulla est ratio, quod peccet mortaliter. Alij asserunt sic excommunicatum non peccare per se loquendo, sed per accidens, vt Suarez vbi supra, qui citat alios, & eiusdem sententiæ est Nauarrus cap. 27. num. 24. sed hæc sententia quoque est falsa: quia repugnat

textui

textui qui asserit, quod talis excommunicatus peccat conferendo sacramenta, licèt sacramenta valida sint; ergo per se peccat, non per accidens. At respondet illa verba *peccat tamen conferendo ecclesiastica sacramenta* esse intelligenda de illa collatione, quæ simul est collatio, & receptio sacramenti, vt est ordinatio, qua Episcopus ordinat clericos ad sacros ordines, simul enim confert, & suscipit sacramentũ; in his ergo peccat quatenus sumit, licèt non peccet quatenus confert. at quando solum confert, sed non suscipit, vt in conferendo sacramentum Confirmationis non peccat.

23 Verùm hæc responsio non satisfacit; quia Pontifex vniuersaliter loquitur: ideo debet intelligi vniuersaliter de collatione sacramentorum quorumcumque, vt de sacramento Pœnitentiæ, non autem de ijs solum, quæ dum conferuntur, etiam suscipiuntur. Verba enim textus sunt hæc. *peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu.* Vult ergo quod ligatus minori excomm. sit remotus à quacunque susceptione sacramentorum, non tamen à collatione illorum, non tamẽ concedit, quod sine peccato illa conferat, si conferre velit, sed rem in suo statu sinit. Vnde cum talis excommunicatio minor aliquam indecentiam secum offerat, dicitur non carere aliqua culpa; & ideo peccare; est ergo valde extorta illa expositio.

Opinio vera.

24 Ideo mihi placet opinio illorum, qui asserunt sic excommunicatum conferendo sacramenta ecclesiastica peccare venialiter, quam sequitur Soto in hoc 4. dist. 22. quæstion. 2. art. 3. & indicant Couaruuias vbi supra, & nonnulli alij, quæ suadetur vltra rationem adductam contra præcedentem opinionem, quia Pontifex in eo canone dum dicit, quod si ligatus excommunicatione minori celebret peccat, apponit illam particulam *grauiter*, sed dũ loquitur de collatione actiua sacramentorum, inquit tantùm *peccat*, nõ apponit autem illam particulam *grauiter*; ergo signum est quod iudicat hoc secundum esse minus peccatum, illud autem primum est mortale; ergo hoc secundum erit tantum veniale.

Impugnatio Suarez.

25 Verùm Suarez eadem disp. 24. sect. 2. num. 12. Aduersus hanc sententiam insurgit dicens, quod ea probabilis esset, si verum esset suppositum, quod facit scilicet monstrare in excommunicatione minori esse peccatum veniale, hoc autem inquit est falsum, tum quia censura hæc per se non est culpa, sed pœna, tum quia non supponit necessariò culpam mortalem. Quod si interdum illam supponeret, posset per contritionem deleri, & sic vult quod talis censura per se sola coram Deo non afferat indignitatem, aut indecentiam propter quam sit contra rectam rationem illa conferre sacramentum.

Reijcitur.

26 Ego non video hanc impugnationem aliquam speciem probabilitatis habere. Nam suppositum illud est verissimum. Quis enim non videt, quod ligatus excommunicatione minori, quam incurrit per communicationem cum excommunicato maiori excommunicatione, vt videbimus, paulo infra, transgreditur præceptum de vitando excommunicato, quod est peccatum veniale? Vnde etiam si pœniteat peccati commissi, adhuc non habet omnem decentiam, quam habere debent regulariter ministrãtes eadem sacramenta, quia illa pœna est deformitas sufficiens. Licèt ergo ibi non esset peccatum, sed per contritionem esset deletum, non sequitur quod illa simplex pęna censuræ non inducat deformitatem propter quam ministrãdo in illa peccet. Nam etiam irregularis non habet peccatum, vt puta, quia per contritionem illum deleuit, & tamen peccat celebrando propter illam deformitatem pęnæ irregularitatis.

Verba autem vltima illa in hac particula quinta, *sed ab eo collata non carent effectum virtutis*, sunt notãda contra Syluestrum, qui verbo *excomm.* 4. nume. 1. secutus Paludanum ait, confessum excommunicato minori excommunicatione, teneri iterum confiteri. Nam vt notauit rectè Soto dist. illa 22. quæst. 1. artic. 3. hoc aperte repugnat verbis prædicti capituli, in quibus apertè dicitur quod sacramentorum collatum ab huiusmodi excommunicato non careret sua virtute, & effectu. Quod etiam dicit ibidem Syluester huiusmodi excommunicatum conferendo sacramenta peccare quo ad Deum, nõ quo ad ecclesiam, est falsum, quia cũ ex censura sit ab ecclesia posita peccat nedum quo ad Deum, sed quo ad ecclesiam, vt ibidem notauit rectè Soto.

Confessus ex cõmunicato minori excõmunicatione nõ debet reiterare cõfession. m.

Huiusmodi excommunicatus conferendo sacramẽto peccat etiam quoad ecclesiam.

27 Incurritur autem hæc excommunicatio minor solũ à iure, licèt enim posset infligi etiã à Iudice, quia si ferri potest à iure; ergo etiam ab homine, cum homo habens auctoritatem sit qui facit ius, tamen hoc non est in vsu, sed iudices cum excommunicant de facto intelligunt de maiori. Hæc est communis opinio, de qua Nauarus cap. 27. nu. 25. & Recentiores vbi supra.

A quo feratur excõmunicatio minor.

28 Causæ autem propter quas incurratur variè à varijs Doctoribus afferuntur, vt est videre apud Syluestrum excommu. 4. num. 2. sed vnica tantum est in vsu, ideo Nauarus vbi supra reliquas omittit, & est sententia communis. Illa autem est cõmunicatio cum excommunicato excommunicatione maiori, & publicè denuntiato in casibus prohibitis, vt infra agendo de effectibus excommunicat. maioris dicemus, & hæc causa elicitur ex cap. *nuper*, de sententia excommunicationis, & alijs, de quibus ibidem. Qui autem communicat cum excommunicato excommunicatione minori non contrahit excommunicationem minorem, quia excommunicatio non transit in tertiam personã secũdum Glosam receptam in cap. *excellentissimus* 11. quæstio. 3. si autem communicans cum excommunicato minori excommunicatione fieret excommunicatus excommunicatio maior, qua quis primo fuit excommunicatus non solum transiret in secundam personam, quæ est ea, quæ secum communicat, sed etiam in tertiam, nimirum in eum, qui communicaret cum eo, qui cum primo communicauit. De absolutione ab excommunicat. minori dicemus infra agẽdo de absolutione ab excommunicat. in cõmuni.

Causæ propter quas excom. minor incurritur.

Qui cõmunicat cum excõmunicato, excõm. minori nõ sit irregularis.

29 Secundo diuiditur excommunicatio in excommunicationem à iure, & ab homine. Ista duo membra excõmunicationis non differunt eo quia excommunicatio quæ est a iure nõ sit quoque ab homine, quia omnis excommunicatio est ab homine habente iurisdictionis potestatem, vt videbimus, sed distinguuntur, quod excommunicatio, quæ est a iure, illa dicitur, quam homo habens potestatem fert, tanquam legem stabilem, ac permanentem obligantem sub illa pęna separationis a communione fidelium incurrenda à transgressoribus illius legis. Et huiusmodi sunt omnes leges in corpore iuris positę, vel in extrauagantibus Põtificum, in quibus statuitur vt aliquid fiat, vel non fiat sub huiusmodi pęna vt est illa, si quis suadente diabolo percusserit clericum sit excommunicatus; Hæc enim est lex perpetua statuta a Papa, quod nemo suadente diabolo percutiat clericum, & transgressoribus apposita est hæc pęna excommunicationis, & separationis a communione fideliũ. Excommunicatio ab homine dicitur illud statutum, vel mandatum, quod homo habens eandem potestatem iurisdictionis facit non tãquam legem perpetuam, sed vt talis actio particularis fiat, vel non fiat ab aliquo, vel ab aliquibus sub pęna excommunicationis quod præceptum solum durat pro illa actione, & illa transacta cessat. Vt cum Iudex præcepit alicui, vt comparere debeat sub tali termino coram ipso ad respondendum in iure sub pęna excommun. &c. & sic de alijs. Hæc distinctio est communis; & frequens Theologorum, & Canonistarum, vt in vsu patet.

Secunda diuisio.

Excomm. in excõm. à iure, & ab homine.

Excõmunicatio a iure quæ dicatur.

Excõmunicatio ab homine quæ dicatur.

30 Differunt autem istę excommunicationes præcipuè quo ad duo. primum quantum ad durationem. Nam excommunicatio à iure est perpetua, & durat donec reuocetur a Superiori: vel ab æquali, vt a Successore; vel per cõtrariam consuetudinem, & denique eo modo, quo cæteræ leges durãt. sed excõmunicatio ab homine moritur mortuo, aut ablato ab officio, eo qui eam tulit. Atque hanc esse sententiam communem ait Nauarus cap. 27. num. 2. qui in hanc sententiam citat Glosam solemnem in cap. *a nobis*, 2. de sententia excommun. acceptatam ab Hostiensi, Panormitano, Felyno, & Couaruuia, quæ distinguit, quod

Differentia inter excom. a iure & homine.

Excõmunicatio ab homine moritur mortuo latore.

Inter-

Interdictum, siuè sententia excommunicat. simpliciter lata non durat vltra tempus proferentis, nisi Successor eam confirmet, & ratam habeat. sed cum diffiniẽdo, statutum, siuè decretum aliquod facit, ligat etiam post recessum, & mortem: quia statuta talia perpetua sunt de officio Legati capite vltimo.

Quid sit dicendũ de censuris, & statutis factis à Prælatis in visitationib.

31 Ex quo colligit Nauarus sumendam esse decisionẽ, quid sit dicendum de excommunicationibus, & alijs censuris factis à Prælatis in visitationibus. Dicẽdum est enim quod mortuo, vel ab officio cessante illo Prælato, cessant, & moriuntur, quia non sunt statuta, & leges, sed mandata quædam generalia, vel specialia hominum, quæ illis recedentibus recedunt. Quæ verò decretata sunt definiendo aliquam litem durant quia perpetua sunt, vt dictum est.

Secunda differentia q̃ est quo ad absolutionem.

Primus casus qui excipitur.

32 Alia differentia est quo ad absolutionem, quia lata ab homine, potest solum ab eo auferri, vel à successore eius in eadem auctoritate, & causa, siuè ordinaria, siuè delegata, vel à superiore eius, aut à delegato eius cap. *Pastoralis*, §. *præterea* de officio delegati. Excipiũtur tamen casus ex speciali decreto Summi Pontificis. Primus est quando excommunicatio lata est à persona habẽte auctoritatem delegatam, & complectitur tempus auctoritatis delegati; tũc enim non potest amplius absolui ab eo, quia nõ habet amplius auctoritatem, neque à successore, quia fortasse non habet successorem: Vnde recurrendum esset ad superiorẽ illius; tamen ex speciali priuilegio cap. *quærenti*, de officio delegati conceditur illi facultas, vt etiam postquã functus est auctoritate sua intra annum à lata sententia possit absoluere excommunicatum à se, si voluerit parere sententię, non verò post transactum annum.

Secundus casus de incendiario.

33 Secũdus casus est, de incẽdiario, qui propter hoc delictũ est excõmunicatus & denũtiatus talis ab Episcopo; neq; n. incendiarius est ipso iure excõmunicatus vt habet Glosa in cap. *tua*, de sententia excomm. sed debet excommunicari ab Episcopo; lata autem excommunicatione, & facta denunciatione ille excommunicatus non potest amplius absolui ab Episcopo, sed à Sede Apostolica sola, quia Papa eo capite *tua*. hunc casum sibi reseruat.

Tertius casus de amittente potestatem iurisdictionis.

34 Tertius casus est, quãdo Iudex ille, & superior amittit iurisdictionis potestatem, vt quia ipse excommunicatur excommunic. maiori, vel suspenditur: Quod est euidens: quia cum amittat potestatem, illa amplius vti non potest; vt habetur cap. *audiuimus* 24. quæst. 1.

Quartus casus.

35 Quartus casus est quando excommunicatio lata ab inferiori est confirmata à Papa ex certa scientia, tunc enim inferiori qui eam tulit, non potest ab ea absoluere secundũ Antonium Andræam recep. in cap. ex *frequentibus* de institutione. Et ratio est clara, quia ex quo Papa eam confirmat, eã sibi aduocat, & aufert ab auctoritate inferioris.

De excõmunicatione à iure.

36 De excommunicatione verò à iure, & non reseruata Papæ est magna contentio inter Doctores. Conueniũt quidem posse tolli ab Episcopo, qui illam posuit; at non conueniunt, an possit tolli ab inferiori, vt à quocunque sacerdote. sed de hoc infra agẽdo de absolutione ab excommunicatione.

De absolutione ab excommunicat. minori à iure.

37 Quantum verò ad excommunicationem minorem non reseruatam clarum est, quemlibet sacerdotem ab illa posse absoluere, in quo oẽs conueniunt, vt habetur apertè illo capite *nuper*, vt dictum est. Requiritur tamen vt habeat potestatem iurisdictionis ordinariam, vel delegatam quia sine hac auctoritate non potest absoluere, neque etiã à venialibus culpis; vt diximus de Pœnitentia. disputa. 25. cap. 3. num. 71. contra Caietanum.

Quæ excommunicatio sit iusta, & quæ iniusta, vbi de eo, qui potest illam ferre de causa, & forma ferenda differtur. *Caput Secundam.*

Ad excom. iustã requiruntur quinque conditiones.

38 Secunda diuisio excommunicationis est in iustam, & iniustam. Ad iustam requiruntur tres, seu potius quinque conditiones. Prima quod sit lata ab eo, qui habet potestatem illam ferendi. Secunda quod sit propter causam debitam. Tertia quod sit debito modo lata. addere possumus alias duas, quas Scotus expressè ponit, & Alij subintelligunt, scilicet, quod culpa propter quam excõmunicatio fertur sit probata per processum legitimè formatum, & Quintò quod sit lata cum intentione debita. Quoad primum requiritur potestas conueniens iurisdictionis pertinet enim ad potestatem iurisdictionis, non ordinis. Vnde non sacerdos potest excommunicare, & absoluere habens debitam potestatem iurisdictionis, nõ suspectam. Quæ autem sit potestas iurisdictionis, & in quibus sit, & quo ordine, diximus de pœnitentia disp. 25. & 31. quicunque ergo habet potestatem iurisdictionis, siuè ordinariam siuè delegatam in suos subditos potest ferre excommunicationem. Quod de Episcopis habetur capite *qualiter* 2. de Accusatio. & capit. *transmissam*, de elect. ac ferè toto titulo de officio ordinarij, & in Concilio Tridentino sess. 6. cap. 3. de Reformatione. de Vicario Episcopi, & Capitulo, & eius Vicario sede vacante cap. *Rom.* in 6. & cap. *cum olim*, de maioritate, & obedientia & ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 16. de Reformatione. De alijs Prælatis ab Episcopo patet ex cap. *Nemo Episcopus* 11. quæst. 3. vbi supponitur presbyterum posse excommunicare. Idem dicitur de Plebano cap. *cum ecclesiarum*, de officio Iudicis ordinarij. De Priore in cap. *cum in ecclesiis*, de maioritate, & obedientia. In quibus id notant Doctores, & Couaruuias cap. *alma* 1. par. §. 8. nume. 6. De Superioribus Religionum in caput *cum in ecclesiis*, de maioritate, & obedientia capite *sicut*, de simonia, & alijs iuribus; omnes enim isti dicuntur habere potestatem ordinariam, & quasi Episcopalem in suos subditos. Quo fit vt simplex sacerdos, vel simplex curatus, vel Parochus Ecclesiæ alicuius non possit excommunicare de iure communi, quia nõ habet potestatem iurisdictionis hãc in foro exteriori; & multo minus fœmina, quia potestas ecclesiastica data est viris, non fęminis, vt dixi supra de irregularitate cap. 6.

Potestas iurisdictionis plenaria est in Papa.

39 Pro notitia autem horum notandum est, quod potestas iurisdictionis principalis, & plenaria est in Summo Pontifice, & descendit in Episcopos, & alios Prelatos inferiores per concessionem Pontificis immediatè, vt diximus cum Scoto, & Alijs supra in materia de pęnitentia disp. 25. & 31. Hinc fit quod ipse Pontifex potest per se ferre excommunicationem, & alij Prælati per potestatem acceptam à Deo sed subiectam limitationi Papę, vel vt Alijs placet, à Papa: Vnde in illa ferenda se habent tanquam Cõmissarij Summi Pontificis, & ex auctoritate sibi ab eo cõmissa, vt dixit Scotus dist. 25. quæst. 1. §. *quarta pęna*. Vnde habent limitatam potestatem, & eo modo, quo à Pontifice hæc potestas est illis limitata, & communicata, quæ limitatio patet ex sacris canonibus. Ratio autem est, quia vt ait Scotus in 4. dist. 19. art. 5. excommunicatio est exclusio a communione fidelium; at nemo potest pręcipere omnibus fidelibus Christianis, vt aliquem excludant à sua cõmunione, nisi habeat auctoritatem super omnes fideles: solus autem Papa habet potestatẽ super omnes fideles, quia ipse est Pastor vniuersalis Ecclesiæ, ideo solus Papa potest excommunicare, & dare auctoritatem alijs excommunicandi. Quo fit, quod cum quilibet Prælatus inferior à Papa excommunicat, quicunque ille sit, excommunicet potestate sibi tradita à Papa. Quo loco licèt Scotus innuat aliam rationem huius potestatis posse fortè afferri, hunc tamen modum maximè approbat: Vnde dist. 25. loco citato eundem modum dicendi sequitur, vt diximus.

40 Ex hoc deducit Scotus inferiores Prælatos à Papa non posse aliquid efficere per potestatem iurisdictionis, siuè excommunicandi, nisi id, quod sibi a Papa est concessũ quod confirmat ex illa regula iuris. *Quod non est concessũ est prohibitum*. Hæc enim regula habet veritatem in his, quæ non conueniunt regulariter alicui, sed solum ex concessione speciali: hęc autem potestas iurisdictionis non cõpetit nisi Pontifici propriè, & regulariter, ac immediatè, alijs verò solum ex concessione eius, & eo mediante, quia vt diximus locis citatis auctoritas hæc data fuit Petro, *pasce*

oues

oues meas. & tibi dabo claues Regni cælorum, & per ipsum ecclesiæ, siue alijs Pastoribus; & ideo licèt dicatur auctoritas ordinaria, non dicitur, quia independanter illam habeant à Papa, sed quia ordinariè illam Papa conferi habẽtibus similes prælaturas: Vnde habent illam limitatam, secundum quod limitat ipsam eis Papa. Intelligitur autem illam eis concedere quantum opus est ad suum munus exercendum, dum in certis casibus illam sibi reseruat, & limitat; Vt quod Episcopus non possit excommunicare etiã suos subditos extra episcopatum 11. quæst. 3. cap. *Episcopus* & cum alijs limitationibus iuxta Clem. 1. de for. compet. vel non nisi de consensu illius Episcopi Diœcesis in qua manet, & similibus.

Obiectiones ex Soto.

41 Verùm Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. inuehitur in Scotũ, quem asserit sustinere. Primò, quod nemo præter solum Papam potest propria auctoritate excommunicare excommunicatione propriè dicta, quæ priuet à communione omnium fidelium, & omnibus suffragijs ecclesiæ vt dictum est. Secundò, quod aliquis sit excommunicatus, & tamen non priuetur suffragijs ecclesiæ totius. Quod autem non solum Papa, sed quilibet Episcopus non suspẽsus, nec prohibitus possit propria auctoritate suum subditũ excommunicare probat, & primò sic.

Prima ratio Soto.

Ad excommunicandum nihil aliud requiritur, nisi iurisdictio. At quilibet Episcopus habet potestatem iurisdictionis, quia habet vim cognoscendi causam, & ferendi sententiam in suum subditum; ergo quilibet Episcopus potest auctoritate propria excommunicare.

Secunda rõ.

Secundò. Auctoritas excommunicandi fuit concessa Apostolis Matth. 18. dum dixit: *quæcunque solueritis, &c.* Episcopi verò succedunt Apostolis cap. *quorum vices*, dist. 68. ergo omnes Episcopi iure diuino habent auctoritatem propriam excommunicandi.

Tertia ratio.

Tertiò. Quicunque non audit Ecclesiam, potest ab illa excommunicari, vt patet eodem loco Euangelij Matt. 18. At quicunque defert crimen alterius ad Tribunal Episcopi, dicit ecclesiæ, & qui non audit Episcopum, nõ audit ecclesiam; ergo Episcopi habent auctoritatem publicandi illum tanquam ethnicum, & publicanum; quod est illum excommunicare.

Quarta rõ.

Quartò. Adducit canonem *corripiatur* 24. quæst. 3. qui est Augustini can. *audi*. 11. quæst. 3. qui est Hieronymi. immo 16. quæst. 2. canon. *visis*, excommunicatio appellatur Felix Episcopi Mucro.

Reijcitur. Primus error Soto.

42 Verùm Soto parum accuratè legit Scotum. Primò enim falsum est Scotum asserere aliquem esse excommunicatum, & nõ esse priuatum suffragijs totius ecclesiæ, immò oppositum disertè tradit. Quoniã loquit, quod si Episcopus non haberet auctoritatem hanc à Papa, non posset excõmunicare; quia excõmunicatio priuat à communione omniũ fidelium, & à suffragijs totius ecclesiæ: Episcopus autem non habet potestatem super totam ecclesiam, ideo auctoritas, qua excommunicat est auctoritas sibi data à Pontifice.

Secundus error Soto.

43 Secundò. æquiuocat: cum ait, & probare nititur, quod Episcopus excommunicare potest propria auctoritate. Nam Episcopum habere propriam auctoritatem iurisdictionis potest intelligi duobus modis. Vno modo quod sit propria Episcopi idest ordinaria, siuè illi ordinariè competens, non ex delegatione, & hoc modo clarum est Episcopũ posse propria auctoritate excommunicare, quia hoc potest facere per auctoritatem ordinariam sibi competentem. Et hoc probant argumenta ipsius Soto, neque hoc negat Scotus. Alio modo potest intelligi Episcopum excommunicare auctoritate propria idest independenter ab auctoritate Papæ, sed immediatè sibi tradita à Christo Domino, & independenter à Papa, & hoc modo est falsa, & communiter reiecta, vt ostendimus supra de pœnitentia disput. 31. cap. 3. & 4. (nam licèt aliqui Catholici teneant auctoritatem iurisdictionis Episcoporum esse à Deo immediatè; tamen dicunt illam habere subordinatam potestati Papæ; quæ opinio est probabilis, & reddit in idem cum prima, vt ibidem ostendimus.) Et hoc modo dicit Scotus Episcopum non posse excommunicare auctoritate propria: & hæc sententia nedum non est falsa, nec noua, sed plurimi & præsertim Recentiores eam sequuntur, vt videre est in præciata disputatione. Immò ipsemet Soto eam sustinet eodem lib. 4. distinct. 20. quæst. 1. art. 2. concl. 4. Vnde sui ipsius oblitus est. & hanc sententiam vt communem sequitur Suarez tomo de censuris disp. 2. sect. 2. nu. 2.

Quandoque authoritas prædicta impeditur, et quo modo. Primũ impedimentum.

44 Obseruãdum est autem personas, quibus competit hæc potestas aliquando impediri, ne hæc eorum potestas habeat effectum: impedimenta autem ista possunt esse varia. Primum si quis censura excommunicationis maioris sit ligatus publicè; iste enim est suspensus à potestate iurisdictionis, vt infra patebit; si autem non sit publicè denunciatus vel notorius, eius potestas non impeditur; quod est verum vniuersaliter de omnibus censuris. Ecclesia enim noluit censuram occultam hanc potestatem auferre ad vitanda multa inconueniẽtia: Immò si quis occultè potestatem iurisdictionis, quam non habet vsurpet eius actus, validi sunt ex decreto ecclesiæ; quæ supplet defectum eius, vt infra dicetur, & habet Glosa secunda, & Doctores in caput *nihil* de electione. Alios casus est si habeat auctoritatem delegatam, & delegans mortuus sit, vel suspensus, &c. vel si habet superiorem, & superior ei illam potestatem abstulit. Itẽ si recuset, vel appellatio legitima interponatur antequam ferat excommunicationem. In his enim casibus potestas impeditur, vel potius aufertur potestas excommunicandi. Quibus autem personis competat excommunicari, & quando ea ligentur, dicam capite sequenti.

Secũdum impedimẽtum.

Tertiũ impedimentum.

Quando excommunicatus peccat.

45 Qui autem excommunicat non habens talem potestatem peccat mortaliter secundum Diuum Thomam 2. 2. quæst. 60. art. 6. quia vsurpat alienum officium. Qui etiam excommunicat iniustè peccat mortaliter secũdum Richardum in 4. dist. 8. quæst. 4. art. 4. Qui non seruat debitam formam scilicet monendo canonicè, vt infra dicam cap. *sacro* de sententia excom. & multo magis secundum Scotum, qui, vt videmus, valde inuehitur contra Prælatos ex leui causa vtentes hoc gaudio.

An metus in Iudice impediat censuram.

46 Sed dubium est an si quis timore inducatur ad excommunicandum aliquem, vel ferendam aliquam aliam censuram, illa excommunicatio, vel censura valida sit. Et videtur quod non, quia timor videtur facere actum inuoluntarium ad ferendum autem censuram, & omnem sententiam requiritur intentio ferendi sententiam, sine enim intentione nihil fit cap. *cum voluntate*, de sententia excommun. sed dicendum est quod timor non facit inuoluntariũ absolutè, sed solum secundum quid, vt aliàs ostendimus in 3. dist. 15. de proijciente merces in mare ob timorem mortis; diximus enim actum illum esse simpliciter voluntariũ, inuoluntarium verò secundum quid. Dummodo ergo qui profert sententiam excommunicationis, & censuræ in aliquem intendat illam ferre, licèt ea timore illam ferat, & ideo sit inuoluntaria secũdum quid, est valida: quia est voluntaria simpliciter. Verùm est quod potest supponi non adesse intentionem excommunicandi, nisi ex aliquo alio signo exteriori id appareat: donec tamen nõ constet apertè, non habuisse intentionem, debet timeri, & procurari absolutio.

Solutio.

Excommunicatio est iniusta quãdo causa nõ est legitima. Excommunicatio quãdo cotinet intollerabilem errorem. Frequẽs vsus excõmunicandi detestatur à Scoto.

47 Secundò principaliter excommunicatio est iniusta, quando fertur sine debita causa, causa autem legitima, & iusta est peccatum mortale. si enim quis ferret excommun. in aliquem propter actum bonum, vel quia vitat actum malum, excommunicatio illa contineret intollerabilem errorem: ita enim, & præceptum de malo faciendo, vel de bono vitando continet intollerabilem errorem; ideo huic legi, & præcepto non potest annecti pœna excommunicationis cap. *soles*, & cap. *venerabilis*, de sententia excomm. in 6. At non quodcunque peccatum mortale, sed vt loquit Scotus debet esse peccatum enorme, & publicum. Vnde Scotus dist. 19. quæst. 1. art. 5. inuehitur in quosdam Prælatos, quos fatuos vocat, qui proni sunt ad excommunicandum, & valde detestatur frequentem vsum excommunicatio-

cationis, siquidem excõmunicatio, inquit, *est gladius Ecclesiæ, qui tamen ab Apostolis rarò inuenitur extractus: in omnibus enim Epistolis Pauli non inuenies, quod excommunicauerit nisi tribus vicibus.* Primò, 1. ad Cor. 5. *omninò* inquit, *inter vos auditur fornicatio qualis nec inter Gentes, ita ut vxorem patris sui quis habeat.* Et sequitur *ego autem absens corpore, præsens autem spiritu iudicaui eum vt præsens qui hoc operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis in vnum & vno spiritu cum virtute Domini Iesu tradere huiusmodi hominem sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* idem in prima ad Timotheum 1. *quidam circa fidem naufragauerũt ex quibus Hymeneus & Alexander, quos tradidi sathanę, vt discant nõ blasphemare.* tertiò, idem ad Galatas 1. *si quis vobis euangelizauerit, præter illud, quod accepistis, anathema sit,* hæc Scotus.

Apostolus prohibuit aliquando bonis cõmunicare cum malis, sed illos non excommunicauit.

48 Subiungit Scotus, Apostolũ quidẽ alibi prohibuisse bonis cõmunicare cũ malis, nõ tñ illos excõmunicauisse. Nã 1. Cor. 5. inquit. *si is, qui fornicatur inter vos est fornicator aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax nec cũ huiusmodi cibũ sumere.* itẽ ad Thessa. 3. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante.* & post pauca. *si quis non obedierit verbis nostris per epistolã hanc, notate, & non cõmisceamini cum illo, vt confundatur.* Et tamen qualiter cũ illo liceat cõmunicare subdit. *Nolite quasi inimicũ existimare, sed corripite vt fratrẽ.* idẽ 2. Tim. 3. *erunt homines sese amantes.* & post pauca. *hos deuita.* idẽ cap. 4. *Alexander ærarius multa mala mihi præstitit quem deuita* item ad Tim. 3. *Hæreticum hominem post vnam, & secundam monitionem deuita.*

Excommunicatio nõ est annexa peccato hæresis iure diuino, sed iure ecclesiastico.

49 Hic locus est obseruãdus: quia secundũ Scotũ habemus, quod peccato hęresis nõ est annexa pęna excõmunicationis ex natura peccati, seu iure diuino, sed ex iure humano. Vnde si per Canones non imponeretur excõmunicatio huic peccato, hæreticus nõ esset excõmunicatus. Qđ dico ꝓpter nonnullos Catholicos, vt sunt Echius in Enchiridion cap. 17. & nonnullos alios, qui tenent oppositũ ꝓpter hanc auctoritatẽ D. Pauli ad Titũ 3. *hæreticũ hominẽ post primã, & secundã admonitionẽ deuita.* Nam secũdum Scotũ ex his verbis Pauli non habetur, quod hæreticus sit vitandus, quia sit excõmunicatus, sed propter periculũ, ꝙ fidelis incurrere posset cõuersando secũ: hæretici enim hominis sermo vt cancer serpit; vt habet idẽ Apostolus 2. Corint. 2. & secundũ eũdem Apostolum ad Galatas, *nescitis, quia modicũ fermentũ totã massam corrũpit.* Et dato quod ibi esset sermo de separatione per excõmunicationẽ, patet, quod illud est præceptũ Apostoli nõ Christi: ideo si ibi excõmunicatur, patet quod illa excõmunicatio est ab Ecclesia, .s. ab ipso Apostolo, qui est Prælatus Ecclesię, non à iure diuino; ideo hic locus non fauet Echio, sed est ad oppositũ, & proinde posset contingere, quod aliquis esset hæreticus, & non esset excõmunicatus; licèt modo de facto hæresi sit ab ecclesia excommunicatio annexa cap. *excõmunicamus*, de hæreticis, & alibi. Prædictam opinionem Scoti sequitur Suarez disp. 2. sect. 1. licèt Scotum non nominet.

Ex omnibus locis scripturæ solũ in tribus sentẽtia excõmunicationis lata est secũdum Scotum.

Debita forma, & legitimus processus fuit in excommunicationibus latis ab Apostolo.

50 Redeundo vnde discessimus, etiã Ioã. Apostolus in sua Canonica epistola c. vnico inquit. *si quis venit ad vos, & hãc doctrinã non affirmat, nolite eũ recipere* in domo, nec aue ei dixeritis: *qui enim dicit aue, cõmunicat eius operibus malignis.* Ex oibus his locis dicit Scotus solũ in trib. primis authoritatibus latã esse sententiã excõmunicationis simpliciter .i. ipso facto. Quia vrgens, & necessaria causa fuit. Nã in duobus primis fuit peccatũ enorme, & publicũ, & ideo fuit causa iusta (subiũgit Scotus, ꝙ fuit etiã ibi dbita forma, quia processus legitimus, & intentio recta; quia intẽdebatur correctio delinquentis; vnde, & primus ille per illã excõmonicationẽ correctus fuit, vt patet per epistolã 2. ad eosdẽ Cor. c. 2. in qua monet eos eũ consolari, ne absorbeatur profundiori tristitia, in quib. verbis tãgit Scotus reliqua, quę pertinent ad iustã excõmunicationẽ .i. debitã formã, & debitã intentionẽ in ferẽte excõmunicationẽ, de quibus nũc infra. subiungit in reliquis duobus casibus nullã legi penitentiã; ex quo videtur colligi, quod illi fuerunt apostatæ à Religione, & quod in illa apostasia perierunt) In tertio casu etiã fuit vrgens causa: quia illa fertur contra prædicãtẽ aliquid repugnans fidei sanctæ: fuerunt enim tunc pseudo Apostoli. In alijs autem auctoritatibus adductis, in quibus ꝓcipit vitare malos, vel simpliciter, vel quo ad aliquos casus non videtur ita plenè esse lata sententia excommunicationis: quia non videntur illi traditi sathanæ; statim enim habuit potestatem diabolus vexãdi eos, vt scribit Nicolaus de Lyra super epist. 1. ad Cor. Nõ sic autem probabile est factũ fuisse de omnibus malis, quos scribit esse vitandos. Ex quo videtur velle Scotus, quod in illis auctoritatibus Apostolus cõminauerit sentẽtiã excõmunicationis; vel ordinauerit prius esse comminãdã, non aũt tulisse, vel ordinasse, vt ipso facto ferretur. Hæc Scotus. Atque hæc sententia Scoti, quod nonnisi ex grauissima causa sententia excõmunicationis debeat ferri, confirmatur nedũ iure antiquo cap. *corripiãtur* 24. quæst. 3. cap. *nemo*, 11. quæst. 3. sed ex Concilio Tridẽtino sess. 25. cap. 3. de Reformat. in quo statuitur, si peccatũ, & contumacia alijs pęnis, quã excõmunicatione possit corrigi eis, prius vtendũ esse; Qui etiã fuit mos antiquæ ecclesiæ, vt colligunt ex cap. *veritatis*, de dolo, & contumacia, & cap. *præsenti* 5. quæst. 1. & alijs iuribus.

Conc. Tridẽt.

Peccatũ veniale periculosũ potest esse causa legitima ferendi excõmunicationem minorem.

51 Ex dictis ergo hucusque habemus, quod ad iustam excommunicationem præter auctoritatem iurisdictionis in excommunicante requiritur causa iusta, & quod hęc est peccatum graue, quod non potest esse, nisi sit mortale: veniale enim non est graue, siquidem stat cum gratia. Veniale tamen si sit graue, & periculosum inducendi aliquod malum graue, quod Prælati iudicio, & discretioni relinquitur discernendum, potest esse materia excommunicationis minoris, e.g. Aliquis delinquit aliquo peccato veniali, sed grauiori, vt puta, Regularis ambulando certis horis extra Monasterium, non tamen ad aliquem malum finem; quia autem superior cognoscit hanc vagationẽ parere, vel posse parere aliquod malum, vel incõmodũ Religioni, potest præcipere illi sub pęna excõmunicationis minoris, quæ vt diximus, est priuatio à perceptione sacramẽtorum, vel ipso facto incurrẽda, ne tali hora extra Monasteriũ ambulet. Hæc erit causa iusta. Quod si transgrediatur, incurrit excommunicationẽ minorem, quia peccat per inobedientiam mortaliter, licèt peccatũ propter quod excommunicatio fuit imposita sit peccatum veniale. Quod autẽ peccatum veniale sit sufficiẽs materia excommunicationis minoris, probatur, quia de facto excõmunicatur excommunicatione minori, qui cõmunicat cũ excommunicato maiori excõmunicatione in rebus humanis, vt qui salutat excõicatũ, vel cũ eo loquitur de rebus humanis. At cõstat, ꝙ salutare hominẽ excõicatũ, & cũ eo loqui, non est peccatũ mortale: est ergo peccatũ veniale, & tñ ꝓ illo imponitur excõicatio minor, vt patet, & oẽs concedunt, & infra ostendã, & habetur expressè Conc. Carthag. 4. cap. 24. Hęc tñ cõmunicatio licèt ex suo genere sit peccatũ veniale, tñ quatenus specialiter est prohibita est peccatum mortale.

Verus intellectus cap. sacris.

52 Et hoc modo intelligendum est cap. *sacris*, de iis, quæ vi. Et alia iura, in quibus dicitur, peccare mortaliter cũ qui cõmunicat cũ excõmunicato; sensus enim est, quod licet ipsa cõicatio ex genere suo sit peccatũ veniale, tñ quatenus est ꝓhibita est peccatũ mortale. Et hoc eodẽ modo vidẽtur velle intelligere Doctores dũ dicũt cõionem cũ excõmunicato esse peccatũ veniale, & tñ per illã incurri excõmunicationẽ minorẽ, cũ teneãt excõmunicatũ minori excõione esse priuatũ participatiõe passiua sacramẽtorũ: Certũ est. n. p peccatũ veniale neminẽ excludi à perceptione sacramẽtorũ. Vnde cũ quis p excõionẽ minorẽ excludatur à participatione passiua sacramẽtorũ, seqr esse peccatũ mortale. Nõ ergo põt intelligi, ꝙ sit peccatũ veniale, vt ipsi quoque tenẽt, nisi ꝓdicto modo, q̃a in re ipsi sũt valde obscuri

Peccatum internũ non est sufficiens causa excommunicationis per se.

53 Quod ergo materia excommunicationis maioris sit solum peccatum mortale à nimis patet ex iuribus superius adductis in comprobationem opinionis Scoti. At non quodcumque peccatum mortale est sufficiens materia huius censuræ, sed vt inquit Scotus debet esse publicum. Ex

quo sequitur, quod debeat esse externum. Nam clarum est quod per peccatum internum non potest imponi excommunicatio; quia Ecclesia non iudicat de occultis. Quę est regula clara ab omnibus Theologis, & Canonistis cōcessa, & habetur cap. *tua nos*, de Simonia §. 3. & cap. *sicut tuis*, eodem titulo, & desumitur ex Apostolo 1. ad Cor. 4. *nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo*. Et ex ratione naturali est euidens: quia iudicium fieri nō potest sine cognitione: peccata autem occulta sūt ignota pro hac vita secundum legem ordinariam; ideo Ecclesia de illis nō potest ferre iudicium condemnando, vel absoluēdo. Hoc autem totum est verum de actu interno, & occulto per se: At loquendo de actu interno, quatenus est iunctus actui externo scilicet quatenus est causa actus externi sic cadit sub iudicio Ecclesiæ & potest præcipi, puniri, & prohiberi, vt diximus de Pœnitentia disp. 18. cap. 2. in fine nu. 67.

Peccatū debet esse perfectum, & cōsummatum.

54 Ex his deducitur, quod sicut delictum propter quod imponitur excommunicatio debet esse actus externus, vel iunctus externo; ita nūquam incurritur excommunicatio, nec censura, nisi actus sit perfectus, & consummatus prout lex statuit: quia pœnæ sunt restringendæ, non ampliandę. Vnde si desit aliqua conditio per quam actus non iudicetur perfectus, & consummatus, vt lex requirit, nunquam incurritur excommunicatio, nec censura.

Quandoque præceptū de re leui est sufficiens causa vt excōmunicatio imponatur.

55 Obseruandum est tamen quandoque contingere posse, vt præceptum superioris sit de re leui, vel indifferenti in se, & tamen sit causa, & periculum inducat maioris mali, vt si superior præcipiat, ne quis tali hora ambulet in tali loco sub pęna excommunicationis absolutè, quia prævidet, vel dubitat quod aliquod graue malum sit euētturū, si quis transgrederetur hoc præceptum obedientiæ, licèt sit de re leui in se, esset peccatum mortale, & consequenter ille esset excommunicatus excommunicatione maiori, sed ab huiusmodi præceptis, ex leuibus causis, & cum excommunicatione simpliciter est abstinendum.

Contumacia est simpliciter necessaria ad incurrendum excommunicationē.

56 Demum requiritur contumacia, atque hæc adeo est necessaria, vt nemo vnquam incurrat excommunicationē, nisi adsit contumacia ex inobedientia contra Ecclesiam. Et hoc siue excommunicatio sit à iure, siue ab homine, & rationem optimam affert Scotus, quæ est; quia quotiescūque quis est paratus obedire Ecclesiæ quantocumque peccato graui peccauerit, non est habendus vt ethnicus, & publicanus: quia hæc pœna, quæ est excommunicatio de ordine Christi, infligenda est illi solum, qui Ecclesiam non vult audire illi parendo; quare cum quis est paratus obedire, neque est contumax, non debet contra illum ferri sententiam excommunicationis. Quæ sententia est etiam D. Thomæ in hoc 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 3. & reliquos Scholasticos antiquorum in 4. distin. 18. D Bonau. par. 2. art. 1. quęst. 2. Richardi art. 3. quęst. 2. Theologorum aliorum, & Canonistarū citatorū à Couaruuia cap. *alma* par. 1. §. 9. num. 4. & sequen. à Suarez disp. 4. sect. 5. Hanc autem opinionem defendit Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. contra Caietanum, & alibi, & omnes fundantur in ratione adducta à Scoto, quam ipsi Soto concl. 4. & Suarez alijs rationibus ex eodē fundamento pēdentibus muniunt; vt quia excommunicatio est medicinalis cap. *cū medicinalis* de sent. excommunic. ideo cum quis obedit Ecclesiæ, & recedit à peccato, nō debet excommunicari. Et quia Ecclesia non consueuit punire hac censura peccatum transiens, quod non obligat ad restitutionem, nec continuationem habeat. Et quia contingeret sæpè excommunicare hominem existentem in gratia propter pœnitentiam iam factam, & similia.

D. Thomas. D. Bonauen. Richardus. Soto.

57 In cōtrariam tamē sententiam citatur Caietanus 2. 2. quæst. 69. art. 2. à Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. à Suarez vbi supra; Ego tamen nullum inuenio Comentarium Caietani in illum articulum. Sed quidquid sit de Caietano, Hæc sententia asserit excommunicationem posse ferri propter peccatum præteritum, in tali autem excommunicatione patet nullam incurri contumaciam. Pro hac sententia afferuntur multa exempla in iure; in quibus quis excommunicatur ob peccatum præteritum. Nam cap. *Guilisarius* 23. quęst. 4. Siluerius Papa excommunicat eos, qui dolo, & vi ipsum comprehenderant, & in exilium miserāt. Alia similia habentur de Diuo Ambrosio excommunicāte Theodosium propter peccatum præteritum, & Innocentius excommunicauit Arcadiū Imperatorem propter peccatum præteritum cap. *duo sunt*, dist. 96. idem videtur haberi cap. *quidam*, 5. dist. 1. in quo canone magnam vim facit, vt aiunt Caietanus: deinde cap. *Raptores*, & cap. *eos qui rapiunt*, 36. quæst. 2. imponitur censura pro raptu iam facto, & similia iura habentur imponentia censurā pro peccatis factis. Adducitur etiam pro Caietano caput *quidam*, 5. quæst. 1. vbi Gregorius excommunicat quēdā qui occultè libellum contra alium posuerat, *nisi se proderet*, ergo posuit excommunicationem pro peccato præterito.

Refelluntur rationes adductæ.

58 Cæterùm hęc minimè obstant sententię communi, quod semper necessaria sit contumacia, vt probat ratio adducta à Scoto, & ratio ipsa docet. Excōmunicatio enim est pęna statuta à Christo Dño, vt Ecclesia ea vtatur cōtra peccatores ad hoc vt resipiscant à peccatis, ideo intrinsecè requirit, quod moneat peccatores, vt ab illis peccatis recedāt vel aliqua certa peccata vitent, quod si contumaces sint, ferat ipsam excōmunicationem, si autē pareant, nec sint cōtumaces nulla opus est excommunicatione. Ideo clarū est intrinsecè includere contumaciam in Ecclesiam. Nō enim excommunicatio fertur propter peccatum contra legē naturæ, vel Dei, vel Ecclesiæ, sed propter peccatū inobedientiæ, quo præcipitur, vt vel illud peccatum vitetur, vel derelinquatur. Vnde qui excōmunicatur, necesse est, quod cōmittat duplex peccatū .s. peccatū prohibitum à lege propter quod vitandū Ecclesia imponit hanc pœnā, & secūdo cōmittat peccatū transgressionis obedientiæ Ecclesiæ, quæ præcipit, vt non cōmittatur illud peccatū in lege prius prohibitū, & hoc secundū peccatū, quod est cōtumacia, est illud propter quod incurritur excommunicatio, & quando illud non adest nunquam propter primum incurritur excommunicatio.

Duplex peccatū requiritur ad incurrendū excōmunicationē & quomodo.

59 Pro solutione aūt obiectionū in contrarium, omissis multis quæ hic à Doctoribus congeruntur, notandū est quod vt dictu est excommunicatio est duplex .s. à iure, & ab homine, in excommunicatione à iure, patet adesse duplex præceptū, vt e.g. in excommunicatione lata contra simoniacū, nā primò, est præceptū iuris diuini quod sacra non vendātur, secūdò, est præceptū Ecclesiæ, quæ præcipit vitādū esse hoc peccatū sub pęna excōmunicationis. Qui est simoniacus primo peccat contra præceptū diuinū, sed non propter hoc esset excommunicatus, sed est excōmunicatus, quia Ecclesia pręcepit vnicuiq. ne emat, vel vēdat sacra, & ille hoc præceptū transgressus est, & propter hanc inobedientiā, & cōtumaciā quæ etiā est peccatū mortale, incurrit excoiōnē.

Contumacia quomodo sit in excōmunicatione à iure.

60 In excommunicatione etiā ab homine est duplex præceptū, alterū quo peccatū prohibetur, alterū Ecclesiæ, quo iterū prohibetur sub pęna excōmunicationis, e.g. Prælatus præcipit gñaliter, vt qui dānū dedit restituat, vel ne alicui dānū inferatur, vel alicui particulari, vt cōcubinario, vt dimittat concubinā. In his casibus, primò est præceptū diuinū, vt dānū illatū restituatur, secūdò est præceptū Ecclesię, iterū vt restituat sub pęna excommunicationis. Qui dānū non restituunt, primo peccant, quia non restituunt, peccato furti, secundò peccant, quia sunt contumaces, quia non parent Ecclesiæ, & propter hoc secundum peccatum, & contumaciam, incurrunt excommunicationem. Et qui non vult dimittere concubinam peccat primò peccato fornicationis, secundò peccat per inobedientiam contra Ecclesiam, & per hoc secundum peccatum incurrit excommunicationem. Et hoc euenit, siue ferat excommunicationem ipso facto incurrendam, siue ferat sub pęna, & comminatoriæ, & deinde ipso actu condemnet, & excommunicet, quia non obediuit, sed vel delictum commisit, vel ab illo non recessit. Hæc ergo est ratio propter quam requiritur contumacia, & contumacia quæ sit peccatum mortale: quia cum contumacia in non obediendo Eccle-

Contumacia quomodo sit in excommunicatione ab homine.

Ecclesiæ non est peccatum mortale, nunquam incurritur excommunicatio. Ex hic ergo patet quod excommunicatio non debet ferri, nisi propter peccatum mortale tollendum vel impediendum, & quod illa non incurritur nisi propter peccatum mortale, quod est contumacia, & inobedientia Ecclesiæ.

Ad rationes in oppositum

61 Ad rationes in oppositum, ex iuribus adductis, Respondetur quod excommunicatio duobus modis sumi potest, vno modo impropriè, & pro aliqua priuatione sacrorum ad tempus, & hæc potest inferri pro peccato præterito, sicut etiam aliæ pęnæ suspensionis, & huiusmodi. Et hoc modo intelliguntur aliqua iura, quæ propter peccatum præteritum priuant aliqua communione sacramentali, vt caput *tanta*, distin. 86. in quo duobus mensibus vult excommunicandos esse eos qui malum consilium dederunt illi Episcopo. *Ad cap.* tãta Illa enim non est propriè excommunicatio. Idem erat in vsu in veteri Ecclesia circa pœnitentes sæpè. Alio modo accipitur excommunicatio propriè pro censura ecclesiastica instituta à Christo modo supra dicto, & hæc nonquam fertur pro peccato præterito, vt præteritum est, (nisi accipiamur excommunicare pro declarare esse excommunicatum, sed hoc non est excommunicare, vt patet) sed quatenus aliquo modo manet, & est futurum vt puta quia peccatum illud continuatur, vel quia si desijt actus peccati, tamen remanet aliqua satisfactio facienda. Vnde vsus Ecclesię est cum fertur excommunicatio in peccatum subintelligere, *nisi resipiscas, vel ab illo statu recedas* & tunc si permanet contumax incurrit excommunicationem, si obediat nequaquam.

Ad c. Guillisartur.

62 Hinc ad caput illud *Guillesartur*, Respondetur primò, quod fortè illa fuit non excommunicatio, sed declaratio excommunicationis iam contractæ ab illis propter violentam manus iniectionem in Põnficem, & hoc modo intelliguntur multa iura. Secundò, Respondetur quod peccatum propter quod illi excommunicãtur erat iniectio manus violenta in Pontificem atque afflictio, & vexatio iniusta per exilium eiusdem Pontificis, quod peccatum continuabatur, & perseuerabat, ideo merito in illos tulit excommunicationem. Hoc eodem modo Respondetur ad caput *duo sunt*, nam constat apertè quod Diuus Ambrosius excommunicauit Theodosium vt ageret pęnitentiam de peccato commisso, & vt scandalum generatum ex illo auferetur, quod patet ex illis verbis, *qui secutus es errantem sequere pœnitentem*. Idem de Innocentio: Potuit enim Innocentius excommunicasse Arcadium vt reuocaret ab exilio Beatum Chrysostomum. Ad illa duo capita *Raptores, & eos qui Rapiunt* eodem modo posset responderi, sed melius dicitur, quod ibi non profertur excõcatio, propter delicta cõmissa, sed pręcipitur vt feratur in eos qui deliquerint: Vnde non imponitur peccato commisso, sed præcipitur vt feratur incurrenda, adeo quod respicit peccatum futurum, non præteritum. Ad caput *quędam*, Respondetur quod ibi non imponitur excommunicatio pro peccato præterito, sed ille, qui fecerat libellum famosum prius prohibetur à sumptione corporis & sanguinis Christi, deinde si non abstinuerit excommunicatur ipso facto & sic excommunicatio illa reuera non est lata pro peccato præterito, sed pro futuro: Illa enim prohibitio à communione corporis & sanguinis Christi non est propriè excõmunicatio, sed impropriè eo modo, quo supra dictum est ad caput *tanta*.

Ad cap. duo sunt. — *Ad Innocẽtium.* — *Ad cap.* Raptores. — *Ad cap.* quædam.

Conclusio.

63 Manet ergo cõclusio certa, quod excommunicatio non debet ferri nisi pro peccato mortali ad minus, & quod non pro peccato mortali quocumque, sed pro enormi, & publico, & quod requiritur contumacia, & inobedientia quod non sit parere paratus, ad hoc vt per sententiam excommunicationis quis puniatur.

De forma debita requisita ad excommunicationẽ quod est tertium necessariò requisitũ ad iustã excõmunicationem.

64 Tertiò, ad iustam excommunicationem requiritur debita forma. Pro intelligentia autem quę sit debita forma, sub qua excommunicatio est ferenda. Notandum est, in forma ferenda quædam esse intrinseca, & de substantia formæ, quædã verò esse accidentalia, & pertinentia ad ipsius solemnitatem. Pertinentia ad substantiam excommunicationis, sunt verba quibus excommunicatio profertur. Nam certũ est quod Prælatus seu Iudex non potest per solum actum internum volũtatis ferre excommunicationẽ, sed requiritur aliqua actio externa, quæ significet hunc actum internum voluntatis suæ excommunicandi: Neque enim præceptum superioris obligat subditũ, nisi exterius illi proponatur; & contractus humani non fiunt solis voluntatib. sed actibus sensibilibus externis: huiusmodi autẽ actus externi sunt verba ipsa quibus explicat suam volũtatem. Et quamuis aliquando fortasse nutibus, & signis quis habens authoritatem excõmunicandi possit hanc suã voluntatem significare, nihilominus, quia tales nutus sine verbis expressis, vel scriptis sunt valde æquiuoci, cõiter tenetur nutus non esse signa idonea ad explicandam hãc voluntatem, & ideo illos non sufficere. Quæ autem verba præcisè requirantur ad hanc formam tàm in excommunicatione à iure quàm ab homine, non est pręscriptum; sed communiter asseritur debere esse talia, vt sufficienter indicẽt Prælatum per illa ferre excommunicationem, neq. debere includere repugnantiam vel indeterminationem, aut aliquã confusionem, sed debere esse clara, & determinatè significantia lationem censuræ, & censuram particularem excõmunicationis. Vnde si quis dicat. *Excommunico Petrum qui hoc fecerit, vel sit suspensus*, & similia, nihil facit, quia sunt verba confusa. Item si dicat. *Qui fecerit hoc sit ligatus censura*, vel similia, nihil efficiet, quia non explicat censurã particularem excõionis: Causa autem indeterminata, non potest effectũ determinatũ producere, & actiones, & operationes sunt circa particularia, nõ circa generalia. Debent ergo determinatè significare personam, contra quam fertur excommunicatio. Debent etiã esse ita determinata, vt de præsenti, & actu, & in effectu significent ferri excõmunicationem, vnde si quis vtatur verbo de futuro *excommunicabo*, vel *excommunicãdus erit*, & similia, nõ fertur excommunicatio: quia nõ continent executionem, sed significant in futurum esse ferẽdam: Vnde verba optatiui, & subiunctiui modi non sufficiunt. Ad claritatem ergo rei sunt quædam formulæ vsitatæ quibus excõmunicatio fertur: Et quoniã quandoque actu fertur, quandoque autem non actu fertur à Prælato, sed solum cõminatur, solẽt enim aliquando Pręlati minari se laturos esse excõmunicationẽ in aliquem, nisi pareat suis pręceptis, quam tamen actu nõ ferunt tunc, sed solum in futurum, quando inobediẽtia est perpetrata, ideo sunt specialiter duæ formulæ, quarum altera, actu fertur, altera comminatur: Prima est cum imponitur excõmunicatio à iure, vel ab homine sub his verbis. *Ipso iure*, vel *ipso facto*, vel *latæ sententię*, vel similibus: Vt si in Canone legatur quicunque fecerit hoc, vel illud *sit ipso iure excommunicatus*, vel *sit ipso facto excommunicatus*, significatur enim legem ipsam actu imponere excommunicationẽ transgredienti talem Canonem, & legem, absque alia declaratione, sed ipso actu transgressionis facto. Similiter cum dicitur, si quis fecerit hoc vel illud, *sub pœna excommunicationis latę sententia* haberet eũdem sensum: significant enim legem ipsam, vel pręceptũ Pręlati inducere excommunicationem, absq. alia sentẽtia declaratoria, sed legem, & præceptum, facta transgressione, inducere ipsam sententiam, & condemnationem pęnæ excommunicationis. Et hoc est semper verum quibuscũque alijs verbis iungãtur, vt si quis dicat: *volumus eo ipso illum fore excommunicatum*, vel similibus. Aliquando autem adhibentur verba, quæ in virtute æquiualent prædictis, vt cum lex dicit. *Excommunicationis sententia innodãtes*, vel *excommunicationis sententia se nouerit subiacere*, vel qui fecerit hoc, &c. anathema sit. Quę forma est satis frequens in Concilijs, & pręsertim Tridentino, & similia verba, quæ significant intentionem legis esse quod pœna excommunicationis, ipso facto incurratur.

Duæ formulæ ferẽdi excõmunicationem. — *De forma ipso facto.*

Vbi est obseruandum quod cum excommunicatio fertur contra aliquid facientes, non comprehendit mandantes, consiliantes, fauorem, vel auxilium dantes, sed

Excõmunicatio quãdo cõprehẽdat mãdantes, &c.

solum facientes, nisi ea forma verborum id exprimatur, aut alijs iuribus id habeatur declaratum; Quæ est communis sententia. Ratio est, quia verba debent significare determinatè, ideo cum determinatè non nominentur cõplices, ad illos non extendunt.

De formula cõminatoria

65 Altera forma qua excommunicatio actu ipso non fertur, sed comminatur est, cum ea dicit, præcipio, ne hoc vel illud fiet, *sub pœna excommunicationis*, vel *sub interminatione anathematis*: hæ enim duæ formulæ æquiualent, & significant excommunicationem minari, non autem actu ferri, vt patet capite *sicut tuis*, de simonia in Glosa, in verbo *interminatione anathematis*. Si tamen adiungatur verbum illud, ipso facto, vel aliquod aliorum prioris formæ excommunicatio ferretur actu; vt si quis dicat, præcipio ne hoc vel illud fiat sub pœna excommunicationis *lata sententia*, vel *ipso facto incurrenda*; nam verba illa posteriora determinant priora, & significant actu ferri, non autem comminari.

An excõmunicatio possit sub conditione ferri.

66 Solet verò dubitari An excommunicatio possit sub conditione ferri. Ad quod breuiter Respondetur quod loquendo ex parte causæ, & censuræ, vt si quis dicat. *Si quis fecerit tale delictum sit excommunicatus*, certum est posse ferri; immo videmus hanc esse consuetudinem, & vsum ferendi excommunicationem de peccato futuro: fertur enim ad illud vitandum, & si fertur de præterito, fertur ad illud emendandum, & satisfaciendum: ideo semper præsupponit conditionem illam, si delictum commitis, vel commiseris. Et hoc est clarum, tàm in excommunicatione à iure, quàm ab homine.

Obiectio.

67 Sed in contrarium est quod in capite *Romana*. § *caueant*, de sententia excommunicationis in sexto, prohibitum est ferri excommunicationem sub hac forma conditionata. Vbi Doctores de hac re magnam quæstionem faciunt, vt est videre apud Couaruuiam *alma*, prima par. §. 18. sed breuiter dicendum est quod in illo text. Papa absolutè non prohibet excommunicationem ferri sub hac forma, & si prohiberet dicendum esset, illud decretum per consuetudinem in contrarium esse abrogatum; sed monet, ne de facili huiusmodi excommunicatio ponatur, sed prudenter; vt puta, nisi mora in obediendo, vel culpa præcesserit; aut alia rationabilis causa. Et loquitur maximè de excommunicatione ab homine, quę solet ferri ad cogendum subditum parere præceptis superioris: antequam enim veniatur ad fulminandum hanc censuram, debent præcedere, mora, culpa, & rationabiles causæ.

Excommunicatio potest suspendi per appellationẽ & per prorogationẽ partis.

68 Vnde excommunicatio lata sub conditione, sicut aliæ censuræ, & sententiæ suspendi possunt antequam adimpleatur conditio, vel tempus impositum ad adimplendam per appellationem; vt patet de alijs sententijs communiter, vel per remissionem eius, in cuius fauorem lata est; vt tenet Abbas in caput *præterea* 2. de appellationibus, vbi hanc quęstionem tractat adducens opinionem contrariam, & eam confutans. Et ratio est, quia cum Iudex excommunicat ad instantiam partis, si pars remittat vel differat terminum, videtur etiam ipse Iudex differre, quia non intendit nisi concordiam partium.

De forma lata sub conditione.

69 De conditione autem non pertinente ad causam censuræ, sed impertinente dicendum est vt diximus de forma Baptismi cum Scoto in hoc quarto distinct. 3. quæst. 2. §. *de secunda variatione*. Vel enim illa conditio est impossibilis, vt si quis dicat. *Ego excommunico te, si sum omnipotens*, & patet quod nihil fit, quia conditio nihil ponit in esse nisi adimpleatur; illa autem est impossibilis. Si etiam sit destructiua, & repugnant substantiæ formæ; vt si quis dicat *te excommunico si excommunicatio est de pura potentia humana non diuina*, nihil efficit. Si verò sit possibilis, & non repugnans, sed impertinens, si illa adimpleatur, licèt qui illam ponit valde peccet, tamen tenet, vt si quis dicat *Excommunico te si sum homo*, & rationes quibus probatur formam Baptismi datam sub conditione prædicto modo valere, vel non valere. Hanc eandem assertionem de forma excommunicationis conditionata probant. De conditione impertinente de tempore futuro, est dubium, vt si quis dicat *te excommunico si nauis talis ex India veniet*, & de hac videtur dicendum cum Recentioribus impedire excommunicationem: est enim omnino impertinens, & irrogans iniuriam potestati spirituali, sicut qui baptizaret aliquem sub conditione de futuro irrogaret iniuriam sacramento Baptismi: neque enim potestas spiritualis debet pendere ab huiusmodi conditionibus ita irrationabilibus, & casualibus: Vnde continet intollerabilem errorem, & sic esset nulla.

De admonitione.

70 Ea quæ pertinent ad excommunicationem extrinsecè, pertinent ad solemnitatem eius. Ista autem sunt in triplici discrimine: quædam præcedunt: quædam concomitantur: & quædam subsequuntur. Quæ præcedunt sunt ipsa admonitio, vt patet cap. *sacro*, extra de senten. excommunicationis, & cap. Roman. in 6. eodem titulo: Et alibi frequenter. Hoc autem intelligitur de excommunicatione ferenda ab homine: Nam excommunicatio à iure nullam requirit admonitionem. Ratio est quia censura fertur contra contumacem, & rebellem. Nemo autem potest esse rebellis, & contumax, nisi sciat præceptum Ecclesiæ, & Superioris, Ad tollendum ergo ignorantiam, & ad cognoscendum an sit verus contumax requiritur admonitio, ideo hæc admonitio habet locum in excommunicatione ferenda ab homine; excommunicatio autem quæ imponitur per legem non eget hac admonitione, quia publicatio legis satis notificat intentionem legislatoris iubentis; Vnde si transgrediantur legem, sunt manifestè contumaces, & ideo incurrunt pœnam. Quæ patent ex capite secundo de constitutionibus in 6. sed neque etiam in quacumque excommunicatione ferenda ab ab homine requiritur admonitio; vt quando superior fert excommunicationem pro vitando peccato futuro; quia præcepti superioris publicatio ne hoc, vel illud fiat sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, satis notificat intentionem superioris, & tollit ignorantiam; Vnde transgrediens non potest excusari quin sit contumax. Huiusmodi ergo modus ferendi excommunicationem à homine se habet velut excommunicatio à iure.

In excõmunicatione à iure, non requiritur monitio sed solum in lata ab homine.

71 Obseruandum est tamen, aliquando excommunicationem latam à iure, vel ab homine de peccato futuro, requirere admonitionem, vt, exempli gratia, lex generaliter statuit, vt quicumque fecerit hoc, vel illud, excommunicatus ipso facto, si admonitus non resipiscat; vt patet in Clementina vltima de statu monachorum, §. finali; & tunc qui facit illud prohibitum debet moneri, vt resipiscat, neque incurrit transgrediendo donec sit monitus, sed facta monitione permanens in contumacia tunc incurrit. Et ratio huius est, quia lex statuit vt prius moneatur. Vbi ergo lex hanc conditionem non opponit non requiritur monitio præuia.

Aliquando in excõmunicatione requirit monitio, & quando.

72 Requiritur ergo admonitio in excommunicatione ferenda ab homine solum de peccatis præteritis, vel præsentibus, vt ab illis resipiscant: fertur enim excommunicatio, vt medicina ad excitandũ peccatorem ad pęnitentiam: ideo debet moneri, vt sciat nisi paruerit se incursurum huiusmodi pęnam. Et hoc elicitur ex cap. supra adducto *Romana*, & hæc obligatio admonendi extenditur ad quoscumque habentes facultatem excommunicandi: & hoc puto verum, siuè ferenda sit excommunicatio per modum iudicij, siuè per modum defensionis, vt tenet Couaruuias oppositam sententiam reijciendo in cap. *alma*, par. 1. §. 9. num. 6. semper enim necessaria est contumacia, quæ non potest apparere, quantumcumque peccatum sit notorium, nisi præcedat monitio: & quia, vt inquit Couaruuias, si ille admoneatur, fortassè resipiscet; ideo non est prætermittenda.

Requiritur admonitio p̃ peccatis præteritis, & p̃sentibus.

Siue sit per modũ iudicij siue per modũ defensionis.

73 Modus autem quo facienda est hæc monitio statuitur in cap. eodem *sacro*, dum dicitur quod debeat esse *competens*, quæ autem sit competens statuitur in caput *constitutionem*, de sententia excommunicationis in sexto, §. *statuimus*, vbi dicitur, statutum esse per iura, quod

Quomodo monitio sit facienda.

quod ista admonitio præcedens debeat esse trina, vel vna pro tribus: Nam non est necessarium semper vt hæ tres monitiones tribus temporibus distinctis fiant, sed possunt vno, & eodem tempore fieri, statuendo tamen diuersa tempora pro qualibet monitione, vt dicendo. Moneo te, vt infra tres dies satisfacias, singulos dies pro singulis admonitionibus tibi concedendo, scilicet primum diem pro prima, secundum pro secunda, & tertium pro tertia; & hic secundus modus est frequentius in vsu.

De terminis monitionum.

Quantum autem temporis pro vnoquoque spatio sit concedendum, Pontifex reliquit in arbitrio Iudicis, qui secundum quod iudicauerit esse necessarium tempus istarum admonitionum dilatet, vel restringat; non tamen potest ita restringere, vt nulla admonitio fiat, licèt in vltimis verbis textus ibi habeatur *nisi facti necessitas aliter ca suaserit moderanda*. Nam repugnat quod ita restringantur, vt admonitio tollatur. Possunt ergo interualla temporis monitionum moderari, sed non penitus tolli.

Quædam exceptiones in quibus monitionē omitti posse dicitur.

74 Hic solent adduci variæ exceptiones à quibusdam iuristis, in quibus volunt posse omitti præuiam monitionem; & quidem Suarez disputat. 3. section. 10. enumerat sex, Alij verò pauciores; sed rectè ab eodem Suarez, & ab Alijs reijciuntur: quia illud est firmum fundamentum, quod excommunicatio non incurritur nisi propter contumaciam, quæ non potest adesse, nisi adsit monitio, & notificatio superioris præcipientis sibi obediri sub pœna inflictionis talis pœnę: Vnde si quandoque videtur dici in iure aliquem excommunicari pro præterito peccato sine monitione, illud non est inducere excommunicationem, sed declarare illum iam esse excommunicatum: Hanc autem declarationem posse fieri sine monitione clarum est, vt infra dicam agendo de subsequentibus ad substantiam excommunicationis.

Monitio fieri debet coram testibus.

75 Debet etiam hæc trina monitio fieri coram testibus, per quos possit probari prædictam admonitionem præmissam fuisse si opus fuerit; & hæc præsentia testium est necessaria, siuè admonitio feratur in scriptis, siue non; si enim feratur in scriptis, & scriptum non fiat coram testibus illa scriptura nihil valeret; neque adimpleretur lex præscripta capite illo *sacro*, verba enim Canonis sunt ista. *Sacro approbante Concilio prohibemus ne quis in aliquem excommunicationis sententiam nisi competente admonitione præmissa, & personis præsentibus idoneis per quas si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat.* Atque imponit pęnam cuicumque Prælato, vel superiori seu Iudici promulganti excommunicationem sine his circumstantijs alijs verbis. *Quod si contra præsumpserit etiam si iusta fuerit, sententia excommunicationis ingressum Ecclesiæ per mensem vnum sibi nouerit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus si visum fuerit expedire.* Illud de scripto, & testibus addidimus propter aliquos, qui censent ex Abbate, eo capite numero 3. sufficere si admonitio feratur in scriptis sine testibus: hoc enim est falsum, quia, vt dixi, sine testibus scriptura nihil probat.

Debet fieri personaliter.

76 Addit Doctores hanc monitionem faciendam esse personaliter ei contra quem fertur, idest non sufficere, vt in Ecclesia, foro, aut domò sua publicetur; sed illi in persona debet fieri. Quod sequitur ex dictis: quia sine admonitione non potest obedire; ideo nisi ipsi personaliter intimetur erit excusatus coram Ecclesia, & etiam coram Deo, si re vera ad eius aures non peruenerit certo, & claro modo: quia non erit verus contumax. Quod verum est si qui admonendus est non lattet dolo, capite *quoniam frequenter*, de dolo, & contumacia, quia dolus ei suffragare non debet; Vel nisi habeat incertum domicilium: tunc enim sufficit publicatio in Ecclesia, & loco publico, quo ad forum externum; sed in foro conscientiæ si desit dolus erit excusatus; quia non erit verus contumax, sed præsumptus.

De circumstātijs concomitantibus.

77 Circumstantiæ concomitantes sunt illæ quæ seruari debent in actu ferendi sententiam; istę autem habentur capite primo de sententia excommunicationis in 6. Et secundum omnes pertinent ad excommunicationem latam à Iudice: Nam in excommunicatione lata à iure, vel per statutum humanum nulla alia solemnitas, nec circumstantia requiritur, nisi ea, quæ requiritur in lege ferenda, nimirum; quod à Principe, vel Superiore statuatur, & per præconem publicum promulgetur sufficienter, ita vt ad notitiam subditorum peruenire possit, vt diximus in hoc quarto senten. distinct. 3. disputat. 10. de cessatione legalium. Circumstantiæ autem requisitæ explicantur in eo capite quarto de sententia excommunicationis simul cum circumstantijs subsequentibus sub his verbis. *Quisquis igitur excommunicat excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum verò huiusmodi scripturę teneatur excommunicato tradere infra mensem, si fuerit requisitus super qua requisitione, fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.* In his enim verbis tria esse necessaria decernuntur. Primum quod sententia excommunicationis in scriptis feratur. Secundum quod explicetur in ea causa propter quam ille excommunicatur. Tertium quod latæ sententiæ exemplum tradatur reo, si Iudex requiratur.

Tres circūstātiæ requiruntur in promulgatione excōmunicatiōis.

78 Quantum ad primam circumstantiam intelligitur quod prius sententia excommunicationis debet scribi quā proferatur, non autem prius proferri deinde scribi, vel proferri scribendo, seu dictando, sed debet Iudex ex scripto legendo proferre sententiam. Et ratio est quia aliter faciendo Iudex illam aliter scribere, & aliter proferre posset; quod repugnat intentioni textus, & habetur clarè cap. vlt. de sent. & re iudicata in 6. Et talis scriptura debet esse talis quod possit facere fidē talē sententiā esse prolatā, hoc est, vt sit facta corā testibus, vel subscripta ab ipso iudice, vel per Notariū publicū, alioquin si desit aliqua similis authēticatio, non poterit cōstare dę tenore, & latione prædictæ sententiæ coram superiore maiori si contingeret reum appellare, neque ipsi reo si negaret eam sententiam latam esse. Vnde Authores qui dicunt non requiri necessariò, vt hæc scriptura sit authentica, quia hoc non præscribitur in dicto capite primo de sententia excommunicationis, non negaret requiri huiusmodi authenticationem in quantum respicit hunc finem, sed solum, vt in se præcisè considerata: Nec requiritur quod ipse Prælatus ore proprio proferat sententiam, sed sufficit quod per ministrum hoc efficiat, & maximè si sit Episcopus, vt habetur cap. vltimo allato de sententia, & re iudicata, & consuetudo ipsa habet.

Debet explicari causa.

79 Secunda circumstantia est vt in scriptura explicetur causa propter quam fertur excommunicatio. Vnde licèt in alijs sententijs semper Iudex non apponat omnes causas, quę animum suum mouent ad ferendam sententiam, vt patet cap. *sicut*, de sententia, & re iudicata, tamen hoc speciali iure est necessarium in prolatione sententiæ excommunicationis. Ratio est vt Iudex cautior sit in ferenda hac sententia cum sit redditurus rationem de ipsa, & Iudex superior si contingat appellare possit de iustitia talis sententiæ iudicare, & etiam vt ipse reus sciat causam propter quam excommunicatur, vt possit se emendare; atque alij sciant propter quam causam ille sit excommunicatus, vt discant talem causam vitare. Quæ autem sit hæc causa superius diximus, dum diximus illud esse peccatum mortale prohibendum, vel præteritum corrigendum, & contumaciam. Hæc autem conditio habet locum quando excommunicatio fertur in particularem aliquam personam, non quando fertur vniuersaliter contra eum, exempli gratia, qui fecit tale delictum ignorata persona particulari, sed sufficit tunc quod delictum sit notorium, vel sufficienter probatum. Ratio est quia ponere causam in tali casu repugnat. Vnde textus loquitur expressè de excommunicatione lata contra personam particularem prius monitam, vt patet.

Tertia conditio quod exemplum sententiæ tradatur reo.

80 Tertia conditio quæ decernitur in prædicto canone est quod iudex tradat exemplum latæ sententiæ reo, si requiratur ab eo, infra mensem. Quod intelligitur de integra sententia, & exemplo. Hac enim ratione videtur decretum esse, vt in scriptis feratur, scilicet vt Reo integrè, & absolutè tradi possit, vt possit se ipsum defendere.

Pœna Iudicis non seruantis prædictas circunstantias.

81 Hæ sunt circumstantiæ requisitæ in ferenda sententia, siuè eam concomitantes. Pœna autem quam incurrit Iudex ferens sententiam excommunicationis sine prædictis circumstantijs ex eodem cap. primo de sententia excommunicationis in 6. est pœna suspensionis ipso facto incurrenda per mensem ab ingressu ecclesiæ, & diuinis officijs quam si transgrederetur fieret irregularis.

Circunstantia subsequens est denunciatio excommunicati.

82 Circumstantia subsequens ad latam sententiam est denunciatio publica ipsius excommunicati, quæ fit per cedulas applicatas locis publicis, & præ foribus ecclesiæ, vt in notitiam omnium deuenire possit. Ad hanc enim tenentur Episcopi, & Prælati ex capite *cura*, 11. quæst. 3. vbi dicitur Episcopos debere mittere nomina excommunicatorũ ad Episcopos vicinos, & ad Parochos, ac denique in celebri loco, vt omnibus innotescere possit, spectat enim ad munus ipsius Iudicis, qui illam sententiam tulit, vt executionem habeat, & excommunicatus vitetur, alioquin cum nemo teneatur vitare excommunicatum, nisi sit publicè denunciatus, excepto Clerici percussore, excommunicatio redderetur sine effectu, & contemptibilis. Modus autem præscriptus à cap. *cura*, non videtur esse omninò, sub præcepto seruandus; quia per consuetudinem videmus sufficere, vt per affixionem cedularum locis publicis fiat. Hæc autem maior vel minor publicatio erit in arbitrio Iudicis, qui pro maiori, vel minori culpa, & exigentia causæ poterit illam ampliare, vel minuere, exceptis casibus in iure expressis.

83 Hæc autem denunciatio habet locum in excommunicatione lata ab homine post monitionem sufficientem, contra certam personam: de ea enim præsertim videtur loqui caput illud *cura*: de excommunicatione verò lata ab homine in generali, & de excommunicatione à iure, quãdo quis illam incurrit, opus est, vt præcedat sententia declaratoria quod talis in excommunicationem inciderit, siue illud crimen sit notorium, siuè non, tenet Couaruuias cap. *alma*, cap. 1. §. 1. nume. 9. & dicit hoc esse vsu receptum, adeo quod ante sententiam declaratoriam non debet denunciari, sed solum post sententiam declaratoriam latam; & tunc eo modo, quo dictum est de promulgatione excommunicationis latæ ab homine. An verò semper teneatur Iudex ferre sententiam declaratoriam cum quis excõmunicationem à iure, vel à statuto hominis incurrit, est dubium. Videtur tamen dicendum teneri quando agitur de bono communi, vel de interesse partis ad cuius instantiam fertur.

Quarta conditio requisita ad iustã excõmunicationẽ est processus legitimus.

84 Quarta conditio est processus legitimus. Hæc conditio ponitur in cap. *sacro*, de sententia excommunicationis, §. *caueant*, & cap. *de illicita* 24. quæst. 3. Ratio est: quia cum, vt dictum est supra, excommunicatio non possit ferri nisi propter culpam illius qui excommunicatur, neq; Iudex, & Prælatus possit cognoscere culpam in foro exteriori in quo fert excommunicationem nisi per legitimum processum, sequitur quod debeat præcedere processus legitimus, in quo peccatum, & culpa delinquentis manifesta sit. Neque enim talis notitia haberi potest sine processu legitimo, in quo adducuntur testes idonei, & reliqua quæ ad legitimum processum requiruntur; hic enim per legitimum processum intelligitur ille processus, qui habet conditiones requisitas communiter in omni alia sententia iustè ferenda.

85 Verùm hic est distinguendum. Hic enim processus & hæc notitia non est necessaria in excommunicatione, quæ fertur à iure vel ab homine per statutum aliquod generale, vel per præceptum quo aliquid prohibetur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda: in his enim modis ferendi excommunicationem satis est, quod Reus ipse, qui transgreditur ius, sciat se transgredi ius, & præceptum, propter quod pœna excommunicationis est imposita: Vnde sine notitia Iudicis, & Prælati actu illam incurrit. Si autem Iudex voluerit venire ad denunciandum illum esse excommunicatum, tunc requiritur processus legitimus: quia cum denunciatio sit publica, requirit proportionatam notitiam scilicet publicam, quæ est ea quæ habetur per processum legitimum. Requiritur ergo propriè legitimus processus in excommunicatione particulari contra aliquam personam particularẽ vel plures particulares, & de peccato præterito. Tunc. n. necessarium est, vt de peccato & culpa, propter quam quis debet moneri, vt resipiscat, & emendetur, siuè satisfaciat, alioquin excommunicabitur per publicum, & legitimum processum constet; & insuper quod constet de contumacia, & proinde sic procedens ad excommunicandum aliquem sine legitimo processu facit iniustitiam, & sententia excommunicationis lata est iniusta, atque de excommunicatione hoc modo lata loquuntur prædicti canones de *illicita* 24. quæst. 3. & *sacro* de sententia excommunicationis, vt est ibi videre.

Quinta conditio ad iustã excõmunicationẽ ẽ quod fiat bona intentione.

86 Quinta conditio requisita ad iustam excommunicationem est quod fiat bona intentione. Sub hac conditione comprehendit Scotus omnem bonitatem, & certitudinem moralem. Actus enim excommunicandi solum debet esse de obiecto bono scilicet de correctione peccati, sed etiam nullam debet includere circumstantiam malam. Vnde Iudex non debet moueri ad ferẽdam legem vel statutum vel præceptum cui imponit pœnam excommunicationis, ex aliquo prauo affectu, vt ex odio, & affectu vindictæ, vel inuidiæ, & huius generis; quia ista auferunt debitam rectitudinem actus. Vnde capite *iudicet* 3. quæst. 7. Vbi ex D. Ambrosio super Psalmum *Beati immaculati*. ser. 2. multa referuntur, sed ista præsertim. *Iudicet ille qui ad pronunciandum nullo odio, nulla offensione, nulla leuitate ducitur.* similia habentur ex Diuo Gregorio capite *iudicare* 11. quæst. 3. & alijs cap. eadem causa, & quæstione, & cap. 1. de sententia, & re iudicata in 6. habetur. *Caueant ecclesiastici iudices, & prudenter attendant, vt in causarum processibus nil vindicet odium, vel fauor vsurpet, timor exulet, præmium, aut expectatio præmij iustitiam non euertat, sed stateram gestent in manibus, lances appendant æquo libramine.* Ex his ergo quinque capitibus excommunicatio potest esse iniusta. Cum autem nullus horum defectuum adest, erit iusta. Vbi etiam obseruandum erit excommunicationem iniustam esse inualidam, non tamen omnem, vnde de hoc disputandum erit capite sequenti.

De excommunicatione valida, & inualida, quiue illius sint capaces, & quando illa afficiantur.

Caput Tertium.

Excõmunicatio iusta est sẽper valida.

87 EX dictis capite præcedenti deducitur quid sit dicẽdum de altera diuisione excommunicationis, quæ fit in validam, & inualidam: quæ diuisio est valde necessaria scitu. Quantum ad hoc autem certum est quod cum excommunicatio est iusta, & habet quinque conditiones superiori capite explicatas, est etiam valida, & de hoc nulla est dubitatio. At quando excommunicatio est iniusta, dubium est an semper sit inualida, vel aliquando inualida & aliquando valida, & propter quam causam. Doctores autem circa hanc partẽ conueniunt in hoc, quod non omnis excommunicatio iniusta est semper inualida, sed quod aliqua, etsi sit iniusta, est tamen valida. Quot modis autem hoc contingat, discrepant. Alij enim numerant nouem modos nullitatis; Alij quinque; Alij duos, & Alij alios, vt est videre in Syluestro verbo *excommunicatio* 2. Angelo eodem verbo num. 3. Palodano in 4. distinct. 18. quæst. 1. art. 4. Nauarro in caput *cum contingat*, de rescriptis, & alijs Recentioribus. Sed his modis dimissis, qui vt plurimum idem coincidunt dicẽdum est ex communi sententia, excommunicationem iniustam ex triplici capite esse nullam. Primò ex defectu potestatis iurisdictionis in

Excõmunicatio iniusta quãdo est inualida.

eo

Excõmunicatio est inualida ex tribus cap.

eo qui fert excommunicationem, & hoc est adeo certum, vt nullum sit dubium. Quod ex dictis supra patet. Secundò, est nulla ex defectu formæ quo ad substantiam. Nam si aliquod ibi substantialiter requisitum omittatur, patet quod essentia excommunicationis destruitur, ac nulla est propter rationes ibi adductas.

88 Tertiò, sententia excõmunicationis est nulla ex parte causæ propter quam fertur. Ex primò quidem certum est, quod quando lex seu præceptum propter quod imponitur pœna excommunicationis est nullum, excommunicatio quoque est nulla. Et ratio clara est, quia censura sequitur conditionem legis, & præcepti quod est principale, ideo cum lex, & præceptum non obligat, neque pœna imposita propter illud incurritur. Lex autem est nulla propter quatuor causas. Prima est, propter defectum auctoritatis in legem ferente. Secunda cum continet intollerabilem errorem, vt dictum est, scilicet quia est de causa turpi, vel contra bonum commune, tunc enim in conscientia nõ obligat. Tertia requiritur etiam vt lex sit sufficienter publicata. Quarta quod sit vsu recepta, seu non abrogata tacitè, vel expressè superiore consentiente, nam tũc non obligat. Secundò, certum est legem, & præceptum de quo fertur excommunicatio debere esse iustum quo ad iustitiã commutatiuam, id est de re graui, quæ sit peccatum mortale, vt supra diximus, ideo quando lex imponitur de re quæ est peccatũ veniale est inualida. Ratio est quia vt supra diximus materia debita huius cẽsuræ est peccatum mortale, eo modo quo supra diximus. Est tamen aliqua difficultas an lex lata de quouis peccato mortali sub pœna excõmunicationis sit semper valida. Et Aliqui dubitare videntur. Ego tamen non auderem dicere esse nullam, quia quãuis Doctores dicant non pro quolibet peccato, sed solum pro graui hanc pœnam esse ferẽdam, tamen vbi interuenit peccatum mortale, & sufficiens contumacia videtur adesse sufficiens materia excommunicationis ferẽdæ. Vnde Scotus vbi supra, quamuis reprehendat Prælatos qui faciles sunt ad ferendam huiusmodi censuram pro qualibet re, tamen non dicit esse nullam, & maximè cum adest sufficiens contumacia.

Lex est nulla propter quatuor causas.

An lex de peccato mortali sub pœna excõmunicationis sẽper sit valida.

89 Verùm circa hoc membrum de nullitate excommunicationis ex parte causæ iniustæ est dubium, An aliquando obliget in conscientia, licèt sit nulla. Ad hoc intelligẽdum, obseruãdum est, quod excommunicationem ferri sine causa iusta potest intelligi tribus modis. Vno modo quod excommunicatio feratur sub titulo veræ causæ, non tamen causa sit vera, sed præsumpta, vt puta, quia licèt causa non sit vera, ex parte rei, tamen in iure per allegata, & probata legitimè appareat Iudici esse veram causam, ita quod Iudex non peccet ferendo excommunicationem. Secundo modo quia causa in re sit vera, sed tamen in iuditio, non sit legitimè probata. Tertio modo quia feratur absolutè propter causam iniustam, & iniquam, neque in iudicio legitimè probatam. Hoc tertio genere causæ iniustæ patet excommunicationem absque dubio esse nullam, quia non adest causa, nec realis, nec præsumpta, & ab aliquibus hæc excommunicatio dicitur cõtinere errorem intollerabilẽ. In secundo genere quoque dicendum est esse nullam: tum quia Iudex nõ pôt ferre iudiciũ de re occulta, cum autem causa non est iuridicè probata dicẽdum est esse occultam, etiam si Iudex ipse priuatim sciat esse veram causam. Quod elicitur ex cap. *cum alijs*, 6. quæst. 2. & ex Glossa & Doctoribus in caput *sacro*, de sententia excommunicationis, tũ quia est nulla ex defectu essentiæ in forma.

An excomunicatio nulla ex causa aliquando tamẽ obligat

90 In primo genere verò, quando scilicet causa in re est falsa, tamen in forma exteriori est probata iuridicè est diuersitas opinionum an sit valida, & obliget in conscientia. Aliqui enim dicunt esse validam, atque in hanc sententiam citantur Diuus Thomas in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula 4. Richardus ibidem artic. 3. quæst. 5. Paludanus quæst. 1. & Alij multi quos Couarruuias citat, & sequitur capite *alma*, prima par. §. 11. nu. 14. (sed isti auctores potius dicunt esse timendam quàm esse validam, vnde parum differunt ab opposita opinione quam infra adducam.) Fundamenta huius opinionis sunt, quia sententia per processum iuridicè validum est valida. Vnde hoc modo damnatus ad mortem iniustè tenetur obedire; ergo hæc sententia habet suum effectum, qui est pœnam excommunicationis infligi sic sententiato. Secundò, quia Iudex iustè per illam præcipit; ergo subditus tenetur illi parere: quia superiori iustè præcipienti, tenetur subditus obedire. Tertiò, actus clauium validus est quotiescumque clauis non errat, sed in casu quem tractamus clauis non errat, ergo hic actus quo quis excommunicat est validus. Minor probatur quia clauis significat potestatem: tunc autem potestas non errat cum operatur secũdum scientiam proportionatam; At cum culpa est probata iuridicè habetur sciẽtia proportionata, alioquin potestas sententiandi nunquã esset certa. Et confirmatur, quia si Sacerdos absoluat pœnitentem à peccato, quod secundum informationem pœnitentis est veniale, & tamen est mortale, est valida; ergo ita in proposito.

An excõmunicatio ob causã falsã tamen iuridicè probatam sit valida.

91 Altera opinio asserit huiusmodi sententiam excommunicationis esse nullam, & in conscientia non obligare. Tamen in foro exteriori esse seruandam ratione scandali vnde sic excommunicatus tenetur seruare excommunicationem in foro exteriori, & nisi seruaret, sed violaret, vt si publicè audiret Missã &c. peccaret, & hoc modo excommunicatio inualida obligat in conscientia; in secreto autẽ, & vbi ignoratur illum fuisse excommunicatum, ministrãdo sacramenta, & alia non peccaret. Vnde hac ratione excommunicatio inualida non est penitus inualida, sed solum in foro interiori, & propter hoc differt ab excommunicatione inualida duobus prioribus modis nũc supra adductis: quia illa est penitus inualida, omnino in vtroque foro, ista verò est nulla solũ in foro conscientiæ. Et ex hoc oritur aliud discrimen inter excommunicationem penitus nullam, & hanc, quæ est partim valida, & partim inualida, quod trãsgressor prioris non potest iustè puniri à Iudice, sed transgressor posterioris potest iustè puniri. Vnde hoc posteriori modo excommunicatus si secretò celebret, &c. si denuncietur potest puniri iustè, licèt ipse in consciẽtia non peccauerit. Et ratio est: quia in foro exteriori qui solus est notus ecclesiæ, est reus, & in illo tenetur obedire Ecclesiæ alioquin multum derogaretur auctoritati Ecclesiæ, quæ non iudicat de occultis, & esset scandalum magnum quatenus esset occasio alijs spernendi præcepta Ecclesiæ in foro exteriori, quod in graue præiudicium auctoritatis ecclesiasticæ cederet. Atque hæc opinio hoc modo declarata est vera, & communem esse puto, neque Auctores contrariæ opinionis ei hoc modo declaratæ repugnare existimo, vt est videre in Couarruuia cap. *alma*. par. 1. §. 7. num. 5. conclus. 1. multi Authores pro hac opinione citantur, sed huius sententiæ præsertim est Alensis (licèt à Soto pro opposita sententia citetur) 4. part. quæst. 22. mem. 2. art. 1. & 2. quatenus in primo articulo dicit excommunicationem iniustam non esse excommunicationem; (intelligit autẽ de ea quæ est iniusta ex defectu iurisdictionis causæ, & formæ, & simul ex peruersitate animi,) idem autem est dicere non esse excommunicationem, & esse nullam, & intelligit in foro interiori. Et quatenus art. 2. dicit excommunicationem latam ab habente iurisdictionem esse timendam siuè sit iusta, siuè iniusta, ex animo causa, vel ordine, quantum ad Ecclesiam militantem. Et idem clarius elicitur ex responsione ad vltimum eodem articulo, quamuis re vera Alexander satis confusè loquatur. Eam explicat clarius Gabriel Biel in 4. distin. 18. quæst. 2. conclus. 8. Caietanus 2. 2. quæst. 70. art. 4. ad secundum, Soto in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 3. conclus. 3. & 4. qui hanc quæstionem diffusè tractat, Nauarus in Manual. cap. 9. num. 4. & cap. 27. num. 3. Suarez disput. 4. sect. 7. atque hæc opinio est quoque Scoti. Tenet enim apertè quod excommunicatio non est ferenda nisi propter peccatum mortale, & non quodcumque, sed graue; ergo insinuat vbi nõ est causa iusta excommunicationem esse nullam, saltem in foro

Opposita sententia quod sit nulla.

Aliud discrimen inter excõmunicationem penitus nullã, & partim validam & partim inualidam.

Opinio Scoti.

con-

conscientiæ. Quantũ aũt ad forum exterius nõ negarẽt esse timendã, & esse validam modo prædicto, quia vt patet in eo foro esset valida, cũ ex legitimo processu emanaret.

92 Hinc consequenter ad dubium illud, An dato quod quis sit excommunicatus per sententiam nullam in foro conscientiæ, sed validam in foro exteriori incurrat pœnas iure impositas contra violantes censuram, Respondendum est negatiuè. Ratio est quia sic excommunicatus non est verè, & perfectè excommunicatus, sed solum ex præsumptione, quæ in foro interiori non concludit. Qui tamen sic violaret censuram publicè ex contemptu, peccaret mortaliter, quia vt diximus, tenetur obedire præcepto, & sententiæ Ecclesiæ in foro exteriori. Non tamen per peccatum illud excommunicatio fit valida in foro interiori: quia excommunicatio illa non fuit lata propter peccatum contemptus: ideo per illud illa incurri nõ potest, vt optimè obseruauit Suarez vbi supra disp. 19. contra Caietanum, Nauarrum, & Alios, qui oppositum tenent.

An per excõmunicatiõnẽ nullam in foro interiori sed validã in exteriori incurratur irregularitas.

93 Hoc eodem modo Respondẽdum est ad dubiũ. An excommunicatio eodem modo inualida in foro conscientiæ, valida verò in foro exteriori, priuet potestate iurisdictionis, nimirum per eam, nec tolli, nec suspẽdi huiusmodi potestatem propter eandem causam superius adductã; Vnde si sic excommunicatus absoluat aliquem à peccatis erit absolutus, quoniam intentio Ecclesiæ est inferre hanc pœnam solum vbi est vera causa scilicet inobedientia. Hic autem nulla est, sed solum adest præsumptio, ideo non sequitur effectus.

An excõmunicatio eodẽ modo valida & inualida priuet iurisdictione spirituali.

94 Idem dicendũ quo ad actus externos, à quibus per excommunicationem excommunicatus priuatur, vt sunt conuersatio humana, & alij, de quibus infra, & An priuetur beneficijs, & dignitatibus. Nam in foro interiori non excluditur, nec priuatur eis. sed solum quo ad forum exterius, ideo si secretò, & sine scandalo sic excommunicatus conuersetur cum fidelibus, vel obtineat beneficium, & dignitatem aliquam, non peccat, neque actiones eius essent irritæ: quia semper militat eadem ratio superius adducta, nimirum quia Ecclesia intendit has pœnas habere effectum, quando vera causa adest; Vnde cum hic vera causa non adsit non peccat, & eius actiones sunt validæ. Immò si etiam exerceat publicè, & cum scandalo licèt peccet, tamen reuera in foro conscientiæ essent validæ; quia reuera ille non esset factus inhabilis ad actiones illas, neque esset priuatus potestate requisita ad illas, neque ipso facto essent irritæ.

95 Verùm est quidem quod si causa deducta esset ad forum contentiosum collatio beneficij, & actiones illæ irritæ decernerentur, verè irritarentur, & redderentur nullæ, sed hoc prouenirẽt ex alio fundamento scilicet quia bonum publicum præferendum est bono priuato, & Ecclesia habet authoritatem priuandi aliquem bono suo priuato pro conseruando publico. Ideo in tali casu, licèt reuera validas actiones fecerit, quia tamen hoc ignoratur ab Ecclesia, ne emergant dubitationes, & inualiditates in huiusmodi actionibus, quod generaret magnam confusionẽ in populo fideli, Ecclesia intendit absoluté irritare illas actiones, vt collatio alijs facta in foro exteriori, & actiones aliæ in eodem foro factæ sint validæ in vtroq; foro. Consentit Suarez disp. 4. sect. 7. num. 28. & 29.

Quomodo authoritas D. Gregorij sit intelligenda sententia Pastoris, &c.

96 Ex dictis apparet quomodo intelligenda sit illa sententia Diui Gregorij homil. 26. in Euangelia, quæ refertur à Gratiano 11. quæst. 3. cap. 1. & ab omnibus ferè Doctoribus, & est in ore omnium. *sententia Pastoris siuè iusta siuè iniusta, timenda est.* Vbi primò obseruo multos Auctores hanc sententiam ita intelligere, vt pro eodem accipiant sententiam esse validam, & sententiam esse timendam; vt est videre apud Nauarrum in Manual. cap. 27. numer. 3. Suarez disp. 4. sect. 7. num. 41. & Alios nonnullos, atque proinde, hanc sententiam Diui Gregorij sic intelligere, vt dicant sententiam Pastoris siuè iustam, siuè iniustã esse validam. In hoc autem modo loquendi est equiuocatio, quæ causat obscuritatem in hac re. Dum enim sic accipiunt pro eodem *timenda est, & valida est*, videtur sequi quod quæcunque sententia Pastoris siuè iusta, siuè iniusta, sit valida. Certum est autem, quod sententia Diui Gregorij in hoc sensu est falsa, immo erronea; quia sententia excommunicationis post appellationem legitimè interpositam certum est esse nullam, & inualidam; & similiter sententiam excommunicationis, quę continet intollerabilem errorem esse inualidam, & nullam. Vnde omnes excipiũt hos duos casus, vt patet ex Glosa in caput illud primum 11. quæst. 3. & ex Richardo vbi supra dist. 18. art. 3. quæst. 5. & ex Alijs & in hoc casu eam excepit Gersõ tomo Opusculorum disp. particulari de hac re, & Suarez vbi supra dum dixerunt hanc propositionem sic absolutè prolatam esse erroneã, licèt textus *cum contingat*, de officio delegati adductus à Suarez hoc non probet, nec faciat ad hoc propositum, vt infra ostendam. Est ergo dicendum, verbum illud in sententia Diui Gregorij *timenda est*, idem significare quod *contemnenda est*. In quo sensu à multis alijs Doctoribus sumitur, vt est videre apud Couatuuiam loco citato conclus. 3. Per contemptum autem non puto intelligendum esse contemptum propriè dictum; vt vult ibi Couaruuias scilicet vt transgressio, & non seruatio censuræ excommunicationis sit eo quia lata sit ab eo superiore, quẽ spernit, vel authoritatem eius, & non alia de causa: hinc enim est propriè contemptus quod est peccatum particulare; sed per contemptum intelligendam esse puto simplicem transgressionem, & inobedientiam voluntariam; Et in hoc sensu puto esse vniuersaliter veram, quod probat Couaruuias ibi ex multis Doctoribus, & authoritatibus; præsertim ex ista Diui Gregorij, & ex altera ex Diuo Augustino cap. *qui iustus est* 11. quæst. 3. cuius verba sunt. *Qui iustus est, & iniustè maledicitur præmium illi redditur.* Et probatur ex textu *contingat de officio delegato*. Quod tamen in oppositum à Suarez citatur, & ex cap. per *tuas*, de sentẽtia excõmunicationis, in quibus decernitur quod qui fuit excommunicatus post appellationem interpositam, vel in forma excommunicationis fuit intollerabilis error deberet admitti ad defensiones faciendas, & ad probationẽ eorum quæ in contrarium vult adducere, non tamen absoluendum esse ab excommunicatione, & in alijs, præterquam in pertinentibus ad suas defensiones, debere ab alijs vitari, donec de errore intollerabili, vel de prolatione sententiæ post latam appellationem constiterit. Ex quibus apertissimè patet Pontificem velle excommunicatum excommunicatione non solum iniusta, sed etiã omninò nulla, esse vitandum, & habendum pro excommunicato donec non constet de innocentia eius, vel sit absolutus. Quod intelligitur in foro exteriori, non in foro conscientiæ, & coram Deo, ideo in secreto, vbi nullum esset scandalum non deberet illam timere, quia certus esset eam esse inualidam.

An aliud sit sententiã esse timendã, & aliud esse validam.

97 Vbi notandum est aliud esse obseruare præceptum propter quod fertur excommunicatio, & aliud timere, seu obseruare pœnam excommunicationis. In casu enim excommunicationis hoc præceptum continens errorem intollerabilem non tenetur obseruare præceptum, sed excõmunicationem, exempli gratia, si quis superior dicat excõmunico illum quia non adulterat, vel quia non occidit fortem, in hac sententia est intollerabilis error; quia fertur propter præceptum tendens contra legem diuinam, & idẽ de alijs præceptum illud non est seruandum, tamen excõmunicationis pœna est timenda idest in foro exteriori est seruanda donec declaretur non esse excommunicatum, licèt apud Deum non sit excommunicatus.

98 Hoc tamen est cum tali moderamine agendum, vt non videatur timeri in se, sed propter reuerẽtiam superioris, quem & cuius authoritatem nouit non esse contemnẽdam. Et hac ratione dixit quod *cum iustus iniustè maledicitur præmium illi redditur*. Cum enim aliquis iit contra iustitiam excõmunicatur, iniuria afficitur; sicut si quis interficeretur à Iudice eo quia facit eleemosyna, & similia, reciperet præmium ex illa pęna iniustè inflicta.

Cum

Quibus casibus multo magis sit timenda excōmunicatio.

99 Cum ergo excommunicationis sententia sit timenda quando est penitus nulla ex defectu causæ iustæ, etiam si iniustitia sit omnibus nota, quia scilicet continet intolerabilem errorem, multo magis est timenda quando solum est iniusta, non tamen nulla. Vt cum superior inique fert sententiam ex praua intentione, vel ex temerario ordine procedendi; de qua re nullus dubitat. Et similiter est timenda quando sententia est nulla in re, tamen in foro exteriori non cōstat de eius nullitate, vel est dubium de illa, vel eius nullitas non est omnibus nota. In his enim casibus multo magis concludunt prædicta iura, & ratio adducta.

Excommunicatio est nulla cum interuenit ignorantia.

100 Ad hoc tertium caput nullitatis excommunicationis reducitur contumacia. Certum est enim vt supra diximus requiri contumaciam, ideo excommunicatio est nulla, quando non adest contumacia. Hæc enim est regula generalis, vt supra diximus nunquam incurri excommunicationem, nisi interueniat contumacia, & inobedientia Ecclesiæ, quæ sit peccatum mortale: Hæc enim ex iure ipso diuino requiritur. *si Ecclesiam non audierit, &c.* Matth. 18. Ex quo sequitur quod quotiescunque intercedit ignorātia inuincibilis tàm iuris, quàm facti, quæ excusat à peccato mortali, nunquam excommunicatio incurratur, & sententia excommunicationis in ignorante hoc modo sit nulla. Ignorantia autem supina, crassa, & affectata non excusat, neque reddit sententiam excommunicationis nullam. Ratio est, quia prima reddit actum inuoluntarium, & consequenter in eo nulla potest esse inobedientia & cōtumacia, vt diximus in materia de pęnitētia disp. 7. cap. 2. Ignorantia verò his posterioribus modis non tollit voluntarium, vnde non excusat à peccato, & consequenter neq. à contumacia & sic non excusat ab incursione censuræ, neque illam nullam reddunt. Hoc totum cōfirmatur ex capite, *vt animarum*, de constitutionibus in 6. vbi Papa dicit. *Vt animarum periculis obuietur sententijs per statuta quorumcuaque ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, ac supina.*

An sciens pręceptū, cui imposita est pœna cēsuræ, sed ignorans impositionē censuræ, & trāsgrediens sit excōmunicatus.

101 Vbi est obseruandum aliquos hic distinguere de ignorantia pręcepti propter cuius violationē imponitur pęna excōionis, & de ignorātia impositionis excōionis, e. g. Prælatus pręcipit sub pęna excōionis, vt omnes tali die audiāt Missam, contingit aūt, vt aliquis subditorū sciat Prælatum præcepisse vt tali die omnes audiant Missam: ignoret autem inuincibiliter fuisse appositam pęnā excommunicationis transgressoribus, vnde audet præceptum illud transgredi, si sciret autem appositam fuisse pęnam excommunicationis non fuisset transgressus: tunc Aliqui dicunt quod ignorantia præcepti excusat ab excommunicatione non autem ignorantia impositionis censuræ. Vnde in proposito casu dicunt, eum qui ignoraret præceptum excusari à censura: At qui sciret pręceptum, licèt ignoraret censurā, & transgrederetur præceptum, incurreret excommunicationem, & sententiam excommunicationis in hunc esset validam.

Opinio Couaruuias.

Atque hanc sententiam tenet Couaruuias cap. *alma*, prima par. §. 10. num. 9. vbi affert appositam sententiam, quam tamen dicit esse communem Canonistarum, esse errorem manifestum, *atque pudendam oscitantiam.* Fundamentum eius est: quia opinio communis Doctorum est quod ignorantia pęnæ à lege statutæ non excusat transgressorem ab incursione in eandem pęnam. Nam licèt rusticus ignoret pęnam impositam adulterio, vel incestui, si tamen committat adulterium, vel incestum, non propter hanc ignorantiam excusabitur à tali pęna, sed illa iustè punietur. Ergo ita in proposito licet quis ignoret excommunicationem esse impositam alicui legi, vel præcepto, si tamen illud transgrediatur, incurret excommunicationem: quia excommunicatio est pęna imposita transgressori talis legis vel præcepti.

Sententia vera quæ etiā est Scoti.

102 Cæterùm opposita sententia est sustinenda; nimirum quod ignorantia impositionis censuræ excuset ab incursione eiusdem censuræ, licèt non ignoretur præceptum esse impositum. Hanc sententiam maximè tenet Scotus, vbi supra, qui absolutè dicit ad incurrendam excommunicationem requiri contumaciam; quia qui paratus est obedire ecclesiæ non est excommunicandus. Et fundamentū est authoritas Christi, qui disertè dicit. *Dic Ecclesiæ. si Ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus*, apertè innuens, debere Prælatum intimare, & notificare hanc pęnam subdito; Quod si adhuc contumax, & inobediens perstiterit contemnendo comminationem huius pęnæ, tunc hac pęna esse plectendum, & excommunicandum. Et per hoc patet ad rationem pro opposita sententia.

Ad rationē pro opposita sententia.

Nam illud fundamentum allatum à Couaruuia est verum de lege communi; hic verò in excommunicatione est specialis ordinatio, & statutum Christi, quod ipsa excommunicationis pęna comminetur ad cogendum subditum obedire, ideo sine illa comminatione, vel cum eius ignorantia, non incurritur in excommunicationem. Hanc eandem sententiam tenent Soto in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. versus finem soluendo tertium argumentum. Nauarrus in summa cap. 27. num. 16. & num. 274. Syluester verbo *ignorantia*, num. 8. & reliqui omnes, qui indifferenter loquuntur de ignorantia censuræ & de ignorantia legis, vel statuti. Atque hanc sententiam latè defendit Suarez contra Couaruuiam illa disp. 4. sect. 9.

Ignorantia inuincibilis reddit excōmunicationē nullam.

103 Requiritur ergo scientia nedum præcepti, sed etiā impositionis excommunicationis, & censuræ, quæ excludit ignorantiam inuincibilem ad hoc vt quis incurrat excommunicationem, & excōmunicatio nū sit nulla. Ex quo habetur quod quis potest peccare contra præceptum, & tamen non incurrere excommunicationem; vt puta quia de præcepto habet scientiam, non autem de impositione censuræ. Quod est verum tàm de præcepto naturali, diuino, positiuo quàm Ecclesiastico, tàm Pontificio, quàm aliorum Prælatorum inferiorum, quia eadem est ratio, quidquid alij dicant, vt exempli gratia, si quis ignoret quod percutienti clerico imposita sit pęna excommunicationis, & percutiat clericum, peccabit mortaliter propter transgressionem præcepti diuini, & naturalis, non tamen incurret excommunicationem propter rationem superius adductā.

Idem dicēdū de excommunicatione ab homine.

104 Idem dicendum de excommunicatione ab homine. Vnde debet præcedere monitio, vt supra diximus, alioquin excommunicatio esset nulla: quia non posset adesse contumacia propter ignorantiam. Quare cum Doctores dicunt excommunicationem posse fieri in ignorātem, intelligunt de promulgatione sententiæ, quæ præsupponit admonitionem præcessisse simul cum contumacia, Ea enim præmissa potest Iudex promulgare sententiam in cōtumacem etiam absentem, & ignorātem. Illa enim ignorantia non facit excommunicationem esse nullam; quia iam pręcessit inobedientia, & contumacia, propter quam ille iurè fuit excommunicatus. Verum est quidem ipsum excommunicatum non teneri ad seruandum excommunicationem, donec illam inculpabiliter ignorat, idest, si per vim & fraudem sententiam ipsius excommunicationis nō impedit. Vnde debet illa insinuari ei à Iudice, quod si non intimetur illi vel per testes fide dignos intimatio ad illum non perueniat, non debet se pro excommunicato gerere; si tamen fama celebris, & testibus fide dignis hæc notitia ad eum perueniat, tenetur veritatē inuestigare, & interim se gerere vt excommunicatio. Licèt enim non spectet ad ipsum hoc inquirere: tamen cum sciat se esse contumacem, & fama publica sit, sententiam excommunicationis in eum latam esse, tenetur conscientiæ suæ cōsulere.

Idem de actuali inconsideratione.

105 Quod dictum est de ignorantia, dicēdum est quoque de actuali inconsideratione, seu obliuione naturali, non culpabili. Hęc enim quoque facit actum volontariū, & consequenter tollit contumaciam.

De vi, & metu.

106 Quartò, & vltimo ad hoc idem caput de causa reducuntur aliæ causæ quæ excusant hominem à trāsgressione legis, vel præcepti propter quod imponitur excommunicatio: istæ enim reddunt excommunicationem nullam: Vt quādo intercedit, vis vel metus talis, qui excuset transgres-

gressionem præcepti, vel censuræ à culpa mortali. Et idē dicendum est de quacumque alia causa excusante à peccato mortali; quia cum non adest contumacia mortalis, nunquam incurritur excommunicatio; vt supra diximus. Metus autem excusans ab obseruatione legis, & quo existente transgressio legis non est peccatum mortale, est metus cadens in constantem virum, vt metus mortis vel alterius rei magni momenti, vt amissionis maioris partis bonorum, & similium. Qui metus habet locum solum in legibus humanis. Istę enim secundum omnes regulariter, & directè non intendunt obligare cum tanto rigore. Immo videmus fideles excusari ab obseruatione præcepti, de ieiunio, vel de audienda Missa in die festo, propter vitanda minora mala, quā sit mors, vel amissio bonorū. Verū si talis metus incutiatur in contemptum religionis, & potestatis ecclesiasticæ, tunc indirectè etiam obligant cum periculo vitæ amittendæ; quia hic fit transitus à lege humana ad transgrediendum legem diuinam, quæ posuit hanc potestatem in Ecclesia, & vult illi esse obediendum. Vnde qui incuteret metum in odium talis potestatis incuteret metū ad transgrediendum præceptum, & legem diuinam. Vnde in hoc casu, qui ob metum illum transgrederetur legem vel pręceptum, peccaret mortaliter, & consequenter incurreret censuram. De timore cadente in virum constantē, vide disp. 47. de Restitutione num. 465.

Timor cadēs in cōstantem virū quis sit.

107 Ex his ergo habemus quod quando in excommunicatione tria prædicta deficiunt, excommunicatio non solum est iniusta, sed nulla. Quando verò non propter aliquem trium horum defectuum, licèt adsint alij defectus, qui eam reddant iniustam, de quibus diximus supra, vt intentio mala in Iudice, vel aliquid simile pertinens ad quintam conditionem iustę excommunicationis, excommunicatio erit quidem iniusta, sed tamen valida.

Quis sint capaces excommunicatiōis.

108 Quantum ad eos, qui capaces sunt excommunicationis, breuiter dicendum est secundum omnes, solum hominem, & hūc viatorem, adultum, baptizatum, qui sit certa persona particularis in terris Superiorem habens, esse capacem excommunicationis. Dixi solum hominem, quia solus homo non autem bruta, neque aliæ res sunt capaces culpæ propter quam infertur hæc pœna, nec effectuum ipsius excommunicationis, qui sunt priuatio sacramentorū &c. de quibus infra. Dixi solum hominem viatorem, quia Beati non possunt excommunicari, cum illi non sint capaces peccati. Nec damnati, quia isti sunt incapaces emendæ, cum sint confirmati in malo neque amplius nouo peccato peccare possint; quia sunt in termino. Neque mortui, qui sunt in Purgatorio, quia etiam ipsi sunt extra viam, & in termino, quo ad posse peccare, vnde amplius, non possunt peccare sicut neque mereri. Dixi adultum, quia iste solus potest peccare peccato actuali. Dixi habens superiorem, quia non habet superiorem in terris vt Papa, non potest iudicari, nec aliqua pœna affici, & qui est subditus non potest excommunicari, nisi à suo superiori. Quis autem sit superior, seu proprius Sacerdos, diximus in materia de Pœnitentia dispot. 25. cap. 4. vbi de proprio Sacerdote egimus. Tamen obseruandum est extra territorium sui Pręlati delinquentem censura non ligari iuxta cap. 2. de constitut. in 6. §. *statuto Episcopi*. Si verò delinquat in proprio territorio poterit sentētia excommunicationis in eum ferri licèt sit extra territorium; quia iam deliquit in proprio territorio; ideo propter absentiam non liberatur à pœna crimini imposita. Ex dictis sequitur neminem posse excommunicare seipsum; quia nemo sibi ipsi est subiectus.

Bruta nec vllares irrationalis est capax excōmunicationis.

Non Beati, nec damnati

Non mortui

De delinquēti in territorio vel extra territorium.

Nemo potest excōmunicare seipsum.

109 Sed cōtra dicta sunt obiectiones. Primò Animalia bruta aliquando dicuntur excommunicari, vt locustæ, bruchus, & similia, quæ deuastant fructus terræ. Secundò dæmones dicuntur excommunicari, & anathematizari ab Exorcistis; & tamen sunt extra viam, & in malo confirmati. Tertiò Paulus ad Galatas, primò dicit anathema angelo qui contra Euangelium aliquid doceret. Quartò mortui possunt absolui ab excommunicatione, vt patet per multos Canones; ergo videtur quod possint quoque excōmunicari. Quintò circa illud quod sit certa persona videtur dubium; quia excommunicatio videtur posse ferri in plures personas, vt puta in omnes, qui tale crimen commiserunt.

Prima obiectio.
Secunda.
Tertia.
Quarta.
Quinta.

110 Respōdetur breuiter ꝙ anathemarizare, & excōmunicare aliquando accipitur pro execrare, detestari, & separare, vt supra diximus; & in hoc sensu accipitur, cum populus Christianus excommunicat, & exorcizat locustas, bruchus, & alias res malas, quæ sunt incapaces veræ excommunicationis; sunt enim imprecationes, quibus aliqui precātur Deum, vt illas res malas auertat à se, & destruat. Eodem modo Exorcista excommunicat dæmones, & Paulus dixit anathema angelo, (quod dictum est per exagerationem) dato per impossibile quod aliquid doceret contra id quod ipse Paulus docuerat de Euangelio. Et per hæc patet ad tria priora dubia.

Solutio ad 3. priores.

Quo bruta, vt locustæ, &c. dicātur excōmunicati.

Quomodo dæmones dicantur excōmunicati.

111 Ad quartum quod est de mortuo an possit excommunicari, est difficilius; quia multi tenent mortuum posse excommunicari; vt Richardus in 4. distin. 18. art. 5. quæstio. 4. Gabriel Biel eadem dist. quæst. 2. art. 2. Corolario 4. post conclusionem secundam, & aliqui alij. Et fundantur in cap. *sanè*, 24. quæst. 2. in quo dicitur hæreticos post mortem esse anathematizandos. Et adest ratio efficax. Quia contingere pōt ꝙ aliquis in vita mādet occidi clericum, & antequam mandatarius exequatur mandatum, mādans ex hac vita decedat absque eo quod reuocet mandatum, & mandatarius exequatur post mortem mandantis; tunc autem talis mandās carere debet sepultura ecclesiastica, quæ est pœna excommunicati; At non potest carere ea, quia in vita fuerit excommunicatus, quia mandatum nondum habuerat executionem, & sic non erat excōmunicatus: ergo priuatur ecclesiastica sepultura propter excommunicationem quam post mortem contraxit: ergo aliquis mortuus potest incurrere excommunicationem.

Ad quartū.

An mortuus possit excommunicari.

Prima opinio quæ est affirmatiua.

112 Oppositam sententiam tenent Nauarrus in summa cap. 27. num. 13. Couarruuias in cap. *alma* prima par. §. 11. num. 8. & Alij ab eo citati. Atque hęc secunda opinio est vera propter rationem superius adductam, scilicet, quia nemo potest excommunicari, nisi propter culpam, & contumaciam, mortuus autem si sit beatus non potest peccare, vt patet. Si verò sit damnatus, vel sit in Purgatorio, nō potest peccare nouo peccato, quia est extra viam, neque illi potest imponi aliquod præceptum sub hac pęna, neque potest esse contumax. Neque Authores in oppositam sententiam adducti hoc negant. Sed pro solutione, & intelligentia huius rei est notandum primò. Quod aliud est excommunicare, & aliud declarare aliquem excommunicatum esse. In capite illo *sanè* præcipitur vt declarentur excommunicati hæretici, at hæretici iam in vita fuerant excommunicati, non autem post mortem excommunicantur, & idem dicendum est, de alijs casibus. Potest ergo ille qui mortuus est in excommunicatione post mortem declarari excommunicatus, non autem excommunicari, & per hoc patet ad primum.

Opinio vera.

Solutio rationū in oppositum.

113 Secundò, obseruandum est quod mortuum excōmunicari potest duobus modis intelligi: Vno modo directè, ita quod mortuus in seipso ligetur excommunicatione, sicut fit in viuis, & hoc est falsum propter rationem superius adductam. Secundò modo indirectè, scilicet, quatenus præcipitur viuis ne orationes suffragia, & similia in mortuum faciant. Et hoc modo potest dici excommunicari mortuum, quia præcipitur viuis ne illi dent ecclesiasticam sepulturam, non orent pro illo, & similia. Vnde hęc non est propriè excommunicatio, quia non est medicinalis, nec data ad hunc finem, vt obediat Ecclesiæ, quod est proprium excommunicationis, sed est præcisè pęna vindicatiua criminis talis. Et per hoc patet ad secundum. Nam ille mandans non excommunicatur propriè, sed præcipitur viuis, vt illum priuent ecclesiastica sepultura, neque orent pro illo, & similia, quod est punire illum pęna vindicatiua, & est præcipere viuis, non autem est, propriè excōmunicare. Hoc autem potest Ecclesia facere ad terrendū

Mortuū excommunicari duob. modis potest intelligi.

viuos,

vinos, ne similia peccata faciant, & ad seruandum ecclesiasticam disciplinam.

114 Per hoc idem Respondetur ad illud de absolutione à cẽsura, illa enim absolutio non fertur directè in mortuum, sed indirectè quatenus liberantur viui ab illo præcepto, ne pro mortuo illo orent, vel ne eum tradant Ecclesiasticæ sepulturæ, quę est liberatio à pęna illa vindicatiua, quæ fieri solet quando de eo, qui in excommunicatione mortuus est, in morte exterint signa contritionis, & obedientiæ.

An mandãs clericũ interfici nec sequetur effectus nisi post mortẽ sui excõmunicatus, &c.

115 Aliud dubium hic occurrit. An qui viuens mandauit facere aliquod peccatum, cui est annexa excommunicatio, & mortuus est antequam præceptum executioni sit mandatum mortuus est absque reuocatione mãdati incurrat excommunicationem dum post mortem executioni mandatur, vt si quis dedit mandatum seruo, vt occidat clericum, vel dedit venenum Sacerdoti, & antequam ille occidat clericum, vel iste moriatur veneno, ipse moritur, verum per mortem secutam ob venenum, fiat excommunicatus. Respondetur breuiter negatiuè. Ratio est quia est extra statum viæ, vnde sicut non potest peccare, sic nec est capax censurę, vt dictum est nunc supra contra Richardum, Gabrielem, & alios illius opinionis.

Ad quintũ. Cur excõmunicatio debet ferri in particularem personam.

116 Ad quintum Respondetur proculdubio personã, quæ excommunicatur debere esse particularem propter duas rationes. Prima est quia excommunicatio non ligat nisi secundum intentionem superioris ferentis excommunicationem, quia agens non potest agere nisi in passum determinatum: hic autem passum determinatur ab intentione agentis, ideo si illam ferat, & non intendat certam personam, est nulla, vt e.g. si decem furati sunt quædam bona, & Iudex ferat sententiam in vnum illorum decem, non designando qualem, esset sententia inepta, & nulla, & nullum afficeret, sicut contingit in alijs actionibus similibus, vt si quis Sacerdos habeat ante se plures particulas consecrandas in Missa proferret verba consecrationis super vnam tantum illarum vagè, & indeterminatè, nulla esset consecrata. Debet ergo ferri in personam determinatam, siue in personas determinatas, si sint plures. vt cũ excommunicantur omnes, qui tale furtum fecerunt, afficiũtur omnes qui illud commiserunt; quia sunt certæ & determinatæ personæ, & in illas determinatè fertur. Et per hoc patet ad dubiũ. Cum enim dicimus, eum qui excommunicatur debere esse personam particularem non intelligimus, quod non possit ferri, nisi in vnam singularem personam tantum, sed quod debet ferri in personam determinatam siue sit vna, siue sint plures.

117 Secunda ratio est, quia qui peccat est singularis, & determinata persona, ideo solum singularis, & determinata persona est capax excommunicationis.

Cur vniuersitas non possit excõmunicari.

118 Vnde hac de causa in capite *Romana. §. in vniuersitatem*, in 6. prohibetur ne excommunicatio feratur in vniuersitatem, vel collegium. Ratio enim est quæ etiam ibi à Papa adducitur, quia potest contingere, quod non omnes illius vniuersitatis vel collegij peccauerint, ideo ferre excommunicationem in omnes esset iniustum, quia iniustè, & nulliter ferretur in eos, qui non peccauerunt, & illi irrationabiliter læduntur. Debet ergo ferri solum in personas determinatas vniuersitatis vel collegij, quæ peccauerunt, vt ibidem decernitur. Quam rationem attingit quoque Couaruuias lib. 2. Variarum cap. 8. nu. 9. vbi hanc quæstionem tractat. Si tamen feratur de facto excommunicatio in aliquam vniuersitatem, Aliqui dicũt, eos affici, qui peccauerunt peccato, ob quod excommunicatio est lata. Atque hãc esse tutiorem partem certum est, vt tenet Glosa in prædicto §. verbo *penitus*. Tamen in rigore iuris Alij tenent esse nullam, quos ibi adducit Couaruuias.

An quis pluribus excommunicationibus excõmunicari possit.

119 Est verò dubium motum à Scholasticis Diuo Bonauen. in 4. distin. 18. par. 2. art. 1. quæst. 4. Richardo ibidem art. 3. quæst. 2. ab Alensi 4. par. quæst. 22. membr. 1. art. 5. & ab Alijs. An qui excommunicatur non debuerit prius esse excommunicatus, siue an aliquis pluries possit excommunicari. Ad quod breuiter est Respondendum, quod quando intercedunt diuersæ causæ excommunicationis pluries potest excommunicari, vt si sint diuersæ contumaciæ propter diuersa præcepta, & diuersas leges, vt ne furetur, ne occidat, & similia, & demum si sint diuersa peccata inobedientiæ, & contumaciæ. Quomodo autem actus distincti peccatorum cognosci debeant, dixi in materia de Pœnitentia dispu. 5. nec obest quod per vnam excommunicationem, iam sit separatus ab Ecclesia, & sit mortuus spiritualiter, &c. quia sicut eadem pœnam quis potest pluribus titulis, & causis damnari corporaliter, vt ratione furti, homicidij, &c. ita quis eadem pęna excommunicationis potest damnari pluribus de causis. Et hac ratione dicitur contrahere plures excommunicationes, & egere pluribus absolutionibus, vel vnica omnes illas causas complectente. Quando verò non multiplicantur causæ, seu peccata, (& idem dic de circumstantijs quæ sunt specialiter prohibitæ, & sunt peccata specialia, vt in materia de Pęnitentia diximus) sed eadem sola permanet, & contumacia perseuerat; licèt possit pluries denunciari excommunicatus ad maiorem eius confusionem, non tamẽ erunt plures, & diuersæ excommunicationes, sed vna pluries repetita. Vnde vnica sola absolutione indiget. Si verò multiplicet causas easdem propter quas infertur illa excommunicatio; vt si quis excommunicatur propter percussionem clerici, si sæpius & distinctis actibus illum percutiat, cum peccata, quæ sunt causæ excommunicationis multiplicentur. multiplicantur quoque excommunicationes; si verò actus non multiplicentur, sed solum idem cõtinuetur, erit vnica excommunicatio, quæ sæpius ob contumaciam continuam poterit denunciari seu promulgari ad maiorem confusionem, non autem erunt plures excõmunicationes. Et hæc est opinio Prædicatorum Doctorum, & vera, quæ fundatur in illo principio verissimo, quod excommunicatio non fertur nisi propter peccatum mortale, quod est contumacia mortalis; ideo quando illa adest, & multiplicatur, est sufficiens causa, vt excommunicatio multiplicetur, vt dictum est.

De primo effectu spirituali excommunicationis, qui est priuatio communionis suffragiorum Ecclesiæ.
Caput Quartum.

120 QVot sint effectus excommunicationis, non potest sub certa regula comprehendi propter eorum varietatẽ: Vnde vario modo assignantur à DD. Nauarrus in Man. cap. 27. num. 17. & sequentibus enumerat 19. & dicit Rebusum multo plures enumerare in Glosa concor. titulo de excomm. non vitanda licèt quædam incautè, Suarez disp. 17. sect. 1. enumerat 12. & Alij alios plures, vel pauciores. Vt breuiter rem perstringamus, possumus sic procedere. Qui sunt effectus excommunicationis colligitur ex diffinitione ipsius, Diximus autem supra excommunicationis diffinitionem esse illam. Excommunicatio est censura ecclesiastica priuans à communione fidelium. Effectus ergo excommunicationis est priuare excommunicatum communione fidelium. Verùm cum cõmunio fidelium multis modis contingat, hinc insurgunt multi effectus particulares, qui in illa separatione à communione fidelium continentur, qui in particulari sunt explicandi.

121 Primò ergo notandum est communiter triplicem esse communionem fidelium, vt habet D. Bonauentura in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. & Nauarrus in Manu. cap. 27. num. 17. ex Diuo Thoma, Couaruuias in cap. *alma*. par. 1 in initio num. 3. & Alij. Prima est omninò interior, quæ fit per caritatem, & gratiam, qua omnes fideles sunt mẽbra eiusdem corporis mistici Christi, quæ per peccatum mortale solum aufertur. Secunda omninò exterior, qua inter nos communicamus, negotiãdo, colloquendo, manducando, bibendo, & similibus. Tertia mixta scilicet cõ- *Triplex communio fidelium.*

muni-

municatio in sacramentis, & suffragijs generalibus Ecclesiæ, & aliqua communicatione in rebus externis temporalibus, & spiritualibus. Excommunicatio non priuat prima communione, quę est priuatio gratię, sed supponit excommunicatum esse gratia priuatum propter peccatum mortale contumacię, quod diximus supra requiri semper, alioquin excommunicationem esse iniustam, & nullam in foro conscientiæ, quamuis in foro exteriori sit seruanda, & timenda, vt diximus supra.

122 Neque excommunicatio priuat communione secundi generis præcisè. Neque enim ordinatur præcisè ad seiungendum hominem ab exteriori participatione mundana cum hominibus, quatenus est merè mundana, & separata à spirituali, sed solum ex consequenti. Neque in omnibus, sed in aliquibus vt postea videbimus. Ex quo relinquitur, vt communio fidelium, à qua priuat excommunicatio, sit communio tertij generis, scilicet communio mixta ex separatione à spiritualibus, & temporalibus quibusdam; excommunicatio ergo priuat communione fidelium mixta ex temporali, & spirituali.

123 Verùm quia communio ista mixta non est ita clara, ad maiorem notitiam huius rei, reducemus omnes effectus excommunicationis ad tria capita, sub quibus commodè omnes continebuntur. Primum est priuatio communionis suffragiorum Ecclesiæ; secundum est priuatio communionis sacramentorum. Tertium est priuatio cõmunionis externæ fidelium. Hæc autem est duplex. Altera spiritualis, Altera ciuilis. Spiritualis est communicatio in orationibus, & diuinis officijs, quæ continetur in illa particula, *Orare*, vt infra videbimus. Ciuilis est quæ continetur in reliquis quatuor particulis, *os, vale, communio, mensa*. (Communiter affertur à Doctoribus illa diuisio, quod communio cum excommunicato est triplex, scilicet in crimine, propter quod aliquis excommunicatur: In diuinis; Et humanis. Sed etiam ista diuisio est satis impropria, quia in secundo membro aliqua comprehenduntur, quæ propriè non sunt diuina: propriè enim diuina est solum communicatio in sacramentis, & suffragijs; vnde ab alijs dicitur ecclesiastica. Ideo diuisio superius assignata magis ordinata mihi videtur) de his ergo per ordinem est agendum.

De priuatione suffragiorũ Ecclesiæ.

124 Quãtum ad primum, quod est priuatio suffragiorum Ecclesię, Notandum est, quod per suffragia intelliguntur sacrificium Missæ, orationes, & alia opera pia fideliũ, quæ sunt membra Ecclesiæ, quibus se inuicem iuuant iuxta articulum symboli, Sanctorum communionem; Vnde ex hoc dicuntur suffragia Ecclesiæ, quia fiunt à membris Ecclesiæ. Ista autem duobus modis fiunt; Interdum priuatim, idest, vt singulæ personæ sunt; Interdum publicè, vt sunt ministri Ecclesiæ, & authoritate publica; Vel ex thesauro Ecclesiæ, vt per Indulgentias: Ista enim omnia communicantur, & participantur ab omnibus fidelibus, & omnes fideles illis iuuantur, vel ad satisfaciendum pro pœna, vel ad impetrandam gratiam, & auxilium diuinum, vel aliqua bona à Deo, præsertim spiritualia, vel tẽporalia in ordine ad spiritualia. Loquemur prius de suffragijs publicis, & communibus, deinde de priuatis.

Extrauagãs ad euitanda ex Concilio Constantiẽsi.

125 Verùm quia non omnes excommunicati se habẽt eodem modo circa priuationem communionis fidelium, neque excommunicatio eodem modo afficit omnes propter diuersa iura diuerso modo disponẽtia de excommunicatis, oportet intelligere quomodo excommunicati inter se differant. Obseruandum est ergo duobus modis aliquem esse posse excommunicatum: Vno modo occultè, vt cum quis facto occulto violat præceptum, ad quod imposita est excommunicatio à iure, e.g. si quis falsificet breue Apostolicum, & similia. Alio modo publicè. & hoc dupliciter. Primo modo vt si publicè & notoriè transgrediatur præceptum, cui est imposita excommunicatio ipso facto, vt qui publicè, & notoriè occidit clericũ. Alio modo quando qui occultè, vel publicè incidit in excommunicationem denunciatur Ecclesiæ, & per Iudicem sententiatur incidisse in excommunicationem, & deinde publicatur vt excommunicatus per cedularum affixiones locis publicis, vel aliquo alio modo, prout moris est. Dubium est ergo an omnes isti excommunicati eodem modo priuentur communione fidelium, & sint vitandi, tàm in suffragijs Ecclesiæ, quàm communione Sacramentorum, & communione spirituali & ciuili.

Excõmunicatus publicus, & occultus quis dicatur

Diuerso modo relata est hæc extrauagans.

126 Hoc dubium dissoluitur ex intelligentia extrauagantis *ad euitanda*, quæ refertur à diuersis Doctoribus, præsertim à D. Antonino 3. par. titul. 25. cap. 3. Soto in 4. cap. 27. num. 34. à Suarez dispu. 9. & ab Alijs. Verùm de hac extrauaganti sunt diuersæ sententiæ.

127 Alij eam dicunt esse editam in Concilio Constantiensi, vt D. Ant. Soto, & Aliqui alij, in quo tamen non habetur nunc, vt patet inspiciendo tomos Conciliorum. Alij eam referunt ex Concilio Basiliensi, in quo ea nunc habetur sess. 20. ad finem, & dicunt fuisse quidem editam in Concilio Constantiensi, sed deindè correctam in Concilio Basiliensi. Refertur etiam diuerso modo quoad verba, & sensum extrauagãtis. Nã prout refertur à D. Antonino, Soto, & alijs eum sequentibus, decernit solum in duobus casibus esse vitandum excommunicatum, scilicet publicè accusatum, sententiatum, & denunciatum, & notorium clerici percussorem publicum tantum; non autem alios excommunicatos publicos, non accusatos, nec sententiatos, &c. sed publicos primo modo nuper supra explicato.

Secundum relationem autem aliorum, & Nauarr. & aliorum eiusdem opinionis, extenditur ad quemcumque excommunicatum ex communicatione publica, quæ nulla tergiuersatione celari potest: non autem ad solum percussorem notorium clerici. Et sic secũdum istos per illam extrauagantem conceditur facultas cõmunicandi cum quolibet excommunicato, dummodo non sit nominatim accusatus, sententiatus, & publicatus; Vel non sit excommunicatus excommunicatione publica, & notoria, quæ nulla tergiuersatione celari possit, licèt non sit sententiatus, & vt talis denunciatus, & publicatus. Primus sensus habetur ex illa vt refertur ex Concilio Constantiensi. Secundus habetur ex ista, vt refertur ex Concilio Basiliensi.

128 Verùm primus sensus hodie communiter recipitur à Doctoribus, & in praxi ab Ecclesia seruatur. Ratio est, quia ista constitutio vt emanauit ex Cõcilio Basiliensi nullam vim habere potuit, quia Concilium illud non fuit legitimum, vt ego aliàs dixi, & tradunt Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 2. cap. 100. & elicitur ex Bulla Pij Secundi, & Alijs. Neque verum est hanc extrauagantem quatenus edita est ex Concilio Basiliensi, confirmatã fuisse à Martino Quinto, & Nicolao Quinto, vt Aliqui volunt; quia neque Martinus Quintus, neque Nicolaus approbauerunt illa Cõcilio quoad leges latas de cẽsuris; sed Martinus Quintus confirmauit Concilium Constantiense solum quoad damnationem hæresum Io. Vvicleph, & Io. Hus, & Hier. de Paga, Et Nicolaus confirmauit Basiliense solum quoad quasdam causas beneficiales, vt rectè notauit Suarez disput. 9. sect. 2. & ante ipsum multi alij; sed quidquid sit de his Concilijs acceptatur hæc Constitutio *Ad euitandam*, tanquam emanatam à Concilio Constãtiensi, & à Pontificibus confirmatam, licèt non appareat vbi, ex communi consensu Ecclesiæ, quę vsu continuo ipsam recepit, & vtitur in sensu primæ opinionis, quæ dicit per hanc extrauagantem cõcedi priuilegium fidelibus, vt possint communicare cum quouis excõmunicato, duobus casibus exceptis tantum, scilicet publicè sententiato, & denunciato, & publico percussore clerici, ita quod nulla tergiuersatione celari possit. Quæ est sententia communioris partis Doctorum, quos refert Ioannes Gutierez lib. 1. Canonic. quæstionum cap. 1. qui fusè hanc quęstionem tractat, & multi Alij, quos adducit, & sequitur Suarez disput. 9. sect. 2. & demum Nauarrus, qui vbi supra propter communem hunc vsum tandem in hanc sententiam descendit.

In quo sensu prædicta extrauagans intelligatur.

129 Conueniunt tamen omnes primæ opinionis esse accep-

Per Extrauagātem ad curanda excōmunicato nullus fauor conceditur.

acceptanda illa verba, quæ referuntur in Conc. Basiliensi, licèt non habeantur in illa quam eam referetur ex Conc. Cōstantiensi. *Per hoc tamen huiusmodi excōicatos, suspectos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo releuare, neque eis aliquo modo suffragari.* Vnde oēs conueniunt p illā extrauagātem fauorē concedi fidelibus non excōicatis, vt possint cum quocūq; excōicato cōmunicare, exceptis duobus prędictis casibus; Non tñ licere ipsi excōicato communicare cum fidelibus. Quod debet intelligi s'm omnes (ne hoc priuilegiū sit nullum) ita quod excōicatus non potest se ingerere in tali communione sine peccato, sed solum qñ fideles illius ministerio egent: tunc. n. sicut ipsi fideles possunt secū cōmunicare, sic ille cū illis sine peccato, aliter nequaquā. Ex quibus verbis habetur etiā hanc extrauagantē non solū loqui de excommunicatione, sed etiam de alijs censuris, ita quod neque ratione suspensionis, vel interdicti est vitandus in diuinis, neque in alia communione.

Extenditur ad interdictū, & suspensionem.

An requiratur quod excommunicatus etiam sit denunciatus

130 Sed hic sunt duo dubia, primū est circa primū casum, & est. An excōicatus, qui excipitur, & est vitandus, sit ille, qui per sententiam specialē est excōicatus, an requiratur etiā sniam ipsam publicè denunciari. Aliqui tenent sufficere quod sit specialiter sentētiatus, sed communior sententia est, quod requiratur etiā denunciatio, seu publicatio talis sententię, quā tenet Nauar. d. cap. 27. n. 51. & alibi. Couar. Vgolinus, Gutierez, Suarez, qui alios citat. Hoc enim modo seruatur in praxi, quæ est optima legum interpres.

Quis dicatur clerici percussor manifestus.

131 Alterum dubium est, quis dicatur manifestus clerici pcussor? Respōdeo bř ex ipsa extrauagāti patere, apertè enim dicitur esse illū, cuius percussio est notoria, ita quod *nulla tergiuersatione potest celari aut aliquo modo suffragia iuris excusari.* Quid autē sit factum notorium diximus in materia de Restit. disp. 53. no. 67. Vnde ex his sumitur, q̄ si percussio sit talis, quod quidē possit probari per testes sufficientes in iure, sed ea nondū est probata, non est vitādus: quia percussio non est notoria; Item si solum adsit publica fama, non sufficit, sed requiritur quod talis percussio facta sit corā multis, & deinde ex eorū testimonio sit facta ita publicè, vt nulla tergiuersatione possit celari. Similiter si percussio sit talis, quod non omnino constet ipsum percussisse clericū, sed aliquo modo sit dubium, & ipse actor neget, & aliquā probabilitatē in iudicio adducat, quæ reddat factū aliquo modo dubium, hic non est vitandus, quia iuris suffragio excusari posse videtur. Similiter si dicat ob propriā defensionem illum occidisse, & hæc excusatio habeat aliquā probabilitatem, similiter non erit vitandus, quia extrauagans illa intendit excipere solum casum indubitatum, & omnino certum.

Quod sit factum notorium &c.

Quando & quomodo percussor clerici sit vitandus.

Qui videat delictū quando tenentur vitare, vel nō vitare excōicatum.

132 Quod verò Suarez vbi sup. n. 12. asserit eos, qui vident hūi delictum secretū, .s. quia factum est coram aliquibus solum, qui credontur illud esse tacituros, teneri ad vitandū, quia licèt non sit notorium apud oēs, est tñ notorium apud illos, qui viderunt, mihi omnino absurdum videtur. Qm̄ extrauagans requirit vt factum sit notorium, notoriū autē est quod fit coram pluribus, vt corā aliqua parte Oppidi, vel Viciniæ, quod nullo modo pōt esse secretū.

133 Adde quod delictum potest esse publicum, & tñ qui vident, non teneantur; vt puta si percussio fiat coram duobus, vel trib. testib. tñ; tūc est publica, quia corā plurib. tñ nō est notoria. Vnde percussor potest se defendere, & negare, & donec non sit iudicialiter conuictus, non est habēdus pro reo, & consequenter non est habendus pro excōmunicato. Dicendū est ergo, quod videntes tenentur vitare tñ, quādo percussio non est secreta, nec publica, sed est notoria; .i. facta corā magna parte Oppidi, vel vna parte Ciuitatis, vel Viciniæ; illud enim dicitur propriè notoriū, vt prædicto loco diximus, & extrauagans ipsa significat p illa verba, *nec vlla tergiuersatione celari potest.*

134 Isti ergo sunt excommunicati, qui nunc sunt vitandi, & priuantur communione fidelium, & circa quos excommunicatio habet effectus suos. Videamus modò qui sint effectus excommunicationis circa istos, & quomodo ad illos se habeant.

De primo effectu excōm. qui est priuatio suffragiorū Ecclesiæ.

135 Primus ergo effectus excōmunicationis est priuatio omniū horū suffragiorum cōium, & proinde qui publicè hæc suffragia offerret pro excōicato peccaret mortaliter est cōis sententia Theologorū in 4. dist. 18. Summistarum verb. excōicatio, Couar. cap. *alma*, p. 1. n. 5. qui alios refert & elicitur ex cap. *à nobis*, 2. & cap. *sacris* de sent. excom. & 11. q. 3. per multa cap. presertim *oīs Christianus*, & c. *nihil*, cap. *quicūque*. & alijs. Ratio aūt patet ex dictis sup. Quia cū Ecclesia, seu Pastor Ecclesiæ habeat authoritatē à Christo priuandi inobedientē, & contumacē sibi hac communione fideliū, iuxta illud Matth. 18. *sit tibi tanquā ethnicus & publicanus*: ethnicus. n. & publicanus non gaudet his suffragijs, & actu aliquē sic priuet, patet actu esse priuatū. Et cum hoc sit præceptum graue Ecclesiæ, quæ habet hāc potestatem præcipiendi, sequitur quod qui illud transgreditur, vt sit orando, & applicando hæc suffragia publicè excommunicato, peccet mortaliter.

Primum dubiū cur Ecclesia in Parasceue oret p hæreticis.

136 Sed occurrit dubiū Primò, cur Ecclesia in 6. Feria Parasceue oret pro hæreticis, & schismaticis, qui excōicati sunt, cū ipsa prohibeat orare publicè pro excōicatis? Resp. Ecclesiā voluisse ab illa prohibitione gñali excipere diē illū, quia eo die repręsentatur speciali modo passio, & mors Xp̄i, quæ pro oībus fuit sufficiētissima, ideo Ecclesia voluit orare, vt pro oībus hominibus etiā infidelib. efficax fiat, & hoc ex pietate sua; vt etiā ostendat desideriū salutis animarū illorū, qui etiā extra ipsam sūt. Quod potest facere: quia hoc præceptū, vt excōicatus priuetur tali suffragio est præceptū positiuū Ecclesię, licèt innitatur authoritati Christi, ideo potest Ecclesia in illo dispēsare; presertim cū orare p excōicato non sit de se malū. Hoc aūt intelligitur de orationib. directè factis pro hęreticis, & excōicatis, & alijs infidelib. non aūt de indirectè factis, cuiusmodi sunt orationes quæ fiunt ab Ecclesia pro dilatatione sui ipsius, quę amplia licèt possit indirectè prodesse illis quatenus per amplationē Ecclesiæ illi conuertuntur, tñ directè non tēdunt in illos, vt faciant orationes feriæ sextæ Parasceue, ideo si quis extra diem Parasceue eas orationes feriæ sextæ Parasceue diceret, peccaret mortaliter.

Pro infidelibus indirectè oratio publica fieri potest non directè.

137 Vbi tñ obseruādū est, certū quidē esse nec publicis, nec priuatis orationib. licere orare pro infidelib., & multo minus offerre sacrificiū Missæ pro illis ad satisfaciendū p eorū pęnis, quia cum sint in peccato mortali, hoc nō licet, neq. vt alia bona quę terrena, & tēporalia dñr obtineant, immo in Ecclesia habemus orationes contra Paganos, vt *Deus dextera suæ potentia illos conterat*. Vnde cū Ecclesia orat pro illis in die Parasceue non orat pro dimissione pęnarū, sed pro conuersione eorum ad fidē Christi, vt nunc infra patebit, & superiori puncto dictum est.

An liceat orare pro infidelibus vt cōuertantur.

138 Dubiū verò est, an liceat orare pro illis, & sacrificiū Missæ offerre, vt ad fidē conuertantur. Et sunt rationes pro vtraq. parte, vt est videre apud Ledesm. in 4. p. 2. q. 23. ar. 1. Nauar. in tract. de orat. cap. 19. n. 67. & 73. Azor. p. p. lib. 10. cap. 22. q. 1. & Alios. Sed mihi videtur respondēdū cū distinctione. Nā vel est sermo de alijs orationib. oībus tā priuatis, quā publicis, excepto sacrificio Missæ, vel de sacrificio Missæ. Loquēdo de priorib. mihi certissimū est, Ecclesiā orare posse directè pro conuersione infideliū. hoc. n. apertè docet Paulus 1. ad Tim. 2. *obsecro itaq. primū omniū fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarū actiones pro oībus hominib. pro Regibus, &c.* constat aūt, quod Reges tēpe Pauli erāt Pagani, & adducit rationē dicens. *hoc. n. bonū, & acceptū corā Saluatore nostro Deo qui oēs homines vult saluos fieri.* De sacrificio Missę verò licet non sit manifestè interdictū, ne pro illis offeratur, tñ vsus Ecclesiæ non habet vt pro eorū cōuersione offeratur. Vnde Conc. Trid. sess. 22. c. 2. & 6. dicit hoc sacrificiū Missæ pro fideliū viuorū peccatis, pęnis, & satisfactionib. & alijs necessitatib. & ēt Defunctorū offerri. Neq. rationabiliter pōt offerri pro illis, quia sacrificiū Missæ repręsentat sacrificiū Crucis Xp̄i cruentū, illud aūt oblatū est à Xp̄o presertim in satisfactionē, & deletionē culparū originalis, & actualis, & liberationis ab eorū pęnis, & licet sufficienter pro oībus hominib.

tñ solũ efficaciter est oblatũ pro acceptãtib. fidẽ suã, & cõuersis ad eũ. Vnde cũ infideles permaneãt in suis peccatis, repugnat vt ꝓ illis tale sacrificiũ offeratur. Vnde substãtia sacrificij Missæ non pôt offerri pro infidelib., licèt in Missa Cathecumenorũ, quæ ꝑcedebat fideliũ Missã, & sacrificiũ aliqñ Ecclesia pro infidelib. aliquas preces fuderit. Et hæc videtur esse sñia D. Aug. in epist. 59. in solutione 5. q. in illis verbis, *vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorũ, antequã illud, quod est in Domini mẽsa incipiat benedici, &c.* Et D. Io. Chrys. hom. de Adã, & Eua cũ ait, *fideles Sacerdotes ꝑ mãdata Domini data postulant, vt infidelibus donetur fides, vt idolatræ ab idolatria discedãt, &c.* hoc .n. non fit in sacrificio Missæ quo ad substantiam, sed in precibus antecedentibus, & subsequentibus ad substantiam sacrificij Missæ.

139 Quia tñ Xpus Dñs meruit per suã passionẽ oĩbus hominibus non solũ prædicta bona, sed etiã gratiã illis, qui cõuertuntur, possumus dicere, licere offerre sacrificiũ proprium Missæ pro infidelibus, vt hunc effectũ conuersionis illis tribuat, quod est dictu, offerre illud sacrificium directè pro ampliatione Ecclesiæ, indirectè verò pro infidelibus, & extra Ecclesiam existentibus.

An excõicati pœnitẽtes, sed non absoluti sint priuati his suffragijs Secundò. Dubiũ est, an excõicati, sed pœnitentes anteq̃ sint absoluti ab excõicatione, sint priuati his suffragijs cõibus in persona Ecclesiæ factis, an etiã pro illis sine peccato possint hæc suffragia offerri, (Suar. disp. 9. sect. 2. tractat q. & q̃ excõicatus sit vitãdus, sed quia excõicatus est vitãdus, nõ solũ quo ad suffragia, sed quo ad sacramẽta, & cõionẽ ciuilẽ, melius hoc dubiũ tractabitur post tractationẽ de oib. effectib.) In hoc dubio sunt duę sñię oppositę, altera est affirmatiua, quã tenet Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. in respõsione ad primũ argm̃ pñpale, & in solutione vltimi dubij ibidẽ contra Caiet. quã sñiam sequitur Suar. disp. 9. sect. 3. & adducit Adrianum in materia de clauibus q. 3. ad vltimũ. & Alanum lib. 2. de sacrificio Missæ cap. 31. Pro hac sententia istæ rationes afferuntur.

Prima ratio. 140 Primò, quia hæc censura non tollitur per solã interiorẽ pœnitentiã, alioquin sic pœnitens nõ egeret solutione ab excomm. q̃ tñ est falsũ, vt patet, & vsu recipi videmus.

Secunda rõ. Secundò quia cap. *à nobis*, 2. de sent. excom. Innocẽtius III. definit excõicatũ mortuũ sine absolutione ab excõicatione, etiã si in eo præcesserint signa manifesta pœnitentiæ, & per eũ non steterit quo minus recõciliaretur Ecclesię, apud Ecclesiã absolutũ nõ esse, sed indigere absolutione etiã post mortẽ, & cap. *sacris*, eod. tit. asserit pro hm̃i excommunicato ante absolutionem impensam, oblationes, & orationes non esse porrigendas Deo. Si autẽ hoc est verũ de homine mortuo, multo magis valet de hoĩe viuo excõicato.

Tertia ratio. Tertiò hoc ẽt cõgruit ad reuerẽtiã, & timorẽ huius cẽsurę vt illã hoĩes magis timeãt, & ĩ maiore veneratione habeãt.

Quarta rõ. Quartò imponitur vt pœna iuridicè, ideo licèt culpa cesset, tñ pœna non aufertur, donec per sententiam tollatur.

Opposita sententia. 141 Ex altera parte Richar. in 4. dist. 18. q. 2. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 76. Nauar. in Manu. cap. 27. n. 18. & in tractat. de orat. & hor. canon. c. 19. n. 68. Couar. in cap. *alma*, 1. p. §. 6. n. 4. concl. 9. Azor. p. p. lib. 10. cap. 22. q. 4. & Alij ab his citati asserunt, excõicatũ pœnitentẽ non esse priuatũ his suffragijs, & cõsequenter inferunt posse ea pro illis, licèt nõ publicè applicari. Fũdamenta huius opinionis sunt primò quia non est verisimile Ecclesiã velle priuare suis suffragijs mẽbrũ viuum fide, & charitate sibi coniunctum. Secundò quia excõicatio iustè lata in foro exteriori, sed iniustè in interiori foro ob causam præsumptã, & non veram, non valet; ergo in proposito cum causa præsumatur in foro exteriori, sed reuera non adsit, sequitur quod non habeat effectum suum quo ad forum interius.

Secunda opinio approbatur. 142 Hæc secunda opinio mihi probatur, quia vt dictũ est supra excõicatio est pœna ordinata contra cõtumacẽ, & inobedientẽ ipsi Ecclesiæ: Cũ ergo tollitur inobedientia, & contumacia, tollitur quoq. excõicatio in foro interiori, & apud Deũ, quia excõicatio est effectus proueniens à peccato mortali contumaciæ tanquã à causa, cessante aũt causa, cessat & effectus eius. Cũ ergo apud Deum per contritionem sit absolutus, etiam apud Deum restituitur ad pristinum statum, & sic gaudet suffragijs, & alijs bonis, quibus per excommunicationem priuabatur.

143 Ad rationes pro prima opinione. Resp. ad primã. Excõicationẽ per cõtritionẽ tolli in foro interiori vt dictũ est, non tñ excõicatum liberari ab absolutione in exteriori foro, quia excommunicatus sic pœnitens in voto includit satisfactionem Ecclesię in foro exteriori, sicut contritio de peccatis in voto includit confessionẽ, vnde tenetur ad cõfessionem, quamuis peccatum quo ad culpam sit dimissũ, sic excommunicatus pœnitens tenetur ad petẽdam absolutionẽ, & ad illã obtinendã si fieri potest in foro Ecclesię.

144 Ad secundũ respondet Azorius vbi supra in eo cap. *à nobis*, 2. solum significari talem excommunicatum Ecclesię absolutione indigere, nihil verò ibi dici, si sit capax necne bonorum, ac fructuum Ecclesiæ. Verùm hæc responsio non omninò satisfacit, quia eo cap. Papa ordinat, vt prius absoluatur, deinde preces pro illo fundãtur, quod clarius patet in cap. *sacris*, eod. titul. superius adducto. *Responsio Azorij.*

145 Ideo dicendũ, q̃ aliud est quęrere, an suffragia cõmunia Ecclesiæ, quæ in cõi fiunt pro oĩbus fidelibus hm̃i excõicato prosint, & in cõmuni pro illis quoq. offerri possint: Et aliud an pro particulari aliquo excõicato, de quo constat Ecclesiæ habuisse signa contritionis, & tñ nõ fuisse absolutũ ab Ecclesia, possint fieri orationes, & suffragia pro illo in particulari ante absolutionẽ ab Ecclesia factã. Papa in illis duob. cap. loquitur de secũdo casu. Rationabiliter .n. debet hm̃i excõicatus prius absolui, quã orationes pro eo fiãt, quia natura rei hoc expostulat. At non sequitur ob hoc, quod in primo casu, quẽ nos tractamus, suffragia cõia Ecclesiæ non prosint hm̃i excõicatis cõtritus, qui ab Ecclesia nõ possint absolui in particulari. Ex illis ergo cap. habetur solũ, quod qñ quis ostendit signa contritionis, nec absoluitur, (dũmodo per eũ non stet) in foro Ecclesię, licèt credendũ sit esse absolutum in foro Dei, non posse pro illo offerri preces, nisi prius absoluatur in foro Ecclesiæ, & nihil amplius, ideo ex his capitib. nihil habetur contra nos, immo cap. illud *à nobis*, 2. nobis fauet, dũ fatetur Papa aliquẽ posse esse absolutũ in foro interiori, & apud Deũ, & tñ esse ligatũ apud Ecclesiã, quæ sequitur iudiciũ fallibile, ex hoc .n. videtur velle quod licèt orationib. cõibus fideliũ minimè priuetur, tñ quia Ecclesia hoc ignorat, nõ debet prius orare pro illo, quàm illum absoluat, sed prius absoluere: quia rectus ordo iudicij ecclesiastici hoc expostulat. *Vera solutio.*

146 Ad tertium Negatur cõgruũ esse, vt ablata culpa, & causa excõicationis ad hũc ipsa liget; immo hoc est valde incongruũ, & irrationabile, neq; hoc est faciendũ, vt ipsa magis timeatur, quia timor debet esse rationabilis. *Ad tertium.*

147 Ad quartũ Resp. quod sicut iuridicè punitur quia adest culpa, ita iuridicè, ablata culpa, quæ est causa ipsius, pœna aufertur; hæc .n. pœna non est correctiua culpæ, neq; ipsius regulatiua, sed est valde nociua, talis aũt pœna quæ non est regulatiua culpæ, sed damnificatiua est iniusta, dũ autem existit culpa, hæc pœna est regulatiua, quia priuatio bonorum Ecclesiæ est inductiua ad pœnitẽtiam, & ad tollendum contumaciã, illa aũt ablata non est amplius vtilis. *Ad quartũ.*

148 Ex eodẽ fundamento videtur esse respõdendũ ad dubiũ de oblatione missæ pro hm̃i excõicato contrito. Videtur .n. dicendũ primò q̃ sacerdos offerens Missã ꝓ tali excõicato nõ peccet mortaliter, nec venialiter, quia nõ est prohibitũ hoc modo offerre Missã pro excõicato tali, quia si hæc prohibitio adesset, maximè haberetur ex prædictis cap. *à nobis*, 2. *&* *sacris*. At in eis nõ habetur talis ꝓhibitio, sed solũ habetur ibi, quod in casu particulari, quo aliquis excõicatus pœnitẽs differetur ad Pastorẽ Ecclesiæ, nõ debet pro eo orões, & sacrificiũ facere priusquã absoluerit, sed debere eũ prius absoluere. At in gñali non habetur q̃ non possit offerri sacrificium pro excommunicato sic pœnitente, quando absolutio ab Ecclesia ei conferri non potest, vt diximus. Et hoc videntur velle dicere illi authores, qui asserunt non posse publicè nominatum, sed solum secretè *Quid de sacrificio missę*

pro

pro tali excõicato missam offerri; si enim ꝓ tali delato ad Ecclesiã, orationes, & missa celebraretur, celebraretur publicè nominatim pro excõmunicato, quod prohibetur ab Ecclesia, nominatim autem, sed secretò non prohibetur.

149 Secundò videtur dicendũ, quod huiusmodi sacrificiũ valeat, & prosit ipsi excõicato pœnitenti, siue sacerdos offerat in persona Xpi, quod concedit Suarez, siue in persona Ecclesiæ, seu vt particularis persona, quod negat Suarez. Ratio est, quia Ecclesia non intendit hunc pœnitentẽ excludere ab his suffragijs, sed solũ cõtumacẽ, neq; ipse vt particularis psona peccat, sed opus bonũ, & rectè facit, ideò vt est ab illo, vt etiã est particularis psona valet, & ei ꝓdest.

An rationes priuatæ prosint excõicato. 150 Sed redeundo ad excommunicatũ non pœnitentẽ, sed manentẽ in cõtumacia certũ est, vt supra diximus, suffragia, & orõnes publicas Ecclesiæ illi non prodesse, nec licere illi ea applicare. De suffragijs verò, & orationibus, ac alijs operibus pœnalibus pijs priuatis est cõmunior sententia quod illis non sit priuatus, & ꝙ proinde sacerdos in missa secretò, præsertim in memento, in quo sibi vt priuata psona pro amicis orare põt, & offerre sacrificiũ missæ, possit ꝓ hmõi offerre sacrificiũ missæ. Quæ desumuntur ex D. Tho. in 4. dist. 18. & in ead. citatur Richard. ead. dist. 18. art. 7. q. 2. & eã tenent Soto in 4. dist. 22. qu. 1. art. 7. Syluest. verb. excom. Nauar. in summ. cap. 27. n. 36. & de oratione cap. 19. n. 67. Couar. in c. *alma*, p. 1. §. 6. & deniq; Suar. disp. 9. sect.

Prima ratio. 5. qui alios citat. Hęc sententia probatur primò, quia Ecclesia non põt prohibere hmõi orationes, quę pertinent ad illã Sanctorũ cõmunionẽ, quæ in sola charitate fundatur.

Secunda. Secundò, quia hæc applicatio orationũ particularium põt fieri per actũ merum internũ, super quẽ Ecclesia non habet authoritatẽ.

Tertia. Tertiò, quia Ecclesia de facto id non prohibuit,

Quarta. vt praxis, & consuetudo Ecclesiæ ostendit. Quartò, qa hoc est consentaneũ ecclesiasticæ pietati, essetq. multũ derogãs

Quinta. fraternæ charitati. Quintò, quia licet orare pro ethnicis, & publicanis, & quibuscũq; infidelib., ergo & pro excõicato.

Opposita sententia. 151 Aliqui tñ Doctores Catholici tenent excõicatum priuari nedũ cõmunibus, & publicis suffragijs, & orationibus Ecclesiæ, sed etiã priuatis, & particularibus, atq. huius opinionis fuit Latomus art. 7. contra Lutherũ, vt refert Suarez vbi sup. Ego quidẽ opinioni cõmuniori me opponere nolo, tñ probabiliter mihi videtur posse dici, excommunicatũ esse etiã priuatũ fructu suffragiorũ, & orationũ, parti-

Prima ratio. cularium. Ratio est, quia in sacris Canonibus habemus, excõicatũ esse eiectũ extra Ecclesiã, esse priuatũ cõmunione fideliũ. At in cõmunione fideliũ, quæ explicatur in symbolo, includũtur nedũ bona, orationes, & suffragia cõmunia Ecclesiæ, quæ fiũt ministris publicis Ecclesiæ fiunt in sacrificijs, & sacris orationib. sed oẽs orationes, & opera pia, quę fiunt ab vnoquoq. fideli priuatim, vt sunt ieiunia, macerationes, peregrinationes, & similia, neque enim negãdũ est, fideles oẽs his iuuari, siquidẽ habemus in Sacra Scriptura,

Genes. 18. quod propter decẽ iustos Deus parcit integris Ciuitatibus. Cũ ergo hęc bona pertineant ad cõmunionẽ fideliũ, mihi videtur excõmunicatum priuari fructu istorum quoque.

Secunda rõ. 152 Accedit quod Xpus instituens, & significans essentiã excõicationis, dedit exẽplũ, *sit tibi tanquã ethnicus, & publicanus*, at certum est, quod ethnici, & infideles non gaudent fructu orationum, & precum particularium fidelium; ergo neque excommunicatus.

Tertia. 153 Tertiò, Vel orationes priuatæ iuuãt fideles ad satisfactionẽ pro eorũ pęnis, vel ad impetrandũ eis aliꝗ bonũ spirituale, vel tẽporale in ordine ad spirituale. At excõicatus contumax nõ est capax alicuius istorũ bonorũ: quia ꝓ ipso nõ põt satisfieri, cũ sit in peccato, & inobediens. Neq. est capax bonorũ spiritualiũ, vel tẽporaliũ in ordine ad spiritualia: Quia Ecclesia intẽdit directè priuare illũ hmõi bonis, cũ illũ tradat sathanæ in pęnã suæ contumaciæ. Quod si quis dicat, prosunt ad resipiscentiã. Respõdeo, ꝙ hoc mo-

Obiectio tacita soluitur. do etiã prosunt fidelibus peccatoribus non excõicatis, sed vnitis Ecclesię. At Ecclesia intendit priuare eũ oĩbus bonis, quibus fideles existentes in cõmunione sua fruuntur; ergo cum illum excludat à sua communione, intendit etiam illum priuare huiusmodi bonis, & fructibus.

154 Quartò, Authores cõtrariæ sententiæ nõ adducũt aliquẽ canonẽ, vel aliquã authoritatẽ Sanctorũ, qui hanc distinctionẽ faciãt de orõne publica, & non priuata, vt videre est; Vnde cũ cõiter dicatur, excõicatũ priuari cõmunione fideliũ, eijci extra Ecclesiã, tradi sathanæ, cõuenientius exponitur de exclusione à quocũq. bono Ecclesiæ tàm publico, quã priuato, quã à solo publico. hoc tñ probabiliter sit dictũ, quia est contra opinionẽ cõmunẽ. Vnde Suar. ipse vbi sup. cõtra Lathomũ disputãs rationes quidẽ reijcit, de opinione aũt sua inquit *Quidquid sit de assertione, rõnes eius nõ sunt magni momenti*, indicans ergo illã probabilẽ. *Quarta rõ.*

155 Ad rationes pro prima opinione, ad primũ Resp. Ecclesiã per excõicationẽ non priuare excõicatũ cõmunione, quæ est per charitatẽ, sed supponere esse priuatũ ꝑ peccatũ mortale, & contumaciã, sed priuare communicatione bonorum, & fructuum, quam habent communicantes simul in Ecclesia, etiam existentes in peccato mortali. *Ad primã rationem ꝓ prima opinione.*

Ad secundã ad sũmũ probaret de actibus omninò mẽtalibus non tñ de externis, vt sunt orõnes vocales, ieiunia, & alia opera pia. Sed clarũ est Ecclesiã posse prohibere actiones internas annexas externis: ideo dum prohibet externos, prohibet quoque internos eis annexos. *Ad secundã.*

Ad tertiã Resp. haberi potius prohibuisse, quia gñaliter à cõmunione fideliũ arcet: nec facit exceptionẽ, sed sũt Doctores, qui illã faciunt sine aliquo textu, vel authoritate Sãctorũ. Ideo non põt dici, quod Ecclesia de facto hoc cõcedat, & quod hęc sit praxis Ecclesiæ, quia non constat. *Ad tertiam*

Ad quartã res opposito modo se habet, hæc .n. censura reputatur timenda, & grauissima, & est ordinata ad terrorẽ, vt inducat ad pœnitentiã: ergo congruũ erat, vt sit omni rigore plena, quod significatur dum dicitur per illã, hominem tradi sathanæ, quæ est pœna grauior, quę dari possit. *Ad quartã.*

156 Ad quintã Resp. aliud esse quærere, an suffragia, & orõnes priuatæ cõiter factæ à fidelibus, quæ pertinent ad cõmunionẽ fideliũ, valeant pro excõicato, & aliud, an aliquis possit, & ei liceat orare in speciali pro excõicato, & infideli vt conuertatur. Nã primũ est quod in quæstione versatur, & negamus excõicatũ illorũ suffragiorũ participem fieri, quia vt dictũ est illis neq; quo ad satisfactionẽ, neque quo ad impetrationẽ bonorũ spiritualiũ, vel tẽporaliũ in ordine ad spiritualia prodesse possũt, cũ sint in cõtumacia mortali Ecclesię. Secundũ aũt est quid diuersũ ab eo, quod quæritur, quia orare pro conuersione infidelis licet, vt sup. dicebamus cum D. Paul. 1. ad Tim. 2. hoc .n. est directè orare pro amplificatione Ecclesiæ, & indirectè orare pro infidelibus, & hoc modo concedimus licere orare pro excõicato. Confirmatur, quia vt infra videbimus, licet cõmunicare cũ excõicato ad eius vtilitatem hortando ad cõuersionẽ. Vnde licet saluamus illũ, dicendo Deus te illuminet, & conuertat, ideo hoc eodem modo licet orare pro illo .s. vt conuertatur, non tñ ex hoc sequitur, ꝙ directè orõnes, & opera pia fideliũ etiã priuata, quæ cõmunicantur, & iuuãt oĩbus fidelibus ad satisfactionẽ, & ad impetrationẽ aliorũ bonorũ prosint, & valeant ipsis excõicatis, qa non iuuãt ad satisfactiones, neq. ad impetranda bona spũalia, sed solũ ad summum iuuant indirectè, quatenus iuuant ad impetrandam misericordiam Dei, vt suam Ecclesiam amplificet, & dilatet, & ab omni nequitia mundet, & seruet. *Ad quintã.*

157 Videtur ergo dicẽdũ, Ecclesiã per excõicationẽ ꝓhibere cuicũq. fideli, ne cõmunicet sua suffragia, & orõnes ac pia opera nedũ publica, sed neq; priuata excõicato, quia vt diximus cũ Scoto, & alijs, excõicatio est exclusio à cõmunione fideliũ, excludendo per prohibitionẽ ne cõmunicet cũ alijs, nec alij cũ eo. Nõ ergo põt tuta conscientia cõmunicare excõicato bona sua priuata spũalia: potest tñ indirectè eum iuuare orando pro eius conuersione: quia hoc nõ est cõmunicare fructũ suæ orõnis, quia infidelis & excõicatus nihil acquirit sibi ex illa oratione, quo sibi aliqd dimittatur, vel aliꝗ bonũ acquiratur, sed solũ indirectè sibi iuuat, quatenus Deus moueri potest ad eum conuertendum, vt fiat fidelis, & Ecclesia augeatur, vt dictum est.

De secundo effectu spirituali excommunicationis, qui est priuatio communionis, seu participationis sacramentorum. *Caput Quintum.*

158 SEcundus effectus spiritualis excõicationis est priuatio sacramentorũ Ecclesiæ. Hunc esse effectũ excõicationis est clarum secũdũ omnes Doctores in 4. dist. 18. & Summistas tractantes hanc materiã, & habetur expressè c. *si quẽ*, de sent. excom. Et patet ex diffinitione excõmunicationis, si.n. illa est separatio ab Ecclesia, cũ sacramenta solũ in illa ministrentur, sequitur eos esse priuatos eorũ susceptione, & administratione. Vnde hunc effectum multi Doctores colligunt ex cap. Engeltrudã 3. q. 4. io quo Canone Papa dicit Engeltrudã non solũ excõicatione, quę à fraterna charitate separat, sed etiã anathemate, quod ab ipso Christi corpore (quod est Ecclesia) recidit crebro percussã esse. Cũ.n. dicat esse separatã ab Ecclesia, intelligit esse separatã à participatione sacramentorũ. Duplex autẽ est vsus sacramentorũ, .s. passiuus, & actiuus, ex quo sequitur, excõmunicatũ excõmunicatione maiori esse priuatũ vtroque vsu, .s. passiuo, & actiuo ita quod non põt recipere sacramenta, neque potest illa ministrare alijs, si sit sacerdos. Loquemur primò de priuatione passiua, quæ est communior, deinde de actiua.

Excommunicatus priuatur participatione passiua sacramentorum, & quomodo.

159 Priuatur ergo excõicatus participatione passiua sacramentorũ; atq; hæc priuatio efficit, vt si illa suscipiat, peccet mortaliter illa suscipiendo, quæ est cõis sentẽtia Theologorũ in 4. dist. 18. 19. & 22. Sũmistarũ verb. excõicatio, & Nauar. c. 27. n. 18. & Aliorũ hanc materiã iactãtiũ, & habetur expressè c. *cũ illorũ*, & c. *si quẽ*, de sent. excom. & c. *illud*, & c. *si celebret*, de clesic. excom. minis. Ratio autẽ est, quia transgreditur præceptũ Ecclesiæ, quę præcipit p hanc censurã hmĩ excõicatum abstinere à sacramẽtorũ perceptione. Quod aũt hoc pręceptũ sit rationabile, ostẽdimus supra explicando qua potestate inducta sit excõicatio in Ecclesia. Intelligitur autẽ hæc priuatio de quodlibet ex 7. sacramẽtis Ecclesiæ; licèt quoad passiuũ vsũ non habet locũ in Baptismo, quia vt sup. diximus nõ baptizatus est iam extra Ecclesiã, nec est capax huius pęnę, sed in reliquis sese habet locũ; Adeo quod qui sumit Confirmationẽ, vel Eucharistiã, vel Pęnitẽtiã, vel Matrimoniũ, vel Extremã Vnctionẽ, vel Ordinẽ sacrũ in excõicatione peccat mortaliter, & hæc regula intelligit de quocũq; excõicato, siue publico, & denũciato, seu occulto: q a est essẽtialis effectus excõcatiõis.

Quando excõmunicatus excusatur à peccato in p. ceptione sacramentorũ.

160 Potest tñ quis excusari à peccato in duob. casibus vt sup. diximus, .s. ob ignorantiã inuincibilẽ iuris, vel facti, de qua sup. hac disp. actũ est. Vel ob necessitatẽ vrgentẽ, quæ põt prouenire ob metũ extrinsecus illatũ cadentẽ in cõstãtẽ virũ, de quo c. 3. huius disp. dictũ est, vel ob vitandã infamiã, vel aliquod simile, & deniq. ois causa, q̃ excusat à peccato mortali in susceptione sacramenti, & ob q̃ licet dimidiare confessionẽ, de quib. egimus de Pęnitentia disp. 24. c. 4. in illis.n. casib. hoc pcep. ũ Ecclesię non intelligitur obligare, quia obstat aliud pceptũ maius, quod magis obligat vt ibi diximus n. 83. & seqq. Excõicatus autẽ per susceptionẽ passiuã sacramẽtorũ præter peccatũ mortale, nullã aliã pęnã incurrit, nisi suscipiendo ordinẽ sacrũ, quia tunc manet suspensus ab executione ordinis, & si in eo ministret fit irregularis. Ratio est, quia in iure hæc pœna solum in susceptione Ordinis sacri est imposita.

Excommunicatus per susceptione sacramẽtorum non incurrit aliquã pœnã nisi suscipiendo ordinem sacrum.

Ministri præbentes sacramenta excõicatis peccant mortaliter, & quomodo

161 Ex eodẽ fundamento sequit' ministros Ecclesiæ, qui conferunt sacramẽta excõicatis quoq; peccare mortaliter: quia faciunt contra hanc censurã, & hoc pręceptũ Ecclesię. Et habetur multis cap. vt c. *Episcoporũ*, de Priuil. in 6. & cap. *significauit*, de sẽt. excom. Hoc tñ verũ est de excõicatis denunciatis, vel de manifesto percussore clerici pp Extrauagantẽ Conc. Constan. *ad euitãdã*. & nisi ob ignorantiã, vel ob necessitatẽ excusentur. Quod intelligit' vt sup. dictũ est de excõicato suscipiente. Vnde etiã in oibus casib. in quib. excusatur excõicatus à peccato mortali a susceptione sacramenti, excusatur etiã cõferens sacramenta; Quia hęc prohibitio magis directè cadit in excõicatũ, q̃ in ministrãtẽ. Vnde si excõicatus excusatur multo magis ministrãs excusabit'.

An ministrant sacramenta excõicato incurrat aliquam censuram.

162 An verò ministrans sacramẽta hmĩ excõicatis, denunciatis, & vitandis, incurrat aliquã aliã censurã, est dubiũ. Cõmunior opinio est quod incurrant solũ excõicationẽ minorẽ, quia .s. ministrando sacramẽta illis, cõmunicat cũ illis: qui autẽ cõmunicat cũ excõicato excõicatione maiori, incurrit excõicationẽ minorẽ. Adeo quod sic ministrãtes sacramẽta excõicatis declaratis, & vitandis peccãt mortaliter, & incurrũt excõicationẽ minorẽ, & rursus interdictũ est eis ingressus Ecclesiæ, vt habetur expressè c. *Episcoporũ*, de Priuileg. in 6. Circa excõicatũ occultũ, seu nõ denunciatũ verò sacerdos quoq. peccare poterit, si ille excõicatus petat secretò, & minister scit esse excõicatũ. Ratio est quia ministri ex iure diuino tenẽt' nõ dare sacramenta indignis; ideo cũ sit ĩ peccato mortali, quia est excõicatus, est ĩdignus & ideo ex hoc cap. peccaret mortaliter, si tñ peteret publicè, cũ publicè non sit denunciatus, nõ põt illi illa negare, & consequenter non peccaret ministrãdo. Similiter si secretò peteret, dicendo se esse absolutũ ab excõicatione, poterit facilè illi credere, quia iam excommunicatio non erat publica, sed occulta, ideo potuit quoque secretò fuisse absolutũ.

An sacramenta collata excommunicato sit valida.

163 Est verò difficultas, an sacramẽta collata excõicato sint valida, & rata. Hęc quæstio non habet locũ in Baptismo, quia ante Baptismũ nullus põt esse excõicatus vt dictũ est. De reliquis verò duob. sacramentis, quæ imprimũt characterẽ, .s. Confirmatione, & Ordine sacro, patet esse valida, si essentialia adsint, .s. materia, forma, & intentio ministri, & suscipientis: Quia de iure diuino cũ hæc adsunt, fit sacramentũ, siue suscipiẽs peccet, siue non illa recipiẽdo, quia non pendet à dispositione suscipientis: Neq. Ecclesia potest hoc impedire. Vnde hęc sacramẽta irreiterabilia sunt, & sacramentũ ordinis habet suũ vsũ: quia si ordinatus attentet quãuis sit excõicatus, facit, licet malè faciat, vt est doctrina cõis. De Matrimonio quoq. patet. Vnde tale matrimoniũ inter excõicatos non dissoluitur, sed ratũ habetur. Idẽ patet de sacramento Eucharistię. Difficultas est de sacramẽto Pęnitẽtiæ non quidẽ an sit validũ, & ratũ cũ sumitur ab excõicato, quia clarũ est, quod cũ excõicatus sciẽtes, & culpabiliter recipit Pęnitentiæ sacramentũ, peccare mortaliter, quia agit contra censurã, debet.n. prius quærere absolutionẽ ab excõicatione; deinde recipe absolutionẽ à peccatis, vnde cũ actu peccet in confessione illa, patet illã nõ esse integrã, & consequẽter non esse validã. Sed difficultas est. An excõicatus ignorãter, & inculpabiliter recipiens absolutionẽ sacramentalẽ de peccatis suis, vt puta quia ignorat, vel oblitus est se esse excõicatũ, & consequẽter non absoluit' ab excõicatione priusq̃ à peccatis, illa cõfessio sit valida, & absolutio sit rata. In hac re est magna contẽtio inter Doctores, quã longo sermone Suar. tractat disp. illa 10. sect. 3. Couar. in c. *alma*, p. 1. §. 6. ar. 7. Nauar. in c. 1. §. *cautus*, n. 23. & cap. vlt. n. 34. & 45. de Pęniten. dist. 5. & Alij. Sed verior opinio est, quod sit valida, neq. esse necessariũ hmĩ confessionẽ reiterare. Plures rationes afferũtur pro hac sentẽtia, sed hæc mihi sat est, quod Ecclesia non intendit punire innocentẽ, qui aũt inculpabiliter suscipit sacramentũ pęnitẽtię, est innocens, ergo Ecclesia non intendit priuare eũ beneficio susceptionis sacramenti, sed solũ qñ quis est contumax. Ad quod facit illud ex cap. 2. de constit. *res, quæ culpa caret, in damnũ vocari non debet*. Vnde in illo casu non est dicendum sacerdotem carere iurisdictione absoluẽdi illum excommunicatum, quia Ecclesia in tali casu non pręsumitur auferre iurisdictionis potestatem illi ministro, & proinde censenda est valida illa absolutio.

Difficultas de sacramento pœnitẽtiæ.

De priuatione administrationis actiuæ sacramentorum.

164 Priuatur etiam excommunicatus administratione actiua sacramentorum. Vnde regula generalis est, quod excommunicatus ministrans quoduis sacramẽtum, peccat mortaliter. Hoc habetur expressè cap. *si celebrat*, de clerico excom. minist. Et patet per candẽ rationem. Quia agit contra censuram, & præceptum Ecclesiæ, quæ ipsi hoc ministerium actiuum etiam prohibet. Et hoc est verũ tam de excõmunicato denunciato, & notorio percussore clerici, quàm de occulto excõmunicato. Sed prius dicamus de ex-

com-

communicato denunciato, seu vitando, deinde dicemus de occulto, & non vitando.

An in aliquo casu excōicatus excusetur à peccato ministrando sacramenta.

165 Certū est ergo excōmunicatū denūciatum, & publicū percussorē clerici peccare mortaliter administrando aliquod sacramentū; Tamen est difficultas specialis, an in aliquo casu excusetur à peccato, ita quod possit sine periculo ministrare. Ad quā breuiter Respondetur primò excusari per ignorātiā inuincibilē, naturalē obliuionem, vel inaduertentiā, vt supra diximus de receptione passiua. Secūdò excusatur graui aliqua necessitate. Grauis autē necessitas potest prouenire ex tribus capitibus. Primò ex parte ministri. Secūdò ex parte illius, cui ministratur, Ex parte ministri potest vel extrinsecus prouenire, vt si per vim, & metū inducatur ad præbendū aliquod sacramentū alicui, vel ad celebrandū missam, & quoad hoc dicendū est sicut dictū est supra, quod quando est timor cadens in cōstantem virū, excusat, & multo magis vis. Vel potest prouenire intrinsecus, scilicet ne se infamet, aut occultū suum delictum publicet, & aliud quid simile, propter quod licitè posset dimidiare confessionem, vt supra de passiua receptione diximus; quia eadem est ratio de actiua, & passiua receptione sacramentorum.

Excusatur propter necessitatem.

Necessitas ex parte suscipiētis quę excuset.

166 Ex parte suscipientis potest esse necessitas quoque, quæ excuset à peccato excommunicatū ministrātē actiuè; vt quando aliquis positus in extrema necessitate nō potest habere aliū ministrū, à quo recipiat sacramētū necessariū ad salutē: vt paruulus positus in articulo mortis, nec habēs aliū ministrū, à quo possit baptizari, nisi excōmunicatū, dicitur positus in extrema necessitate habēdi Baptismū, ideo in tali casu minister excōmunicatus baptizans non peccat mortaliter, nec venialiter, quia extrema necessitas suscipiētis ipsū excusat, vt in materia de Baptismo dictū est in hoc 4. d. 5. q. 2. cū Scoto, & Alijs, & nos diximus ibid. disp. 18.

An excōicatus ī casu necessitatis possit licitè ministrare sacramentū pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

167 Verū difficultas est, an detur alius casus pręter hūc de Baptismo, in quo excōmunicatus possit ministrare aliquod aliud sacramētū sine peccato, & pręsertim est difficultas de duobus sacramētis, .s. Pęnitētia, & Eucharistia, de alijs verò nequaquā, quia non sunt sacramēta necessitatis. Primò ergo est difficultas, an .s. excōicatus possit in casu extremæ necessitatis, vt puta an in articulo mortis alicuius, q nō habet aliquē aliū sacerdotē, à quo possit recipere sacramentū Pęnitentiæ, vel viaticū, sine peccato illū absoluere, & missā celebrare ad ipsum cōmunicandū. Aliqui .n. negant. fundamentū est, quia Pęnitentiæ sacramentū requirit iurisdictionis potestatē, quā non habet excōicatus. Secūdò, quia Pęnitentia nō videtur esse sacramētū necessitatis, quia per cōtritionē potest saluari. Hanc sententiā sequūtur D. Thomas 3. p. q. 64. art. 6. ad 3. & q. 82. art. 7. ad 2. vbi de hęreticis in speciali dicit in nullo casu licitè posse cōficere Eucharistiā, & alia sacramenta quē sequuti sunt multi alij, quos adducit Couar. cap. *alma*, p. 1. §. 6. & sequi videtur cōcl. 8. & Suarez disp. 11. sect. 1. Nauar. quoque citatur in hāc opinionē, sed quāuis dicat illā fuisse cōmunē ante Conc. Trid. tū post Conciliū Tridentinū dicit oppositū esse verū, vt est videre in Man. c. 26. n. 26. & cap. 27. nu. 272. excipit tamen hæreticum, quem nunquam posse licitè ministrare sacramentum ait cum Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 4.

Prima opinio.

Secunda opinio.

168 Aliqui alij ex opposito asserunt excōicatū etiā denunciatū, & vitandū, etiā in articulo necessitatis prædicto ministrare posse sine peccato sacramētū Pęnitētiæ, Et hęc est cōmunior opinio, quā tenet Nauar. vbi sup. Syluest. verbo confessio 1. §. vlt. Ang. confessio 3. n. 2. Soto. d. 18. qu. 4. art. 4. Suar. qui alios citat disput. illa 11. sect. 1. quę opinio est vera. Et ratio est, quia apertè post Conc. Tridē. sess. 14. cap. 7. *oēs sacerdotes*, in articulo mortis absoluere à quibuscūque casibus, & censuris etiā reseruatis, possunt. Cū .n. dicat *oēs sacerdotes*, nullū excludit quāuis sit excōicatus. & pp hoc patet primā rationē Aduersariorū esse falsā, quia in articulo mortis etiā excōicatus habet hāc iurisdictionem. Et confirmatur, quia sacramētū Pęnitentiæ est mediū necessariū ad salutē ex iure diuino, vnde includitur in cōtritione in voto, ideo non videtur posse impediri per prohibitionē ecclesiasticā, quia præceptū diuinū præualet præcepto Ecclesiæ. Et per hoc patet ad secūdā rationē illius opinionis. Idē dicendū de hæretico, qui conuersus est, sed non est absolutus ab excōicatione; hic .n. quoque sine peccato potest absoluere pęnitentē. Illi verò, qui dicunt hæreticū nō posse etiā in articulo mortis licitè ministrare hoc sacramentū, videntur loqui de hæretico persistente in peccato hæresis, hic non potest licitè ministrare hoc sacramentū, non rōne censuræ, quæ in hoc ex Conc. Tridēt. non ligat, sed quia est in peccato mortali. Vnde sicut si existeret ī aliquo alio peccato mortali, atque in illo obstinatè permaneret, peccaret ministrando; sic permanēs obstinatè in hæresi peccaret. & hæc est cōis sententia, quā docuit Palud. in 4. dist. 25. q. 1. & sequuti sunt Syluester verbo confessor 3. quæst. 20. & Alij multi, quos adducit, & sequitur Suarez vbi supra.

De excōicato ministrante sacramētum Eucharistiæ.

169 Maior difficultas est de ministratione sacramenti Eucharistiæ existente in articulo mortis, & nō habēti aliū sacerdotē, à quo viaticū accipere possit. Atque Suarez ead. disp. 11. sect. 1. n. 17. & sequentib. cū Nauar. in Manu. c. 22. n. 4. tenet sine peccato posse ministrare. Quæ quidē opinio pendet ex alio fundamēto an sūptio Eucharistię cadat sub præcepto, de qua est magna controuersia inter Theologos negantibus Alexandro Alense 4. p. q. 51. memb. 4. D. Bon. dist. 12. p. 2. art. 2. q. 1. & Alijs multis, affirmātibus verò D. Thom. 3. p. q. 80. art. 11. Richard. dist. 12. art. 6. q. 1. & Alijs, quos refert, & sequitur Suar. tom. de Eucharistia dispu. 69. sect. 1. & 3. Scotus in 3. dist. vlt. q. 1. tenet Baptismū, & pœnitentiā esse necessaria ad salutē, sed de Cōfirmatione, Eucharistia, & Extrema Vnctione dicit *fortè nō esse necessaria*, Vnde videtur inclinare in primā opinionē, quæ etiā videtur probabilior. Quoniā Eucharistia non delet peccatum mortale, sed solū veniale, & auget virtutes; horū aūt neutrū est de necessitate salutis. Hoc etiā consonat lenitati legis Euangelicę in cōparatione ad veterē. Et hoc loquēdo de eius institutione, & iure diuino. Ex pcepto Ecclesiæ autē semel in anno, & in Paschate tm̄ cap. *omnis vtriusq. sexus* obligamur. Sustinendo 2. opin. hoc sacramētū erit maximè necessariū in articulo mortis, & consequenter sequitur viatorē existentē in articulo mortis, esse in extrema necessitate recipiendi illud ab excōicato, si aliū sacerdotem non habeat, & tunc excusabitur à peccato mortali sic ministrans in excommunicatione; sustinendo verò opinionē primā, quæ mihi probabilior videtur, dicendum est oppositum.

An sacramēta ministrata ab excommunicato sit valida, et rata.

170 His ergo casibus exceptis, excōicatus ministrando sacramenta peccat mortaliter. An verò sacramenta ministrata ab excōicato sint valida solet verti in dubiū. Sed breuiter Respond. esse regulā gn̄alem, oīa sacramenta præter pęnitentiā esse valida, patet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, Missę sacrificio, de Extrema Vnctione, Ordine sacro, & Matrimonio, quia in his nō requiritur iurisdictionis potestas, qua priuatur excōicatus, ideo cū adsūt reliqua pertinentia ad substantiā sacramenti .s. debita materia, debita forma, & debita intentio in subiecto capaci, sunt valida. Quia vt dictū est supra d. 5. q. 2. cū Scoto, & alijs Theologis malitia ministri non potest impedire sacramentū, neque effectū eius, .s. collationē gratiæ, si ex parte suscipientis non sit obex, quia sacramēta sunt de iure diuino, quod Ecclesia inualidare non potest. De sacramento autē Pęnitētię clarū est illud esse inualidum, quia requiritur nedum potestas ordinis, sed iurisdictionis, qua excommunicatus caret, vt diximus de Pœnitentia cap. 26.

Quā pęnam incurrat excōicatus ministrans.

171 De pęna, quā incurrit excommunicatus ministrās quodlibet sacramentū, omnes conueniunt incurrere pęnā irregularitatis, quod certū est vt vidimus supra agendo de irregularitate. Quando autē excusetur ab incursu in hanc pęnā dictū est, vbi supra diximus de excōicato, & denunciato, qui est vitandus, dubiū remanet de excōicato non denūciato, & occulto, seu non vitando, an validè, & licitè possit ministrare sacramenta. Et quidē quod validè absolutè ministret sacramenta est certū ex illa Extrauaganti *Ad vitādā*, ex Conc. Constantiensi: in ea .n. apertè conceditur alijs fidelibus, vt possint ab his excommunicatis non denun-

An excommunicatus non denūciatus validè, et licitè ministret sacramenta.

ciatis recipere sacramenta, & proinde his non aufert potestatem iurisdictionis, supponitur autem, quod habeant potestatem ordinis, vnde habent totum quod requiritur ad validè ministrandum sacramenta. sed difficultas est, an licitè, idest sine peccato possit illa ministrare, & ratio difficultatis est; Quia excommunicatus sic non pœnitens est indignus ministrator sacramentorum, & ex iure naturæ peccat mortaliter ministrando sacramenta, Extrauagans autem illa non intendit facere fauorem ipsi excommunicato, sed solum succurrere suscipientibus, & tollere pericula peccandi, & pacare conscientias fidelium. Vnde ex hoc cap. tenetur excõmunicatus se abstinere ab administratione actiua sacramentorum, & consequenter non potest fidelis licitè petere ab excommunicato huiusmodi sacramenta, quia nõ licet petere ab aliquo id, quod ille licitè non potest facere; quia esset petere vt peccaret, quod non licet. Hoc autem stante videtur frustra concessa illa facultas fidelibus, quia nunquam poterunt petere ministrari sibi sacramenta, quia sacerdos excommunicatus non potest illa ministrare licitè.

Non licèt petere ab aliquo quod ipse licitè facere non potest

173 Respondetur per illam Extrauagantem esse concessum excommunicato Sacerdoti, vt possit ministrare Sacramenta non semper, & pro libito ac si non esset excommunicatus, sed solum in certis casibus, in quibus ex parte petentis est necessitas, vel aliqua vtilitas; vt puta cum excommunicato incumbit ex officio ministrare sacramenta, vt si sit Parochus, & Parochianus vult aliquod sacramentum sibi exhiberi, neque vult illud ab alio accipere, vel nõ potest commodè, potest licitè petere ministrationem sacramenti à Parocho excommunicato, quia petit id, ad quod ius habet, & tunc ille potest ministrare licitè, quod omnes concedunt.

Solutio.

174 Addo verò cum Nauaro in summa cap. 9. nu. 10. quem sequitur Suarez disput. 11. sect. 4. num. 12. quando etiam Sacerdoti excommunicato non incumbit ex officio ministrare sacramenta, sed tamen aliquis habet necessitatem recipiendi aliquod sacramentum, licèt non sit externa necessitas, in qua etiam liceat excommunicato non denũciato ministrare, sed sit aliqua cõmunis necessitas, vel periculum, vel vtilitas, posse petere ab excommunicato sacramentum, & illum illud posse illi licitè ministrare. (si tamen hoc sacramentum ab alio non excommunicato possit recipere, peccaret petendo, & excommunicatus ministrando, quia tunc non adesset necessitas, & causa sufficiẽs.) Ratio est, quia ad oppositum, hæc Extrauagans non esset in fauorem petentis: quia nullam ferè vtilitatem ex illa Extrauaganti caperet. Deinde quod caput est, excommunicatus donec non est denunciatus, per illam Extrauagantem retinet potestatem iurisdictionis, ideò non obstãte quod sit in peccato mortali vnusquisque potest vti iure suo, & ab eo petere sacramenta, quæ sibi vtilia sunt; licèt vt dixi, si commodè hoc ab alio non excommunicato recipere posit nõ debeat petere ab illo excommunicato, quia esset inducere illum ad peccatum. hoc idem dicendum est de celebratione Missæ; Nam in prædicta Extrauaganti non solum est sermo de administratione sacramentorum, sed *de alijs quibuscumque diuinis.* quæ clausula maxime complectitur sacrificium Missæ, quod inter officia diuina est principalissimum.

An Sacerdos excommunicatus, qui nõ tenetur ex officio possit licitè sacramẽta ministrare.

De Tertio effectu excommunicationis, qui est priuatio communionis externæ fidelium, & de quibusdam alijs, qui dicuntur effectus per accidens.

Caput Sextum.

175 TErtius effectus excommunicationis est priuatio cõmunionis externæ fidelium, quę partim est, in spiritualibus, & partim in corporalib. seu temporalibus; & quia est multiplex, à Doctoribus collecta est in hoc versic.

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Qui versiculus adducitur à Glosa in caput *statuimus* de senten. excommun. in 6. super verbo *in solutione, & alijs.* eo enim versiculo explicantur alia, in quibus excommunicatus debet vitari.

In quibus excõmunicatus est vitandus

176 Verùm antequam explicem particulas huius versus, & casus, in quibus excommunicatus tenetur vitare alios fideles, & fideles, ipsum obseruandum est. Quod excommunicatus potest communicare cum alijs, & alij cum illo duobus modis. Vno modo in crimine criminoso. Alio modo extra illud crimen. Et sub hoc secundo modo continetur communicatio in suffragijs, & sacramentis, de quibus diximus, & communicatio in quinque modis explicatis in allato versu; Quæ distinctio formaliter habetur in cap. *nuper*, de sentent. excomm. cum doctrina sequenti. Communicare in crimine criminoso, est consentire, & coadiuuare excommunicatum in crimine, & culpa, propter quam excommunicatus fuit, non ante excommunicationem (qui enim sunt participes criminis, propter quod quis excommunicatur antequam excommunicatio feratur, non incurrunt excommunicationem, nisi nominentur, & explicentur in sententia excommunicationis,) sed postquam fuit excommunicatus, scilicet adiuuando, & fouendo eum in contumacia, & rebellione, ne Ecclesiæ obediat; vt puta dando auxilium, fauorem, & ipsum adiuuando, vt persistat in crimine commisso, propter quod excommunicatus fuit, & in contumacia Ecclesiæ. Qui autẽ sic communicat cum excommunicato, ligatur eadem excommunicatione maiori, qua ligatur excommunicatus. Ratio est etiam ibi adducta à Canone; quia agentes, & consentientes pari pœna constringuntur. Qui verò communicat cum excommunicato extra crimen criminosum, vt in suffragijs, & sacramentis, & quinque casibus in illo versiculo contentis non ligantur excommunicatione maiori, qua ligatur excommunicatus, nec aliqua alia maiori excommunicatione, sed solum minori excommunicatione, vt infra videbimus differenter tamen; quia in duobus prioribus peccant mortaliter, quia est materia grauis, in tertio autem modo regulariter peccant solum venialiter, vt infra patebit.

De participante cũ excõmunicato i crimine criminoso.

Communicare in crimine criminoso q. d sit.

177 Notandum est tamen ad hoc vt quis participet in crimine criminoso, necesse esse, vt consilium, auxilium, fauor, & huiusmodi sint talia, quod propter illa excommunicatus committat peccatum, & culpam, & sit contumax; vnde si excommunicatus sine consilio, auxilio, fauore alterius illud crimen esset facturus, consulens, auxiliator, &c. non incurrit excommunicationem minorem, vt ibi habet Glosa, & patet ex principio generali verissimo, quod vbi causa non influit in effectum, non est vera causa, ideo consilium, auxilium, fauor, &c. cum non est causa perpetrationis criminis, non est vera causa illius, ideo non incurrit. Nec obest, quod per illud consilium, fauorem, &c. excommunicatus fiat deterior: quia vt ibidem Glosa inquit, non refert an de bono malum, vel de malo deteriorẽ fecerit, ff. de ser. cor. l. 1. §. *qui igitur*, sed requiritur, quod per huiusmodi consilium, &c. crimen fiat.

178 Adducuntur hic alij duo casus; primus est de eo, qui communicat cum excommunicato nominatim, & iudicialiter à Pontifice, de quo in cap. *significauit*, de sentent. excomm. hic enim incurrit excommunicationem maiorem, & peccat mortaliter, de quo Couaruuias cap. *alma*, §. 3. num. 4. Alter casus est, quando excommunicatio ita fertur in aliquem, vt etiam includat participantem cum illo excommunicato, tunc enim communicantes cum illo incurrunt excommunicationem maiorem, sed debet præmitti monitio saltem generalis, de qua Couaruuias eodẽ loco num. 6. & Alij.

De eo qui cõmunicat cũ excõmunicato nominatim à Papa.

De excõmunicatione lata in participantem.

179 Communicatio cum excommunicato, & excommunicati cum alijs fidelibus extra casum seu modum prædictum prohibetur illis quinque modis contentis in illo versiculo. Et eliciuntur ex diuersis capitibus iuris, præsertim verò ex cap. *nuper*, de sentent. excommunication. in illis verbis, *aut alias in oratione, vel osculo, aut orando secum, aut etiam comedendo.* Item ex cap. 2. de exceptionibus ibi *in locutione, vel oratione*, & alijs, in quibus generatim

Casus cõtenti in versiculo, ex sacris Canonibus desumuntur.

neratim dicitur, excommunicatum esse priuatum communione fidelium, vt cap. vltimo de sentent. excommun. & plura habentur 11. quæst. 3. præsertim cap. *excommunicatos* quod habet sic. *excommunicatos quoscunque a sacerdotibus nullus recipiat ante vtriusque partis iustam examinationem nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec aue eis dicat, &c.* & alij plures Canones similes habētur, in quibus significatur qualis sit hęc communio, qua priuatur excommunicatus, quæ ad prædicta quinque reducuntur. Nunc ad declarationem vniuscuiusque accedamus.

De particula orare.

Cōmunicans cū excōmunicato in orōne peccat mortaliter. in reliquis quatuor solū venialiter.

180 Inter particulas autem, quæ continentur in hoc versiculo, vna pertinet ad res spirituales, scilicet orare, reliquæ ad res temporales, & corporales; ideo prius explicabimus istam, quia proximè sequitur ad priores duos effectus explicatos, qui omninò sunt spirituales; Quod etiā congruum est propter illam regulam generalem, quod communicatio in duobus prioribus, scilicet suffragijs, & sacramentis, & in hoc tertio quo ad orationem, & officia diuina est peccatum mortale. Vnde sic communicans cū excommunicato nedum incurrit excommunicationem minorem, sed etiam peccat mortaliter; cōmunicatio verò in reliquis quatuor, quæ pertinent ad communionem ciuilem, peccat venialiter tantùm, & excommunicationem minorem solum contrahit; hęc enim per peccatum veniale incurritur. Quæ doctrina est communis, & colligitur ex cap. *quod in dubus*, de sent. excomm. quod requirit profunctoriam conuersationem, & communionem. Vnde cum non adest contemptus, est peccatum veniale tantùm, consentiunt omnes Doctores ferè, D. Thomas in 4. dist. 18. & Alij Theologi, & Summistæ, Et Canonistæ in cap. *sacris*, de sent. excomm. Nauarrus in summa cap. 27. nu. 3. Couarruuias cap. *alma*. par. 1. §. 3. num. 7. & 8. & Alij, & ratio est, quia cōmunicatio in tribus prioribus est res grauis, & principaliter intenta ab authore censuræ; secunda verò est res parui momenti, & inuēta solum propter priorem.

Quid significet orare, & quæ sub ea cōtineantur.

Per illam particulam *orare* igitur, quę expressè ponitur in capitulo *nuper*, intelligitur separatio ab alijs fidelibus quantum ad externam communicationem in diuinis officijs: per officium diuinum autem intelliguntur imprimis Missa, deinde Horæ Canonicæ, quæ publicè recitantur in Ecclesia, publica Processio, publica Oratio, ad quam Populus fidelis concurrit, omnis ecclesiastica ceremonia, vt Euangelium, vel Epistolam solemniter cantare, munus alicuius ordinis cuiusuis inferioris solemniter exercere, aquam, oliuas, aut candelas solemniter benedicere, & multo magis Oleum sanctum, & Chrisma conficere, & similia. Hæc expositio probatur ex communi vsu Ecclesiæ, & ex communi interpretatione Doctorum. His ergo omnibus priuatur excommunicatus, ita quod excōmunicatus non potest interesse alicui istorum officiorum cum alijs.

Concio, & lectio non comprehenditur sub diuinis officiis.

181 Non cōprehenditur autē sub diuinis officijs concio, nec lectio, ideo excommunicatus posset interesse concioni, & eadem ratione lectioni, licèt illi sit interdictum concionari. An verò legere publicè possit, est dubium, sed mihi pars negatiua probatur: quia legere, maximè Theologiam, vel aliquam aliam scientiam, vel artem publicè est actio honorifica. Vnde per particulam *os* prohibetur, vt videbimus. Ad hoc etiam reducitur priuatio sepulturæ sacræ. excommunicatus enim illa priuatur, vt infra dicemus, & patet cap. *sacris*, de sepulturis, & alijs pluribus. Et ratio est, quia sepultura reputatur esse aliquid spirituale, quia licèt corpus non sit capax spiritualis communicationis, tamen ratione animæ, quam refert, est aliquo modo capax illius. Est etiam honor quidam debitus viuentibus, vt post mortem sacro tumulentur loco, proinde excommunicatus carere debet illo, iuxta illud cap. *sacris*, quibus non communicamus viuis, non debemus etiam communicare defunctis. His ergo omnibus priuatur excommunicatus.

Excōmunicatus priuatur sepultura, et cur.

182 Ex his sequitur, quod quicunque excommunicatus se ingerit his diuinis officijs, mortaliter peccet. Hæc est communis interpretatio, & sententia, quæ patet ex prædictis Canonibus, qui hoc prohibent, transgressio autem illorum cum sit materia grauis, est peccatum mortale: & hæc habet locum in quocunque excommunicato, siuè denunciato, siuè occulto: hæc enim prohibitio tendit per se in ipsum excommunicatum, neque per Extrauagantem illam *ad euitandam*, conceditur excommunicato, vt si non sit denunciatus, possit se ingerere orationibus fidelium; quia per illam Extrauagantem non conceditur aliquis fauor ipsi excommunicato, vt diximus supra, sed solum alijs fidelibus, hic autem casus ad illos commodum tantum tendit. Per hanc particulam ergo prohibetur excommunicatus orare, & interesse diuinis officijs, prohibetur etiam alijs fidelibus interesse diuinis officijs cum excommunicato. Quicunque ergo excommunicatus, siuè denunciatus, siuè occultus, & non vitandus prohibetur se ingerere diuinis officijs, quæ supra enumerauimus, non solum efficiendo, vel cooperando ipsis diuinis officijs, sed etiam assistendo, siuè audiendo, siue videndo, seu præsentiam humanam præbendo, siuè hæc officia fiant in Ecclesia, siuè extra Ecclesiam peccat mortaliter, & fit irregularis, vt suo loco diximus.

Excōmunicatus maximè peccat orādo cum alijs & diuinis officijs se ingerendo.

Fideles non excōmunicati diuinis incumbendo coram excōmunicato peccāt mortaliter.

183 Rursus non solum excommunicatus, sed alij fideles, qui excommunicati non sunt, prohibētur nedum hæc diuina celebrare coram excommunicato, sed illis assistere, vel ea audire, vel præsentes esse cum excommunicato, & contrafaciendo peccant mortaliter.

Excommunicatus priuatur omni vsu Ecclesiæ, & sacramentalium.

Similiter excommunicatus priuatus est omni vsu Ecclesiæ, & Sacramentalium, vt Imagines benedictæ, aquę benedictæ, & similium, quatenus ex concessione Ecclesiæ habent aliquam vtilitatem, non autem quatenus illis vtitur excommunicatus ad priuatas orationes faciendas, & priuatam vtilitatem ex illis colligit. Exempli gratia, Ecclesia quatenus consecrata, vel benedicta cōfert aliquam vim orationi in illa factæ ad maiorem impetrationem gratiæ excommunicatus; ergo licèt possit ingredi Ecclesiā extra tempus celebrationis officiorum diuinorum, vt fert opinio communior, & possit priuatim orare, non tamen participabit illo fructu, qui prouenit ab Ecclesia vt est cōsecrata, & benedicta. Item si Papa concessit Indulgentiam oranti coram aliqua imagine, excōmunicatus orans coram illa imagine, non percipit illā Indulgētiā, sed solum fructū suæ priuatæ orationis. Potest ergo vti sacramentalibus quatenus ex eis percipit fructum priuatum, non eū, qui ex concessione Ecclesiæ prouenit: & quando se miscet illis quatenus inseruiunt ad lucrandum Indulgentiam, vel deprecationem Ecclesiæ, peccat mortaliter, & similiter illi non excommunicati, qui hæc sacramentalia illi præberent, vt fructum Ecclesiæ perciperet, peccarēt mortaliter, nisi ex ignorantia, vel ex necessitate, aut leuitate materiæ excusentur, quia faciunt contra iura, & præceptum Ecclesiæ in re graui, quod est ex se peccatum mortale, & incidunt in excommunicationem minorem. Isti tamen non peccant communicando sic cum excommunicato nō denunciato: Vnde licèt excommunicatus peccet, tamen cōmunicantes cum eo non peccant, neque incurrunt excommunicationem minorem propter Bullam *ad euitandam*, sæpius dictam.

Excommunicatus ab Ecclesia est expellendus.

Sed quid si expelli non possit?

184 Cum ergo fideles noscunt aliquem excommunicatum adesse vel missæ, vel alicui diuino officio, debent illum expellere ab Ecclesia, & nullo modo pati se cum illo interesse missæ, vel diuino officio. Sed quid agendum si quis excommunicatus vitandus vt denunciatus, missæ, vel sacris interesse velit? Respondetur in hoc casu sacerdotem potius omittere debere celebrare missam, quàm illam coram excommunicato celebrare. Si verò iam inchoatam missam superueniat excommunicatus, debet sistere sacerdos & eum monere, vt exeat, iuxta Clem. 2. de sentē. excommun. Quod si nolit obedire, nouæ excommunicatione Papali innodatur ex eadem Clem. & tunc vi potest ejici ab Ostiario, cuius munus est expellere excommunicatos ex-

tra

tra Ecclesiam. Quod si nec vi eijci potest, distinguendum est. Vel enim peruentum est ad Canonem, vel non, si nõ, est omittenda missa, ex eadem Clem. si verò peruentum est ad Canonem, sed non ad consecrationem, Aliqui dicunt esse dimittendam missam, alij verò negant, quia is valdè propè consecrationem acceditur, & ideo præceptũ Ecclesiæ de perficiendo officium sacrum videtur maius, quàm præceptum de non celebrando coram excommunicato, sed nulla istarum est certa, & vtraque probabilis, ideo erit in optione sacerdotis sequi opinionem, quam voluerit. Omnes verò conueniunt, incepta consecratione debere perfici missam vsque ad sumptionem, & ibi desecere, & in sacrario, vel aliquo alio loco occulto separato ab excommunicato, missam perficere. Alia verò diuina officia debẽt omninò omitti, etiam si sint inchoata, & alibi perfici, quia non adest necessitas illa perficiendi, sicut in missa. Obseruant autem Doctores, quod requiritur, vt excommunicatus formaliter, vt ita dicam, sit præsens diuinis officijs cum alijs, vnde si excommunicatus sit in eadem Ecclesia, sed non audiat eandem missam, sed aliam, primi non dicuntur communicare cum excommunicato, si autem audiat eandem missam, debent fideles, etiam cœpta consecratione exire, & relinquere sacerdotem solũ. Ratio est, quia illis non incumbit perficere sacrificium sicut sacerdoti, ideo cessat ratio ex in audientibus. Hęc autem communicatio in diuinis hoc casu est minima, vnde aliqui dicunt per eam non incurri in peccatum mortale, nisi aliud adsit nempe contemptus.

Excommunicatus quãdo præsens dicatur diuinis officijs.

Non excommunicati nõ exeuntes peccant, & quo modo in hoc casu.

185 Dubitari solet, an clericus excõmunicatus teneatur recitare Horas Canonicas, ex quo enim priuatur ne possit orare, videtur quoque priuari obligatione recitandi Horas Canonicas. sed Respondetur communiter, Horas Canonicas recitari posse vel publicè, vel priuatim, verum est ipsum non posse illas recitare publicè, posse tamen priuatim. Vnde si excommunicatus sit clericus, qui sit obligatus quocunque modo siuè propter ordines, siuè propter beneficium ad dicendum Horas Canonicas, non excusatur ab hoc onere, eo quia sit excõmunicatus. Asserunt tamen Doctores, eum debere omittere salutationem ad populum quæ fit illis verbis *Dominus vobiscum*, & loco illius debet dicere *Domine exaudi orationem meam*, quod si dicat *Dominus vobiscum*, asserit Nauarus cum communi in libro de oratione cap. 7. num. 16. fieri irregularem. Excusant tamen cum Recentiores ab hac pœna quando hoc accideret ex inaduertentia, & parua quadam negligentia citra contemptum, quę in omnibus vt patet, excusat. Has autem Horas Canonicas, neque aliam orationem priuatam recitare potest simul cum alio: quia licèt sit priuata oratio, & ex hoc cap. illi non sit prohibito, est tamen prohibita ex alio cap. 5. quia simul loqui, & communicare cum alio, est illi prohibitum per particulam *os*, vt vidabimus, vt tenent Nauarus de oratione cap. 7. num. 16. & Couaruuias cap. *alma*, par. 1. §. 3. num. 8. Couaruuias autem eodem cap. *alma*, par. 1. §. 3. num. 8. licèt fateatur esse prohibitum cum alio sic horas, vel aliquas alias priuatas orationes dicere, tamen inquit excusari à peccato mortali, quia hæc communicatio non est ea communicatio in diuinis, propter quam imposita est excommunicatio, quia illa est communicatio in diuinis publica, hęc autem est priuata. Quod verum est propter regulam superius adductã hoc cap. quod peccatum mortale est solum communicãdo in illis tribus pertinentibus ad spiritualem communicationem, veniale verò communicando in reliquis quatuor, quæ pertinent ad ciuilem communionem. Vnde hæc communio illis prohibetur non quatenus est spiritualis communio, sed quatenus est ciuilis.

An clericus excõicatus teneatur ad horas Canonicas.

Non potest recitare horas Canonicas cum alio.

186 Demum certum est, excommunicatum priuari ecclesiastica sepultura, vt patet cap. *sacris*, de sepulturis. ratio est, quia vt diximus supra, communicare in sepultura fidelium est quædam communicatio spiritualis cum fidelibus, qua priuatur excommunicatus. Nam licèt corpus mortuum per se nõ sit capax spiritualis communicationis, tamen ratione animæ, ad quam ordinatur, & cui fuit cõiunctum, & erit coniungendum, illius est capax. Vnde fideles, ea præsertim causa in loco sacro sepeliuntur, vt sint participes orationum, & suffragiorum fidelium, quæ in locis sacris fiunt, ad hoc enim ordinatum est, vt fideles in locis sacris sepeliantur, vt animæ eorum fiant participes orationum, quę in illo loco fiunt, vnde cum his priuatus sit excommunicatus, debet eiusdem priuari sepultura in eo loco. Si autem excommunicatus sepultus fuerit in loco sacro, debet exhumari, & procul ab ecclesiastica sepultura reijci, dummodo à corporibus aliorum fidelium discerni possit, alioquin tollerandum est ne fidelium corpora extra sacrum eijciantur, quod nõ decet, vt habetur cap. illo *sacris*, de sepulturis deinde electo corpore excommunicati, locus ipse expurgandus, seu reconciliandus erit aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut fit in Ecclesię dedicatione, vt dicitur in cap. *consuluisti*, de Consecratio. Ecclesiæ, vel Altaris. Ex quo sequitur, quod dum corpus excommunicati manet in loco sacro, in eo alij fideles non possint sepeliri, neque diuina officia celebrari, sicut non possunt in Ecclesia polluta sanguine, vel semine: est enim eadem ratio de quacunque pollutione. Quod autem per sepulturã excommunicati polluatur Ecclesia, patet ex cap. prædicto *consuluisti*, de Consecrat. Ecclesię, vel Altaris. Quod licèt loquatur de Cemeterio, tamen multo magis intelligitur de Ecclesia, quæ est quid maius quàm Cemeterium, cum ad pollutionem Ecclesiæ polluatur Cemeterium, non è conuerso. Si verò corpus excommunicati non possit discerni à corporibus aliorum fidelium, videtur dicendum esse reconciliandum, quia caput illud *consuluisti*, absolutè dicit locum, in quo excommunicatus sepultus fuit, esse reconciliandum, nullam faciẽs distinctionem an corpus excommunicati sit erectum, nec ne. Et hęc de excommunicato denunciato, & vitando, non de non vitando, ob prędictam Extrauagantem *ad euitandam*.

Excommunicatus priuatur ecclesiastica sepultura.

187 Qui autem sepelire ausus fuerit excommunicatum in loco sacro, primò peccat mortaliter, quia facit contra censuram. Secundò incidit in excommunicationem minorem, quia communicat cum excommunicato, sed pœna hæc aucta est in Clementina 1. de sepulturis, in qua excommunicantur ipso facto maiori excommunicatione sepelientes excommunicatos in loco sacro his verbis. *qui propriè temeritatis audacia in cemeterii excommunicatos publicè, aut nominatim scienter sepelire præsumunt, &c. nullatenus absoluantur, &c.* Vnde videtur comprehendere nedum actu deferentes cadauerum ad sepulturam, sed etiam eos, qui propria authoritate faciunt sepelire in loco sacro, iuxta caput *mulieres*, §. *illi vero*, de senten. excommunicationis. per illa verba. *Cum is committat verè cuius authoritate, vel mandato delictum committi probatur*.

Pœna sepeliẽtium excommunicatos in loco sacro.

188 An verò extendatur etiam ad alios cooperatores funeris, vt ad comitantes, cantantes, deferentes crucem, item an fossores sepulturę, portatores cadaueris, & similiũ, est contentio inter Doctores. Videtur tamen probabilis opinio asserentium nõ extandi ad istos, quia licèt sint participantes criminis, tamen legislator non videtur velle extendere hanc pœnam ad omnes sic participantes, tenor tamen est in ppposita sententia.

Suar. disp. 12 sect. 4.

189 Priuatur tandem excommunicatus omni honore ecclesiastico, qui in tumulatione mortui illis fieri solet, hæc enim est quædam communicatio quodam modo in spiritualibus, quia hic honor ordinatur ad ecclesiasticam sepulturam, & prohibetur diserte in cap. *placuit*, 23. quæst. 5. Vnde nedum clerici prohibentur exhibere huiusmodi honorem, sed etiam laici, *quia licèt pompa exequiarum, conditio sepulturæ, magis sint solatia viuorum, quàm subsidia mortuorum*, vt habetur cap. *animæ*, 13. q. 2. tamen Ecclesia decreuit, vt hoc etiam solatio viuentes careant, quia id non fit sine aliquo honore, & aliqua communicatione cum excommunicato, quo ipse priuatur.

Excommunicatus priuatur honore funeris.

190 Ad eandem particulam *orare* potest reduci priuatio

Excommunicatus priuatur beneficio ecclesiastico.

tio beneficij ecclesiastici. Nam beneficium ecclesiasticum est quoddā bonum spirituale, licèt habeat aliquod commodum temporale annexum, datur enim beneficium ꝓpter officium. Est ergo alius generalis, & certus effectus excommunicationis priuare excommunicatum beneficio ecclesiastico. Hoc autem non intelligitur de beneficio iā obtento ante lapsum in excommunicationem, quia certū est, excommunicatum per superuenientem excommunicationem non priuari beneficio. Ratio est, quia excommunicatio non tollit, nec minuit ius acquisitum ante ipsā, sed solum priuat fructibus, ita quod ipso facto in consciētia tenetur se illis priuare, neque etiam potest illis vti propter necessitatem vitæ donec manet in contumacia; Secus cum pœnitiut, sed nondum est absolutus. Vnde in multis iuribus supponitur excommunicatum manere dominum beneficij, vt sunt illa iura, quæ priuant excommunicatum fructibus beneficij: quod colligitur ex cap. *Pastoralis*, §. *verum*, de appellationibus, & ex illis, quibus iubetur excommunicatum ob perseuerantiam in contumacia priuari beneficio, quod colligunt Doctores ex cap. *rursus*, 11 quæst. 3. intelligitur ergo de beneficio, quod existente, & durante excommunicatione confertur excommunicato; excommunicatio enim reddit personam excommunicatam ita inhabilem ad beneficia ecclesiastica, quod collatio ei facta, durante excommunicatione est nulla, neque per absolutionem ab excommunicatione reualidatur, sed necesse est nouam collationem fieri, & fructus eo tempore excommunicationis percepti, sunt restituendi. Quod colligitur ex cap. *postulastis*, de clerico excomm. ministrante. Et est communis sententia Theologorum in 4. distin. 18. præsertim Richardi art. 7. qu. 4. & Recentiorum, Nauarre cap. 27. num. 21. Couaruuię in cap. *alma*, par. 1. §. 7.

Opinio Suarez reijcitur

191 Aliqui autem ex Recentioribus, quos citat, & sequitur Suarez disp. 13. sect. 1. num. 3. asserunt hoc etiam habere locum, licèt excommunicatus bona fide beneficiū acceperit, aut suam excommunicationem ignorans, aut probabiliter putans se esse absolutum; Ego autem hoc non intelligo. Dictum est enim supra sæpissimè ignorantiam excusare ab incursione in excommunicationem; si ergo qui ignoranter ignorantia inuincibili incidit in excommunicationem aliquā reuera non est excommunicatus, quia non adest contumacia, si etiam adhibita debita diligentia putat esse absolutum ab excommunicatione, non videtur esse ligatus excommunicatione, & proinde collatio beneficij est valida, licèt in foro exteriori si constaret deinde oppositum, pro excommunicato esset habendus.

Excommunicatus non potest recipere pensionem.

192 Atque hoc intelligitur nedum de beneficio propriè dicto, siue habeat curam animarum, siue non, siue sit de maioribus, siue non, sed etiam de pensionibus quibuscunque: quia accipere pensionem ecclesiasticam quouis titulo, est communicare in spiritualibus. Et intelligitur per collationē omnis modus collationis beneficij, siue sit electio, siue præsentatio, siue nominatio excommunicati ad beneficium, vt optimè probat Suarez vbi supra cum Couarruuia, & alijs Recentioribus; vnde talis collatio facta etiam à Pontifice, est nulla, nisi Papa dispenset ad effectū consequendi beneficium. Priuatur ergo excommunicatus beneficio, & si recipiat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem fructuum, & qui illud ei confert, peccat similiter mortaliter, & incurrit excommunicationem minorem.

An extendatur ad excōicatum secretum.

193 An verò hoc intelligatur de quocunque excommunicato, etiam nō publico, nec denunciato, est difficultas propter Extrauagantem *ad euitanda* sępius adductam, de qua re longo sermone disputat Suarez disput. 13. sect. 1. num. 15. & quamuis valde probabile iudicet non extendi ad excommunicatum non vitandum, seu occultum propter illam Extrauagantem, quæ vult in nullo prohiberi, vel diminui actiones fidelium circa excommunicatum non denunciatum, tamen quia communiter Doctores sentiūt oppositum ea ratione, quia illa Extrauagans non intendit fauorem aliquem præbere ipsi excommunicato; hic autem esset maximus & grauis fauor, non audet huic opinioni communi sese opponere. Quod mihi quoque rationabile videtur; Vnde tam excommunicatus recipiendo, quàm collatores scientes personam esse excommunicatam, peccant mortaliter, & collatores suspenduntur à potestate conferendi beneficia, donec secum sit dispensatum, iuxta cap. *postulastis*, de clerico excom. vel deposito.

Pœna conferentiū beneficium excommunicato.

Excommunicatus priuatur omni potestate iurisdictionis.

194 Ad hanc eandem particulam *orare* potest reduci alter effectus excommunicationis, qui est priuatio iurisdictionis spiritualis, nedum interna seu pertinente ad forum internum, vt est iurisdictio requisita ad sacramentum pœnitentiæ, sed etiam iurisdictione pertinente ad forum externus. Nam hic effectus est spiritualis, & communicare in tali potestate iurisdictionis spiritualis, est communicare in rebus spiritualibus, quod directè est intentum ab excōmunicatione, & ideo est peccatum mortale, tàm in excōmunicato, quàm in fidelibus in his secum communicantibus scienter.

Quod autem excommunicatus priuetur tali iurisdictione, est certissima regula, & communis, sumpta ex cap. *audiuimus*, 24. quæst. 1. & cap. 1. de officio Vicarij in 6. & alijs iuribus. Et ratio est, quia excommunicatus est priuatus omni ecclesiastica communione, ideo indignus est, vt in ipsa ius dicat. Priuatur ergo excommunicatus omnibus actibus illis, qui propriè sunt superioris ecclesiastici, vt sūt præcipere, aut leges ferre, aut in lattis dispensare, vel licentiam præbere ad quoduis munus ecclesiasticum exercendum, sententiam ferre, beneficium conferre, aliquem eligere ad aliquod officium, vel dignitatem, & alij similes, qui enumerantur in cap. *accedentibus*, de excessibus Prælatorum, & in cap. *dilectus filius*, de officio ordinādorum & alibi. Atque hoc extendunt ad quemcunque excommunicatum tàm publicum, quàm occultum, ita quod semper peccat exequendo hos actus. Est tamen differentia quantum ad valorem actuum inter excommunicatum publicum, & occultum, quia post Extrauagantem *ad euitanda*, actus isti in excommunicato occulto validi sunt secundum communem, & receptam sententiam, nō autem in publico. Publicus autem intelligitur tantum qui publicè per sententiam est condemnatus excommunicatione, & denunciatus, vel est manifestus, & notorius percussor clerici, nullus autem alius quamuis notorius excommunicatus sub hac priuatione concluditur, vt dictum est sępius, quæ est communior sententia.

Differentia quo ad hos actus inter excommunicatū denunciatum, & occultum.

De particula os.

195 Altera particula contenta in illo versiculo erat, *os*, quam cum reliquis tribus, quæ pertinent ad externam, & ciuilem communionem facilè est explicare. *Os* itaque principaliter significat osculum pacis. De eo enim in speciali habetur cap. *nuper*, de senten. excomm. vt supra vidimus. sub illo autem comprehenditur quodlibet signum amicitiæ, & specialis beneuolentiæ. Item confabulatio, & omnis sermo seu palam, seu secretè, siue mutuo colloquendo, seu loquendo tantum, aut aures ei tantum prębendo; hoc enim modo hæc vox exponitur ab omnibus; Adeo quod hæc omnia excommunicato prohibentur. Insuper extenditur ad locutionem per litteras, vel per nutus, vel per nuntium, aut aliquo alio modo; quocunque enim modo fiat, censetur humana locutio, & proinde est prohibita ipsi excommunicato, secundum communem sententiam, & ex citatis iuribus.....

Quid significet particula vale.

196 Altera particula est, *vale*, per quam significatur omnis honorifica salutatio; Hęc enim prohibetur exhiberi excommunicato. Ratio est, quia significat bonam quādam internam estimationem, & reuerentiam illius, cui exhibetur; hanc autem bonam estimationem haberi de excommunicato, & hanc reuerentiam illi exhibere, est ꝓhibitum per excommunicationem; fundatur autem in verbo Ioan. 2. *Neque ei aue dixeritis*. Circa hanc particulam autem est aliqua contentio. Aliqui enim sentiunt per hanc particulam, & præcedentem intelligi propriè locutionem vocalem, quæ verbis fit, quod probant, quia pœnæ sunt restringendæ, non ampliandæ; quam senten-

tiam

tiam tenent Angelus verbo excommu. 8. nu. 5. Antoninus 3. par. titul. 25. cap. 2. in principio, Soto in 4. distinct. 22. quæst. 1. artic. 4. & quidam alij. Alij verò, & est communior opinio, dicunt extendi ad quamcunque honorificam salutationem, siue fiat verbis, siue nutibus, siue litteris, aut operiendo caput, aut mouendo labia; Item mittendo donaria, & similia, vt Nauarus in Man. cap. 27. num. 20. Suarez disput. 25. sect. 1. num. 3. & multi alij. Ratio est, quia iam dictum est citatis iuribus, excommunicatū priuari omni communicatione legitima, salutatio autē quocunque modo est maxima communicatio, & honorifica, & est actus obseruantiæ, & reuerentiæ, qui certè non conuenit excommunicato, vt significatur per illud verbum Ioannis, *nec ei aue dixeritis*. Adde quod si hæc salutatio solum quo ad verba esset prohibita, & non quo ad nutus &c. ridicula videretur; quia nutibus, & signis alijs, maxima reuerentia posset exhiberi ipsi excommunicato absq; locutione; solent enim homines se honorare, & salutare non solum verbis, sed etiam nutibus, & alijs actibus externis.

Duplex opinio.

Quod autem Aliqui dicunt, hæc signa exhiberi posse excommunicato sine intentione præstandi honorem, est vanum; quia Ecclesia non iudicat de intentione, sed intendit hanc actionem externam prohibere, quia de se significat honorem, quem non vult exhiberi excommunicato; Præterquamquod sic dicēdo videtur approbare mendacium, quod est absurdum, salutare autem aliquem sine intentione honorandi, est fictio, & irrisio, quod est vitium.

Quid significet communio.

197 Quarta particula est communio, quæ ex suo significato principali significat totum effectum excommunicationis; intelligitur tamen ab aliquibus de vsu Eucharistię; ita quod sit sensus prohiberi simul Eucharistiam sumi cū excommunicato in eodem loco, sicut dictum est supra ꝓhibitum esse audire eandem missam, non autem prohiberi in Ecclesia, sed in diuersis Altaribus, Quod est verissimum. Alij extendunt ad totam communionem in sacramentis, vt D. Thomas in 4. distin. 18. quæst. 2. art. 1. Nihilominus cum Recentioribus potest accōmodari ad omnes actiones externas pertinentes ad communicationem, quæ non habent proprium nomen, vel sub proprio nomine in iure non nominātur, sed sub illa voce generali *communione fidelium* comprehenduntur. Significat ergo omne genus humanæ conuersationis, & societatis, vel contractus, qui illam requirat, vt sunt cohabitatio, cooperatio, & societas in aliquo negotio; patet enim cohabitationem, cooperationem, societatem, & similia esse actiones, quæ mutuam operam postulant; vnde continentur sub communione, quæ prohibetur excommunicato. Prohibentur etiam omnes contractus particulares, vt donationes, venditiones, partitiones, & similes contractus, tamē si fiant, tenent secundum commuuem sententiam Canonistarum cap. *si voce*, de sent. excomm. & in cap. *veritatis*, de dolo pro contumacia, quos Couaruuias adducit cap. *alma*, par. 1. §. 1. num. 9. & probatur per caput *filius*, §. *verum*, de pœnis in 6. per illa verba, *& debitorum illorum, quæ contracta fuerunt de postmodum acquisitis repetitio non negetur*. Contractus ergo, in quibus excommunicatus factus fuit debitor alicui, valent; sunt tamen suspēsi quo ad eos vsus, qui excommunicationem includunt: Nam in excommunicatione includuntur donec durat excommunicatio, quia stante excommunicatione non possunt contrahentes simul communicare.

De forensib. actionibus.

198 Præsertim verò ad hanc particulam reduci potest communio in forensibus actionibus secularibus; clarum est enim excommunicato prohibitam esse omnem actionem forensem secularem cum alijs, & alijs fidelibus, præterquam in eis, quæ ei competunt, vt reo in iudicio constituto. Et fundamentum est illud generale principium, quod excommunicato prohibita est communicatio cum fidelibus: At communicatio in actibus forensibus est maxima communio; est enim publica, grauis de rebus magni momenti, & per se nota; ergo si excommunicatus habendus est infidelis, & ethnicus, neque ei dicendū est, Aue, multo magis prohibitum est communicare cum eo in huiusmodi actionibus forensibus. Actiones autem forenses sunt quæ pertinent ad personas Iudicis, Actoris, Rei, Tabellionis, Testis, Aduocati, & Procuratoris. Præter fundamētum autem illud generale, prohibitio in actionibus istis forensibus, habet fundamētum speciale in iure, vt patet in cap. *decernimus*, de senten. excomm. in 6. vbi actor, patronus, & testis excommunicatus repellitur à iudicio; ergo multo magis hoc locum habet in Iudice, & Tabellione, quæ sunt officia maioris momēti. De omnibus autem personis pertinentibus ad iudicium habetur cap. *pia*, de excep. in 6. in quo dicitur, *quod maioris excommunicationis exceptio in quacunque parte iudicij opposita lites differat, & agentes repellat* illa particula *in quacunque parte iudicii* videtur extendere hoc ad omnes personas pertinētes ad iudicium; & Doctores in cap. *Ad probandum*, de sent. & re iudicata tradunt.

Actiones forenses.

199 Est ergo dicendum excommunicatum in primis non posse esse Iudicem, non solum in ecclesiastico foro, sed neque in seculari, ita quod non potest eligi in Iudicem, neque ad vllam aliam dignitatem ecclesiasticam, vel secularem, quæ habeat annexam iurisdictionem. An verò electio sit ipso facto nulla, est dubium, sed communior sententia Doctorum in cap. *venerabile*, de elect. verbo *electus*, est esse ipso facto irritam; si verò iam Iudex quis est factus, & incidat in excommunicationem, est repellendus ab hoc officio, & omnia acta ab eo sunt nulla, nimirum sententia ab illo lata, ferre leges, dispensare, Iudices delegare, & omnia alia, quæ à potestate suæ iurisdictionis pēdent, Quia iurisdictione huiusmodi est priuatus, vt habent Doctores communiter in cap. *Ad probandum*, de re iudicata, & alibi. Neque excommunicatus potest esse actor in iudicio extra causam suæ excommunicationis, in causa autem sua maximè. Prima pars patet in cap. *decernimus*, superius adducto de sent. excom. Et extenditur, quia etiam per Procuratorem agere prohibetur; tum quia, qui per alium facit, per se ipsum facere videtur; tum quia sicut prohibetur per litteras cum alio agere, ita per Procuratorem testes agere prohibetur; Si tamen non repellatur à iudicio, acta eius videntur valida, vt colligunt nonnulli ex cap. 1. de excep. in 6.

Excommunicatus non potest esse Iudex.

Excommunicatus non pōt esse actor in alia causa quam sua.

200 Potest tamen excommunicatus esse reus in quocūque iudicio, & tanquam reus compelli ad respondendum, non solum in causa excommunicationis, sed in quacunque alia, in qua fuerit postulatus; vt si accusetur reus furti homicidij, & similium. Est communis sententia in cap. *intelleximus*, de iudicijs. Et ratio est, quia aliter excommunicatus reportaret commodum ex sua excommunicatione, quod est contra intentionem Ecclesiæ.

Potest cōpelli vt reus ad respondendum in iudicio.

201 Neq; potest excommunicatus exercere Tabellionatum. Patet, quia hæc est maxima communicatio, & grauis cum alijs fidelibus, vt patet; ideo peccat mortaliter. An verò instrumenta eius sint nulla dicēdum est si loquamur de actibus, & instrumentis factis ab ipso publicè, & authoritate publica, esse nulla ipso facto, est enim communis sententia Canonistarum, quod acta à publico excommunicato ratione publici muneris sunt ipso iure nulla. Aliqui tamen dicunt si excommunicatus Tabellio à partibus scientibus esse excommunicatum ex consensu cōmuni inducatur ad faciendum aliquam scripturam publicam, licèt peccaret, tamen illam scripturam valere; & obligare partes ad illam obseruandam: quia iam in illam conuenerunt in foro conscientiæ, Quam opinionem probat Suarez disp. 16. sect. 5. num. 5. Ego tamen oppositum sentio, quia iam Ecclesia prohibet illi publicum munus faciendi instrumenta: ablata autem hac potestate, scripturæ illæ non habent valorem à publica authoritate; ergo nullæ sunt.

Excommunicatus non potest esse Tabellio.

202 Neque excommunicatus potest esse testis. Habetur expresse in cap. *decernimus*. de senten. excommu. in 6. Excipitur tamen causa hæresis, in qua in fauorem Fidei po-

Excommunicatus non potest esse testis nisi in causa Fidei.

potest admitti cap. *in fidei*, de hæreticis in 6. Est verò dubium, an validum sit testimonium excommunicati in scripturis extraiudicialibus, & priuatis, vt in testamentis, contractibus, &c. & Aliqui tenent esse validum, & Suarez eadem disp. 16. num. 7. quia, inquit, licèt iure prohibeatur, vt non licitè fiat, non tamen cauetur vt validè non fiat in scripturis priuatis. Verùm ego hoc non intelligo. Nam omnis scriptura facta per Tabellionem, authoritate Tabellionatus, mihi videtur publica, quia authoritas Tabellionis est publica. Vnde testis testificans in tali scriptura, mihi videtur testificare publicè, quia licèt actu non sit deducta ad iudicium, tamen potest deduci, & est apta nata deduci. Itaque mihi videtur includi in illis actibus, de quibus dicitur cap. *licet*, de sent. excom. in 6. in quo dicitur excommunicatum tàm in iudicialibus, quàm extraiudicialibus, à legitimis actibus esse *remouendum*.

Excommunicatus non pōt esse Aduocatus nec Procurator.

203 Demum excommunicatus non potest esse Procurator cap. *decernimus*, de sent. excomm. in 6. supra adducto, & idem dicendum de Aduocato propter rationes superius adductas, præsertim, quia excommunicato non conceditur locus in iudicio, nisi tanquam reo ad se defendendum cap. *intelleximus*, & alijs, si tamen Procurator non repellatur pro exceptione excommunicationis, acta eius erũt valida secundũ Canonistas in c. 1. de excep. in 6.

An liceat excommunicato facere contractus.

204 Ad eandem particulam potest reduci quæstio de contractibus, an scilicet liceat excommunicato facere contractus, & si illos faciat, an validi sint. Ad hoc dubium distinguunt communiter, quod loquendo de contractibus factis ante excommunicationem non est dubiũ quod validi sunt, neque per excõmunicationem tolluntur. Vnde excommunicatus ita manet obligatus soluere debita, quæ contraxit ante excommunicationem, sicut post. Et si est creditor ita habet ius exigendi à creditore, sicut prius. Ratio est, quia excommunicatio nullum commodum affert excommunicato, sed neque eum priuat iure suo, similiter non onerat non excommunicatum, & innocentem aliquo grauamine, nec priuat iure suo; & elicitur ex cap. *intelleximus*, de iudicijs, & cap. *inter alia*, de sent. excom. Adest tamen hæc differentia, quod non excommunicatus creditor potest nedum extra iudicium, sed in iudicio agere contra excommunicatum; excommunicatus verò non potest in iudicio agere contra suum debitorem, sed solum priuatè; quia priuatur omni actione forensi, vt diximus nunc supra. Debitor autem potest in tali actione communicare cum suo creditore, & soluere illi debitum, vt communior opinio tenet cum Syluestro verbo excom. 5. nu. a 1 cum multis alijs.

De contractibus factis tēpore excommunicatiōis.

205 Loquendo verò de contractibus factis tempore excommunicationis, certum est non licere illos facere, & facientes peccare, quia fieri non possunt sine communicatione, quæ est prohibita. Et sermo est de excommunicato denunciato, (quia excommunicatum non vitandum, certum est illos posse cõficere.) An verò contractus illi sint validi, dubium est. Aliqui negant, sed communior sententia Canonistarum in cap. *si verè*, de sent excomm. & alibi est, esse validos; De qua re Couaruuias *alma mater*, par. 1. §. 1. num. 7. Ratio est, quia ad validitatem contractus sufficit mutuus consensus, qui donec irritetur, validus est; non apparet autem, quod per excommunicationem hic mutuus consensus irritetur. Remanent tamen suspensi quodammodo, quia sicut non licet illos facere tempore excommunicationis; ita factos non licet executioni mandare propter eandem causam qua prohibitum est illos fieri, scilicet quia prohibita est communio, sine qua exerceri non possunt. Vnde durante excommunicatione sunt quodammodo suspensi, hoc etiam intelligitur de contractibus priuatis, non de publicis, in quibus authoritas iurisdictionis interuenit, vt de contractibus factis à iudice excommunicato ex officio suo, & similes, quia dictum est iam supra, quod excommunicatus priuatus est exercitio omnium actuum forensium, & quod Iudex priuatus est sua iurisdictione.

Excommunicatus potest testari.

206 Idem dicendum est de contractu testamẽti. Nam excommunicatus non potest licitè testari, & omnes conuenientes ad testamentum peccant; tamen si testetur, testamentum est validum secundum omnes cap. *veritatis*, de dolo, & contumacia, & alijs iuribus, de qua re Couaruuias in rubrica de testam. par. 2. n. 18.

An verò si quis instituat aliquem excommunicatum pro hærede validum sit testamentum, non est ita certum. Summistæ vt Syluester verbo hæreditas 3. num. 2. Armilla, Angelus verbo hæres numer. 22. Tabiensis, Hostiensis num. 20. & Alij negant hoc fundamento, Quod excommunicatus sit incapax hæreditatis, testamentum autem tunc est nullum, cum hæres tempore testamenti est inhabilis, & incapax hæreditatis. *l. sed esse conditioni. §. solemus*, & lege *si alienum, §. in extraneis*, ff. de hæredibus instituendis. At Suarez optima ratione disputat. 15. sect. 9. hanc opinionem confutat. Quia supponit fundamentum falsum, scilicet quod excommunicatus propter excommunicationem sit incapax hæreditatis. Nam excommunicatio per se sicut non priuat excommunicatum dominio rerum suarum, ita non priuat potestate acquirendi dominiũ aliorum; vnde si aliquando excommunicatus priuatur bonis suis, vt contingit in hæretico, hoc non prouenit ratione excommunicationis, ita quod hic sit effectus eius proprius, sed ex accidenti in odium, & punitionem peccati hæresis.

De particula mensa.

207 Vltima particula est *mensa*, in qua propriè significatur, excommunicato esse prohibitum comedere in eadem mensa cum alijs fidelibus non excommunicatis. Hoc autem intelligitur communiter pluribus modis, vt cum alter alterum inuitat; Vel excommunicatus, & non excõmunicati inuitantur ab aliquo tertio in eadem domo, vel mensa: Vel quia omnes ad eandem mensam socialiter eosdem cibos comedunt: Vel licèt comedant diuersos cibos, tamen ad eandem mensam socialiter comedunt; Vel licèt mensa materialiter sit distincta, vt puta, quia omnes ad eandem recipi non possunt, vt fit in conuiuijs, vbi plures mensæ materiales sunt, & tamen vnum conuiuium censetur, omnibus enim his modis intercedit cõmunicatio humana. At si casu in eadem mensa, vel domo reperiantur sed tamen vnusquisque suos cibos comedat, nulla habita ratione aliorum, sed sibi soli attendendo, non incidit in hanc communionem, neque hoc est prohibitum: Quia re vera non est humana communio. Similiter si mensæ sint in diuersis cubiculis diuersarum personarum, vt fœminarum per se, & virorum per se, vel dominorum per se, & seruorum per se, non censetur eadem mensa, quia communiter non dicuntur isti simul comedisse, vt patet ex cõmuni vsu loquendi. Quod de mensa dicitur, dicendum est quoque de lecto: Neq. enim licet in eodem lecto dormire cum excommunicato, neque in eodem cubiculo, licèt diuersis lectis vtantur, si hoc faciant sociali modo, vt communiter fit. At si casu contingat eos dormire in eodẽ cubiculo, & etiam in eodem lecto, sed non modo sociali, sed attẽdendo vnoquoque sibi absque illa relatione societatis, vel coniunctionis, hæc non est prohibita, quia re vera non est communio humana. Idem dicendum de omnibus alijs actionibus, vt sunt simul iter agere, in eadẽ naui nauigare, & in eodem campo laborare, & sic de alijs; requiritur enim ad hoc vt contrahant excommunicationem, quod sit formalis communicatio, non materialis tantum, nimirum, vt in illis actionibus tanquam socij, vel humano modo cooperatores existant.

Quomodo hi effectus competant excōicato. & alijs non excōicatis.

208 Isti sunt effectus, qui in ciuili communione prohibentur excommunicato secundum omnes. Circa quos est obseruandum, quod communio in prædictis prohibetur quidem excommunicato principaliter, sed etiam prohibetur non excommunicatis. Prohibetur excommunicato, quia ille tenetur quantum est ex se abstinere à communicatione in illis cum non excommunicatis, vt à non loqui, non salutare, &c. Nam cum iura dicunt, per excommunicationem separari excommunicatum à reliquis fidelibus,

non

non intelligunt præcisè prohibere fidelibus ne cum ipso communicent, sed prohibere præcipuè ne ipse excommunicatus communicet cum fidelibus. Vnde in cap. *illud*, de clerico excommunicato ministrante, dicitur non vitare, multo magis quam non vitari periculosum esse: Et est communis sententia in 4. dist. 18: Richardi, D. Thomæ, & Canonistarum in cap. *illud*, adductum. Prohibetur etiã communio in prędictis alijs fidelibus: Quia iura id expressè prohibent, vt visum est. Per fideles autem intelliguntur baptizati quicunque etiam hæretici, quia licèt fidem amiserint, tamen quia baptizati sunt, manent sub iurisdictione Ecclesiæ. Ex quo fit, excommunicatum posse communicare cum infidelibus non baptizatis, vt cum Iudæis, Paganis, &c. Ratio est, quia Ecclesia non curat, quod excommunicatus communicet cum infidelibus, quia ipsa eum resecauit ab Ecclesia, & vt emendetur, & ne alios fideles corrumpat. Non potest tamen communicare cum alio excommunicato, licèt vterque sit extra Ecclesiã, quia licèt sit hæreticus vel excommunicatus, tamen inter fideles numeratur, quia est baptizatus, & tenetur esse fidelis. Quę est sententia communis, quam tenet Abbas in cap. *illud*, de clerico excommu. ministrante in 6. Hostiensis in summa titulo de sent. excom. num. 11. Suarez disp. 15. sect. 1. in fine, & Alij ab ipso citati.

Excommunicatus potest communicare cũ infideli, nõ tamen cũ alio excõicato.

209 Obseruandum est etiam, prædicta omnia intelligi de excommunicato per sententiam declarato, vel publico, & notorio percussore clerici. Patet per Extrauagãtem *ad euitanda*, per quam nemo tenetur vitare excommunicatum nedum occultum, seu non publicum, sed etiã publicum, dummodo non sit percussor clerici, nisi sit denunciatus, & publicatus vt excommunicatus. Occultus etiam excommunicatus se ingerendo peccat, quia ex illa Extrauaganti nihil lucratur, vt dictum est sæpius, si tamen ab alio requiratur, tunc non peccat, quia sicut licitè alij fideles possunt cum illo communicare, ita ipse potest illis communionem non negare, & cum illis participare.

Prædicta intelligũtur de excõicato publico, non occulto.

210 Omnes ergo illi, qui habent communionem in prædictis quatuor casibus vltimis, qui pertinent ad conuersationem humanam ciuilem, peccant quidem, sed solum venialiter regulariter loquendo, quæ est cõmunis sententia Theologorum in 4. dist. 18. & Summistarum, & Canonistarum in cap. *sacris*, de ijs, qui vi, & de sentẽ. excom. Et ratio est, quia communicatio in his est res leuis, quæ excusat à mortali. Quod intelligitur tàm de excommunicato, quàm de fidelibus cum illo communicantibus, licèt magis peccet excommunicatus, quia directè, & immediatè prohibitio cadit super ipsum. Fideles verò reliqui incidunt in excommunicationem minorem non solũ in his quatuor casibus, sed in alijs communicationibus superius adductis, scilicet in diuinis, sed in his etiam peccant mortaliter vt diximus. In communione etiam forensi iudex excommunicatus in actibus suis videtur peccare mortaliter, quia iudicare, & alios actus suæ potestatis exercere est res grauis, & magni momenti, ideo non videtur excusari à peccato mortali, considerãdo præcisè actus illos ratione prohibitionis per censuram, quia per accidens, & alijs respectibus nulli dubium est posse esse mortale.

Quomodo peccet cõmunicans cũ excõmunicato. Regula generalis.

Iudex peccat mortaliter ĩ actibus forẽsibus.

211 Prædicta regula nimirum quod in quatuor vltimis casibus communicantes peccent venialiter etiam intelligitur cum triplici limitatione. Prima est, vt talis communicatio non fiat in contemptum clauium Ecclesiæ. Hęc enim exceptio est communis ad omnia præcepta leuia, & de materia leui, cum enim accedit contemptus, fit mortale. Secunda nisi specialiter, & publica authoritate declaratum sit talem communicationem esse vitandam. Quando enim specialiter per iudicem hæc specialis prohibitio fieret, tunc esset peccatum mortale, quia esset transgressio præcepti particularis valde intenti à superiore. Tertia nisi fiat perseueranter, idest quodammodo habitualiter, nõ quidem apertè contemnendo, sed negligenter se habendo, potest enim ex hac frequentia esse peccatum mortale.

Præter effectus adductos enumerantur aliqui alij, qui vocantur ab aliquibus, effectus excommunicationis per accidens. Primus est, quod literæ Apostolicę ab excommunicato impetratæ, & processus virtute illarum formatus ipso iure irritæ sunt, præterquam in excommunicationis, vel appellationis articulo. Hoc habetur expressè cap. 1. de Rescriptis in 6. sed hic effectus nunc in praxi non videtur habere locum, quia in his Rescriptis semper præmittitur clausula absolutiua ad effectum, vt valorem habeant.

De effectibus alijs excõicationis, qui p accidens dicuntur.

212 Alter effectus quasi remotus est irregularitas, quã incurrit clericus excommunicatus exercendo aliquem ordinem sacrum, vt supra diximus agendo de irregularitate. Alter effectus excommunicationis est, quod si quis per annum in excommunicatione insorduerit sit suspectus de hæresi. Quæ est sententia Canonistarum cum Glosa in caput *contingit*, de dolo, & contumacia. Et confirmatur ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 3. de Reformatione in fine, in quo habet hæc verba de permanente in excommunicatione per annum, *contra hunc tanquam de hæresi suspectum procedi posse*. Verùm vt habet Directorium Inquisitorum 2. part. quæst. 47. nume. 3. hoc procedi de excommunicato non quocunque, sed in causa Fidei. De quo loquitur etiam cap. *cum contumacia*, de hæreticis in 6. Et Pegna in Commentario illius quęstionis ait *ex recepta consuetudine Sanctæ Romanæ, & generalis Inquisitionis intelligo non soleri procedi contra excommunicatos per annum aut amplius, nisi fuerint excommunicati in causa hæresis.* Quare hic effectus non est effectus proprius excommunicationis, sed accidentalis, quatenus scilicet imponitur in odium hæresis. Vlterius autem sequitur, quod excommunicatus interdictus per annum si sit persona ecclesiastica, & habeat beneficium, debet illo priuari, ita affirmat Couarruuias cap. *alma*, 1. par. §. 7. num. 10. cum Canonistis in caput *cum bonæ*, de ætate, & qualitate, & cap. *rursus* 11. quæst. 3.

Secundus effectus est irregularitas. Tertius effectus est suspitio de hæresi.

Permanens in excommunicatione per annũ est suspectus de hæresi, quomodo procedat.

Alter effectus consequẽs est priuatio beneficii.

213 Demum enumeratur inter effectus excommunicationis infamia, excommunicatus enim est infamis. Hunc effectum adducit Nauarrus cap. 27. num. 21. ex cap. infames 6. quæst. 1. hoc tamen limitat cum Lud. Romano vt solum procedat in excommunicato ob causam afferentem infamiam iuris, aut ob contumaciam cum causa inducente infamiam. Aliqui alij effectus ab alijs adducũtur, sed isti sunt certi, & præcipui.

Quartus effectus est infamia.

De causis excusantibus fideles à culpa in communione ciuili cum excommunicato. Caput Septimum.

214 Dictum est fideles participantes, & communicantes cum excommunicato maiori excommunicatione peccare venialiter, & incurrere excommunicationem minorem. Verùm excipiuntur aliqui casus, in quibus licet sine peccato, & incursu in excommunicationem minorem communicare cum excommunicato, qui casus continentur in quodam versu adducto à Glosa in capite *cum desideres*, de sent. excommunicationis, in qua sic habetur.

Hæc anathema quidem soluunt ne possit abesse.
Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

215 Desumuntur autem hę particulę ex varijs iuribus, sed præsertim ex cap. *quoniam multos* 11. quæst. 3. in quo Gregorius VII. Papa misericordia motus sententiam anathematis temperauit, ne per contenta in prædicto versu excommunicationem minorem incurratur. Istæ autem exemptiones sunt rationabiles, & maximè congruentes iuri naturæ.

Prima particula est *vtile*. Hæc significat esse licitum tàm fidelibus ipsis, quàm ipsi excommunicato communicare in omnibus, quę vel ipsis fidelibus, vel ipsi excommunicato vtilia sunt, siue sunt necessaria secundum quid, & ad bene esse, licèt non sint necessaria simpliciter. Et sic si fidelis sit æger, & egeat corporis curatione, potest Medicum excommunicatum vocare, si noscat illum magis ido- Vtile.

neum,

neum, quàm alterum. Item potest consilium petere ab excommunicato, si noscat illum doctiorem alio non excommunicato. Item potest ab illo petere eleemosynam, vel aliquid sibi vtile; si non possit illud ab alio ita commodè habere. Item potest ab illo debita petere, & similia, vt ex varijs iuribus colligitur. Item fidelis potest communicare cum excommunicato in ijs, quæ vtilia eodem modo sunt ipsi excommunicato. Vnde fidelis potest in concione, & etiam sermone priuato hortari excommunicatum ad resipiscendum, & de alijs; quæ ad bonum animæ pertinent. Item propter corporis indigentiam communem potest ei eleemosynam dare. Item potest illi opem ferre, si eo indigeat in conseruandis bonis suis corporalibus, vel famæ, vel bonis fortunæ. Hac eadem ratione ipse excommunicatus potest in omnibus his casibus, & similibus è conuerso communicare cum fidelibus, scilicet ad vtilitatem propriam, vel aliorum, vt dictum est.

Lex. 216 Secunda particula illius versiculi est *lex*, quæ significat, communionem hanc cum excommunicato esse licitam quando debitum, seu iustitia legalis hoc exigit. sed in particulari intelligitur de lege, & debito matrimonij; lex enim, & iustitia Sacramenti, & contractus matrimonij exigit, vt vxor possit communicare cum marito, ideo excipitur ab obligatione vitandi maritum excommunicatum. Vnde vxor non peccat cohabitando cum marito, & ei debitum reddendo non solum quantum ad actum matrimonij, sed etiam quo ad alias actiones, obsequia, & omnem viualem conuersationem, & communionem.

An hoc procedat quādo maritus erat excōmunicatus ante contractum matrimonium. 217 Verùm hic insurgunt tria dubia, de quibus est non leuis contentio inter Doctores, quæ latè tractantur à Recentioribus. Primum est. An resolutio facta, scilicet quod vxor possit communicare cum marito excommunicato in prædictis vsibus procedat, quando maritus excommunicatus fuit antequam duceretur in matrimonium. Nam certum est, quod illud matrimonium est validum. Est ergo dubium, an vxor possit vti hoc matrimonio absque peccato. In hac re non sunt rationes cogentes pro vlla parte. Aliqui tenent partem affirmatiuam, quia in cap. *multos*, est sermo de vxore vera sine restrictione; illa autem est vera vxor. Pœnæ autem, & odia non sunt amplianda. Alij tenent partem negatiuam; Quia nemo ex iniquitate sua debet commodum reportare; Mulier autem ducens in matrimonium excommunicatum peccauit sic communicando cum excommunicato, ideo ex hoc suo peccato non debet reportare commodum hoc, vt liceat impunè vti actibus matrimonij. Hæc opinio videtur probabilior, de qua possunt videri Diuus Thomas in quarto distinctione 18. quæstione 2. articulo 4. & Recentiores, vt Suarez disputatione 15. sectione 4. & Alij infra citandi. Asseruo autem prædicta non habet locum, quando vxor bona fide contraxit cum excommunicato ignorans esse excommunicatum, vnde potest licitè nedum reddere, sed petere debitum, quia nulla est ratio cur priuetur iure suo; Neque maritus excommunicatus peccat reddendo debitum, sed tenetur, sicut ad soluendum debita suo creditori.

An maritus excōmunicatus possit petere debitum. 218 Secundum dubium est, an maritus excommunicatus possit licitè petere debitum ab vxore. Aliqui enim negant asserentes hoc licere solum vxori non excommunicatæ, non autem viro excommunicato; teneri tamen vxorem reddere, si petatur à marito excommunicato. Ratio est quia per illud capitulum, *Quoniam multos*, nihil conceditur excommunicato, sed fidelibus non excommunicatis, vt possint communicare cum excommunicato. Factum est enim in commodum fidelium, non autem excommunicati. Aliqui Alij è conuerso, & magis probabiliter sustinent licitè posse petere. Quoniam non est verisimile Ecclesiam priuasse excommunicatum potestate licitè petendi debitum, quia hoc esset valde periculosum, & maximè onerosum vxori non excommunicatæ, quia solent mulieres ob quandam verecundiam magis abstinere à petitione debiti, quam viri. Et demum quia aliæ communicationes, quæ conceduntur in illo capit. competunt vtrique parti, fideli, & excommunicato; ergo non est cur hanc negemus in matrimonio.

An maritus non excōmunicatus possit petere debitū ab vxore excōmunicata. 219 Tertiū dubium est. An si vxor sit excommunicata, & maritus non sit excommunicatus, maritus possit petere debitum ab illa. Et Aliqui negant eo quia in cap. *multos*, hoc priuilegium videtur concessum vxori, quia de ipsa loquitur, non autem loquitur de marito; ergo. Neque enim hoc casu factum esse videtur. Sed communior sententia est posse licitè petere. Ratio est sumpta ex lege matrimonij, quæ est quod sit mutuus contractus, & equè vtrumque obliget quo ad mutuam cohabitationem, & officium debitum persoluendum; ideo si concessum est, hoc priuilegium vxori, debet intelligi esse concessum quoque marito. Et per hoc patet ad caput allegatum in oppositum. Atque hoc idem dicendum si vterque sit excommunicatus, quia hoc priuilegium nulli eorum aufertor, eo quia alter est excommunicatus quoque propter easdem rationes, & propter alias, quas adducunt Gabriel Biel in quarto distinctione 18. quæstione 3. articulo 1. Caietanus in summa cap. de participatione. Couaruuias cap. *alma*, parte prima §. 1. numero 8. Suarez disputatione 15. sect. 4. numero 14. & alij citati ab ipsis, qui fusè hæc tria dubia pertractant.

Humile quid significet. 220 Tertia particula est *humile*, sub qua comprehenduntur omnes, qui habent aliquam subiectionem ipsi excommunicato, ratione cuius tenentur illi obedire, isti autem sunt filij, serui, ancillæ, seu mancipia, rustici seruientes, & omnes alij similes. Excipitur ergo primo loco filius, seu masculus, seu fœmina, qui licitè potest communicare cum patre, vel matre excommunicatis. Et hæc exceptio est valde rationabilis, quia non erat expediens, nec decens filium à patre excommunicato separari, quia hoc cederet in magnum detrimentum filij, ideo non erat conueniens propter defectum patris, filium sic grauiter onerare.

An filius emancipatus possit cōmunicare cū patre excōmunicato. 221 An verò hæc exceptio extendatur ad filium emancipatum, est contentio inter Doctores. Communis sententia negat: dicit enim filium emancipatum non posse communicare cum patre, quia hic non se habet amplius tanquam filius, sed velut quid extraneum à patre. Hanc sententiam tenent Diuus Thomas in quarto distinctione 18. quæstione secunda, articulo quarto, Richardus ibidem, articulo sexto, quæstione prima, Summistæ communiter. Nauarus cap. 27. numero 27. & alij multi. Aliqui tamen Recentiores quos sequitur Suarez disputatione 15. section. quinta tenent hoc priuilegium extendi quoque ad filios emancipatos: Quia in cap. illo, *Quoniam multos*, generaliter est sermo de filijs, & fauores sunt ampliandi. Item quia debitum illud in filio salutandi patrem, & obsequendi, & seruiendi est de lege naturæ, ideo per excommunicationem non videtur priuari hoc debito. Mihi non videtur recedendum à communi sententia, quia Gregorius Septimus in capit. illo *Quoniam multos*, videtur loqui de ijs, qui quadam necessitate coguntur communicare cum excommunicato: hæc autem non adest in filio emancipato. Ratio autem illa, quod obedientia, & obsequium filij ad patrem est debitum naturale, *Cōsidera hāc rationē an sit valida.* non valet, quia licèt sit debitum naturale: tamen Ecclesia potest illud impedire, quia hoc facit authoritate Christi, qui dixit excommunicatum habe-

ri debere tanquam ethnicum. Atque hoc eodem modo dicendum est de filijs illegitimis, & de adoptiuis; si enim sunt emancipati, non possunt communicare; si verò non sunt emancipati, sed viuunt, vel viuere possunt sub cura patris, possunt cum illo communicare.

De seruis, ancillis, rusticis &c.

221 Sub eadem particula *humile* continentur quoque serui, ancillæ, rustici, idest coloni, qui agros colunt, omnes famuli, & familiares, qui quoquis titulo, vel ratione ipsi excommunicato inseruiunt, & sub eius conductu, & vsu sunt; quia hæc est necessitas communicationis cum Domino. Quod verum est, dummodo non adiuuauerint ipsum dominum in perpetratione criminis, neque post perpetrationem, atque nullo modo in sceleribus eum adiuuarent. Quod habetur ex illis verbis text. *Quoniam multos*, superius adducti, *vt rustici sint, vel non adeo curiales, vt eorum consilio scelera perpetrentur.* An verò ibi per scelara intelligat crimen illud, per quod est excommunicatus, vel contumaciam, vel vniuersaliter, qui ad quoduis scelus coadiuuant, nō video explicatum. Puto posse intelligi vniuersaliter, ita quod sensus sit. Gregorium non voluisse concedere hoc priuilegium quibuscunque subiectis, & seruis excommunicati, sed illis solum, qui illi in honestis & necessarijs rebus inseruiunt, non autem ijs, qui in peccatis, & sceleribus parent.

223 An verò hoc priuilegium intelligatur de seruis, &c. qui actu serui, & subiecti erant, antequam dominus esset excommunicatus, & non de ijs, qui aduenerunt post contractum excommunicationem, est contentio inter Doctores. Nauarus in Manuali cap. 27. numero 27. cum Caietano, Syluestro ex communicat. 5. numero 4. tanent intelligi de illis solum, qui ante excommunicationem subiectionem contraxerant, non de illis, qui post accesserunt. Alij ex aduerso extendunt hoc priuilegium ad quoscunque seruos. Alij extendunt ad omnes seruos, qui contraxerunt obligationem, antequam dominus excommunicaretur, sed nondum actu seruire cœperunt, vt Suarez disputatione illa 15. sect. 5. Adeo quod in primam opinionem incidit, quæ probabilior videtur: Quia hoc priuilegium non datur in contemptum excom. quod videretur fieri, si excommunicatus posset continuò nouos seruos accipere.

224 Atque hoc quoque videtur dicēdum de filijs adoptiuis, qui enim adoptati fuerunt ante excommu. participant hoc priuilegio, non qui adoptantur ab excommunicato post excommunicationem, propter eandem rationem.

225 Sicut autem serui, & subiecti possunt communicare licitè cum domino, & superiore excommunicato, ita quoque dominus, & superior non excommunicatus potest licitè communicare cum seruis, & alijs subiectis excommunicatis: quamuis aliqui citati à Nauar. in Man. cap. 27. num. 27. oppositum tenuerint, quos refellit Nauarus cum Adriano in quarto de Clauibus quæstione tertia, & Suarez vbi supra. Nam cum dominus, & seruus sint correlatiui, quod conceditur seruis, videtur quoque intelligi concessum dominis: Absurdum est enim quod liceat vxori communicare cum marito, & non liceat marito communicare cum vxore. Præterea dominus non potest priuari iure suo in seruos propter delictum serui. Vnde Nauarus cum Adriano dicit hoc magis reduci ad *vtile*, quam ad *humile*. Verùm hoc videtur habere locum in seruis, & alijs familiaribus, & subiectis, qui obligati sunt domino, & dominus illis carere non potest sine aliquo incommodo; At cum sunt serui, qui liberè possunt discedere à domino, & dominus eos potest licentiare absque aliquo eius damno, puto non posse cum illis communicare, quoniam reuera textus ille *Quoniam multos*, loquitur de seruis, & non de dominis, neque in dominis est obligatio ad seruum, & subiectum, sicut in seruo ad dominum.

Limitatio authoris.

226 Atque hoc idem dicendum est de superiore excommunicato respectu seruorum, & subditorum tàm non excommunicatorum, quàm excommunicatorum. Frustra enim concederetur facultas seruis communicandi cum excommunicato domino, si deinde dominus excommunicatus non possit licitè communicare cum seruis non excommunicatis. Et cum seruus est excommunicatus, non propter hoc liberatus est à debito seruitutis, ideo licet domino cum illo in his seruitijs vsualibus, & ordinarijs generaliter, & sine vlla restrictione communicare, vt omnes scrupuli vitentur. Solum debent cauere, ne communicent in crimine criminoso, vt dictum est supra, neque communicent in diuinis, neque in suffragijs.

227 Sed possunt ne inferiores eiusdem familiæ communicare cum altero illorum si sit excommunicatus, & è conuerso? et idem dubium est de fratribus, & sororibus. Mihi placet opinio eorum, qui tenent partem affirmatiuam: Quia cum cogantur in eadem familia manere, videtur impossibile esse non communicare cum illis in vsu, & actibus humanis consistentibus in eadem familia, ideo cum Pontifex dispēset, vt seruus licitè possit communicare cum domino ad tollendum peccata, videtur quoque dispensare in hoc casu, cum eadem sit ratio, & sit in eadem materia.

An seruus possit cōmunicare cū alio seruo excōcato in eadē familia.

228 An verò subditi alicui Principi iurisdictionem temporalem habenti, licitè possint ei communicare, & ille cum illis, aliàs pertractabitur. Interim videri possunt caput *Nos Sanctorum*. 15. quæst. 6. & cap. *iuratos*. eadem. Et Doctores ibidem, & Recentiores, vt Suarez disput. 15. sect. 6. & Alij.

Quid de Principe excommunicato.

229 De Prælatibus verò habentibus spiritualibus iurisdictionem, omnes conueniunt, subditos non posse communicare cum illis, nec ille cum subditis. Quod Doctores apertè tradunt de Episcopo, & suis subditis. Et elicitur ex capit. *miratus*, distinctione 93. & capit. *Sacerdos*, 8. quæstione septima. Ratio est, quia subditi tenentur seruire Prælato, & illi obedire ratione iurisdictionis spiritualis, illa autē per excommunicationem tollitur: ergo nullum vinculū remanet subiectionis. ob quod teneantur communicare cum illo. Et eadem est ratio de Prælato cum subditis, ideo vtique peccant communicando.

An de Prælato excommunicat. cedat.

230 Excipiuntur verò communiter familiares, & serui Episcopi, quia & illi videntur comprehendi in cap. illo *Quoniam multos*. De Prælatis verò Regularium, vt de Monachis respectu Abbatis, est aliquod dubium, quia Richardus in quarto distinctione 18. articulo 81. quæstione tertia, & Paludanus negant Monachos subditos posse communicare cum Prælato, & Prælatum cum Monachis. Alij verò asserunt posse communicare propter cohabitationem, & familiaritatem inter Religiosos, & suos Prælatos, vt Soto in quarto dist. 22. quæstione prima, articulo 4. Syluester, & Alij. sed nulla videtur esse discrepantia, quia Richardus, & Alij dicunt non licere Monacho obedire Abbati excommunicato; neque illum posse præcipere, quia caret iurisdictione: At de hac communione ciuili nil dicunt. Ego autem puto, quod in tali casu Religiosus cum Prælato excommunicato se debeat habere sicut plures in eadem familia, in qua vnus esset excommunicatus, & cogeretur habitare in eadem familia. Nam in hoc casu in ijs actionibus, in quibus vitari nō posset, possent benè communicare. Puto tamen difficile esse dare talem casum. Nam si eueniret, deberet sequestrari in aliqua parte Monasterij, ne cum alijs versaretur, & deberent deputari ad curam eius aliqui serui, qui sine dubio possent cum illo communicare, & ille cum illis. Ad hunc enim tunc extenderetur priuilegium cap. *Quoniam multos*. Et hoc verum est de excommunicato denunciato, & publico.

De Prælato Regularium excōmunicato.

231 At loquendo de Prælato excommunicato non de-

Quid de Prælato excõmunicato nõ denunciato. & de percussore clerici nõ publico.

denunciato, neque publico percussore clerici, sed occulto, est dubium. Et videtur dicendum, quod si adueniat ex communicatione aliquod commodum, vel aliqua vtilitas ipsi subdito, potest licitè secum communicare, & maximè occultè, atque etiam publicè, nisi adsit periculum scãdali, vel alicuius alterius mali, secus si ea hac communione nulla vtilitas obueniat subdito. Et ratio est, quia vt sæpius dictum est, Extrauagans *ad euitanda* est facta in commodum fidelium, non in commodum excommunicati, ideo subditus manet ita liber post Extrauagantem, sicut prius, vnde non tenetur communicare cum illo post Extrauagantem, sicut non tenebatur ante illam. Cum ergo non teneatur vi illius Extrauagantis, & excommunicatio priuet excommunicatum talis communionis, & præcipiat alijs non communicare, nisi ob suam vtilitatem, sequitur, quod extra casum vtilitatis propriæ non possit cum illo ad libitum communicare; & eadem ratione Prælatus non possit communicare cum subditis.

Res ignorata quid significet.

232 Quarta particula est *res ignorata*. Per hanc excluduntur ab excommunicatione minori, & à peccato, qui ignorantia nedum inuincibili, (hæc enim simpliciter excusat ex iure naturæ in quocunque casu à peccato, vt in materia de Pœnitentia diximus: ignorantia affectata nequaquam, quia hæc est culpabilis, & nulli patrocinatur,) sed ignorantia probabili, vel etiam ignorantia proueniente ex aliqua negligentia, & inaduertentia, seu simplicitate quadam communicent cum excommunicato. Hæc exceptio habetur expressè in cap. *quoniam multos*, sæpè dicto: Et intelligitur tàm de ignorantia iuris, quàm facti, adeo quod qui ignorat verbi gratia, percussionem clerici esse crimen, cui imposita sit excommunicatio, quæ est ignorantia iuris, vel ignorat aliquem esse publicè denunciatum excommunicatum, quæ est ignorantia facti, & cum illo communicat, non peccat, neque contrahit excommunicationem minorem. Licèt ergo difficile sit aliquem hodie inuenire, qui ignoret hoc ius, quod percutiens clericum sit excommunicatus, hoc enim est valde notum inter fideles: similiter licèt sit difficile inuenire aliquem, qui quando aliquis publicè est declaratus excommunicatus, ignoret illum esse excommunicatum: quia quæ sic publicè denunciantur facilè, & citò ad notitiam omnium perueniunt, tamen non est impossibile, quod aliqui sic reperiantur ignorantes, ideo si reperiantur, & communicent cum huiusmodi excommunicato, non peccant, nec incurrunt excommunicationem minorem.

De eo, qui est dubius an q.s sit excõmunicatus.

233 Si verò quis sit dubius, Aliqui absolutè dicunt posse communicare, & debere communicare: quia propter solum dubium non possum ego priuare alium communicatione, ad quam ex se ius habet, & vsum expeditum, facerem enim illi iniuriam. Sed melius Aliqui alij Respondent, dubium posse esse ex duplici cap. primo quia ego dubito, an quis sit excommunicatus, & dubito etiam an sit denunciatus excommunicatus, & hoc modo procedit opinio allata, quæ communis est. Alio modo potest quis certò scire aliquem esse excommunicatum, dubitare verò an sit denunciatus, & declaratus vt talis, & in hoc casu non tenetur quidem vitare illum excommunicatum, potest tamen illum vitare si vult. Quia Extrauagans illa *Ad euitanda*, dat priuilegium, vt fidelis possit communicare cum excommunicato, non tamen cogit communicare cum illo. Vnde si modò aliquis reperiatur, qui nolit communicare cum aliquo, quem certò scit esse excommunicatum, sed tamen non est declaratus vt talis, non facit contra illam Extrauagantem, nec peccat, ergo si quoque sciat esse excommunicatum, & tamen dubitet esse denunciatum, poterit non communicare cum illo. Atque eadem ratione si probabiliter dubitet esse excommunicatum, licèt non sit denunciatus, poterit non communicare cum illo, dummodo hoc fiat occultè, & non cum scandalo. Qui verò dubitat de seipso probabiliter, quod sit excommunicatus, tenetur vitare communicationem; quia non est par ratio de ipso, & de alijs; quia magis tenetur excommunicatus vitare communionem, quàm alij; hæc enim directè tendit in illam, & est propter illum; & insuper ipse potest ab hac communione se separare absque iniuria alterius: At nec velle communicare cum alio, est iniuria illi. Qui verò scit aliquem excommunicatum fuisse tenetur illum vitare, donec sibi constet fuisse absolutum. Ad hoc autem vt hoc ei constet sufficienter, satis erunt indicia, quæ probabilem fidem faciant; vt si testes fide digni id asserant, immo si vnus Testis fide dignus de visu id asserat, sufficiet, vel publica fama, vel aliquo alio modo.

Necesse q.d significet.

234 Vltima particula est *necessè*, quæ secundum omnes significat necessitatem orientem ex timore cadente in constantem virum; Vel ex vi; vel est necessitas simpliciter, & absolutè; vt petere eleemosynam in extrema, vel magna necessitate, quam commodè ab alijs habere non potest. Hæc enim necessitas excusat etiam à peccato cum communicatione in diuinis; ergo multo magis excusat hic, Vbi communicans solum peccat venialiter. Hæc autem necessitas præterquam ex iure naturali excusat, vt supra diximus etiam in particulari habetur cap. *Quoniam multos*, supra toties adducto explicitè. atque hi sunt casus in quibus communicans cum excommunicato potest communicare sine peccato, & sine incursu in excommunicationem minorem.

De Absolutione ab excommunicatione.
Caput Octauum.

235 QVantum ad absolutionem ab excommunicatione Scotus breuiter se expedit explicando à quibus ipsa excommunicatio tolli possit. De hac materia diximus aliqua supra hac disputatione cap. secundo agendo de differentia excommunicati à iure, & ab homine, sed tamen ad complementum materiæ duo nunc videnda sunt per ordinem. Primò quis possit ab excommunicatione absoluere, vbi agemus de conditionibus requisitis in absoluente, vt absolutio sit iusta, & de conditionibus eius, qui absoluitur. Secundò de forma, & solemnitate absolutionis. Antequam autem primum aggrediamur, supponendum est primò, excommunicationem non esse vinculum quoddam indissolubile, & sua natura perpetuum, neque ad aliquod certum tempus, sed esse vinculum solubile, & de facto debere solui, & tolli quando adest legitima causa; legitima causa autem est quando cessat contumacia excommunicati, & decernit parere Ecclesiæ. Et ratio est, quia vt diximus, solum incurritur per contumaciam; illa enim est causa propria, per quam quis incurrit excommunicationem, ideo cessante illa, quæ est causa, debet excommunicatio cessare, & tolli. Quod etiam disertè præcipitur cap. *Qua fronte*, de Appellatio. §. secundo, & cap. *ex litteris*, de Constitution. Vnde qui dicunt excommunicationem esse vinculum perpetuum, intelligunt durante contumacia: si enim contumacia perseueret, ita quod neque etiam in morte pœniteat, excommunicationem dicitur durare etiam post mortem.

Excommunicatio non est vinculũ perpetuum, neq. ad certũ tempus diffinitũ.

Excommunicatio valida sola eget absolutione.

236 Supponendum est secundò cum nos loquimur de absolutione ab excommunicatione, esse sermonem de excommunicatione valida, siue illa sit iusta, siue iniusta. Nam excommunicatio, quæ est nulla reipsa, sed solum existimatione, non eget absolutione, sed solum declara-

Tollitur solū per absolutionem.

tione quod sit nulla. Ea autem, quæ est valida, solum per absolutionem tollitur. Vnde licèt excommunicatus satisfaciat, & à contumacia recedat, nondum tamen est liberatus ab excommunicatione, sed debet absolui. Quod elicitur ex cap. *à nobis*, secundo de sententia excommunicationis, §. 2. & cap. *sicut*, & clarissimè ex cap. *cum desideres eodem*, atque Doctores communiter id tradunt in Clementina prima de decimis, & in Glosa verbo *donec*, Couaruuias tamen cap. *alma*, parte prima §. 11. numero 5. tenet in aliquo casu excommunicationem absque absolutione ipso facto tolli, vt cum quis excommunicatur sub hac conditione, donec *satisfaciat*, vel donec *restituat*. Et fundamentum eius est, quia omnis lex, vel prohibitio posita sub conditione, cessante illa conditione ipso facto cessat. Contra quam sententiam disputat Suarez disputatione septima sectio. prima & disputatione 19. sectio. prima, sed non est recedendum à communi opinione firmata iuribus superius adductis, quia peccatum, & contumacia, ob quam fertur excommunicatio, non sunt idem, sed diuersa: ideò ablato primo, non sequitur ipso facto auferri secundum, sed solum sequitur, primo posito, secundum esse auferendum, quia prouenit, & causatur à primo. Fundamentum autem opinionis aduersæ optimè soluitur à Suarez, quia aliud est ferre excommunicationem, & legem sub conditione, vt dicendo, *nisi infra talem terminum satisfeceris*, vel *restitueris*, *sis excommunicatus*; & aliud decernere aliquem esse ligatum excommunicatione donec restituat, & satisfaciat. Quoniam in primo casu nunquam incurritur excommunicatio, nisi adimpleta conditione, ideo si antequam adimpleatur conditio, satisfaciat, non eget absolutione, quia in excommunicationem nondum incurrit. At in secundo casu iam excommunicatione est inodatus; ideo licèt soluat, & satisfaciat, non tamen ob id est liberatus à censura, sed debet liberari per absolutionem. Et hoc dicimus secundum legem ordinariam, & ius commune, secus si Pontifex aliquam excommunicationem alio modo, & forma institueret, quia cum sit supra ius, aliud statuere posset.

Opinio Scoti.
Excommunicatio ab hoīe à quo absoluitur.
Excommunicatio à iure à quo absoluitur.

237 Redeundo nunc ad primum propositum, Respondet Scotus breuiter, quod si excommunicatio est ab homine, ille, qui excommunicauit, potest absoluere, vel superior eius; si autem excommunicatio est à iure, potest absolui ab eo, qui condidit ius illud, & consequenter à superiore eius, qui condidit illud ius, si ille habet superiorem. Verum an possit absolui ab alio, Scotus est dubius. loquit enim secundum aliquos, scilicet Richardum dist. 18. art. 9. quæstion. prima, & tertia, & Diuum Thomam ibidem articul. 2. quæstione quarta à quocunque Sacerdote posse absolui, nisi absolutio sit reseruata à Legislatore sibimet Legislatori, & addocit rationem ipsorum, quem etiam confutat vt videbimus. Tria itaque apertè asserit esse vera. Primum, quod loquendo de excommunicatione ab homine: qui imposuit excommunicationem, potest illam absoluere. Secundum quod etiam superior potest ab eadem absoluere. Tertium quod loquendo de excommunicatione à iure, ille potest ab ea absoluere, qui condidit legem illam. Non ponit Scotus illud aliud membrum, quod etiam superior illius, qui condidit legem, possit ab illa absoluere, sed subintelligitur; quia procedit ex eisdem fundamentis, quibus innititur assertio de absolutione ab homine. Quartum est dubium, an scilicet quicunque Sacerdos seu inferior possit absoluere ab excommunicatione lata à iure, si non sit reseruata ipsi Legislatori. Hæc omnia breuiter sunt explicanda.

Quatuor asserta Scoti.

238 Et quidem circa primum assertum nulla est difficultas, omnes enim conueniunt esse verum. Ratio communis est, quia eadem potestas requiritur ad soluendum, quæ ad ligandum; Cum ergo ad ligandum requiratur potestas iurisdictionis in ligante, eadem requiritur in absoluente; ergo excommunicatio ab eo potest tolli, à quo fuit imposita. Hæc ratio etiam colligitur ex cap. *inferior*, distinction. 21. cap. *ad reprimendam*, de officio ordinand. & ex alijs iuribus. Atque ex verbis Saluatoris Matthæi 18. qui potestatem ligandi, & soluendi simul iunxit. Atque hoc intelligitur de eo, qui posuit excommunicationem, si retineat eandem potestatem, & de successore in eadem potestate; quia æquiualet illi, & hæc clara sunt. Atque eadem ratione excommunicatio potest tolli ab alio, cui hæc potestas conceditur ab eo, qui tulit excommunicationem; quia donec durat illa delegatio, censetur habere eandem potestatem.

De primo asserta Scoti qui posuit excō. potest ab illa absoluere.

Hoc autem verum est, nisi superior excommunicationem latam ab inferiori sibi reseruet. Quod contingit duobus modis. Primò quando specialiter superior vt Summus Pontifex confirmat sententiam excommunicationis latam ab inferiori; tunc enim ex eo quod eam sententiam confirmat ex certa scientia, facit illam sententiam suam, & ideo amplius inferior non potest super illam; Secundò quando aliqua lege generali superior statuit, quod excommunicatio lata pro tali crimine, vt puta contra incendiarium maneat reseruata sibi; tunc enim inferior excommunicans aliquem tali excommunicatione, non potest eum ab illa absoluere, nisi ea priuilegio, vel alio modo ei concedatur. Consentit Nauarus in Manuali cap. 27. num. 4. & Alij citati ab illo, & clarè sequitur ex dictis, & sumi potest ex cap. *pastoralis*, de officio ordinarij, & cap. *sacro*, & cap. *per tuas*, de sent. excommunicationis.

Duplex exceptio.

Secundum assertum quod superior possit absoluere ab excommunicatione lata ab inferiori, & subdito in iurisdictione, est euidens, & communiter concessum. Et ratio est clara; quia quidquid potest causa inferior illud idem potest causa superior in illo genere; ideo si inferior potest absoluere ab excommunicatione lata à seipso, idem poterit eius superior.

De secundo asserto.
Superior potest absoluere ab excommunicatione lata ab inferiore Iudice.

239 Sed est difficultas, an præter eum, qui tulit excommunicationem, & superiorem eius, alius possit ab eadem excommunicatione absoluere. Et varij casus adducuntur, & primò est dubium. An quod dictum est, habeat locum non solum in sententia excommunicationis lata ab homine contra aliquem particularem, vel aliquos particulares, sed de excommunicatione generali lata de criminibus, vel aliquo crimine præterito ad hoc vt satisfaciant ij, qui deliquerunt, vt cum Prælatus excommunicat quemcunque, vel quoscunque, qui fecerunt tale delictum, &c. nisi satisfaciant tali tempore, &c. Hæc enim est excommunicatio ab homine, non à iure; quia vt supra diximus, non est registrata in corpore iuris, nec lata per statutum, vel tanquam aliquam legem permanentem. Secundò est dubium, an excommunicatus ab vno Episcopo, mutans domicilium possit absolui ab eo Episcopo, in cuius Diœcesi accepit de nouo domicilium. Tertiò an qui dum versaretur in vno Episcopatu, ab Episcopo illius loci fuit excommunicatus ob aliquod crimen, rediens in patriam possit absolui à proprio Episcopo suæ patriæ. Quartò an excommunicatus ab Episcopo, & deinde ingrediens Religionem, possit absolui à Prælato illius Religionis, cui fit subiectus per ingressum Religionis illius. Quintò an Iudex à quo post factam appellationem possit absoluere ab excommunicatione, & censuris eum, qui appellauit. Sextò an qui ad instantiam partis fuit excommunicatus ab vno Iudice, ex conuentione partium possit absolui ab alio Iudice quocunque, vel Sacerdote.

An alius ab eo, qui excōmunicauit, & superiore possit absoluere.
Primum dubium.
Secundū dubium.
Tertium dubium.
Quartum dubium.
Quintum dubium.
Sextū dubiū.

240 Ad primum dubium est non leuis contentio inter Doctores, vt est videre apud Couaruuiam cap. *alma*, parte 1,

Ad primum dubium.

re 1. §. 12. num. 4. apud Nauarrum in summa cap. 27. numer. 44. Suarez disp. 7. sect. 2. & apud Alios. Duæ autem sunt sententiæ. Aliqui asserunt de hac sententia excommunicationis generaliter lata iudicandum esse eo modo, quo de censura lata à iure; Et quia tenent excommunicationem latam à iure posse absolui à quocũque alio, ab eo qui illam posuit, & à superiore, vt infra loquendo de absolutione ab excommunicatione à iure dicemus, ita in proposito dicunt hanc excommunicationem generalem latam à Iudice, à quocunque Sacerdote absolui posse. Et hanc sententiam tenent Nauarus cap. *ita quorundam*, de Iudæis, num. 25. & in Man. cap. 27. num. 44. cum Imola, Felyno, Couarruuias vbi supra, & Alij.

Prima opinio.

241 Alij asserunt ex aduerso hanc excommunicationẽ generalem latam ab homine, tolli eo modo, quo tolluntur aliæ sententiæ excommunicationis latæ ab homine, cuiusmodi sunt excommunicationes particulares. Et quia excommunicationes particulares non possunt absolui nisi à Iudice, qui illas ponit, vel à superiore eius, ideo dicunt etiam, excommunicationem generalem à nullo alio posse tolli, nec dimitti. Hanc opinionem sequitur Glosa in caput *ex frequentibus*, de institut. Abbas, & Alij, quos citat, & sequitur Vgolinus tabula 1. cap. 4. num. 5. & alij relati à Suarez disp. illa 7. sect. 2. quos ipse quoque sequitur cum Caietano in summa verbo absolutio ab excommunicatione. Atque hæc sententia mihi quoque probatur: Quia re vera excommunicatio generaliter lata contra quoscunque, qui aliquod delictum fecerint, non est excõmunicatio à iure, cum non sit registrata in corpore iuris; neque sit statutum aliquod; quia hoc respicit futurum, & est de peccatis futuris, non factis; Hæc autem est de peccatis, seu excessibus factis, & præteritis; ergo debet de ea iudicari sicut de excommunicationibus latis ab homine decernitur in iure. De illis autem decernitur, quod non possint absolui nisi à Iudice, qui illas posuit, vel à suo superiore, vt apertè habetur cap. *nuper*, de sent. excommunicationis §. 4. & 5. in quo ponitur discrimen inter excommunicationem ab homine & à iure, & excommunicationem ab homine dicitur non relaxari nisi à Iudice eam ferente, vel ab eius superiore; excommunicationem verò à iure posse relaxari ab Episcopo, vel à Parocho; ergo dicendum est, excommunicationem generalem non posse relaxari nisi à Iudice, qui illam tulit, vel à suo superiore, vt dictum est de alijs excommunicationibus ab homine. Et confirmatur, quia etiam in praxi est tutior, & saltem magis conformis iuri, quam opposita, ideo non puto ab hac esse recedendum, licèt pro opposita sententia sint grauissimi Doctores, & illa sit benignior.

Secunda opinio, quæ est approbanda. Ab excommunicatione generali lata ab hoĩe quis possit absoluere.

242 Ad secundum dubium Respondetur quod excõmunicatus ab Episcopo suo vel est excommunicatus non particulariter, nec nominatim, sed solum generaliter, quia scilicet Episcopus excommunicauit in genere quemcũque qui illud delictum fecit; Vel est excommunicatus particulariter nominatim. Si primo modo authores oppositæ sententiæ in præcedenti puncto, Nauarus, & Alij dicerent posse absolui ab Episcopo, in cuius Diœcesi domicilium cœpit: quia dicunt illam à quocunque posse absolui, sicut excommunicationem à iure, & Suarez iudicat hoc esse probabile: quia inquit illam sententiam esse probabilem, & in praxi securam; si verò sit excommunicatus secundo non posse absolui, nisi à Iudice, qui tulit sententiam; quia ille iam acquisiuit ius; ideo iurisdictio sic per actum confirmata non amittitur per translationem dominij iuxta cap. *proposuisti*, de re competenti, & aliter faciendo plures fraudes committi possent. Verùm loquendo ad consequenter dicta, dicendum est, quod siuè sit excommunicatus primo modo, siuè secundo, semper est excommunicatio ab homine, & ideo solum à Iudice, qui tulit eam potest iudicari, vel ab eius superiore.

Ad secundũ dubium.

An excõmunicatus ab Episcopo, mutans domicilium, ab alio Episcopo absolui possit.

243 Ad tertium dubium Respondetur, quod qui versatur in episcopatu alieno, non est subditus illi Episcopo, ideo non potest excõmunicari ab illo per excõmunicationem ab homine, nec generaliter, nec in particulari pro quantumcunque graui delicto facto, vt patet per caput *Romana*, de sent. excomm. in 6. Ad hoc autem vt possit ab illo excommunicari, necesse est, quod fiat suus subditus, vt puta ratione delicti in sua iurisdictione commissi, vel aliquo alio titulo, hoc autem fieri non potest, nisi prius Episcopus fecerit statutum, quod qui fecit tale delictum sit excommunicatus: Nam tunc peregrinus faciens illud delictum in eo episcopatu alieno, fit subditus illi ratione delicti commissi, & sic incidit in excommunicationem; sed tunc illa excommunicatio non est ab homine, sed à iure, & ideo de illa est iudicandum sicut de excommunicatione à iure; Et tunc consequenter est dicendum, quod non potest absolui à proprio Episcopo, sed ab Episcopo, in cuius Diœcesi deliquit, & à cuius excommunicatione ligatus fuit, quia à tali excommunicatione in iure decernitur, vt nõ nisi Episcopus ille absoluere possit, in cuius Diœcesi deliquit: quia ratione criminis illius in illa causa ille delinquens factus est subditus illius Episcopi, & exemptus à iurisdictione proprij Episcopi. Alio etiam modo poterit fieri subditus illi Episcopo quo ad censuram, vt si fecit delictum in illa Diœcesi, ad quod non erat imposita pœna excommunicationis, sed Episcopus sciens illud delictũ, præcepit huiusmodi delinquenti, vt satisfaciat parti pro tali delicto sub pœna excommunicationis incurrenda tali tẽpore; nam si eo tempore non satisfaciat, fit excommunicatus, nec potest absolui à proprio Episcopo, quia ratione delicti factus est subditus illius Episcopi, in cuius episcopatu deliquit, ideo potuit ei præcipere, & excommunicatione ligare. Idem dicendum, si ita versatus in alieno episcopatu citatus fuit in aliqua causa coram illo Episcopo, in qua causa contingat ipsum excommunicari, non potest ab alio absolui, quia ex lite coram ipso, Episcopus ille accepit ius in illum, vt habetur cap. *proposuisti*, de foro competenti.

Ad tertium dubium.

244 Ad quartum dubium Respondetur quod Regularium superiores habent potestatem absoluendi suos subditos tàm ante ingressum Religionis, quàm post à quibuscũque censuris, tàm à iure, quàm ab homine, exceptis ijs, quæ deductæ sunt ad forum contentiosum, vt patet per Bullam Sixti IIII. dictam Mare magnum §. 1. 3. & 12. vt patet apud Consettium titulo 17. cap. 7. & in summario Priuilegiorum Marismagni; quæ priuilegia confirmata sunt per Bullam Gregorij XIII. incipientem, *Ex benigna Sedis Apostolica*, & alijs, & in Conc. Tridentino sess. 25. cap. 20. vt diximus in libro de Pœnitentia disp. 27. nu. 37. (Suarez disput. 7. allata sect. 2. num. 30. dicit hoc priuilegium cõcessum fuisse Ordini nostro Minorum) & ad alias Religiones per excommunicationem extenditur, quæ concessio intelligitur non de casibus ad forum contentiosum deductis, hi enim semper excluduntur, sed de casibus occultis, siuè in quo persona delinquẽs est occulta, nec deducta ad forum contentiosum. Vnde ad dubium propositum dicendum est, quod qui est excommunicatus ab homine in particulari, cum eius causa deducta sit ad forum contentiosum, Superior Religionis non potest illum absoluere; si autem sit per excommunicationem generalem excommunicatus, cum sit occultus, poterit ab eo absolui. Vnde cum in priuilegijs Regularium dicitur, quod possint absoluere à censuris ab homine, intelligitur de latis generaliter, non de latis specialiter, & in particulari propter causam allatam.

Ad quartũ dubium.

245 Ad quintum mihi videtur dicendum non posse, quia differens appellationi à se iurisdictionem abdicauit, cap. *cum appellationibus* in 6. Neque caput, *si à Iudice* eodem titulo in 6. obstat, vt vult Suarez vbi supra, quia cum ibi dicitur, quod qui appellauit, si citetur ad videndum tolli grauamen, debet comparere, & quod Iudex potest deinde prosequi iudicium, loquitur de appellatione à sententia interlocutoria, non diffinitiua; excommunicationis autem sententia à Iudice est diffinitiua, ideo Iudex per appellationem verè amittit iurisdictionem, & transit ad Iu-

Ad quintũ dubium.

dicem à quo, qui sine dubio poterit absoluere seruatis debitis circumstantijs.

Ad sextum.

Ad sextum Respondetur non sufficere consensum partium, quia illæ non possunt conferre iurisdictionem, necesse est ergo adire superiorem, à quo absoluatur.

De tertio asserto. *De absolutione ab excommunicatione à iure.*

246 Circa tertium assertum Scoti nulla est difficultas; omnes enim fatentur, excommunicationem à iure posse absolui, & dimitti ab eo, qui fecit Canonem, si non sit suspensus, vel aliquo alio impedimento priuatus iurisdictione propter eandem rationem, propter quam diximus supra excommunicationem latam ab homine, ab eodem Iudice, qui eam tulit, posse dimitti, & absolui vbicunque sit, & eadem ratione à suo Superiore, quia potestas ligandi, & absoluendi est eadem.

De quarto asserto Scoti. *An excommunicatio à iure possit ab inferiori, vel ab alio absolui.*

247 Tota difficultas est circa quartum assertum, de quo Scotus videtur dubius, an scilicet excommunicatio à iure possit dimitti ab alio, quam à Legislatore, nimirum ab inferiore. Vt exempli gratia, an ab excommunicationibus latis in corpore iuris à Summo Pontifice possit Episcopus, immo & Parochus, vel alius Sacerdos habens facultatem absoluendi à peccatis, ab illis absoluere. Similiter an Parochus, & simplex Sacerdos habens authoritatem absoluendi à peccatis possit absoluere ab excommunicationibus latis in aliquo Episcopatu per statuta particularia illius Episcopatus: De his enim eadem est ratio. In hac difficultate certum est excommunicationem latam in aliquo Episcopatu per statutum particulare illius Episcopatus, non posse ab alio Episcopo dimitti, nec ab eo ab illa aliquem absolui. Ratio clara est; quia Episcopus alienus non habet authoritatem iurisdictionis super subditum alterius Episcopi, ideo sicut non potest illum excommunicare, sic non potest eum absoluere ab excommunicatione lata à suo Episcopo. Vnde vt videbimus infra, qui tenent alium à Legislatore posse absoluere ab excommunicatione ab eo lata, intelligũt id fieri posse respectu suorum subditorum; quia in cap. *nuper*, de sent. excomm. in quo fundantur, dicitur, hanc absolutionem fieri posse *à proprio Sacerdote*; proprius autem Sacerdos est qui habet iurisdictionem in subditum.

248 Est ergo difficultas, an inferior possit absoluere ab excommunicatione lata in iure à Superiori; vt an Episcopi possint absoluere ab excommunicationibus in corpore iuris latis à Papa, & illi non reseruatis; & an Sacerdos Parochialis, vel habens authoritatem absoluendi à peccatis, possit absoluere ab excommunicatione lata per statutum particulare Episcopi.

Prima opinio quæ est affirmatiua D. Thomæ, & aliorum.

249 In hac re sunt duæ opiniones. Prima est affirmatiua, omnem excommunicationem à iure non reseruatam Legislatori, tam latam à Pontifice in corpore iuris, vel in Extrauagantibus, quam latas ab Episcopis, & alijs habentibus potestatem iurisdictionis super aliquos subditos per aliquod statutum, posse absolui nedum à Legislatore, sed à Parocho, & quouis alio Sacerdote habente authoritatẽ absoluendi à peccatis. Hanc sententiam tenent D. Thomas in 4. sent. dist. 18. quæst. 1. art. 5. D. Bonauent. par. 2. quæst. 6. Richardus eadem dist. art. 9. quæst. 1. & 5. Soto dist. 22. quæst. 2. art. 3. Maior dist. 19. quæst. 2. Syluester verbo absolutio 1. num. 4. & verbo casus 1. num. 3. Nauarrus in summa cap. 27. num. 39. Suarez disp. 7. sect. 3. & 4. & Alij. Fundamentum huius opinionis desumitur ex cap. *nuper*, de sent. excomm. Nam in eo capitulo habetur hæc regula. *Quod non est reseruatum sibi a Legislatore, est concessum*. Nam eo capite Pont. ponit duplicem casum excõmunicationis. Primus est quando quis incurrit excommunicationem, eo quia communicauit cum excommunicato in crimine criminoso: & hæc est excommunicatio maior: & ab hac ait Pontifex, neminem posse absoluere nisi illum, qui tulit excõmunicationem, vel eius Superiorem. Secundus casus est, quando quis incurrit excommunicationem, quia communicat cum excommunicato excommunicatione maiori in casibus à iure prohibitis contentis *os, orare, vale, &c.* de quibus supra, quæ excommunicatio est excommunicatio minor, vt supra diximus; in hoc casu dicit Pontifex, quod licèt hæc sit excommunicatio à iure, tamen ab ea excommunicatus poterit absolui à suo Episcopo, vel à proprio Sacerdote; Et reddit rationem: quia *ex quo conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi*. Ex hac ratione Pontificis colligunt Doctores prædicti hanc regulam generalem, quod ab omnibus censuris latis à iure cõi, & statutis particularibus non reseruatis, possit non solum Legislator, sed quilibet alius Sacerdos proprius, idest habens authoritatem absoluendi à peccatis, absoluere.

Secunda opinio quæ est negatiua.

250 Ex altera parte alij Doctores oppositum sentiunt, scilicet neminem posse absoluere ab excommunicatione maiori lata à iure, non reseruata, nisi conditorem Canonis, & sic ab excommunicationibus Papæ in iure communi latis nõ reseruatis, neque Parochum, neque Episcopum posse absoluere. Hanc sententiam videtur tenere Scotus, licèt sub dubio in hoc 4. dist. 25. quæst. 1. versiculo *Qualiter relaxatur*. eandem insinuat Caietanus in summa verbo *Absolutio ab excommunicatione*, Durandus in 4. distin. 18. quæst. 4. Paludanus quæst. 5. Couaruuias in cap. *alma*, par. 1. §. 12. num. 5. qui citat alios multos. Scotus pro hac sententia arguens impugnat fundamentum oppositæ sententiæ. Nam (inquit) Regula illa Aduersariorum *ille non reseruat; ergo concessit*, est falsa; quia consequentia illa formaliter etiam secundum iura non valet. Nam adest alia regula illi contraria, nimirum. *Quod non est concessum, videtur prohibitum*. Absoluere autem ab excommunicatione videtur contineri sub hac regula; ideo potius est in contrarium, quod cum Pontifex ferat sententiam excommunicationis, neque concedat Episcopis, vel Parochis eius absolutionem, videtur illis eam prohibere. Hæc regula videtur eliti ex cap. *dilectus filius*, de tempore ordinãdorum, in quo Papa dicit, quod Episcopus ille, qui ordinauit quendam die eadem ad tres ordines, etiam si habuisset mandatum Archiepiscopi, non debuisset facere, & adducens rationem inquit, *tum quia si de mandato Archiepiscopi constaret illi. cum illi huiusmodi dispensatio à Canone non sit permissa ipsi obtemperare non debuit in hac parte*. Videtur ergo illud, quod non est permissum, seu concessum, esse prohibitum. Sed hæc regula expresse habetur in Clementina *porro*, de verborum significatione, in qua dicitur. *Vbi aliquid generaliter prohibetur, quod expresse non conceditur, intelligitur denegatum*.

Ratio Scoti. *Opinio Scoti.*

Confirmatio.

251 Confirmatur ab alijs, quia si illa regula esset vera. *Quod non est prohibitum, est concessum*. sequeretur, quod quando Pontifex facit legem aliquam non prohibens expresse, ne aliquis inferior dispenset, possẽt inferiores in illa dispensare. Consequens est aperte falsum, vt omnes cõcedunt; ergo. Consequentia probatur, quia non habetur prohibitio positiua, quod inferior non possit dispensare super illam legem.

Confirmatio alia.

Confirmatur adhuc, quia sequeretur, quod Episcopus posset dispensare in omnibus gradibus matrimonij prohibitis; quia nullibi habetur positiua prohibitio, quod tamen est falsum, vt patet ex vsu Ecclesiæ.

Suarez concedit regulã illã esse falsã

252 Propter has rationes rectè concedit Suarez vbi supra regulam illam esse falsam, & malè extendi ab aliquibus ad omnem actum iurisdictionis ecclesiasticæ, vt sunt dispensationes legum, irregularitatem, &c. Et falsam esse illam propositionem quorundam Doctorum, quod Episcopus possit dispensare cum suis subditis in toto iure Pontificio, nisi dispensatio expresse sit reseruata Papæ. Item falsum est axioma illud quorundam Doctorum. *Quidquid potest Papa in tota Ecclesia potest Episcopus in tota Diœcesi, nisi prohibeatur*. Quod præter rationes adductas, patet inductione. Nam Papa potest irritare clandestina matrimonia, quod sine dubio non potuisset Episcopus in suo Episcopatu. Potuit etiam Papa reddere personas certas inhabiles ad matrimonium, quod non potuisset Episcopus. Probatur etiam ratione, quia vt diximus libro de

Falsum est illud axioma quid quid potest Papa in tota Ecclesia potest Episcopus ĩ sua diœcesi.

Po-

Pœnitentia, potestas iurisdictionis Episcoporum communicatur illis immediatè à Papa secundum veriorem sententiam; sed dato quod illis communicetur à Deo immediatè, vt Alij dicunt, communicatur tamen cum subordinatione ad potestatem Papæ, ideo non possunt nisi ea, quæ Papa illis concedit, & non limitat; Cum ergo facit aliquã legem, vel mandatum, & aliquem ligat censura aliqua, ipsi non possunt eam absoluere sine licentia Papæ.

Alia confirmatio.

253 Et confirmatur; quia reuera illud cap. *nuper*, casu secundo loquitur de excommunicatione minori, vt omnes fatentur; & dicit Episcopum, & Parochum ab illa posse absoluere; quia licet sit excommunicatio à iure, tamẽ quia conditor Canonis illam sibi non reseruauit, possunt absoluere; non loquitur autem de excommunicatione maiori; ideo ex illo cap. velle elicere regulam generalem, quod possint absoluere à maiori, si non sit reseruata, nobis vidẽtur regulæ nimiam extensionem facere. Dicere autem, quod illa opinio nõ innititur illi Decreto, sed rationi, qua vtitur Pontifex, iam dictum est, illam non esse vniuersaliter veram, & ideo non potuit Pontifex illam vniuersaliter intelligere, sed solum quatenus inseruiebat illi Decreto particulari.

Resolutio quæstionis.

254 Est ergo dicendum, quod ex illo cap. non potest haberi quod Episcopus, & Sacerdos quicunque habens iurisdictionem absoluẽdi à peccatis, habeat potestatem absoluendi ab excommunicatione à iure non reseruata; atq; Sacerdos, vel Parochus possit absoluere ab excommunicatione lata ab Episcopo per aliquod statutum non reseruata, vt dicebat Scotus. Quia tamen est in vsu, & seruatur in praxi, saltem vt ab excõmunicationibus Papalibus non reseruatis absoluant, quod supponunt Recentiores, vt Nauarus in Manuali cap. 27. num. 39. Suarez disp. illa 7. sect. 4. num. 6. & 7. & 10. & Alij contra Couaruuiam, qui tenet hanc sententiam non seruari in praxi (de qua consuetudine consulendi sunt Episcopatus, & quod seruatur in illis seruari) dicendum est, hoc ex alio fundamento oriri, scilicet ex consuetudine antiqua, vt velle videtur Suarez, vel ex aliquo statuto generali, licèt de eo non constet. Vnde Scotus non negat, Episcopum, & Inferiorem non posse absoluere ab excommunicatione huiusmodi, sed negat hoc licere propter illam rationem ex cap. *nuper*, vt diximus.

Quis potest absoluere à cẽsuris reseruatis.

255 Circa idem quartum assertum Scoti, & commune quantum ad secundam partem, scilicet quis possit absoluere ab excommunicatione reseruata, nihil aliud dicendũ occurrit, nisi quod regula certa est, quod ab huiusmodi censuris solus author canonis, vel eius superior, vel qui ab eis potestatem habet, potest absoluere. Hęc patent ex cap. illo *nuper*, de sent. excomm. apertè, vt ex dictis videri potest. Quando autem, & quomodo possit absoluere ille, cui ab ipsis conceditur potestas absoluendi, vel per delegationem particularem, vel generalem, vel per priuilegia, vt per Indulgentias, Iubilæum, &c. petendum est ex forma verborum concessionis, quæ diligenter sunt inspicienda: nihil enim præter intẽtionem concedentis facultatem potest efficere, quæ intentio verbis est explicata, de qua re possunt videri quæ diximus libro de Pœnitentia agẽdo de licentijs absoluẽdi à casibus reseruatis, & de Indulgentijs, quandoque enim cum illis simul conceditur facultas absoluendi à casibus, & censuris reseruatis, quæ ad hoc propositum sunt applicandæ. Est verò difficultas, an facultas absoluendi à censuris per Priuilegia, & per Indulgentiam habeat locum tantum in foro interiori, & conscientiæ, an etiam in foro exteriori. Sed breuiter est dicendum, quod forma concessionis est attendenda, si enim explicet in vtroque foro valere, non est dubium; si etiam dicat in foro interiori valere tantum, etiam nulla remanet dubitatio. At si absolutè concedat facultatem, videndum est, an ex modo concessionis, & ex subiecta materia intelligat illam valere, quoque in foro exteriori, vt e.g. si obtineat hanc facultatem in ordine ad confessionem faciendam, & suscipiendum sacramentum, quomodo concedi solet hæc facultas in Iubileis, in quibus cum Indulgentia plenaria conceditur quoque facultas absoluendi à censuris, valet solum in foro interiori. Et sic de alijs est censendum.

Quid quãdo facultas absoluendi conceditur satisfacta parte.

256 Conceditur etiam hęc facultas aliquando sub hac conditione *satisfacta parte*, vel aliqua simili. Dubium est apud aliquos quomodo intelligatur. Respondetur breuiter quod intelligitur, debere illam conditionem præcedere, ita quod non potest habens talem facultatem illa vti, nisi præcedat satisfactio partis, quia est conditio requisita, qua non adimpleta, facultas concessa est nulla. Sed quid si esset impossibile pro tali statu excommunicatum satisfacere parti? Respondet Soto in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. non posse absolui ex tali priuilegio, & licentia; quia illa valet tantum adimpleta conditione, quæ cum hic non adimpleatur, potestas est nulla; quamuis dicat in hoc casu esse absolutum apud Deum. Suarez eadem disput. 7. sect. 5. num. 41. citans alios, vt Grafium lib. 4. cap. 16. num. 6. & Nauarum adductum à Grafio cap. 27. nu. 37. censet posse absolui quando absolutio non potest differri, nisi per magnum tempus, & cum magno detrimento, dummodo satisfaciat eo modo, quo potest, scilicet prestãdo cautionem, vel pignorationem saltem iuratoriam, si aliam non possit, & ostendat signa contritionis. Et hoc ego quoque iudico probabilius, quia ad impossibile nemo tenetur. Neque est verisimile, Pontificem postulare conditionem impossibilem, & faciens quod potest, videtur satisfacere parti, quia pars non debet, nec rationabiliter potest petere nisi id, quod est possibile; ideo si faciat quod potest, satisfacit parti. Si autem commodè possit satisfacere, & tamen Sacerdos eum absoluat non satisfacta parte, absolutio est nulla, si illa particula ponitur tanquam conditio necessariò requisita, vel irritans absolutionem factã, illa non adimpleta. Si tamen apponeretur illa particula non tanquam conditio necessariò requisita ad hoc vt absolutio valeret, sed absolutè concederet facultatem absoluendi, monendo, vel præcipiẽdo vt facere satisfacere parti, tunc esset valida, licèt iniusta; quia haberet veram potestatem iurisdictionis, vt etiã tenet Suarez vbi supra contra Grafium, citans pro hac sententia Nauarum in Manuali cap. 27. num. 37. vbi hanc sententiam aliquo modo innuit. Debet ergo diligenter inspici forma concessionis, & secundum illam iudicari. Addunt prædicti Authores per partem intelligi non Prælatum excommunicantem, vel præcipientem, sed personam offensam per iacturã honoris, vel famæ, vel bonorum fortunæ. Exemplum clarũ est in Concilio Tridentino sess. 25. cap. 12. de Reformatione, in quo habentur hæc verba de decimis. *Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena facta restitutione absoluantur.*

Quid intelligatur per satisfactionem partis.

Conditiones requisitæ in absoluente.

257 Quantum ad conditiones requisitas in absoluente vt absolutio sit valida, patet ex dictis, præcipuam esse vt habeat potestatem iurisdictionis in eum, qui absoluitur; quia sine hac nihil fit. Secundò requiritur, quod absoluẽs sit clericus; quia potestas spiritualis non cõpetit laicis, ideo debet saltem prima tonsura esse initiatus, non tamen est necessarium vt sit Sacerdos, sed sufficit vt sit clericus, & aliquo ex ordinibus inferioribus consecratus. An verò in aliquo casu laicus possit absoluere ab excommunicatione, vt puta in articulo mortis deficiente Sacerdote, est aliqua contentio inter Doctores, vt est videre apud Couaruuiam cap. *alma*, par. 1. §. 11. num. 9. & 10. Suarez eadem disp. 7. sect. 6. & Alios. Ego puto in hoc casu absque dubio non licere laicis absoluere ab excommunicatione, quia laici clauium potestatem in spiritualibus nõ habent cap. *verbum*, de Pœnitentia dist. 1. sed hæc solis clericis competit. & cũ Pontifex, & Concilium concedunt facultatem in articulo mortis absoluendi ab omnibus censuris, præsumitur id intendere in ordine ad confessionem peccatorum, scilicet vt à peccatis in illo casu possint absolui; at potestas absoluendi à peccatis nõ potest competere laico; ergo neque facultas absoluendi à censuris in articulo mortis potest competere laico. & hanc sententiam tenet Nauarus cap. 1. n. 83.

de

de Pœnitentia dist. 6. & probatur à Couarruuia cap. *alma*, par. 1. §. 11. num. 9. ex Glosa in cap. vltimum 24. quæst. 1. & authoritate multorum Doctorum.

258 An verò clericus, sed nō Sacerdos qui excommunicauit, & habens potestatem absoluendi ab excommunicatione in articulo mortis, possit absoluere, est etiam contentio, asserētibus alijs id solis Sacerdotibus licere, vt Suarez eadem sect. 6. (qui in hanc sententiam citat Couaruuiā qui tamen expressè contrarium sustinet eodem §. num. 10.) & fundamentum huius sententiæ est vsus Ecclesiæ, & authoritas Concilij Tridentini sess. 14. cap. 7. quod loquens de concessione huius facultatis pro articulo mortis, loquitur semper de Sacerdote. Sed mihi probatur sentētia Couaruuiæ, & aliorum, qui asserunt etiam hoc licere clerico, & Prælato habenti hanc iurisdictionem absoluendi ab excommunicatione. Et ratio est euidens: quia hæc absolutio ab excommunicatione non est sacramentalis, ideo non indiget Sacerdote pro ministro, & Iudex potest eum absoluere extra articulum mortis, quare ergo non potest etiā in articulo mortis? Sacrum autem Concilium Tridentinum loco citato concedit illam facultatem Sacerdotibus non habentibus illam, nō tamen propter hoc eam aufert illis, qui iam vel ordinariè, vel ex aliqua delegatione illam haberent.

Absolutio debet esse liberè facta.

259 Altera conditio est, quod hęc absolutio fiat liberè, non coactè, sicuti supra diximus in ferente excommunicationem, hanc libertatem requiri. Vnde proportionaliter est dicendum de imponente censuram, & absoluente ab illa: vterque enim actus debet esse liber, non factus metu, quod ibi declarauimus.

De conditionibus ex parte excōicati.

260 Quantum ad conditiones requisitas ex parte absoluendi. Prima, & principalis est, quod absoluendus sit subditus absoluentis, idest quod absoluens habeat iurisdictionem in illo quo ad auferendum excommunicationē quod patet ex dictis, quia excommunicare, & absoluere, excommunicari, & absolui sunt correlatiua. Hęc ergo est conditio essentialis, sine qua absolutio est nulla. Secunda conditio, quæ sequitur ex prima, est, quod sit persona distincta ab absoluente: quia sicut nemo est sibi subditus, ita seipsum nec excommunicare, nec absoluere potest. An verò necessarium sit, quod sit persona viuens, de hoc actum est supra, vbi diximus etiam mortuum posse excommunicari, & absolui, idem hic non sunt repetenda. Præsentia verò localis, vel absentia ad excommunicandum, & ad absoluendum nihil confert: quia vidimus continuò, & præsentes, & absentes excommunicari, & absolui.

Secunda conditio.

An mortuus possit absolui.

Præsentia localis, nec absentia aliqd confert.

An inuitus possit absolui.

261 Est verò difficultas, an quis inuitus possit absolui. Ad quam Respondetur ex communi consensu Theologorum in 4. dist. 18. vbi Richardus artic. 10. quæst. 1. D. Bonauentura par. 2. art. 1. quæst. 6. D. Thomas ibidem q. 2. art. 5. & Alij, cum quibus conueniunt Canonistæ, vt patet ex Panormitano in cap. *ab excommunicato*, de Rescriptis num. 20. esse distinguendum de posse simpliciter, & de posse licito modo. De posse simpliciter omnes consentiunt posse absolui; quia cum excommunicatio nō sit culpa, sed pœna, sicut potest simpliciter imponi inuito, ita ab inuito potest remoueri, absolutè loquendo, in hoc enim differt ab absolutione à peccatis, quæ non potest nisi pœnitenti conferri. At loquendo de posse licito modo, adhuc distinguendum est. Vel enim excommunicatus non perseuerat in delicto, propter quod fuit excommunicatus, sed ab eo recedit, & satisfacit, &c. tamen non vult petere absolutionem, & tunc huiusmodi inuitus potest absolui ab excommunicatione simpliciter, & etiam licitè, quia cum ablata sit contumacia nulla remanet causa propter quam non debeat absolui; licèt autem non velit petere absolutionem, hoc nihil refert, quia potestas absoluendi nō dependet à voluntate excommunicati, ideo potest eum sic inuitum absoluere. Vel perseuerat in delicto, propter quod fuit excommunicatus, & tunc est adhuc distinguendum. Vel enim illud peccatum est actus transiens, & manens solum quo ad reatum, & tūc etiam inuitus, seu nolens petere absolutionem, potest absolui: quia cessauit causa propter quam fuit excommunicatus, ideo cum habeat potestatem, illum absoluere potest, licèt absoluendus non velit petere absolutionem; quia non perseuerat in contumacia, & inobedientia respectu talis peccati, propter quod fuit imposita excommunicatio, sed cessauit, cum amplius non peccet illo peccato. Vel peccatum illud non est transiens, sed permanens, & continuò offendens, & aggrauans, vt hæreticus permanens in hæresi, & habens rem alienam, nec volens eam restituere, & sic de alijs, quæ in quadam continuatione peccati, & augumenti illius consistunt, & tunc non potest licitè tolli, quia cum perseueret contumacia, & causa excommunicationis, videtur ipsa excommunicatio perseuerare. Vnde illam auferre sic inuito, videtur repugnare iuri, quod illam posuit, & sic videtur facere contra ius, & peccare: quia eneruat hanc censuram, & reddit eam contemptibilem. Dicit tamen Suarez vbi supra sect. 7. quod neq; etiam simpliciter aliquis potest absoluere sic inuitum, nisi habeat facultatem auferrendi illud ius. sed ego non video, cur non possit etiam inferior simpliciter, licèt non licitè ab illa absoluere, si non sit reseruata superiori, & facienti canonem, vt ex dictis supra patet: Hic enim habet omnem potestatem necessariam, ideo cum non sit reseruata, simpliciter poterit absoluere, sed non licitè. Et hoc modo intelligitur illud caput dist. 24. quæst. 2. cap. *Damnationis sententiam quicunque meretur accipere, si in sensu suo voluerit permanere, nullus relaxare poterit*. Et illud ff. de re. iur. *inuito beneficium non confertur*.

Suarez reiicitur.

262 Verùm obseruandum est Richardum, D. Bonauenturam, & alios Theologos supra nominatos vbi supra adhuc distinguere; inquiunt enim etiam aliquando licere absoluere inuitum ab excommunicatione, licèt non velit desistere à contumacia, & à peccato propter quod fuit excommunicatus; & hoc quando Iudex cognoscens, quod excommunicatio non prodest, sed obest, & consequenter non sit medicina, sed venenum: tunc enim si Iudex cognoscat prudenter, quod si absoluatur etiā inuitus, & contumax, hoc proderit ipsi excommunicato, licitè poterit illum absoluere. sed hoc dicunt de absolutione ab homine, at non de absolutione à iure: Ab hac enim dicunt nunquā licere absoluere, nisi petat absolutionem, & cesset à peccato. Tamen hoc etiam licere de excommunicatione à iure tenent Recentiores; quando in iure non cauetur vt vllo modo absoluatur, nisi satisfaciat, &c. quia tūc videtur facultas tota commissa prudenti iudicio Iudicis; ideo si iudicet expedire, poterit licitè ab illa absoluere, si adsint tres conditiones. Prima quod hoc non sit in præiudicium tertij: Quia hic esset actus contra iustitiam. Secunda dummodo non adsit scandalum, nec cōtemptus censuræ. Tertia quod sint sufficientia signa, quod talis censura potius detrimentum afferat, quàm vtilitatem, & quod procedēdo via suauiori, obedientiam obtinebit. sunt enim quidā, qui magis mouentur suaui admonitione, quàm rigorosa flagellatione.

Quomodo intelligendi sint Scholastici adducti.

Suarez vbi supra.

Conditiones requisitæ ad hoc vt liceat.

De speciebus absolutionis, & forma eius, & de absolutione ab excommunicatione minori, & an excomm. sit maior pœna irregularitate, & aliis pœnis.
Caput Nonum.

263 VAriæ species absolutionum ab excommunicatione sumuntur à varijs modis absoluendi ab excommunicatione; neque enim excommunicatio tollitur vno modo, sed pluribus. Primo ergo modo excommunicatio potest duobus tolli, vel ab homine, vel à iure. Ab homine quando Iudex, qui imposuit censuram alicui, ipsum absoluit. A iure si in iure ponantur hæc, vel similia verba. *Quicunque fecerit hoc, sit absolutus ex tunc ab excommunicatione.* Qui enim tunc facit rem requisitam, ipso iure absoluitur, & sic possunt esse duæ species absolutionis, altera à Iudice, altera à iure.

De absolutione ab excommunicatione à iure, & ab homine.

Se-

De absolutione sub conditione.

264 Secundò absolutio potest fieri absolutè ab excommunicatione, vel sub conditione. Absolutè fit quando sine vlla conditione absoluitur quis ab excommunicatione. Conditionatè quando fit sub conditione vel præterita, vt dicendo *si restituisti te absoluo*. Vel præsenti; vt dicendo *si ex animo à contumacia recedis*. Vel futura, vt dicendo, *absoluo te, si restitues*. In duobus prioribus modis si conditio est adimpleta, vel adimpletur, excommunicatio tollitur; si non adimpleta est, neque adimpletur, absolutio est nulla: Quia absolutio non valet, nisi conditio adimpleatur. In tertio modo absolutio manet suspensa, & nihil ponit in esse, nisi cum adimpletur conditio.

265 Absolutionem conditionatam duobus prioribus modis esse licitam nullum dubium est; est enim in vsu, & prudenter adhibetur in confessione; vt quando dubitatur de censura, & fit illis verbis, *absoluo te in quantum indiges, vel si indiges*. Et si quis dicat, absoluo te, si ex corde pareře Ecclesiæ intendis; quia hæc conditio necessariò requiritur, & sine illa non esset valida. Si verò quis apponeret conditionem impertinentem, peccaret grauiter, quia esset contra reuerentiam censuræ ecclesiasticæ; si tamen adimpleta esset, vel adimpleretur, valeret.

De absolutione sub conditione de futuro.

266 De conditione verò de futuro, est dubium, an reddat absolutionem nullam pro illo tunc quando conditio ponitur in esse. Nam quod effectum non habeat pro illo tunc, quo profertur, clarum est; quia conditio non est adimpleta.

Prima opinio.

Aliqui tenent huiusmodi absolutionem esse nullam, nec posse dari, vt Sylvester verbo absolutio 3. in principio, Angelus excom. 2. num. 5. D. Antoninus 3. par. titulo 24. cap. 77. §. 1. & Alij. Pro hac opinione Aliqui adducunt hanc rationem. Absolutio à peccatis nō potest fieri sub cōditione de futuro; ergo neque absolutio ab excommunicatione, quia videtur esse eadem ratio de vtraque. Verùm hæc ratio est nulla, quia non est par ratio de absolutione à peccatis, & de absolutione ab excommunicatione: quia absolutio à peccatis est forma sacramenti pœnitentiæ, quæ fertur super debitam materiam, quæ est persona pœnitens, ideo debet esse simul ex institutione Christi, nec potest proferri absolutio, & illam manere suspensam, sed vel statim habet effectum, vel est nulla; At absolutio à censura pendet à voluntate humana, & proinde potest habere effectum, quando placet absoluenti.

Secunda opinio.

Ideo Alij sentiunt absolutionem sub conditione de futuro esse validam, sed tunc solum habere effectum, quando conditio adimpletur. Fundamentum huius opinionis est: quia hic modus proferendi sententiam in iudicio humano neque ex se, neque ex sola rei natura, est nullus; neque ex iure positiuo reperitur alicubi irritus; ergo sine fundamēto dicitur, quod talis absolutio sit nulla. Et confirmant quia excommunicatio potest ferri sub conditione; quare ergo non poterit absolutio ferri sub conditione cum sit fauorabilior, & fauores sint ampliandi? Hanc sententiam tuetur Nauarus de Pœnitentia dist. 6. cap. 1. num. 64. Couaruuias cap. *alma*, par. 1. §. 11. num. 6. quos sequitur Suarez disput. illa 7. sect. 8. & mihi quoque probatur propter fundamentum allatum. subiungunt tamen prædicti Doctores, non licere sic absoluere, & licèt Suarez pendulus sit, & dicat, si prudenter fiat, esse etiam licitum, tamen subiungit regulariter loquendo modum hunc esse illicitum, præsertim quia Ecclesia nō habet in vsu hunc modum absolutionis, neque in iure est vsitatus hic modus absoluēdi, sicut est in vsu modus ferendi censuram sub conditione. & inter alias hæc ratio adduci potest. Quia hic modus absoluendi inducit contemptum censuræ. Nam sic absolutus posset differre satisfactionem ad libitum, quia esset in potestate sua adimplere conditionem. Præterea absolutio non debet dari, nisi cessante contumacia, & data satisfactione, ita quod hæc præcedere debet, nō subsequi; absoluere ergo priusquam fiat satisfactio, est modus inuersus, & nullius est effectus antequam adimpleatur, & potest parere contemptum, ideo est illicitus.

De absolutione ad cautelam.

267 Tertiò diuiditur absolutio in absolutionem simpliciter, & in absolutionem ad cautelam; absolutio simpliciter est quando Iudex certus quod aliquis incidit in excommunicationem profert super ipsum absolutionem simpliciter. Absolutio ad cautelam est quando Iudex est dubius an aliquis inciderit in excommunicationem, vel licèt non sit dubius, nec habeat aliquam occasionem dubitandi, tamen absoluit sub conditione *si indiges* ad superabundantiam, & ad vitandum periculum, quod incurrere posset, si esset censura excommunicationis ligatus, vt fit in cōfessione sacramentali, in qua præmittitur semper absolutio ab excommunicatione ad cautelam, ne si esset excommunicatus, ab illa impediretur suscipere sacramentum absolutionis à peccatis; Et idem de alijs actibus, quorum valor posset impediri per excommunicationem.

De absolutione cum reincidentia, & sine.

268 Quartò diuiditur absolutio in absolutionem cum reincidentia, & in absolutionem simpliciter, seu sine reincidentia. Absolutio sine reincidentia est absolutio simpliciter facta. Absolutio verò cum reincidentia fit duobus modis. Primus est quando aliquis absoluitur ab excommunicatione non simpliciter, sed ad tale, & tantum tempus; vel ad faciendum aliquem actum, quo tempore transacto, vel actu facto, ille iterum afficiatur illa excommunicatione. Hic enim dicitur reincidere in excommunicationem finito illo actu, vel tempore. Exempli gratia. Quis eget testimonio alicuius personæ, quæ est excommunicata: dum est ligata censura excommunicationis nō potest ferre testimonium, quia est inualidū; Potest ergo Iudex ad instātiam partis absoluere illum testem ab excommunicatione ad effectum solum, vt possit ferre illud testimonium, & illo facto reincidat in excommunicationem. Item Prælati quandoque ex benignitate aliquem contumacem ad aliquod tempus absoluere possent propter aliquem effectum bonum, & illo transacto, cēsura reddeat, & sic actu reddit sine noua sententia, quia non fuit ablata absolutè, sed pro illo tempore, vel actu, vt patet, & propter hoc dicitur absoluere ad reincidentiam.

Secūdus modus excōmunicationis ad reincidentiā.

Secūdus modus est quando Iudex absoluit ab excommunicatione cum conditione, quod infra certum tempus faciat aliquid, & nisi faciat, reincidat in excommunicationem; tunc enim si adimplet conditionem, est liber ab excōmunicatione simpliciter. Si verò non adimpleat, reincidit in excommunicationem. De hac absolutione ad reincidentiam in excōmunicationem tàm ab homine, quàm à iure agitur cap. *eos qui*, de sent. excom. in 6.

Impotentia an excuset à reincidentia.

269 Dubitant verò aliqui, An impotētia implendi cōditionem impediat reincidentiam. sed Respondetur quod nisi in absolutione specificetur, quod impotentia excuset, vt si apponeretur illa particula, *dummodo possis*, vel similis, non excusat, sed absque noua culpa reincidit; quia absolutio valet secundum intentionem absoluentis, quæ verbis explicatur.

De forma absolutionis ab excōmunicatione.

270 Quātum ad formam absolutionis ab excommunicatione potest esse sermo de absolutionis forma quantū ad substantiam ad hoc vt sit valida: Vel quantum ad solēnitatem, sicuti supra diximus de forma excommunicationis. Quantum ad substantiam omnes Theologi, & Canonistæ, conueniunt nullam esse præscriptam formam verborum, esse tamen necessarium hanc absolutionem fieri aliquibus verbis, quibus significetur eum, qui excommunicatione est ligatus, absolui ab eo, qui habet authoritatem, qualia sunt *absoluo te*, vel *recōcilio te Ecclesię*, vel *tollo à te censuram*, vel *benedico*, vel *rebenedico te*, & similia. semper ergo debet exprimi persona absoluentis, persona quæ absoluitur, & censura, à qua absoluitur; sicut etiam diximus supra de forma ferendi hanc censuram; Et hoc agendum est siue fiat verbis, siue scripto, ne absolutio sit ambigua. Vnde cum ex antecedentibus verbis, vel signis non constat quæ sint ista tria, debent specialiter explicari, & maximè cum quis est ligatus pluribus censuris, & pertinentibus ad diuersas personas, ne fiat æquiuocatio & ne absolutio subreptitia sit. Potest enim contingere, quod Iudex absoluat ab vna excommunicatione, quia respectu

spectu illius satisfecit, non ab alia, quia non satisfecit. Quæ omnia ab omnibus conceduntur, & colliguntur ex quarto sent. distinct. 18. vbi præsertim hoc quæstium tractat Richardus art. 10. quęst. 5. Syluester eum secutus verbo *absolutio*, 3. num. 2. Nauarus de Pœnitentia distinct. 6 cap. 1. num. 59. Couaruuias cap. *alma*, par. 1. §. 11. num. 6. & 7. Suarez vbi supra, & disput. 10. & sect. 2. Denum de iure ordinario absolutio hæc debet fieri verbis, vel scripto, non autem aliquo alio signo: quia sic in iure est statutum, vt patet Clementina vltima de sent. excommunica tionis, & aliter facta est nulla. Summus tamen Pontifex de potentia absoluta si declararet se alio modo, quàm ver bo, vel scriptis absoluere, absolueret, vt habetur eadem Clementina, quia ipse est supra ius positiuum humanum secus de alijs Prælatis inferioribus, quia tenentur seruare formam iuris communis, nec possunt illud immutare. Communiter tamen solet à Doctoribus hæc forma assignari, *Absoluo te à vinculo excommunicationis maioris ob talem causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quæ tamen verba omnia non sunt necessaria, vt dictum est.

De solemni forma absolutionis.

271 Quantum ad solemnitatem formæ absolutionis ab excommunicatione, quatuor seruanda sunt ex Doctoribus communiter, vt est videre apud Nauarum de Pœnitentia dist. 6. cap. 1. nu. 54. Couaruuiam cap. *alma*, par. 1 §. 11. num. 11. & Alios. Primum est, quod ab eo, qui est absoluendus petatur iuramentum obediendi de cætero mandatis Ecclesiæ cap. *ex tenore*, & cap. *de cętero*, de sentent. excommunicationis, sed hoc non intelligitur vniuersaliter, quia nec esset expediens, neque illis iuribus cauetur sed intelligitur in illa materia, propter quam fuit excommunicatus, vel si nondum facta sit plena satisfactio pro eo crimine, pro quo fuit excommunicatus propter aliquā rationabilem causam.

272 Secundò si est excommunicatus pro offensa notoria præmittatur sufficiens satisfactio, & emendatio si potest cap. *ex parte*, 1. de verborum significatione, & ex cap. *venerabilibus*, §. *porro*, de sent. excommunicationis in 6. si autem non possit, det cautionem idoneam, vel iuratoriam, vt ibidem Nauarus ait.

273 Tertiò in ipsa absolutione requiritur, vt Sacerdos indutus aliqua veste sacra, saltem stola, & superpellicio priusquam absoluat recitet Psalmum *Miserere*, vel alium ex Septem Psalmis Pœnitentialibus, & alias preces, de quibus, in cap. *notis*, 2. de sent. excommunicationis, & absoluendus genuflexus scapulis nudatis dum Psalmus recitatur, percutiatur flagello, (quod nullo iure cautum est, sed consuetudine receptam.) Hæc tamen consuetudo quod scapulis nudatus sit, non seruatur, & Nauarus vbi supra ait cū mulieribus, & ob aliquam aliam rationabilem causam posse omitti, nunc in vsu est verberari, sed scapulis non nudatis. Finito Psalmo dicitur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster.* versiculus *Saluum fac seruum tuum*. Resp. *Nihil proficiat inimicus in eo. Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiscum, &c.* deinde dicitur oratio. *Deus, cui proprium est misereri, &c.* sed ea parte, quæ dicit, *quem delictorum catena constringit* loco *catenæ* dicitur *excommunicatio*. Post prædictam orationem Nauarus ponit hanc formam absolutionis. *Authoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Ecclesiæ sanctæ eius, & nostra*, vel mihi concessa, *absoluo te*, à tali sententia, *vel ab excommunicatione, quam incurristi propter talem, & talem causam, & restituo te communioni, & participationi Ecclesiæ, & omnium fidelium, & ecclesiasticis Sacramentis.*

274 De his cœrimonijs omnes dicunt eis non esse de substantia formæ, vnde si omittatur, nihilominus valida est absolutio, tamen omnes dicunt absoluentem si sit Sacerdos in conscientia teneri ad illas obseruandas, & illas omittendo sine causa rationabili, peccare, quod maximè verum est in absolutione publica, & solemni ad satisfaciendum Ecclesiæ, & quando excommunicatio fuit iusta, secus quando fuit iniusta, tunc enim illa solemnitas non requiritur secundum omnes, vt ait Suarez disp. 19. sect. 2. neque quando excomm. absolutè, & simpliciter non datur, sed ad cautellam, vel ad certum effectum. sed quantum ad vsum istarum cœrimoniarum, standum est consuetudini regionum, & locorum, quæ habet vim faciendi legem.

275 Quartò requiritur, vt post absolutionem absoluēs faciat mandata iusta, & rationabilia, quæ secundum Nauarum vbi supra num. 54. erunt si præcipiatur excommunicato, vt in posterum non agat contra canonem illum, si est excommunicatus à iure, propter cuius violationem incurrit excommunicationem, vt puta si excommunicatus fuit quia incendiarius, nunquam amplius sit incendiarius, & similia.

De absolutione ab excommunicatione minori.

276 Postremò quod spectat ad absolutionem excommunicationis minoris illud est obseruandum, quod supra diximus, quod ab homine non incurritur, sed solum à iure, & in vno solo casu: nimirum ex communione cum excommunicato maiori excommunicatione. Ab hac autē potest absoluere quicunque habet authoritatem absoluēdi à peccatis, non autem simplex Sacerdos, qui nō est admissus ad audiēdum confessiones peccatorum. Ratio est, quia in cap *nuper*, de sent. excommunicationis dicitur, q excommunicatus hac excommunicatione possit absolui à suo Sacerdote, per suum autem Sacerdotem intelligit Parochum, & habentem authoritatem sicut Parochus, quæ est authoritas iurisdictionis, & ordinis, quæ requiritur ad absoluendum à peccatis. An verò possit absolui à simplici clerico habente solam potestatem iurisdictionis, non autem ordinis, est dubium. sed sicuti supra diximus de excommunicatione maiori, ita dicere debemus multò magis de minori. Diximus autem ibi habentem iurisdictionem ab illa posse absoluere, licèt non sit Sacerdos, quia hic est actus potestatis iurisdictionis distinctus à potestate ordinis, & spiritualis, ergo etiam hic non Sacerdos poterit absoluere.

277 Quantum ad formam absolutionis sufficit solum, quod verba sint talia, quæ significent personam absoluētem, personam absolutam, & causam, vt supra diximus de forma absolutionis ab excōmunicatione maiori. Quæ autem pertinent ad solemnitatem, hic non requiruntur, vt notauit Syluester *absolutio*, 3. num. 5. & elicitur ex cap. *nuper*, de sententia excommunicationis, in quo dicitur, quod excommunicatus excommunicatione minori poterit absolui absque iuratoria cautione, quam tamen requirit in absolutione in primo casu, scilicet in excommunicato maiori excommunicatione, signum est ergo quod non vult requiri eam solemnitatem in hac absolutione, quam in prima. Et ratio est, quia hæc excommunicatio est censura leuis, & propter leuem causam incurritur, ideo eius absolutio est facilis, & huiusmodi cęremonijs non onerata, sed requiritur tantum propositum obediendi Ecclesiæ, vt aduertit quoque Soto in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. Caietanus in summa cap. de excommunicatione minori, & Alij communiter.

An excōmunicatio sit pęna grauior irregularitate.

278 Vltimo loco quærit Scotus quænam pœna sit grauior, irregularitas, an excommunicatio, & loquitur de excommunicatione maiori, quæ est excommunicatio simpliciter non de minori, quam dixit esse excommunicationē secundum quid. Et inquit excommunicationem esse maiorem pęnam. Reddit rationem, quia priuat pluribus bonis, quam faciat irregularitas. Irregularitas enim priuat bonis, quę pertinent ad ordines; At excommunicatio priuat ab omni communione alias licita, & ita nedum à bonis, quæ pertinent ad ordines, sed etiam alijs bonis licitis, vt suffragijs, participatione Sacramentorum, communione fidelium, & alijs bonis, de quibus supra vidimus. Aliqui tamen dicunt (inquit Scotus) excommunicationem esse leuiorem pœnam hac ratione; quia facilius remittitur, quàm irregularitas; vnde irregularitates nō tolluntur, nisi

per

per dispensationem Summi Pontificis, quæ non nisi cū difficultate obtinentur, vt supra vidimus; excommunicatio autem ablata cōtumacia, & satisfacta parte eo modo quo potest, aufertur latoe.

An excōmunicatio & irregularitas sint leuiores depositione, & degradatione.

279 Sed Scotus dicit hanc rationem concludere oppositum, scilicet excommunicationem esse pœnam grauiorem. Quia ideo facilè dimittitur, quia grauissima est, & à pluribus excludit, ideo non expedit eam ita difficile dimitti. Subiungit adhuc comparando has duas pęnas excommunicationem, & irregularitatem ad alias duas pęnas, scilicet depositionem, & degradationem. Posse dici quod sunt leuiores pęnæ excommunicatio, & irregularitas in quātum possunt fieri priuatè (possunt enim esse publicæ, & priuatæ vt visum est supra) quam depositio, & degradatio, quæ semper sunt publicæ. Hęc de excommunicatione.

De excōmunicationibus particularibus.

280 Essent nunc explicandæ excommunicationes particulares, tàm quæ continentur in Bulla Cęnæ, quàm eæ, quæ continentur in corpore iuris, & Extrauagantibus, sed quia de his Scotus nihil dicit; & copiosè ab alijs explicantur, vt est videre apud omnes Summistas, præsertim apud Recentiores, Nauarum, & Suarez, ideo hic supersedeo.

DISPVTATIO QVINTA.

De Interdicto.

Quid, & quotuplex sit interdictum. *Caput Primum.*

QVod in Ecclesia sit potestas ferendi interdictū patet ex ijs, quæ supra diximus in vniuersum de potestate Ecclesię ferendi censuras; ideo licèt interdictum videatur quædam censura, quæ in detrimentum diuini cultus vergat, cum per illud Christiani à diuino cultu arceantur, atque sine culpa multorum aliquando feratur, vt cum propter peccatum vnius, vel aliquorum paucorum interdicitur tota aliqua Prouincia, vel Regnum. Tamen certum est licere, & semper in vsu fuisse in Ecclesia. Quod liceat, probatur; quia rectæ gubernationi Ecclesiæ conducit cum prudenter, & legitimè fertur. Sæpè enim erit aliquis in excommunicatione obstinatus, nec à peccato, & contumacia recedere vult: ideo eius familia, parentes, vel Ciuitas, vel Regnum pro qualitate excōmunicati interdicitur à diuinis officijs, vt ille tali sacrorum suspensione, & amicorum, vel parentum, vel populi indignatione, qui eius causa diuinis prohibentur, ad cor redeat, & Ecclesiæ pareat. Vnde licèt cultus diuinus aliquod detrimentum patiatur, compensatur tamen ob vtilitatem, quam recipit Ecclesia ad defendendam suam potestatem, & obedientiam comparandam. Et licèt innocens puniatur, hæc punitio ei non nocet, sed ob bonum publicum Ecclesię tolerare debet, & orationibus, & alijs exercitijs fructum diuinorum officiorum compensare.

Licet inferre censuram interdicti.

Semper fuit in vsu censura interdicti.

2 Quod verò in vsu semper fuerit in Ecclesia, ex eo probatur, quia D. Augustinus hac pęna vsus est aduersus Bonifacium, vt patet epistola 185. Et refertur 17 quæstio. 4. cap. *miror.* Rapuerat enim Bonifacius hominem fugitiuum de Ecclesia, ad quam confugerat. Diuus Augustinus præcipit, vt eum in eandem Ecclesiam restituat, & interim donec restituat, interdicit ei communionem, & familiæ suæ oblationes prohibet à clericis accipi, quæ tamen familia erat innocens. Verba epistolæ sunt hæc. *Ecclesia igitur illum reuocato, quem vt irreligiosissimus rapuisti. Oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur indicito, communionemq; tibi interdicta, donec peracta pro austibus, vel errore à me definita tibimet pœnitentia & tempore ordinato pro hoc facto corde cōtrito et humiliato dignā offeras sacrificium Deo.* D. Augustinus autem ea pęna affecit innocentem familiam Bonifacij, non tanquam quid de nouo instituens, sed vtitem consuetam in Ecclesia exercens: ergo ex hoc exemplo habetur. Interdicti censuram fuisse in vsu in veteri Ecclesia, & consequenter semper. D. Augustinus enim floruit circa 400. Annum Christi plus minus.

Cuncta autem pertractare, quæ de interdicto disputātur à Canonistis, & Summistis longum esset, ea, quæ ad eius essentiam spectant, & sufficientem cognitionem huius censuræ tradunt, breuius quàm potero attingam.

Variæ diffinitiones de interdicto.

3 Dimissa itaq; varia significatione huius nominis interdicti, vt facit ad propositum, interdictum accipitur pro quadam censura ecclesiastica, quæ est Arctatio à quibusdā actibus ecclesiasticis exercendis, Vel ab assistendo quibusdam talibus; vt videbimus explicando eius diffinitionem. De hac censura variæ assignātur diffinitiones à Doctoribus. Soto in 4 dist. 22 quæst. 3. art. 1. hanc assignat. *Interdictum est censura ecclesiastica qua homo à perceptione quorundam Sacramentorum, & à diuinis officijs, & ab ecclesiastica sepultura separatur.* Nauarrus in Man. cap. 27 num. 167. diffinit sic. *Interdictum est censura ecclesiastica, qua prohibentur diuina officia Sacramenta & sepultura actiuè, & passiuè, exceptis aliquibus.* Couarruuias cap. *alma* . part. 2. §. numer. 1. inquit. *Interdictum est suspensio à diuinorum officiorum Sacramentorumq; actiua, & passiua celebratione respectu alicuius loci, aut personarum facta ecclesiasticam etiam prohibens sepulturam.* Suarez 2 tomo de censuris disp. 32. sect. 1. his opinionibus confutatis adducit hanc. *Interdictum est censura ecclesiastica prohibens vsum quarundam rerum diuinarum, vt communem fidelibus quatenus talis est.* Aliæ assignantur ab alijs, vt à Calderino apud Nauarrum, & ab alijs, quas adducere superuacaneum est.

Diffinitio Scoti.

Scotus in 4. dist. 18. q. 1. assignat hanc, quam supra annuimus. *Interdictum est arctatio à quibusdam actibus ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdā talibus.* Ex his diffinitionibus tres priores Soto, Nauarri, & Couarruuię minus aptæ videntur: quia confundunt diffinitionem interdicti in se, vt abstrahit à suis speciebus, & eas simul miscent; cum tamen diffinitio generis debeat esse distincta, & seiuncta à speciebus, nec per illas debeat diffiniri, sed per proprium genus, & proprias differentias. Quæ omnia patent, & ex dicendis de speciebus interdicti euidentia magis fient. Diffinitio allata à Suarez caret hoc defectu, quia assignatur de interdicto in communi, & in genere vt abstrahit à suis speciebus, sed illæ duę differentię additæ, *vt fidelibus communem*, & *quatenus talis est*, minus aptè positæ videntur. Et prima quidem, quia ponit illam vt distinguat interdictum à suspensione: quia inquit, suspensio est de actibus proprijs alicui potestati ecclesiasticæ, interdictum est de actibus communibus: hoc autem non aptè admodum dicitur. Quia si intelligit, quod actus per interdictum prohibiti, sint communes omnibus fidelibus, hoc est vel actiuè, vel passiuè. Non actiuè; quia illi actus non conueniunt actiuè laicis. Non passiuè, quia hoc modo non conueniunt clericis. Deinde alia est euidentior differentia inter interdictum, & suspensionem, quia suspensio est censura propriè, & simpliciter competens clericis, at interdictum competit, & clericis, & laicis; non oportet ergo ad illam differentiam confugere. Altera etiam differentia, *vt talis est*, quam ponit vt faciat interdictum differre ab excommunicatione, quam inquit priuare vsu talium rerum; non tamen quatenus est vsus rei sacræ, sed quatenus est communicatio cum alijs fidelibus; interdictum verò priuat vsu talis rei sacrę per se, ac independenter à communicatione cum alijs, minus aptè dicitur. Quia etiam actus ecclesiastici, qui per interdictum priuantur, pertinent ad communicationem cum fidelibus; ideo vt ipsa diuinis

bus,

bat, pertinent ad communem vsum fidelium; ergo ista priuatio est quædam priuatio communicationis fidelium, & sic non præscindit, nec est independens à communione fidelium, sed illam includit. Accedit quod alia est differentia inter interdictum, & excommunicationem, quæ in illa diffinitione omittitur, quę est, quod excommunicatio est primario generalis omnium actuum ecclesiasticorũ; interdictum quorundam solum; ergo non videtur esse multum apta hæc diffinitio Suarez.

Diffinitio Scoti declaratur.

5 Mihi aptissima videtur diffinitio allata à Scoto. Hęc enim est de interdicto in communi, & in genere nullam miscens speciem interdicti, & in ea ponuntur omnes differentiæ distinguentes illud ab alijs censuris, & pœnis ecclesiasticis. Primò dum dicit, *Interdictum est Arctatio* supponit, quod interdictum sit pœna, & censura ecclesiastica, dixit enim prius ibi. *Quinta pœna est interdictũ, quæ, &c.* Illa ergo particula *Arctatio a quibusdam actibus ecclesiasticis*, est prima differentia, qua distinguitur ab excommunicatione, quæ est arctatio, & priuatio vniuersalis omniũ actuum ecclesiasticorum. Secunda differentia est, *vel ab assistendo illis*. Per hanc enim distinguitur à suspensione, & alijs pœnis, quæ non consistunt in priuatione assistentię diuinorum, sed in ministratione. Suspensio enim & aliæ pœnæ ecclesiasticæ (excepta excommunicatione) non priuant assistentia diuinis actibus, sed solum interdictum. Vnde laici possunt incurrere hanc pœnam assistendo actibus diuinis prohibitis, quæ vltima differentia omittitur ab alijs, & tamen est maximè necessaria, quia est de essentia huius censuræ, quæ maximè priuat laicos, & fideles hac assistentia.

Tres sunt species interdicti.

6 Species interdicti sunt tres secundum Scotum, & alios communiter, scilicet locale, personale, & locale personale simul. De interdicto locali habetur cap. *præsenti*, de sent. excommunicationis in 6. De interdicto personali habetur cap. *sententia* eodem titulo, & colligitur ex his locis esse diuersas. Interdictum locale est quod directè fertur in locum, quia scilicet interdicit diuina officia secundũ modum à Canonibus expressum in eo celebrari: & Scotus inquit, interdictũ vt est censura distincta ab alijs frequentius infligi loco, non personis, nisi dum in loco sunt, vt scilicet in tali loco non liceat celebrare solemniter, nec alios interesse. Vnde quamuis interdictum diuidatur in locale, & personale, tamen propriè videtur dici de locali, & iuxta hanc differentiam propriè distinguitur ab excõmunicatione, & suspensione, quia istæ pœnæ propriè infligũtur personis absolutè. Dicitur autem locale, non quia locus sit capax pœnæ spiritualis, nisi quodammodo per accidens, sicut etiam dicimus locum cum Ecclesia consecrari, benedici, &c. sed quia tendit in personas ratione illius loci, quia prohibentur celebrare in illo loco diuina officia.

Interdictum locale quodnam sit.

Interdictum locale, aliud generale, aliud speciale.

7 Interdictum autem locale diuiditur in duas species, scilicet in interdictum generale, & interdictum speciale. Hęc diuisio habetur cap. *cum in partibus*, de verborum significatione. Interdictum generale est quod fertur in aliquem locum quasi generalem, idest complectentem plura loca particularia; vt est aliquod Regnum, vel aliqua Prouincia, in qua sunt plures Ciuitates; Vel etiam in aliqua Ciuitate, in qua sunt plures Ecclesiæ. Interdictũ speciale est quod fertur in aliquem locum particularem, vt in aliquam Ecclesiam particularem. Quę colliguntur ex dicto cap. *cum in partibus*, multa autem cungerunt Doctores disputando, an cum aliqua Ciuitas interdicitur, sed excipitur aliqua Ecclesia; Vel interdicuntur omnes Ecclesiæ alicuius Ciuitatis, non tamen interdicitur tota Ciuitas, vel Terra, debeat dici interdictum generale, vel particulare. At ego puto, hæc debere dici interdicta particularia. Ratio est, quia vt diximus, interdictum generale est illud, in quo nulla fit exceptio; vbi enim est exceptio vnius particularis destruitur generalitas, siue vniuersalitas. Cum autem interdicitur aliqua Ciuitas, sed vna Ecclesia excipitur, illud non est vniuersale interdictum, quia non fertur in totam Ciuitatem; Et cum fertur in omnes Ecclesias alicuius Ciuitatis, quia non fertur in totam ipsam Ciuitatem, licèt interdictum cadat super Ecclesias tantum, non potest dici generale, quia excipitur Ciuitas ipsa. Vnde si fortè fortuna esset aliquis Religiosus, qui posset ex priuilegio in Altari portatili celebrare, vellet celebrare in illa Ciuitate extra Ecclesias posset, quia tunc solum Ecclesię essent interdictę non reliquæ partes Ciuitatis.

Quid sit interdictũ personale et quotuplex.

8 Interdictum personale est quod immediatè fertur in personam, atque illi interdicit vsum quorundam certorũ officiorum diuinorum. Atque hoc interdictum quoque est duplex, scilicet generale, & particulare. Generale est quod fertur in aliquam vniuersitatem personarum, quæ constituunt aliquod vnum corpus politicum, & in singulas personas illius Vniuersitatis, vt in aliquod collegium, vel in populum alicuius Ciuitatis; Tota enim illa Vniuersitas & non alia ab ea distincta est interdicta, & singulę personæ, quæ sunt partes illius Vniuersitatis, non autem quæ nõ sunt partes illius, sunt interdictæ. Particulare est quod fertur in aliquam vnam particularem personã, vel in aliquas plures particulares personas, vt dictum est de interdicto locali.

Quid de eo qui habet duo domicilia, quorũ vnum est interdictum, aliud non.

9 Sed dubium est, an si quis habeat duo domicilia, vnum vbi populus est interdictus, aliud vbi populus nõ est interdictus, an sit interdictus. Aliqui affirmãt, aliqui negant; & hæc secunda opinio videtur probabilior, quia in partem fauorabiliorem est inclinandum.

An cũ clerus interdicitur, extendatur ad omnes ecclesiasticos.

10 Aliud dubiũ est, an cũ clerus alicuius Ciuitatis interdicitur, intelligatur de omnibus ecclesiasticis personis, q̃ gaudent priuilegio clericali, vt Nouitij, Conuersi, etiam fęminæ. Respondetur quod si res est dubia, tal. em non est ita clara vt omnes comprehendant cum pœnæ sint restringendæ, non ampliandæ, pro solo Clero seculari est intelligendum.

Quędam regula obseruãda circa interdicta generalia.

Prima regula.

11 Circa autem hæc interdicta generalia vt casus particulares multi explicari possint, de quibus Summistæ varias quæstiones tractant, obseruandæ sunt quædam regulæ. Prima est quod interdicto aliquo communi loco, intelliguntur interdicta omnia particularia loca illius, & nõ alia, quæ non sunt partes illius. Vt interdicta Ecclesia, intelliguntur interdictæ omnes capellæ, & omnia altaria illius, atque insuper cæmiterium illius, quod est illi cõtiguũ, non autem altaria, & cęmiterium alterius Ecclesię distinctæ. Et si Ciuitas sit interdicta, etiam suburbia, & continentia illius sunt interdicta. Quæ omnia expressè habentur cap. *si Ciuitas*, de sent. excommun. in 6. Ex quo è conuerso infertur supposita vna parte Ecclesiæ interdicto, puta interdicta vna capella Ecclesiæ, non propter hoc interdictam esse totam Ecclesiam. Et interdictu cęmiterio nõ esse interdictam Ecclesiam. Et omnia desumuntur ex cap. *si Ciuitas*. Et confirmatur per regulam iuris, *accessorium sequitur ad principale, non è conuerso*. Ratio est, quia commune, & totum absque particularibus non est capax huius interdictionis; è conuerso vna pars siue alijs omnibus, vel aliquibus, est capax huius interdictionis. Ad cognoscendum autem quę sint partes illius totius: recurrẽdũ est ad ius, si illud declaret quæ sint partes illius totius: si autem in iure non habeatur hæc declaratio, recurrandũ est ad casũ secutum in iure expressum. Quod si neque hic habeatur, consideranda sunt verba diligenter, & secundum eorum proprium sensum iudicandum. Quod si res sit dubia, sententia interdicti erit nulla, quia ambigua est, atq; incerta.

Secunda regula.

De tertia specie interdicti.

12 De tertia specie interdicti, quæ simul est localis, & personalis, Suarez eadem disput. 32. sect. 2. dicit eam esse superfluam: Quia in illis duobus prioribus continetur, neque est membrum diuersum, sed est collectio duorum priorum membrorum. Nihilominus videatur rationabiliter adduci, quia licèt sit collectio duorum priorum mẽbrorum, tamen sic collecta simul habent aliquam differẽtiam, quam seiunctim considerata non habent. Nam primum certum est ex cap. *si sententia*, de sent. excommunicationis, quod interdictum locale generale nõ infert interdictum generale personale, nec è conuerso. Vnde cum

aliqua

aliqua Ciuitas, vel Regnum est interdictum, personæ illius Ciuitatis non sunt interdictæ. Vnde clerici illius Ciuitatis possunt extra illam Ciuitatem diuina officia celebrare, & personæ illius Ciuitatis extra illam Ciuitatem eisdem officijs assistere possunt: si autem esset interdictum generale simul locale, & personale, personæ illæ neque in illa Ciuitate, neque extra illam possent celebrare, nec audire sacra. Quod etiam ipse Suarez vbi supra rectè admittit contra eos, qui sustinent, interdictum locale generale semper esse iunctum cum interdicto personali generali. Similiter interdictum personale particulare non infert interdictum locale particulare. Vnde si Parochus personaliter sit interdictus, eius Ecclesia non est interdicta: Vnde alius Sacerdos poterit in ea celebrare diuina. Quando autem & persona, & locus particularis essent interdicta, nec ipse Parochus, nec alius in illa Ecclesia celebrare posset; ergo est aliqua differentia. Tandem confirmatur ea alia regula generali. Quod interdictum locale siue generale, siue particulare semper includit interdictum particulare alicuius certę personę, nimirum illius, vel illorum, qui dederunt causam interdicto: isti enim sunt semper personaliter interdicti, nec vllibi possunt diuina celebrare, nec audire. Quod colligitur ex cap. prædicto *si sententia*, de sentent. excommunicationis in illis verbis. *Qui culpabiles non existunt, possunt extra ipsam licitè interesse diuinis*. Ex quo colligunt Doctores à contrario: ergo qui culpabiles existunt, etiam extra locum interdictum non possunt interesse sacris.

Alia species interdicti. Interdictum totale, et partiale.

13 Præter species interdicti allatas possunt adiũgi alię, vt interdictum totale, & interdictum partiale. Totale est quo includuntur omnes effectus interdicti. Quod fit cum persona, vel locus absoluè interdicitur sine vlla exceptione. Partiale est in quo interdicitur aliquis vnus effectus particularis, vt si alicui interdicatur ingressus Ecclesię tantum cap. *is qui*, de sententia excommunicationis. Vel si priuet tantum ecclesiastica sepultura. argumento cap. 2. de torneamentis.

Interdictum ab homine, et à iure.

14 Alia potest esse species interdicti, scilicet ab homine, & à iure. De interdicto ab homine patet quod est in vsu sicut de excommunicatione. De interdicto à iure patet, quia aliqua in iure habentur, de quibus infra.

De effectibus Interdicti. *Caput Secundum.*

15 EFfectus interdicti reducuntur ad tria cap. scilicet ad priuationem actiuam, & passiuam quorundam sacramentorum. Secundò ad priuationem actiuã, & passiuam officiorum diuinorum. Tertiò ad carentiam actiuam, & passiuam ecclesiastica sepultura. De celebratione, & sepultura habetur expressè cap. *si sententia*, eodem titulo, & de eisdem diuinis officijs, & certis sacramentis habetur claré in cap. *alma*, eodem titulo.

De primo effectu interdicti, qui est priuatio sacramentorũ quorundam.

16 Incipiendo a priuatione sacramentorum obseruãdum est, quod in aliquibus iuribus dicitur interdictũ priuare administratione sacramentorum indefinitè, vnde videtur intelligi de omnibus sacramentis: Attamen certum est, hoc non intelligi de omnibus sacramentis Nam Bonifacius VIII. in cap. *alma*, explicat id intellectum fuisse semper *exceptis certis casibus, & sacramentis*: ergo interdictum non priuat administratione omnium sacramẽtorum. Sacramenta autem quæ excipiuntur secundum omnes sunt Baptismus, Confirmatio, & Pęnitentia: Secũdum aliquos etiam Matrimonium. Et quidem exceptio

Exceptio de Baptismo.

de Baptismo habetur expressè cap. *quoniam*, de sententia excommunicationis in 6. Et ratio est, quia est sacramentum necessitatis, quod propter periculum non debet differri; Et intelligitur de Baptismo cum solemnitatibus suis, tum quia istę non debent omitti, nisi propter aliquam necessitatem accidentalem, tum quia in eodem cap. dicitur, dandum esse hoc sacramentum cum vnctione Chrismatis, At vnctio Chrismatis est cęrimonia pertinens ad solemnitatem Baptismi: ergo idem dicendum est de alijs, quia non est maior ratio de vna, quàm de alia. Quæ est sententia cõmunis, vt est videre apud Nauarum in summa cap. 27. n. 178. atque idẽ dicendum videtur de Cathechismo, & benedictione fontis, quæ pręcedunt ipsum Baptismum, quia & ipsæ sunt cęrimoniæ pertinentes ad eius solemnitatem, vt rectè sustinet Suarez disput. illa 32. sect. 1. contra Couarruuiam. Atque exceptio hæc Baptismi fit ab omni interdicto tàm locali generali, quàm particulari, & etiam ab interdicto personali tàm generali, quàm particulari: Quia in illo cap. *quoniam*, absoluè dicitur, *tempore interdicti licitè posse ministrari Baptismum*. Nec distinguit de generali interdicto, vel particulari: neque de locali, vel personali. Vnde cum clarum sit excipi ab interdicto locali, videtur eadem ratione esse exceptum ab interdicto personali quocunque, ita quod quilibet Sacerdos, qui potest illud licitè ministrare extra tempus interdicti, potest etiam tempore interdicti illud licité ministrare. Quam sententiam sic amplè declaratam sustinet quoque Suarez vbi supra: Qui excipit tamen personam particulariter interdictam, quæ dedit causam interdicto. sed mihi videtur etiam illam excipi, quia vt dictum est cap. *quoniam*, nulla fit exceptio. Quod adhuc confirmabitur nunc infra agendo de exceptione sacramenti Confirmationis.

Excipitur sacramentum Confirmationis.

17 Quod dictum est de sacramento Baptismi, dicendum est quoque de sacramento Confirmationis. Ratio est, quia cap. *quoniam*, de sent. excommun. in 6. æquiparantur Baptismus, & Confirmatio quo ad eorum ministerium in interdicto. Dicitur enim ibi. *Quoniam enim Baptismo, & Confirmatione (quæ nedum paruulis, sed adultis propter mora periculum exhiberi possunt licitè tempore interdicti, &c.* In quocunque ergo interdicto tàm locali, quàm personali licitum est ministrare hæc duo sacramenta: Et cum non distinguatur de interdicto personali, & gratiæ sint ampliandæ, & pęnæ restringẽdæ, mihi videtur quod etiam personaliter interdictus, qui causam dedit interdicto possit vtrumque sacramentum dare propter moræ periculum: Velle autem excipere interdictum personale videtur fieri sine ratione. Quod autem ait Suarez, quia in cap. *alma*, interdictus personaliter ob causam datá interdicto, eximi à cõcessione ministrationis sacramenti pęnitentiæ, & consequenter à ministratione sacramẽti Baptismi, & Cõfirmationis: quia hæc sine prio sacramẽto pœnitẽtię ministrare licitè non possunt, hoc est accidẽtariũ, & ortum ex alia radice, s. quia non licèt ministrare sacramẽtũ in peccato mortali, nõ autẽ quia hoc sit prohibitũ vi interdicti. Itẽ qui sic ministraret vtrumque horũ sacramẽtorũ, nõ peccaret per violationem interdicti, sed quia ministraret in peccato mortali, & proinde non faceret duo peccata: secundum Suarez autẽ faceret duo peccata; Primò, quia ministraret in peccato mortali; Secundò quia violaret interdictum; ideo illa opinio Suarez mihi nõ ꝓbatur.

Reijcitur Suarez.

De confectione Chrismatis.

18 Per illud idem cap. *quoniã*, excipitur cõfectio Chrismatis, quæ tempore interdicti potest confici non obstante ipso interdicto, & intelligitur de quocunque interdicto sicut dictum est de duobus præcedentibus sacramentis.

Sacramentũ Pœnitentiæ excipitur ab interdicto.

19 Sacramentum Pęnitentiæ excipitur quoque à Bonifacio VIII. c. *alma*, de sent. excom. in 6. in quo decernitur, quod hoc sacramentum possit cuilibet homini concedi tempore interdicti; Ante Bonifacium enim solum in articulo mortis cõcedebatur. Quod colligitur ex cap. *præmisimus*, de sent. excomm. & alijs: Atque hæc exceptio intelligitur nedum de interdicto locali, de quo solo videtur caput illud *alma*, in principio loqui, sed de interdicto locali generali, & etiam particulari, atque etiam de interdicto personali generali, vt colligitur ex illis verbis posterioribus eiusdem capitis. *Vbi Ciuitas, vel locus alius, seu vniuersitas interdicti existunt*, in his enim verbis illa tria interdicta significant, Nam *Ciuitas* significat interdictũ locale generale; *Locus*, interdictum locale particulare; *Vniuersitas*, significat interdictum personale generale.

20 Est verò dubium: an hæc exceptio etiam intelliga-

tur de interdicto personali particulari. Et quidem loquendo de interdicto personali personæ innocentis si aliquod adesset, non dubito ad illud extendi, quia cum excipiat ab hoc priuilegio personam, quæ dedit causam culpabiliter aliquo modo ipsi interdicto, consequenter excipit eos, qui culpam non dederunt. Concedit ergo Pontifex in illo cap. licentiam recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ tempore cuiuslibet interdicti omnibus, exceptis duorum personarum generibus. Primum est illorum, qui sunt excommunicati: istis enim hoc priuilegium non vult impartire, nisi in articulo mortis. De quib. verò excõmunicatis intelligatur, an de excõicatis per causã interdicti, vel vniuersaliter quacunque causa sint excommunicati, est dubium. Mihi placet sententia illorum, qui asserunt intelligi debere de quocunque excommunicato quouis nomine. Et ratio est, quia verba textus absoluta sunt, & ideo sine cogente ratione non sunt restringenda, legitima autem ratio non adest. At inquit Suarez eadem disputat. sectinn. 1. num. 16. legitimam rationem adesse. Quia cum conceditur facultas absoluendi à peccatis, conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione non reseruata, iuxta caput *nuper*, de senten. excommunicationis. Vnde cum concedat Papa facultatem recipiendi Sacramentum Pęnitentiæ, quod est absolutio à peccatis, videtur tacitè concedere licentiam etiam absoluendi ab excommunicatione. Ideo, inquit, videtur dicendum, eum intelligere de excommunicatione lata ob interdictum, vel de reseruata. Sed hæc ratio non cogit; quia Papa apertè se declarat, quod cum concedit potestatem recipiendi pęnitentiam tempore interdicti, non vult hoc beneficium concedi ipsis excommunicatis; ergo quicunque sit excommunicatus quocunque nomine non potest absolui à peccatis, & recipere Sacramentum Pęnitentiæ; non ergo hanc facultatem illis impartitur, nisi in articulo mortis, sed illis solis, qui nullo vinculo excommunicationis sunt alligati.

Pœnitentia nõ potest ministrari in duobus casibus tempore interdicti.

Suarez reijcitur.

21 Secundum genus est illorum, qui quoquo modo culpabiliter dederunt causam interdicto; hos enim non vult participare hoc beneficio susceptionis sacramenti Pęnitentiæ, nisi prius satisfecerint modo præscripto eodem capite, *nimirum quod de ipso delicto (si sint tales, quod id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem: Aut si satisfacere nequiuerint, vel huiusmodi cautionem præstare iurauerint, quod cum poterunt, satisfacient, & ad satisfactionem huiusmodi per eum, vel per eos, qui eam facere debent, & possunt præstandum, dabunt consilium, auxilium, ac iuxta posse suum fideliter laborabunt.*

Qui dedit causã interdicto nõ potest recipere pœnitentiã nisi, &c.

22 Est verò dubium, an illa concessio ministrandi sacramentum Pęnitentiæ intelligatur de ministerio passiuo tantùm, an etiam de actiuo. Sed breuiter est dicendum extẽdi sine dubio ad ministerium actiuum quoque: quia ministerium passiuum non potest haberi sine actiuo, cum vnum non possit esse sine alio; ideo omnes illi, qui non excipiuntur ab hoc priuilegio, possunt recipere, & dare; qui vero excipiuntur, vt excommunicatus, & qui dedit causam interdicto, non possunt recipere, nec dare, nisi in articulo mortis qui excipitur etiam à Pontifice.

An exceptio intelligatur de actiua ad ministratione pęnitẽtiæ.

23 Dubitat verò Suarez, an absolutio, & ministratio actiua à persona interdicta sit irrita, & nulla ex vi ipsius cẽsuræ præcisè considerata; & dicit solutionem huius dubij non reperisse apud Doctores, & huius dubij solutionem differt in tractatu de irregularitate. Sed breuiter dicendum est, nullum esse dubium, huiusmodi absolutionem esse irritam, & nullam. Nam priuatio ministerij huius sacramenti non est priuatio potestatis ordinis; ergo iurisdictionis; Quia nulla alia adest potestas, vt patet; cẽsuræ autem ecclesiasticæ, vt diximus supra, & ipse Suarez fassus est, non priuant potestate ordinis, sed iurisdictionis. Cum ergo in tali administratione sit carentia potestatis iurisdictionis, nulla est absolutio. Quod si aliquis bona fide accedat ad Sacerdotem interdictum, & ab illo absoluatur, dicendum est sicut in alijs casibus, in quibus fit defectus ex parte Sacerdotis, vt si quis baptizetur ab aliquo sine intentione debita; similiter si quis absoluatur sine intentione debita; in his autem casibus dicimus esse absolutum, non quidem vi sacramenti, quod nullum est, sed ex pia, & misericordi clementia Dei, vt habet Alexander Alensis (male citatus à Soto, & Suarez tomo 3. quæst. 64. art. 8. in comm.) 4. par. quæst. 8. mẽb. 3. artic. 1. ad quartum, Durandus dist. 6. quæst. 2. Gabriel quæst. 1. artic. 3. distinct. 2. vide de Pœnit. disput. 33. cap. 5.

An absolutio data à persona interdicta sit irrita, & nulla.

24 De Sacramento Eucharistiæ duplex est vsus. Alter communis. Alter per modum Viatici. Communis est duplex, scilicet Sacerdotalis, siue per modum sacrificij, qui fit in celebratione missæ. Alter laicalis, scilicet quo Eucharistia communiter datur laicis, & clericis non sacerdotibus. In interdicto conceditur solum vsus Eucharistiæ per modum Viatici; quia hoc expressè habetur cap. *quod in te*, de pœnitentijs, & remissionibus. Atque intelligitur cum omni illa solemnitate, qua solet deferri; quia hæc solemnitas non debet à tanto sacramento separari; ideo cõcedendo vsum Viatici, conceditur etiam cum solemnitate debita. Hæc omnia probantur: quia cum Pontifex vsum Eucharistiæ solum per modum Viatici concedat, secundùm alios vsus negat. Et hoc intelligitur, vt supra dictum est, de Sacramento Pęnitentiæ, scilicet de interdicto locali generali, & particulari; & personali tàm generali, quàm particulari; etiam de illa persona, quæ dedit occasionem interdicto, sed debet hęc persona dare satisfactionem, si possit, vt dictum est in cap. *alma*. Et ratio est, quia Viaticum sine pœnitentia dari non potest; pęnitentia autem ex cap. *alma*, non potest concedi huiusmodi interdicto, nisi præmissa satisfactione si possit; si autem non possit, debet ei concedi absolutio, & sacramentum pœnitentiæ, & tandem Viaticum: Et hoc de passiuo vsu Eucharistiæ tempore interdicti. Idem dicendum de actiuo vsu sacramenti per modum Viatici. Nam cum liceat passiuè recipere Viaticum, necessarium est, vt etiam liceat actiuè conferre. Quare quicũq; personaliter interdictus siue gñaliter siue particulariter, poterit viaticũ prębere infirmo, etiã ille, qui dedit causam interdicto, si nullus alius adsit Sacerdos, qui hoc munus præstare possit; sicut etiam excommunicatus; nam in articulo mortis nulla censura ligat, nec priuat à ministratione sacramentorum. Et hoc dicendum est nedum quoad infirmum, sed quoad omnes alios, qui dicuntur esse in articulo mortis. Quis autem sit articulus mortis, dictum est de pęnitentia. Qui tamen habent priuilegium sumendi Eucharistiam tempore interdicti possunt communicari: huiusmodi autem sunt cõmuniter Religiosi, & Moniales ex specialibus priuilegijs, & quandoque aliqui nobiles habentes specialia priuilegia.

De Sacramẽto Eucharistię.

25 Est verò grauis dubitatio, an de iure communi, & ablatis priuilegijs liceat illis personis, quibus ex iure communi licitum est tempore interdicti interesse, & celebrare diuina cum circumstantijs cap. *alma*, scilicet ianuis clausis, &c. sumere Eucharistiam more laico. Syluester verbo interdictum 5. num. 9. affirmat; Cuius sententiam laudat, & probabiliter defendit Suarez vbi supra disp. 33. sect. 1. num. 35. Nauarus verò cap. 27. num. 178. & 179. Couaruuias cap. *alma*, pat. 2. §. 5. num. 6. negant. Alij dicunt esse dubium, atque in hac re Papam esse consulendum, vt Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 8. num. 50. Communior verò sententia ea est, quam sequuntur Nauarus, & Couaruuias, qui eo fundamento innitũtur, quod in cap. *alma*, concessionis huius communionis laicalis non fit mentio, quod autem non conceditur, prohibetur. Cęterùm mihi sine præiudicio opinio Syluestri, & Suarez placet: Quia falsum est, quod nõ concedatur hæc communio laica personis illis, quibus licet celebrare diuina tẽpore interdicti. Nã in cap. *alma*, vt considerat Suar. dicitur, *dicantur diuina officia sicut prius.* At prius. i. ante interdictũ ita celebrãtur, vt non Sacerdotes clerici sumãt Eucharistiã more laico; similiter Sacerdotes aliquo ĩpedimẽto nõ potẽtes celebrare co-

An cõmunio laica liceat tempore interdicti.

eodem modo communicant; ergo. Item fauores sunt ampliandi, & accessorium sequitur principale; ergo dum principaliter conceditur, quod est celebrare diuina, etiam conceditur Accessorium, quod est communio laica. Ex quo sequitur vt infert idem Suarez contra prædictos authores, etiam laicos in quatuor festiuitatibus, quibus eis cōceditur posse interesse diuinis, posse etiam sumere communionem propter easdem rationes, tamen in hac re est standum consuetudini.

De Sacramēto Extremæ Vnctionis. 26 De Sacramento Vnctionis Extremæ dicendum est omnino prohiberi in interdicto. Ratio est, quia nullibi excipitur. Cum ergo generalis prohibitio habeatur de Sacramentorum administratione per interdictum, & illorum administratio solum liceat, de quibus fit exceptio, & de hoc Sacramento nulla fit exceptio, certum est illius administrationem esse omnino interdictam. Accedit, quod de eius prohibitione tempore interdicti apertè habetur cap. *quod in te*, de pœnitent. & remission. cuius verba sunt. *licet per generale interdictum omnibus denegetur tam vnctio, quam ecclesiastica sepultura*. In his autem verbis significatur non de nouo fieri prohibitionem huius Sacramenti, sed iam supponi esse factam. Neque hoc Sacramentum tempore mortis dari potest: quia cum proprium eius tempus conferendi sit articulus mortis, & prohibeatur dari tempore interdicti, sequitur non posse pro illo tempore ministrari. Seruanda est tamen regula superius assignata de speciebus interdicti. Nam quando esset interdictum locale, si extra illum locum reperiretur aliqua persona, quæ soleret manere in eo loco interdicto, si non dedit causam interdicto; posset illud recipere; si vero esset interdictum personale, nequaquam iuxta ibi dicta. Ratio autem huius generalis prohibitionis videtur esse, quia non est ita necessarium hoc Sacramentum, sicut alia, quæ conceduntur saltem aliqua ex parte.

De Sacramēto Ordinis. 27 De Ordinis Sacramento omnes tenent contra Innocentium cap. *non est vobis*, de sponsalibus (vbi tenet clericis iam promotis ad ordines inferiores licere promoueri ad superiores) nunquam tempore interdicti, nec laicis, nec clericis licere ordinari, & promoueri ad ordines sacros; vt est videre apud Couarruuiam cap. *alma*, part. 2. §. 5. num. 4. qui citat Panormitanum in dicto cap. *non est vobis*, Paludanum distinct. 18. quæst. 8. num. 29. & Summistas, & apud Suarez vbi supra. Ratio autem est, quia per interdictum generaliter prohibetur administratio Sacramentorum, quæ non excipiuntur; Sacramentum autem Ordinis non excipitur, vt patet cap. *Responso*, de sententia excommunicationis. Ibi enim excipiuntur tantum Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, neque alibi. Ideo cum generaliter prohibeatur ministratio Sacramentorum cap. *sententia*, de senten. excommunicationis in 6. vt vidimus supra in principio huius capitis; & Sacramentum Ordinis non excipiatur, non potest ministrari in interdicto locali, Et multo minus in interdicto personali, si sit generale tam laicorum, quàm clericorum; Si autem sit laicorum tantùm, non clericorum, poterunt clerici ordinari. Et prædicta prohibitio intelligitur de ordinibus, quæ sunt Sacramenta, non autem de prima tonsura, & de benedictione Abbatis, vel Virginis: Quia hæc non sunt Sacramenta, sed sacramentalia, ideo in his seruanda est regula, quę seruatur de diuinis officijs; sunt enim diuina officia, de quibus infra.

De Sacramēto Matrimonij. 28 De Sacramento Matrimonij quædam certa sunt, quædam dubia. Certa sunt primò, quod tempore cuiuscunque interdicti sponsalia licent, & valida sunt. Ratio est, quia ista non sunt Sacramentum, neque aliquid sacrum, nec officium sacrum, sed sunt quidam contractus humani puri, & ideo non continentur inter ea, quæ per interdictum prohibentur.

29 Secundò certum est, quod matrimonium contractum per verba de præsenti in quocunque interdicto cum debitis circumstantijs, & conditionibus requisitis ex Concilio Tridentino validum est. Hæc.n. est communis sententia, quam probat Glosa in cap. *alma*, verbo *Sacramentis*, licet ratio illius Glosæ non approbetur communiter. Ratio vera autem esse videtur; quia cum adsunt essentialia requisita ad Sacramentum, Ecclesia non potest facere, quin Sacramentum sit factum, & validum; licèt possit facere vt sit illicitè factum. Cum ergo matrimonium habet omnia requisita, vt dictum est, est validum.

An benedictiones nuptiales liceant tēpore interdicti. 30 Ista verò sunt dubia. Primò An benedictiones nuptiales sint prohibitæ tempore interdicti. Nam communis opinio tenet eas esse illicitas, quia inter diuina officia computantur, immo habeant adiunctam missam, & preces solemnes, quas tempore interdicti esse prohibitas est certum, vt infra videbimus. Nihilominus Couarruuias in dicto cap. *alma*, par. 2. §. 2. num. 7. tenet has benedictiones licere tempore interdicti, si fiant eo modo, quo concessum est celebrare diuina tempore interdicti, scilicet clausis ianuis, quia etiam istę benedictiones sunt quædam officia sacra annexa cuidam missæ, & proinde cum eisdem circumstantijs licebit. Sed obstat huic opinioni, quod in huiusmodi celebratione diuinorum permissa tempore interdicti debent excludi laici nedum interdicti sed etiam non interdicti, vt infra videbimus: ergo sponsus, & sponsa non possunt illi missæ interesse, & consequenter benedici non possunt, ideo sententia communis non videtur derelinquenda.

An liceat cōtrahere matrimoniū tēpore interdicti. 31 Difficultas secundò est, An quamuis sit validum Sacramentum matrimonij per verba de præsenti ritè contractum, liceat tamen illud contrahere tempore interdicti, & sine peccato. Nam hic sunt duæ opiniones. Aliqui simpliciter affirmant, vt Syluester verbo *interdictum*, quinto num. 9. cum Innocentio cap. vltimo de excessibus Prælatorum nume. 6. & cap. *non est*, de sponsalibus. Panormitanus in eodem cap. qui dicit esse communem sententiam. Nauarus cap. 27. numer. 170. Couaruuias cap. *alma*, part. 2. §. 2. num. 7. & Alij. *Prima opinio quæ est affirmatiua.* Fundamentum est, quia matrimonium, licèt sit Sacramentum, tamē est quoque contractus humanus: Contractus autem humani non sunt per interdictum prohibiti. Secundò cap. *appellamas*, de ferijs dicitur, matrimonium omni tempore contrahi posse. Tertiò videtur vsu, & consuetudine hæc sententia recepta, ergo per hanc consuetudinem erit sufficienter exceptum.

Secunda opinio quę est negatiua. 32 Altera opinio est in contrarium quam tenet Suarez prædicta disputat. 33. sect. 1. num. 51. & sequentibus, quæ mihi quantum est de rigore iuris videtur vera, nisi per consuetudinem, & vsum prior sententia sit acceptata, & consequenter per illam Sacramentum matrimonij sit exceptum, de qua quidem consuetudine quia mihi non constat, relinquo veritatem suo loco. Ratio autem propter quam de iure non videtur sustinenda illa opinio est, quia de hoc Sacramento nulla est exceptio in iure. Nam cap. *Responso*, de senten. excommunicationis in quo fit exceptio de illis Sacramentis, quæ tempore interdicti licent, de hoc Sacramento nulla fit mentio. Regula autem generalis in cap. *alma* est, nullum Sacramentum posse celebrari tempore interdicti, nisi certis sacramentis exceptis: verba enim illius textus sunt. *Sanè à nostris dudum fuit prædecessoribus constitutum, vt in terris, seu locis ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus, & Sacramentis exceptis) diuina celebrentur officia, vel ministrentur Sacramenta*. Cum ergo per regulam generalem non possint ministrari Sacramenta in tempore interdicti, nisi quæ excipiuntur in iure, & in illo cap. *responso*, nec in alijs excipiatur matrimonium, sequitur illud celebrari licitè non posse. Licèt autem matrimonium sit contractus, est tamen etiam Sacramentum, ita quod ratio Sacramenti est inseparabilis à vero contractu matrimonij in lege Euangelica, & ratio Sacramēti est pricipalis, & maioris momenti, quā ratio contractus; ideo ratio cōtractus non facit, vt matrimonium tempore interdicti celebrari liceat.

Quale peccatum sit violare interdictũ ĩ materia Sacramentorũ. Clericus violans interdictum sit irregularis.

33 Sed quale peccatum est violare interdictum in materia Sacramentorum? Respondetur proculdubio esse ex suo genere mortale; quia est violatio præcepti ecclesiastici grauis, sicut edere carnes tempore prohibito: Atque cum sit in materia Sacramentorum, est sacrilegium, & erit grauius, vel minus graue secundum circumstantias, sicut contingit de alijs peccatis.

Clerici autem violantes interdictum, fiunt irregulares, vt diximus in materia de irregularitate, ideo hic non sunt repetenda.

Secundus effectus interdicti, est prohibitio celebrationis diuinorum.

34 Secundus effectus principalis interdicti est celebrationis diuinorum officiorum prohibitio. Quid verò per diuina officia intelligatur, non est ita clarè explicatum; Omnes tamen conueniunt inter hæc diuina officia contineri principaliter sacrificium Misæ, & ideo per interdictum ipsa prohibetur. Verùm non eodem modo per quodlibet interdictum prohibetur sacrificium Misæ.

Celebratio missæ quomodo prohibeatur tẽpore interdicti generalis localis.

Nam per interdictum generale alicuius Prouinciæ, Regni, vel Ciuitatis non prohibetur omnino celebratio Misæ, sed semper certis diebus pro viatico conficiendo, quod datur pœnitentibus, licitum fuit, & est celebrare. Vnde in cap. *permittimus*, de senten. excommunicationis permittitur, quod semel in hebdomada in singulis Ecclesijs tempore interdicti possit celebrari Misa ad effectum prędictum cum conditionibus infra assignandis. Deinde in cap. *alma*, de sent. excommunicat. in 6. propter multa incommoda, quæ ex priuatione huius sacrificij accidebant, permissum est, vt singulis diebus Misa, & diuina officia celebrentur in Ecclesijs, & Monasterijs seruatis quatuor conditionibus, quarum Prima est, vt Misa, & diuina officia submisa voce celebrentur. Secunda ianuis clausis. Tertia excommunicatis, & interdictis expulsis. Quarta campanis non pulsatis. Ideo seruatis his quatuor conditionibus Misa, & alia diuina officia tempore interdicti generalis celebrari posunt.

Quatuor conditiones seruandæ.

35 Celebratio autem ista permittitur in cap. *alma*, in Ecclesijs, & Monasterijs. Vbi oritur difficultas, quid intelligatur per Ecclesias, & Monasteria. Sed disputationibus dimissis magis recepta opinio est, quod intelligantur non solum Ecclesiæ, & templa secularium Religiosorum, Regularium, & Monialium, sed quæcunque Oratoria, & loca approbata ad Misæ sacrificium perficiendum. Cum enim illa concessio sit fauorabilis, non debet limitari ad certas Ecclesias, & præsertim cum in eo cap. *alma*, apponatur illa particula *sicut prius*. Vnde cum prius in omnibus prædictis locis celebraretur, etiam tempore interdicti celebrari poterit. Accedit quod ex illa particula colligitur non solum esse licitum in omnibus prædictis locis, singulis diebus celebrare, sed etiam plures, atque omnes Sacerdotes, qui personaliter non sunt interdicti, siue sint illius loci, siue aliunde, atque omnes solemnitates in prædictis officijs adhiberi posunt, exceptis illis quatuor prohibitis, quia cum illæ quatuor solum prohibeantur, à contrario reliquæ conceduntur, atque hæc est opinio communior, quam sequuntur Nauarus in Manuali cap. 27. num. 175. Suarez disp. illa 33. sect. 1. & Alij ab eis citati.

Prima conditio explicatur.

36 Prima autem conditio seruanda in celebratione missæ tempore interdicti est, vt *submisa voce dicatur*. Quæ ita intelligitur, quod fiat ita voce submisa, quod non possit audiri extra Ecclesiam à populo interdicto, non tamen ita submisa, quod à legitimè assistẽtibus audiri nõ possit, quod disertè habetur cap. *in te*, de pœnitentijs, & remissionibus.

Secunda conditio explicatur.

37 Secunda conditio est *ianuis clausis*, quæ requiritur, ne laici interdicti adesse, & videre possint. Vnde ianuæ non debent esse perforatæ, sed omnino clausæ proximè, vel remotè, vt laici, & interdicti ingredi non possint.

Tertia conditio explicatur.

38 Tertia conditio est *excommunicatis, & interdictis exclusis*. quæ est euidens, & intelligitur de omnibus excommunicatis maiori excommunicatione, & interdictis quocunque interdicto. Sed difficultas est, an laici non excommunicati, nec interdicti adesse possint his diuinis officijs; nã cum excludat solũ excõmunicatos, & interdictos, videtur concedere, quod non excommunicati, nec interdicti non excludantur. Sed est dicendum, omnes laicos etiam non interdictos, nec excommunicatos non habentes priuilegium excludi: quia hoc disertè declaratur in cap. *licet*, de priuilegijs in 6. & ex Clementina 3. de sententia excommunicationis, vbi prohibetur nostris Fratribus Minoribus, ne homines Tertij Ordinis (admittebant enim prius Fratres, & Sorores Tertij Ordinis ad diuina officia tempore interdicti) ad diuina officia admittant: qui tamen Fratres, ac Sorores non erant excommunicati, vel interdicti. & hæc est communis sententia, quam tenent Summistæ omnes verbo *interdictum* Nauarus cap. 27. num. 173. Couaruuias cap. *alma*, parte secunda, §. 4. num. 4. & Alij ab eis citati. Priuilegiati verò assistere possunt cum suis familiaribus, qui concomitantur, non autem extra comitatum, dicto cap. *licet*, de priuilegijs. Neque extenditur hæc prohibitio ad homines doli non capaces, sed solum ad capaces doli; quia tales non sunt capaces meriti, nec culpæ, nec obligantur ad obseruationem horum præceptorum, cum non sint doli capaces.

Quarta conditio explicatur.

39 Quarta conditio est *campanis non pulsatis*. Quæ intelligitur de illa pulsatione, quæ fit ad vocandum populum ad missam audiendam, & de quolibet alio signo æquiualenti, vt per cymbalum, vel per tubam, vel per præconem, & similia; Non autem prohibetur vsus campanarum ad conuocandum populum ad alias actiones, vt ad concionem audiendam, ad dicendum Salutationem Angelicam, ad significandum horas diei, & similia, quia ista non sunt diuina officia. Aliqui tamen, vt Suarez vbi supra, dicunt non esse prohibitum aliquod signum campanæ ad conuocandum clericos ad diuina officia: quia clerici interesse debent horis canonicis ex cap. *alma*, alioquin amittunt distributiones; non possunt autem conuenire, nisi detur aliquod signum. Sed hoc non videtur admittendum, quia expressa conditio est, quod sine pulsatione campanæ celebrentur diuina officia; ergo prohibetur signum illud campanarum quatenus est conuocans clericos. Clerici autem possunt conuenire per alia signa campanarum, quæ non ordinantur ad conuocandum clericos ad diuina, vt per pulsationem ad horas diei, vel ad officia secularia, ad quas pulsationes multa facta, & actiones fieri solet determinari. Intelligitur etiam vniuersaliter de quacunque pulsatione campanæ in ordine ad diuina officia siue deinde dicantur, siue non; & etiam de pulsatione paruæ campanæ, quæ in missa fieri solet, vt attentius auditores missæ assistant; vt omnes authores prędicti affirmant: quia vniuersaliter pulsatio campanarum prohibetur ad diuina officia spectantia.

Opinio Suar. refellitur.

Quatuor festiuitatib. potest celebrari missa.

40 Vltimò in eodem cap. *alma*, adiungitur alia permissio celebrationis missæ, & est quod in quatuor solemnitatibus anni, scilicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ celebrari possit, & permittitur quod celebrari possit cum tota solemnitate consueta. Adduntur tamen duæ limitationes. Prima quod excommunicati excludantur. Secunda quod interdicti illi, qui causam dederunt interdicto *Altari non appropinquentur*. Et prima quidem limitatio de excommunicatis ea vi excommunicationis adest, quia excommunicati vi excommunicationis excluduntur à diuinis. Quantum ad secundam vero quid intelligatur per illam particulam *non appropinquentur Altari* est dubium. Communiter tamen videtur intelligi quo ad tria. Primò ne localiter approximentur altari propter indecẽtiam, cũ sint contumaces Ecclesiæ. Secundò quod non admittantur ad sumendũ Eucharistiã. Tertiò quod nõ admittantur ad faciendũ oblationẽ; si enim ad hunc actũ admitterentur, viderentur reconciliati Ecclesiæ. Poterũt ergo etiam interdicti illi, qui causã dederũt interdicto, his tribus conditionibus

nibus seruatis interesse sacrificio Missæ in his solemnitatibus.

Extenditur ad festũ Corporis Christi cum octaua.

41 Vlterius extensum est hoc priuilegium ad festiuitatem Corporis Christi, & totam Octauam à Martino Quinto in Bulla incipiente *ineffabile Sacramentum*, & ab Eugenio Quarto Bulla *Excellentissimum*. De quibus Summistæ Syluester verbo *interdictum*, quinto quæst. 2. Angelus *interdictum*, 6. numer. 16. Nauarus de interdicto. Nauarus autem, & Suarez, & Couaruuias addunt à Leone X. extensum fuisse quoque hoc priuilegium ad festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, & eius Octauam pro sola Hispania, vt habetur in supplemento Minorum concessione 67. quam concessionem tamen limitant Nauarus cap. 27. nu. 182. & Corduba in summa ad illas Ecclesias, in quibus dicitur Missa *egredimini*, Couaruuias verò addit etiam extendi ad diem, in qua contingit Regem aliquem ingredi de nouo Ciuitatem, quæ sit interdicta. Sed Suarez eum confutat eadem disput. 34. sect. 1. in fine, quia nullo fundamento certo innititur.

An priuilegium intelligatur de primo die festiuitatis tãtũ. Opinio Soto.

42 Est verò dubium, an hoc priuilegium de festiuitatibus intelligatur de primo die festiuitatis, an de pluribus, vt puta de tota Octaua. Et quidem Soto in hoc 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. post quartam conclusionem ait in festiuitate Paschatis hoc priuilegium incipere a Missa Vigiliæ saltẽ ab initio Gloriæ, quando pulsantur campanæ; in alijs verò festiuitatibus incipere à primis Vesperis; fieri verò in vltimis tertiæ diei. In Assumptione verò Beatæ Mariæ Virginis finiri in vltimis Vesperis diei Assumptionis. Soto nullam adducit rationem, sed videtur fundari in vulgari appellatione, qua tres dies Paschatis solent dici dies Paschæ, & Ecclesia celebrat festum Paschæ per illos tres dies.

Alia opinio.

43 Alia est opinio, quod intelligatur hoc priuilegium incipere à die festo primo cum dies incipit lucescere, (sed Syluester inquit plures esse qui dicunt incipere ad Vesperas) & illo terminari etiam in Paschate. Ratio est, quia verba textus cap. *alma*, sunt hæc. *In festiuitatibus vero Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, campanæ pulsantur, &c.* At festiuitas Natalis Domini, & Assumptionis vnico die celebrantur; ergo videtur dicendum eodem modo intelligendum esse de Paschate, & Pentecoste. Hanc sententiam tenet Syluester cum Archidiacono verbo *interdictum*, 5. quæst. 2. num. 3. quos sequitur Suarez vbi supra, & dicit esse communem sententiam, & citat Glosam in cap. *alma*, verbo *Assumptionis*, & Nauarum cap. 27. num. 182. qui tamen non dicunt, quod in festiuitatibus Paschatis, & Pẽtecostes liceat solum prima die Missam celebrare; sed Nauarus loquit *diebus solum non octauis*. Adeo quod videtur excludere solum dies octauæ, non festiuos. Vnde quantum ad dies, quibus liceat vti hoc priuilegio non mihi displicet opinio Soto; neque hæc est ampliatio repugnãs textui: quia cum dicatur in cap. *alma*, *in festiuitatibus Paschæ, &c.* & Ecclesia tres dies festos faciat, non videntur excludi debere alij duo dies, cum etiam illi sint festi, seu festiui. Vnde non est par ratio de die Natalis Domini, & Assumptionis B. Virginis: quia Ecclesia celebrat has duas festiuitates solum vnica die.

De tempore quo incipit, et desinit priuilegium.

44 Quãtum etiam ad inceptionẽ priuilegij mihi quoque probatur opinio Soto, quæ est quoque Glosæ in cap. *alma*, verbo Assumptionis in eo quod dicit, quod incipit in vigilijs dies festi ad Vesperas, & adducit rationem: quia tunc quo ad officiorum celebrationem incipit dies dist. 75 cap. *quod die*, & terminatur ad Vesperas diei festi includẽdo Completorium, (licèt Glosa ibidem excludat Completorium,) quia Cõpletorium solet includi in officio vespertino dist. 92. cap. vltimo. Atque ea hoc videtur etiam approbanda opinio eiusdem Soto de vigilia Paschæ, quia in Missa Sabbati Sancti dicuntur Vesperæ, & à Gloria in excelsis, & pulsatione campanarum incipit solemnitas Paschæ proportionaliter addita prædictæ Glosæ. Hęc de interdicto locali generali.

Quid de interdicto locali speciali.

45 Loquendo verò de interdicto locali speciali, vt de aliqua Ecclesia particulari alicuius Ciuitatis, priuilegia illa ex cap. *alma*, non habent locum. Ratio est secundum omnes: quia causa concessionis eorum priuilegiorum in cap. *alma*, fuerunt illa inconuenientia adducta à Pontifice, scilicet quia ex districtione statutorum interdicti cessabat deuotio populorum, &c. hoc autem non habet locum in interdicto particulari locali, quia si diuina in vna Ecclesia non celebrantur, in alia celebrantur. Solum haberet locum ius antiquum, quod si in illa Ecclesia seruaretur Eucharistia, liceret priuatim in illa celebrare ad renouandam Eucharistiam, vt supra dictum est. In loco ergo specialiter interdicto celebrari non potest Missa, nisi modo prædicto; nec locum habet caput *alma*, quia illud loquitur solum de interdicto locali generali.

De interdicto personali.

46 Multo minus habet locum prædictum cap. *alma*, in interdicto personali tam generali, quàm personali, quia vt dictum est, illud loquitur de interdicto locali generali, non personali. Vnde interdictis personaliter, siue generaliter, siue particulariter nullibi licet ministrare sacrificium Missæ, nec illi interesse: quia hoc habetur clarè in cap. citatis *si Ciuitas*, *si sententia*, de sententia excommunicationis in sexto, vt ostendimus supra; Nec vllibi quo ad interdictum personale factum est aliquod priuilegiũ, nisi in vno casu, quod personæ interdictæ personaliter, etiam quæ dederunt causam interdicto, in prædictis quatuor festiuitatibus possunt assistere celebrationi Missę, sed differenter: quia personæ absolutæ possunt absolutè assistere, sed personæ interdictæ, quæ dederunt causam interdicti, possunt assistere cum illa moderatione, quod non appropinquent ad Altare vt nunc supra diximus.

An audiens missam interdicti peccet.

47 Dubium verò est, an personæ non interdictę liceat audire Missam Sacerdotis interdicti personaliter. Respondeo si non est publicè denunciatus nulli dubium esse non peccare propter Extrauagantem *ad euitandã*, de qua in disputatione de excommunicatione diximus. Si verò est publicè denunciatus, sustinet Suarez vbi supra sect. 3. num. 5. non esse peccatum. Ratio eius est; quia interdictum personale militat contra personam interdictam ne faciat, vel audiat Missam, & diuina officia, non autem prohibet, ne quis cum illa communicet, aut eius actionibus assistat: quia in nullo iure hæc prohibitio apparet explicitè, nec implicitè; Vnde dummodo non communicet in ministrando diuina, sed solum assistendo, inquit non peccare. Hæc autem opinio mihi non probatur, nec tutò in praxi seruari posse iudico, quoniam celebratio diuinorum officiorum actiua, & passiua est mutua. Vnde cum quis priuatur ab actiua administratione diuinorum, consequenter quoque videtur priuari passiua assistentia aliorum ad illa in persona illius. Vnde cum quis interdicitur personaliter à celebratione Missæ, consequenter prohibet, ne alij ei assistant; quia mutuò hæc se consequuntur. Confirmatur quia certum est Sacerdotem sic ministrantem peccare; cum autem quis illi sacrificio assistit cooperatur illi, & communicat operi malo, quatenus est illius Sacerdotis; quia est sacrilegium; ergo mihi videtur peccare; ideo in iure hæc prohibitio continetur implicitè.

An licitũ sit celebrare coram personis non interdictis, īterquas est vna interdicta.

48 Aliud dubium est, an Sacerdos possit facere sacrum coram personis, inter quas sit aliqua persona personaliter interdicta. Ad hoc dubium Respondetur procul dubio non licere, sed interdictam personam debere expelli. Ratio est, quia iura semper cum loquuntur de celebratione diuinorum, inquiunt, personas interdictas debere expelli cap. *permittimus*, & cap. *alma*, de sententia excommunicationis in 6. & alijs, ideo ministri Ecclesiæ debent facere quantum possunt, vt cum celebrant diuina expellant interdictos: hoc enim est munus ministrorum Ecclesiæ modo prudenti, & etiam per vim, si fieri possit sine scandalo.

49 Sed quid si persona interdicta nõ possit expelli. Aliqui dicunt non esse celebrandã Missam, & si sit inchoata, nec peruentũ sit ad canonem esse cessandum. Alij asserunt

Quid si persona interdicta non possit expelli.

Missam posse celebrari; quia nullibi in iure hic effectus assignatur; neque à Doctoribus. Vnde authoritas negatiua licèt non sit aliàs efficax, in hac re tamẽ est efficax: quia Doctores hunc casum non prætermisissent. Solum ergo Sacerdoti non licet celebrare coram interdicto quando locus est interdictus (quod habet locum solum quãdo priuatim celebrat secundum limitationes in cap. *alma*, supra explicatas, vt ex se patet) quia expresſè præcipitur dicto cap. *alma*, quod interdicti excludantur; sed quando locus non est interdictus, sed habilis, licèt adsit aliquis interdictus personaliter, dicunt licere celebrare, & alia diuina officia facere. Quam opinionem sequitur Suarez vbi supra num. 10. sed tamen cum formidine. Ego tamen in praxi non puto hanc opinionem tutam; quia vt supra dixi, mutuò referuntur celebratio actiua, & assistentia passiua astantium diuinis, ideo cum prohibetur alicui assistentia passiua, consequenter etiam prohibetur agenti ministratio actiua.

De aliis diuinis officiis per interdictum prohibitis.

50 In secundo effectu interdicti, qui est celebrationis diuinorum officiorum priuatio, præter sacrificium Missæ enumerantur alia diuina officia, vt patet ex iuribus adductis in principio huius capitis. Cæterum quæ sint diuina officia, quę per interdictum prohibentur in particulari nõ habetur expresſè declaratum, sed solum habetur vniuersalis hæc negatiua, quod tempore interdicti nulla diuina officia celebrentur. Ex Doctoribus autem colligitur quãtum se extendat hæc negatiua, & declaratur in particulari quæ sint illa diuina officia, quæ per interdictum prohibẽtur. Verùm hoc vario modo explicatur à diuersis. Aliqui dicunt hæc esse omnia officia, quæ in Missali, & Breuiario Romano continentur; vt Syluester verbo *interdictum*. quinto quæst. 3. & Angelus eodem verbo num. 4. sed hic modus dicendi est obscurus, nec rem declarat, vt optime notauit Nauarus in Man. cap. 27. nu. 172. quoniam multa sunt in Breuiario Romano, quæ per interdictum non sunt prohibita, vt Benedictio mensæ, Itinerarium, Commendatio Animæ, & similia. Et in Missali sunt benedictiones quædam, quæ non prohibentur tempore interdicti, vt benedictio panis, fructuum, baculi, & sacculi ad peregrinandum, & similium. Sunt etiam quædam alia extra Breuiarium, & Missale Romanum, quæ tamen tempore interdicti prohibita sunt, vt quæ in Pontificali, & Rituali Romano continentur.

Prima opinio

51 Ideo ipse Nauarus vbi supra inquit posse rectè determinari *diuina officia, quæ per interdictum prohibentur esse officia ordinata in dictis tribus libris, scilicet Breuiario Missali, & Pontificali Romano, aut in aliis libris legitimè, ad vsum ordinum & aliorum Sacramentorum, vel sacramentalium, aut ad horas Canonicas*, Suarez disput. illa 34. sect. 3. in re sequitur hanc opinionem, sed eam distinctius declarat distinguens, quod officium diuinum duobus modis accipi potest, vno modo quo ad substantiam, scilicet quatenus sunt orationes quædam directè ad Deum. Alio modo quo ad modum celebrationis illius, qui duplex est. Alter publicus, & solemnis, qui est quando celebratur à clericis pro communi vsu populi, & ex officio suo; Alter est priuatus, vt quæcunque recitatio diuini officij priuata, quæ à quolibet persona fieri potest, etiam vsurpando illas orationes, & verba, quæ Ecclesia instituit ad publicum vsum dici à Sacerdotibus. Ad propositum inquit, quod per interdictum prohibentur illa diuina officia, quæ sunt propriè ecclesiastica, quæ sunt illa sola, quæ publicè, & pro cõmuni vsu populi à clericis ex officio fiunt, ita quod tali modo non possunt fieri nisi à clerico ad illud munus specialiter ordinato, vel deputato: Officia vero priuata, seu priuato modo dicta, quæ tamen à non clerico dici possunt, neque deputata sunt alicui ordini clericali specialiter, possũt dici tempore interdicti etiam publicè, vt Benedictio Mẽsæ, Orationes Ecclesiæ pro iteragentibus, Salutatio Angelica, & pulsatio ad illam, adoratio publica Crucis, etiam in die Parasceue, dummodo sine illis precibus, & cęremonijs fiat, quia illæ cęrimoniæ Veneris Sancti pertinent ad officium publicum illius diei, introducere mulierem post partum in Ecclesiam, si fiat absque vlla solemnitate Sacerdotali, & demum horæ canonicę. Nam licèt sint propriè clericorum; tamen non sunt deputatæ ita alicui ordini sacro, vt necessarium sit illas publicè canere, vel recitare publicè, sed possunt priuatim ab ipsis, & laicis dici. Prohibẽtur ergo per interdictum ne publicè in Ecclesia fiant, & cum cantu, non autem quod recitentur priuatim.

De horis Canonicis.

52 Diuina officia vero, quæ per interdictum sunt prohibita, ex priuilegio in cap. *alma*, possunt dici singulis diebus, sed cum quatuor limitationibus superius adductis de celebratione missæ, scilicet *ianuis clausis Ecclesiæ, submissa voce, sine pulsatione campanæ, & excommunicatis, & interdictis expulsis*. In quatuor autem illis solemnitatibus licet illa celebrare sicut prius, seruatis eisdem conditionibus, quas ibi diximus. Ratio est quia priuilegium est idẽ de alijs diuinis officijs, & de sacrificio Missæ quantum ad hoc, quæ est communis sententia, vt patet ex Doctoribus vbi supra. Atque hæc vera sunt de interdicto locali generali.

Quæ diuina officia dici possint ex priuilegio.

53 Quo ad interdicta vero alia. s. locale, speciale & personale, tam generale, quàm speciale idem dicẽdum quod supra dictum est de celebratione Missæ. Nam in illis prædicta officia celebrari prohibitum est, neque per caput *alma*, aliquid eis est concessum, quia loquitur solum de interdicto locali generali.

Quid dicendum de aliis interdictis.

54 Quicunque autem violant interdictum quodcunq; aliarum celebrando diuina officia prohibita, vel celebrãdo aliter, vel alio modo quam præscriptum est in priuilegio, peccant mortaliter, siue sint clerici, siue laici, (licèt aliqui in laicis dicant esse peccatum veniale violationem interdicti generalis) quia violant præceptum ecclesiasticum graue; ideo talis violatio, & transgressio reputatur grauis, & sufficiens ad peccatum mortale, vt tenet Suarez eadem disput. 34. sect. 5. contra prædictos Doctores, & hoc nisi paruitas materiæ excuset à mortali. An vero clerici fiant irregulares ex violatione huiusmodi interdictorum, dictũ est supra agendo de irregularitate.

Quale peccatum sit interdicti violatio.

55 Ad hoc autem vt violatio interdicti sit peccatum, requiritur quod interdictum sit denunciatum iuxta Extrauagantem *ad euitanda*, & secundo quod interdictum seruetur ab ijs, in gratiam quorum interdictum est latum, vt habetur cap. *petisti*, de priuilegijs. Nam si ipsi non seruant, non merentur, vt Ecclesia alios prohibeat à diuinis in gratiam ipsorum, vt habetur eodem cap.

56 Tertius effectus interdicti est priuatio sepulturæ ecclesiasticæ, vt habetur cap. *quod in se*, de Pœnitentia, & remissione, & alijs iuribus. Quid sit sepultura ecclesiastica diximus supra agendo de effectibus excommunicationis, explicando quomodo priuet diuinis officijs. Hic autem effectus non eodem modo se habet in omnibus speciebus interdicti. In interdicto ergo locali generali extenditur ad omnes personas illius loci, siue adultos, siue paruulos baptizatos. Nam iura vniuersaliter, & absolutè loquuntur, ideo nullum personarum genus excipi potest. Hoc enim statuit Ecclesia ad maiorem rigorẽ censuræ ecclesiasticæ ad magis compellendum fideles, vt causam interdicti tollant. Per interdictum autem generale non prohibetur, vt personæ illius loci absolutè non possint sepeliri ecclesiastica sepultura, sed prohibetur solum, ne in illo loco interdicto sepeliantur; In alio autem loco non interdicto sepeliri possunt. Vnde possũt fideles corpora suorum defunctorum extra locum interdictum deferre, & ibi ea sepelire. In interdicto personali speciali persona interdicta nullibi sepeliri potest sepultura ecclesiastica, vt habetur cap. *si Ciuitas*, de sent. excommunic. & est communis opinio. Ratio differentiæ est clara: quia in primo interdicto prohibitio nõ fertur in personas absolutè, sed solum ratione loci; in secundo vero absolutè fertur in personas. At de interdicto personali generali est contentio inter Doctores. Aliqui tenent etiam ipsos priuari ecclesiastica sepultura pp iura adducta de interdicto personali, &

Tertius effectus interdicti, qui ẽ priuatio sepulturæ ecclesiasticæ.

præ-

Opinio Suar. refellitur. præsertim ex cap. *si sententia*. de senten. excomm. in 6. vbi interdictum personale generale dicitur ligare singulas psonas; Tamen Suarez vbi supra tenet oppositum propter Extrauagantem *ad euitanda*, quæ requirit, quod persona sit nominatim denunciata, & interdicta. sed hæc opinio est difficilis: quia sequeretur quod neque priuarentur alijs effectibus, scilicet celebratione diuinorum officiorum, & participatione quorundam Sacramentorum, quod tamē est contra essentiā interdicti. Ad fundamentum eius Respondetur sufficere quod sententia interdicti personalis bis sit publicata.

57 Excipiuntur priuilegiati, qui quo ad interdictum generale proculdubio possunt sepeliri ecclesiastica sepultura, vt habetur cap. illo *quod in te*, adducto, cuiusmodi sūt clerici, qui tamen causam interdicto non dederunt: isti enim personaliter sunt interdicti, & ibidem excipiuntur ab hoc priuilegio, & insuper si seruauerint interdictum, quę exceptio eodem cap. *quod in te*, habetur: hi enim sunt indigni hoc priuilegio, cum non seruauerint interdictum. Poterunt etiam in interdicto particulari sepeliri in Ecclesia, si in eo loco nulla alia adsit Ecclesia, nisi interdicta. Rationabiliter enim iudicatur, quod Papa intelligat in hoc casu priuilegium extendi ad interdictum locale speciale: quia vult concedere priuilegium clerico, vt in loco sacro sepeliatur, in casu autem isto nullus alius locus sacer adest. secus quando adsunt aliæ Ecclesiæ non interdictæ; tunc enim nullo modo sepeliri potest in loco sacro, quod Doctores supra affirmant. Per clericos autem intelliguntur omnes ordinati ad primam tonsurā, qui gaudent priuilegio clericali, de quibus diximus in materia de ordine sacro, & habetur in Concilio Tridentino sess. 23. c. 6. & cap. vnico de clerico coniugato. Hęc exceptio clericorum extenditur etiam ad omnes alias personas, quę licitè tempore interdicti possunt interesse diuinis officijs; hi enim in hoc priuilegio veniunt sub nomine clerici, vt vsus, & consuetudo comprobat.

Seruari debēt limitationes præscripta. 58 Hi tamen priuilegiati possunt sepeliri sepultura ecclesiastica seruatis limitationibus præscriptis in prædicto cap. *quod in te*, quæ sunt quatuor, Prima quod hæc sepultura fiat in cęmiterio Ecclesiæ, non in Ecclesia: tamen ex vsu, & consuetudine communiter per cęmiterium Doctores interpretantur etiam Ecclesiam propter dignitatē status clericalis, quæ interpretatio videtur fundari in Clem. 1. de sepulturis. Secunda limitatio est, vt fiant sine pulsatione campanarum. Tertia vt fiat sine solemnitatibus omnibus ecclesiasticis, quibus corpora mortuorum fidelium sepeliri solent. Quę autem pertinent ad honorem humanum non prohibentur; quia hæc non pertinent ad officia diuina. Quarta est, vt cum silentio tumulentur. Per silentium autem non prohibetur quod Psalmi, & aliæ orationes, & diuina officia non recitentur: quia dato casu, ꝙ per caput illud *quod in te*, esset prohibitum: tamen per caput *alma*, est concessum; In quo tempore interdicti hæc diuina officia recitari, sine cantu tamen, &c. conceditur, vt supra diximus. Vnde cum ex cap. *quod in te*, liceat priuilegiatis sepultura ecclesiastica, & ex cap. *alma*, liceat clericis cum illis limitationibus tempore interdicti celebrare diuinā officia, licebit sepelire clericū diuina officia eo modo recitando. Non tamen licebit extra Ecclesiam alterius choris Psalmos recitare, vt moris est, nec in cęmiterio, si cęmiterium sit publicum benedicere sepulturam, quia hoc in cap. *alma*, non est concessum. In quatuor vero festiuitatibus iam adductis poterunt sepeliri solemniter, quia diuina officia solemniter posse celebrari illis diebus conceditur; ergo & in hoc casu sepulturæ. Solent autem hæc priuilegia concedi quandoque alijs personis, quæ qualia sint, & ad quæ se extendant inspiciendum est ex forma concessionis.

An cōcesso priuilegio assistendi diuinis officiis cōcedatur ecclesiastica sepultura. 59 Solet autem specialiter dubitari, an si in aliquo priuilegio per generalia verba concedatur alicui laico, vt posset tempore interdicti interesse diuinis officijs, intelligatur etiam eidem esse concessum, vt ecclesiastica sepultura possit sepeliri. De qua re est contentio inter Doctores, sed verior videtur esse pars negatiua, ea præsertim ratione, quia officia diuina, & ecclesiastica sepultura in iure diuersa reputantur. Vnde enumerantur in iuribus tanquam res diuersæ; siquidem dicitur per interdictum prohiberi diuina officia, & ecclesiasticam sepulturam: si autem sub diuinis officijs contineretur sepultura, non fieret additio. Cum ergo sint diuersa, si in priuilegio concedatur posse interesse diuinis officijs, non propter hoc censetur intelligi concedi sepulturam ecclesiasticam. Quam opinionem optimè tuetur Suarez disput. 35. sect. 1. num. 13. & sequentibus; si tamē verba priuilegij essent generaliora, vt si diceret admitti ad diuina absoluté, tunc extenderetur quoque ad sepulturam; quia videtur illa concessio esse quædam suspensio generalis interdicti quò ad illam personam, vt ibidem optimè sustinet Suarez.

Peccat mortaliter sepeliēs aliquem in loco interdicto. & est excōmunicatus. 60 Violatio autem interdicti quo ad hunc effectum sepulturæ est peccatum mortale: quia est actio contra præceptum graue Ecclesiæ. Quod maximè patet ex hoc, quia in Clem. 1. de sepulturis, excommunicantur ipso iure, qui sepeliunt aliquem in loco interdicto. Vnde cum excommunicationis impositio sit signum grauis præcepti, sequitur peccare mortaliter, & etiam esse excommunicatum ipso facto; hæc enim prohibitio tendit in viuum sepelientem, non in mortuum, qui non potest peccare violādo interdictum; si autem defunctus aliquis sepeliatur in loco interdicto, non est exhumandus, nisi sit affectus censura excommunicationis, siue interdictum sit sublatum, de quo non est dubium, siue interdictum maneat; vt docuit Angelus *interdictum* 6. num. 33. & alij, quos sequitur Suarez vbi supra. Et ratio est, quia per interdictum prohibetur

Non tamen corpus exhumari debet. actus sepeliendi in loco interdicto, non autem prohibetur corpora ibi sepulta non manere. Vnde cum materia sit odiosa, fauorabilius est exponenda.

De causis Interdicti, & eiusdem relaxatione, & cessatione à diuinis. Caput Tertium.

Quatuor genera causarū in interdicto 61 AD magis methodicè explicandum materiam censurarum, solent authores in eis quærere quatuor genera causarum, scilicet efficientem, materialem, formalem, & finalem; ideo & nos hanc methodum sequentes quatuor has causas explicabimus in hac materia interdi-

Causa efficiens qua. cti, Causa ergo efficiens interdicti est ille, qui habet potestatem iurisdictionis ferendi interdictum. Vnde duplex est interdictum, ab homine, & à iure. De interdicto à iure affert exemplum Scotus vbi supra de recepcantibus vsurarios extraneos extra. de vsurarijs. cap. *vsurarum voraginem* in 6. Suarez, & alij alia plura exempla afferunt, vt infra dicam. Interdictum vero ab homine est quod fertur à Iudice. A iure est quod fertur à lege facta ab habente potestatem condendi legem. Vnde qui habet potestatem excommunicandi, vel suspendendi, habet potestatem quoque ferēdi interdictum; quod est euidens ex dictis supra de eo, qui potest excommunicare, & elicitur apertè ex cap. *Cum Ecclesiarum*, de officio ordinand. Requiritur ergo potestas iurisdictionis ordinaria, vel delegata, & sic Episcopi, & Prælati habentes iurisdictionem Episcopalē, possunt interdictum ferre. de Capitulo autem Canonicorum dubitatur, sed resolutè dicendum est iure ordinario, Capitulum non posse ferre interdictum; secus si ex priuilegio id ei liceat; vt sentiunt Doctores in cap. *quæsiuit*, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli. Episcopus vero per se sine consensu Capituli ex cōsuetudine illud ferre potest cap. 3. de consuetud. in 6. & extra. cap. 3. eodem.

An omnes Prælati possint ferre interdictum. 62 Dubitant vero aliqui, an omnes habentes iurisdictionem super aliquem locū, & certas personas possint ferre interdictum locale? & dicunt Regularium Prælatos nō posse illud ferre, vt Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. conclus. 2. sed hoc sine fundamento dicitur: quia cum aliquis habet iurisdictionem super aliquam Ciuitatem, vel locum & personas illius loci, ad ponendum interdictum locale,

& personale habet potestatẽ sufficientem. At Prælati Regulares habent potestatem super propria Monasteria, & Ecclesias sicut super personas Regulares sibi subditas; sunt enim eorum loca, & Monasteria exempta à iurisdictione Episcopali; ergo possunt illa interdicere. Immo in Constitutionibus quibusdam nostræ Religionis ordinatur, vt quædam Monasteria interdicantur, si in illis quędam culpæ, & inobedientiæ patientur. Verùm est quidem non esse in vsu, & si tale interdictum ferretur, pareret scandalum populo. Nec talis censura, scilicet interdictum locale videtur accommodata ad disciplinam regularem firmandam.

Cõstitutiones Alexãdrina

De causa materiali.

63 De causa materiali, siue de eo, qui potest interdici patet ea dictis supra de speciebus interdicti. Nam iàm locus generalis, quàm specialis, & personæ tàm in communi, vt collegium, quàm in particulari, vt personæ particulares possunt interdici, & possunt ab eo interdici, cuius iurisdictioni subsunt, iuxta superius dicta, & cum exceptionibus adductis.

De pueris venientibus ad vsum ratiõis

64 Duo dubia specialem difficultatem habere videntur. Primum est, an pueri, qui propter carentiam vsus rationis nõ sunt capaces interdicti personalis, si de facto interdicantur, & durante interdicto perueniant ad vsum rationis, incipiant ligari interdicto.

65 Aliud dubium, an cum collegium aliquod est interdictum, & illi aliquis de nouo adiungitur durante interdicto incipiat ligari interdicto. Et proportionaliter. An si de nouo ædificetur aliqua Ecclesia, vel Capella in loco interdicto generaliter, illa Ecclesia, vel Capella de nouo condita incipiat quoque subesse interdicto.

De capella de nouo condita ĩ loco generaliter interdicto.

Solutio prædictorum dubiorum.

66 Respondetur ad omnia hæc dubia affirmatiuè. Nam de paruulo id tradunt Doctores cum Glosa in cap. *si sententia*, de sent. excomm. & de aggregato de nouo collegio interdicto affirmat Syluester verbo *interdictum* 2. num. 9. & idem dicẽdum ad tertium dubium. Ratio est, quia interdictum est sententia lata, quæ semper habet vim in omne illud, in quod lata est; ideo illi, vel illa, quæ fiũt idem cum illa re interdicta incipit subiacere illi sententiæ. Qui autem fit de collegio interdicto, & Ecclesia quæ ædificatur in loco interdicto, fit vnũ totũ cum illo, & proinde incipit subiacere eidẽ senteñtiæ. Notandũ est aũt, ꝙ additio personarũ, & loci debet esse talis, vt fiat vnũ cũ illis, ita ꝙ illud primũ ꝑmaneat, & nõ destituatur. Vnde si alicui collegio interdicto adderẽtur plures ꝑsonę, quã essẽt illæ priores illius collegij, & si Ecclesiæ priori interdictę adderetur alia Ecclesia lõgè maior, ita quod superaret priorẽ, vel ex vtraque fieret vna, ita tamen quod pars addita esset maior illa non censeretur interdicta: quia non censeretur esse eadem, quæ prior, sed alia, & consequenter cum desineret subiectum interdicti, cessaret quoque interdictum.

De causa finali, seu de causa, ꝑpter quam fertur interdictum.

67 Loquendo de causa finali, seu de causa propter quã interdictum potest ferri, Scotus inquit innumeras esse; communius tamen propter inobedientiam communem populi terræ. Vnde breuiter est dicendum, quod causa, propter quam ferri potest interdictum, est peccatum mortale, scilicet contumacia, vnde in vnoquoque interdicto est applicanda, & est discurrendum per omnes species cũ alijs Doctoribus. Interdictum ergo personale particulare requirit culpam, & contumaciam particularem, alioquin esset iniustum, vt diximus de excommunicatione, & est res clara. Interdictum personale generale requirit culpam, & contumaciam generalem, scilicet vel in omnibus personis illius generalitatis, vel in pluribus, quæ sufficiant ad constituendum vniuersalitatem tãquam corpus vnum morale: Nam licèt omnes non peccauerint, tamen quia omnes sunt de eodem corpore morali, innocentes possũt interdici; Et in hoc differt interdictum ab excommunicatione, quia excommunicatio non potest ferri in communitatem, vt supra diximus agẽdo de excommunicatione; interdictum verò maximè, vt patet cap. *si sententia*, de sent. excomm. in 6. Vel demum culpa est in solo capite, ꝑpter quam Populus, & Ciuitas interdicitur; vt patet eodem cap. *si sententia*, peccatum enim Principis, vel Reipublicæ, vel Collegij est causa sufficiens, vt pœna interdicti feratur, non autem aliqua priuata, etiam plurium, si Princeps, vel Rector Ciuitatis illi peccato non consentiat. Et ratio est, quia cum interdictum sit pęna publica, requirit causam publicam, & æquiualentem, cuiusmodi est peccatum Principis, & Reipublicæ, seu Collegij quatenus vnum corpus est, licèt non omnes de Collegio consentiant.

De causa interdicti localis generalis.

68 De causa interdicti localis generalis idem dicendũ. Cum enim per istud innocentes quoque plectãtur, necesse est, quod causa sit grauissima, & maximum peccatum mortale, & hoc Principis, vel Reipublicæ vt constituit vnum corpus morale. non autem est sufficiens causa peccatum priuatum propter eandem rationem, quam adduximus de interdicto generali personali.

An propter peccatũ Episcopi interdictũ possit poni.

69 Est autem dubium, an propter culpã Episcopi Diœcesis possit interdici. Respõdetur aliquos negare, sed oppositum habetur cap. *fane*, 2. de officio delegati, & apud Abbatem in eod. cap. num. 6.

70 Dubitatur etiam, an propter debitũ temporale soluendum Principes, vel Episcopi cum sunt contumaces in soluendo possit interdictum poni. Respondetur sine licẽtia Pontificis non posse, quia sic cauetur in Extrauaganti *proinde*, de sent. excommun.

De interdicti localis particularis causa

71 De causa interdicti localis particularis idem dicendum, licèt non requiratur tàm grauis culpa; debet tamen esse semper mortalis, quia pœna est grauis, & redundat in damnum publicum, vt patet.

De causa formali interdicti.

72 Vltimo quo ad causam formalem interdicti dicendum est, nullam esse præscriptam formam verborum ad hanc censuram ferendam, sicut supra diximus de forma ferendi excommunicationem; sed tamen debent esse talia verba, quæ sine dubitatione, & ambiguitate, sed distinctè significent censuram interdicti localem, vel personalem, generalem, vel particularem, si effectus est limitatus, vel ad tempus; quia si in hac significatione verba essent incerta, nihil fieret: quia requiritur distincta significatio personæ, vel loci generalis, vel particularis. Verba tamen ordinaria solent esse, interdico, vel interdicto ecclesiastico suppono, & æquiualentia. & hæc quantum ad substantialia formæ interdicti. Quantum verò ad solemnitatem, dicendum est necessarium esse præmittere monitionem, vt à contumacia desistat, vt diximus supra de excomm. & post latum interdictum necessaria est denunciatio, seu intimatio, vt diximus vbi supra. In reliquis dicẽdum est sicut dictum est de solemnitate sententię excommunicationis: quia eadem solemnitas seruanda est in excommunicatione, interdicto, & suspensione cap. *medicinalis*, de sent. excomm. in 6.

De numero interdictorũ in iure.

73 Quot verò in iure habeantur interdicta tàm localia, quàm personalia, & tàm generalia, quàm specialia, videri possunt Syluester verbo *interdicto* 4. per totum, Angelus, Nauarus cap. 27. num. 169. & copiosius Suarez disp. 37. sect. 1.

De absolutione ab interdicto.

74 Quantum ad absolutionem, seu relaxationem interdicti, obseruandum est, quod aliquando non aufertur nisi per absolutionem, aliquando aufertur sine absolutione, seu (vt ait Scotus) aliquando ab homine, aliquando à iure relaxatur. Et quidem quod à iure relaxetur, patet ex cap. *alma*, de sent. excomm. in 6. vt supra vidimus. Relaxatur etiam à Iudice vt patet; & etiam aliquando sine absolutione Iudicis; Quando enim interdictum fertur in pœnam peccati præteriti, vt cum quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & sic de alijs, tunc finito tempore cessat interdictum absque vlla absolutione: quia sententia, vel lex non operatur plusquam verba eius sonent. Cum ergo verba limitant ad certum tempus extra illud non obligant, vnde illo tempore transacto non adest amplius interdictum, & sic nõ est opus amplius absolutione.

De interdicto lato sub conditione.

75 Est verò dubitatio, an cũ interdictũ fertur sub cõditione, vt sub hac forma, *donec satisfaciat*, vel *restituat*, an adimpleta cõditione, interdictum tollatur absque abso-

solutione, seu relaxatione facta à superiore. Aliqui tenẽt, interdictum cessare absque absolutione, vt Syluester verbo *interdictum*, 3. quęst. 9. Couaruuias in cap. *alma*, parte 1. §. 11. num. 8. & nonnulli alij, atque hæc est communior sententia. Suarez tamen disp. 38. sect. 1. tenet necessariam esse absolutionem, seu relaxationẽ ab illo qui posuit interdictum, vel habet potestatẽ auferendi illud, quæ sententia mihi quoque probatur: quia iura, quæ sub illa forma ferunt interdictum, & censuras, non requirunt solum satisfactionem, sed requirunt etiam absolutionem. Vnde cap. *quamquam*, de censibus in 6. vbi censuræ, & interdictum feruntur contra exigentes iniusta tributa ab ecclesiasticis personis, in fine habentur hæc verba. *Nec ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineãt, donec exacta plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.* Ex his enim verbis apparet, quod post satisfactionem exactam, Papa requirit absolutionem ab excommunicatione, & relaxationem ab interdicto. Idem habetur alijs iuribus.

76 Est etiam dubium, an interdictum locale, tam generale, quàm speciale tollatur absque absolutione quoties locus mutatur, vt si Ciuitas destruatur, vel Regnũ diruatur. Et quo ad hoc dicendum est nequaquam tolli, quia est impossibile, quod totaliter diruatur; semper enim manet solum, in quo erat Ciuitas, vel Regnum, vel Villa, in quo manent ruinæ Ciuitatis, vel Regni; (super illud enim principaliter fundatur interdictum) quod remanet interdictum. Et multo minus tollitur interdictum per alienationem, & venditionem; vt puta si fuit interdicta Ciuitas propter peccatum Principis, & Princeps illam vendat, nõ propter hoc cessat interdictum; quia interdictum est veluti onus loci, ideo locus transit ad emptorem cum onere suo; Neque enim actio venditionis, vel emptionis est causa interdicti, ideo ab illa non dependet, vel tollitur, & ꝑpter hoc si dominus, propter quẽ aliqua Ciuitas fuit interdicta, emit aliquam aliam Ciuitatem, illa non subijcitur interdicto, quia à principio non fuit comprehensa sub interdicto, ideo per actionem emptionis, illi non subijcitur. Quod tenet Syluester verbo *interdictum*, 2. num. 3. adducens alios in hac sententia super caput *si sententia*, de sent. excomm. in 6. sed in hoc videnda sunt semper verba formæ interdicti; si enim adderetur, quod eidem interdicto subiaceant quæcunque Ciuitates, & Terræ, quas ille emerit, vel quocunque titulo possederit, tunc interdicto subijceretur. Excipitur autem interdictum deambulatorium; quando enim interdicitur omnis locus, in quo reperitur, vel reperietur talis, tunc recedente illo ab vno loco ad aliũ, prior manet liberatus ab interdicto, quia interdictum nõ ferebatur directè in locum, sed solum in ordine ad præsentiam talis personæ, ideo illa ablata cessat interdictum absque vlla absolutione propter rationem superius adductam.

De interdicto deambulatorio.

77 De interdicto verò personali generali oppositum est dicendum. si enim collegium, vel communitas, vel populus aliquis sit interdictus, & collegium illud, vel cõmunitas, vel populus destruatur, quod fit cum dissoluitur omnino, ita vt amplius non constituant illud corpus, & totũ vnum morale, quod prius construebat, tollitur interdictũ. Nam tunc perit subiectum, in quod directè ferebatur interdictum, in personas enim ferebatur secundariò, & ea consequenti, quatenus scilicet erãt partes illius totius, ideo cum totum illud corpus dissoluitur, cessat interdictum, licèt personæ disiunctæ, & dissolutæ ab illo corpore maneant, quia non sunt partes amplius illius totius. Quę est sententia communis Canonistarum in cap. *si sententia*, de sent. excomm. in 6. & Summistarum verbo *interdictum*, Couaruuiæ lib. 2. Variarum cap. 8. nu. 10. Et eadem ratione si quis ab illa communitate separetur, vel domiciliũ mutet, non manet interdictus, quia erat interdictus solum in quantum erat pars, & membrum illius totius, ideo cũ cessauit esse membrum illius, cessauit interdictum in eo.

78 Sed quid si dedit causam interdicto? Prædicti Doctores respondent rectè, quod iste non liberatur ab interdicto: Quia iste non est interdictus per participationem illius communitatis, sicut alij innocentes, sed est causa directa, propter quam interdictum est latum, ideo in personam illius primariò est directum, & sic est interdictum personale particulare: Vnde per destructionem illius corporis non liberatur, nisi cesset contumacia, & absoluatur.

Qui dedit causam interdicto excipitur.

79 Sed quid si quis personaliter interdictus pœniteat, sed moriatur antequam absoluatur ab interdicto, cessat ne interdictum per mortem, & destructionem ipsius? Respondetur aliquos asserere interdictum cessare, & consequenter sic morientem in ecclesiastica sepultura sepeliri posse absque vlla alia absolutione. Alij patres, vt Ioãnes Andreas, Anchaxanus, & quidam alij, quos sequitur Suarez disp. illa 38. sect. 1. asserunt non tolli interdictum, sed esse necessarium, vt interdictũ tollatur propter viuentes, quia ad eos directè tendit obligatio interdicti, ne huiusmodi mortuus in interdicto sepeliri possit in sepultura sacra. Et ratio est, quia ipsi viuentes per pœnitentiam alterius, scilicet mortui non liberantur ab hac obligatione. In tali casu ergo peracta pœnitentia debet absolui ab interdicto, a quo poterit à quocunq; Sacerdote absolui stante illa pęnitentia. Hæc enim videtur esse sententia, & sensus cap. *is cui*, de sent. excommu. in 6. dum dicit. *talis quoque si hoc interdicto durante decedat non debeat in Ecclesia, vel cęmiterio ecclesiastico, nisi pœnituerit sepeliri.*

Quid de interdicto personaliter in particulari moriente antequã sit absolutus.

80 Quando verò interdictum tollitur per absolutionẽ, nõ potest tolli, nisi ab eo, qui habet authoritatem, qui est illimet, qui illud imposuit, vt docuit Scotus cum alijs vbi supra. Vnde interdictum positum ab homine, solum ab eo Iudice, qui illud imposuit, vel ab eius superiore relaxari potest, vt diximus supra de absolutione ab excommunicatione. Si verò est à iure, ab eo, qui condidit ius, vel eius superiore, vel ab eo, qui habet potestatem abrogandi illã legem. Et quando interdictum est reseruatum Papæ certum est neminem posse absoluere ab illo nisi Papam: Tamen ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. omnes Episcopi possunt ab illo absoluere, quãdo casus est occultus, vt diximus supra etiam de absolutione ab excommunicatione. Quãdo verò interdictum est simpliciter prolatũ à iure, sed nulli est reseruatum, Episcopus potest regulariter ab illo absoluere propter easdem rationes, quas adduximus supra loquendo de eo, qui potest absoluere ab excommunicationibus in iure nulli reseruatis. An verò simplex Sacerdos habens authoritatem absoluendi à peccatis, possit absoluere ab interdicto? Respondetur loquendo de generali interdicto tàm locali, quàm personali nõ posse, quia simplex Sacerdos habet authoritatem super personam particularem, non super Communitatem, vel Ciuitatem, sed Episcopus; ideo non est par ratio de excommunicatione, & interdicto, quia illa est personalis, non generalis, vt ex dictis supra patet: quia communitas non potest excommunicari, vt est tale corpus vnũ morale. Loquendo verò de interdicto personali particulari, videtur dicendum posse relaxari à prædicto Sacerdote habente authoritatem absoluendi à peccatis, quia videtur esse eadem ratio ac de excommunicatione, cum enim non sit reseruatum, & Sacerdos habeat authoritatem absoluendi à peccatis, videtur habere quoque authoritatem absoluendi ab hac censura. Hoc tamen non conceditur ex vi capitis *nuper*, de sent. excomm. vt diximus supra de excommunicatione, sed ex quadam consuetudine, quæ habet vim legis: ideo hæc consuetudo in Episcopatibus est consideranda.

Quis possit interdictum relaxare.

At simplex Sacerdos possit absoluere ab interdicto.

81 Quantum ad formam relaxationis, nulla est præscripta certa forma verborum. sed obseruãdum est solum illa debere esse talia, quæ sine ambiguitate, & dubitatione significent talem locum, vel personã ab interdicto actu liberare. Atque etiam aliquis nutus simul cum verbis poterit sufficere, vt si Episcopus interrogatus an sibi placeat actu relaxare tale interdictum, & ipse annuat, quod sibi placet, ille nutus cum verbis illis præcedentibus erit sufficiens forma.

De forma relaxãdi interdictum.

spectu illius satisfecit, non ab alia, quia non satisfecit. Quæ omnia ab omnibus conceduntur, & colliguntur ex quarto sent. distinct. 18. vbi præsertim hoc quæsitum tractat Richardus art. 10. quæst. 5. Syluester eum secutus verbo *absolutio*, 3. num. 2. Nauarus de Pœnitentia distinct. 6 cap. 1. num. 59. Couaruuias cap. *alma*. par. 1. §. 11. num. 6. & 7. Suarez vbi supra, & disput. 10. & sect. 2. Demum de iure ordinario absolutio hæc debet fieri verbis, vel scripto, non autem aliquo alio signo: quia sic in iure est statutum, vt patet Clementina vltima de sent. excommunica tionis, & aliter facta est nulla. Summus tamen Pontifex de potentia absoluta si declararet se alio modo, quàm verbo, vel scriptis absoluere, absolueret, vt habetur eadem Clementina, quia ipse est supra ius positiuum humanum secus de alijs Prælatis inferioribus, quia tenentur seruare formam iuris communis, nec possunt illud immutare. Communiter tamen solet à Doctoribus hæc forma assignari, *Absoluo te à vinculo excommunicationis maioris ob talem causam, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Quæ tamen verba omnia non sunt necessaria, vt dictum est.

De solemni forma absolutionis.

271 Quantum ad solemnitatem formæ absolutionis ab excommunicatione, quatuor seruanda sunt ex Doctoribus communiter, vt est videre apud Nauarum de Pœnitentia dist. 6. cap. 1. nu. 54. Couaruuiam cap. *alma*. par. 1 §. 11. num. 11. & Alios. Primum est, quod ab eo, qui est absoluendus petatur iuramentum obediendi de cætero mandatis Ecclesiæ cap. *ex tenore*, & cap. *de cętero*, de sentent. excommunicationis, sed hoc non intelligitur vniuersaliter, quia nec esset expediens, neque illis iuribus cauetur sed intelligitur in illa materia, propter quam fuit excommunicatus, vel si nondum facta sit plena satisfactio pro eo crimine, pro quo fuit excommunicatus propter aliquā rationabilem causam.

272 Secundò si est excommunicatus pro offensa notoria præmittatur sufficiens satisfactio, & emendatio si potest cap. *ex parte*, 1. de verborum significatione, & ex cap. *venerabilibus*, §. *porro*, de sent. excommunicationis in 6. si autem non possit, det cautionem idoneam, vel iuratoriam, vt ibidem Nauarus ait.

273 Tertiò in ipsa absolutione requiritur, vt Sacerdos indutus aliqua veste sacra, saltem stola, & superpellicio priusquam absoluat recitet Psalmum *Miserere*, vel alium ex Septem Psalmis Pœnitentialibus, & alias preces, de quibus, in cap. *notis*, 2. de sent. excommunicationis, & absoluendus genuflexus scapulis nudatis dum Psalmus recitatur, percutiatur flagello, (quod nullo iure cautum est, sed consuetudine receptam.) Hæc tamen consuetudo quod scapulis nudatus sit, non seruatur, & Nauarus vbi supra ait cū mulieribus, & ob aliquam aliam rationabilem causam posse omitti, nunc in vsu est verberari, sed scapulis non nudatis. Finito Psalmo dicitur *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster*. versiculus *Saluum fac seruum tuum*. Resp. *Nihil proficiat inimicus in eo. Domine exaudi orationem meam, &c. Dominus vobiscum, &c.* deinde dicitur oratio. *Deus, cui proprium est misereri, &c.* sed ea parte, quæ dicit, *quem delictorum catena constringit* loco *catenæ* dicitur *excommunicatio*. Post prædictam orationem Nauarus ponit hanc formam absolutionis. *Authoritate omnipotentis Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Ecclesiæ sanctæ eius, & nostra*, vel mihi concessa, *absoluo te*, à tali sententia, *vel ab excommunicatione, quam incurristi propter talem, & talem causam, & restituo te communioni, & participationi Ecclesiæ, & omnium fidelium, & ecclesiasticis Sacramentis*.

274 De his cœrimonijs omnes dicunt eis non esse de substantia formæ, vnde si omittatur, nihilominus valida est absolutio, tamen omnes dicunt absoluentem si sit Sacerdos in conscientia teneri ad illas obseruandas, & illas omittendo sine causa rationabili, peccare, quod maximè verum est in absolutione publica, & solemni ad satisfaciendum Ecclesiæ, & quando excommunicatio fuit iusta, secus quando fuit iniusta, tunc enim illa solemnitas non requiritur secundum omnes, vt ait Suarez disp. 19. sect. 2. neque quando excomm. absoluitè, & simpliciter non datur, sed ad cautellam, vel ad certum effectum. sed quantum ad vsum istarum cœrimoniarum, standum est consuetudini regionum, & locorum, quæ habet vim faciendi legem.

275 Quartò requiritur, vt post absolutionem absoluēs facit mandata iusta, & rationabilia, quæ secundum Nauarum vbi supra num. 54. erunt si præcipiatur excommunicato, vt in posterum non agat contra canonem illum, si est excommunicatus à iure, propter cuius violationem incurrit excommunicationem, vt puta si excommunicatus fuit quia incendiarius, nunquam amplius sit incendiarius, & similia.

De absolutione ab excommunicatione minori.

276 Postremò quod spectat ad absolutionem excommunicationis minoris illud est obseruandum, quod supra diximus, quod ab homine non incurritur, sed solum à iure, & in vno solo casu: nimirum ex communione cum excommunicato maiori excommunicatione. Ab hac autē potest absoluere quicunque habet authoritatem absoluēdi à peccatis, non autem simplex Sacerdos, qui nō est admissus ad audiēdum confessiones peccatorum. Ratio est, quia in cap. *nuper*, de sent. excommunicationis dicitur, q excommunicatus hac excommunicatione possit absolui à suo Sacerdote, per suum autem Sacerdotem intelligit Parochum, & habentem authoritatem sicut Parochus, quæ est authoritas iurisdictionis, & ordinis, quæ requiritur ad absoluendum à peccatis. An verò possit absolui à simplici clerico habente solam potestatem iurisdictionis, non autem ordinis, est dubium. sed sicut supra diximus de excommunicatione maiori, ita dicere debemus multò magis de minori. Diximus autem ibi habentem iurisdictionem ab illa posse absoluere, licet non sit Sacerdos, quia hic est actus potestatis iurisdictionis distinctus à potestate ordinis, & spirituali, ergo etiam hic non Sacerdos poterit absoluere.

277 Quantum ad formam absolutionis sufficit solum, quod verba sint talia, quæ significent personam absoluētem, personam absolutam, & causam, vt supra diximus de forma absolutionis ab excōmunicatione maiori. Quæ autem pertinent ad solemnitatem, hic non requiruntur, vt notauit Syluester *absolutio*, 3. num. 5. & elicitur ex cap. *nuper*, de sententia excommunicationis, in quo dicitur, quod excommunicatus excommunicatione minori poterit absolui absque iuratoria cautione, quam tamen requirit in absolutione in primo casu, scilicet in excommunicato maiori excommunicatione, signum est ergo quod non vult requiri eam solemnitatem in hac absolutione, quam in prima. Et ratio est, quia hæc excommunicatio est censura leuis, & propter leuem causam incurritur, ideo eius absolutio est facilis, & huiusmodi cęremonijs non onerata, sed requiritur tantum propositum obediendi Ecclesiæ, vt aduertit quoque Soto in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. Caietanus in summa cap. de excommunicatione minori, & Alij communiter.

An excōmunicatio sit pœna grauior irregularitate.

278 Vltimo loco quærit Scotus quænam pœna sit grauior, irregularitas, an excommunicatio, & loquitur de excommunicatione maiori, quæ est excommunicatio simpliciter non de minori, quam dixit esse excommunicationē secundum quid. Et inquit excommunicationem esse maiorem pęnam. Reddit rationem, quia priuat pluribus bonis, quam faciat irregularitas. Irregularitas enim priuat bonis, quę pertinent ad ordines; At excommunicatio priuat ab omni communione alias licita, & ita nedum à bonis, quæ pertinent ad ordines, sed etiam alijs bonis licitis, vt suffragijs, participatione Sacramentorum, communione fidelium, & alijs bonis, de quibus supra vidimus. Aliqui tamen dicunt (inquit Scotus) excommunicationem esse leuiorem pœnam hac ratione; quia facilius remittitur, quàm irregularitas; vnde irregularitates nō tolluntur, nisi

per

per dispensationem Summi Pontificis, quæ non nisi cũ difficultate obtinentur, vt supra diximus; excommunicatio autem ablata cõtumacia, & satisfacta parte eo modo quo potest, aufertur latior.

An excõmunicatio & irregularitas sint leuiores depositione, & degradatione.

279 Sed Scotus dicit hanc rationem concludere oppositum, scilicet excommunicationem esse pœnam grauiorem. Quia ideo facilè dimittitur, quia grauissima est, & à pluribus excludit, ideo non expedit eam ita difficile dimitti. Subiungit adhuc comparando has duas pęnas excommunicationem, & irregularitatem ad alias duas pęnas, scilicet depositionem, & degradationem. Posse dici quod sunt leuiores pęnæ excommunicatio, & irregularitas in quantum possunt fieri priuatè (possunt enim esse publicæ, & priuatæ vt visum est supra) quam depositio, & degradatio, quæ semper sunt publicæ. Hęc de excommunicatione.

De excõmunicationibus particularibus.

280 Essent nunc explicandæ excommunicationes particulares, tàm quæ continentur in Bulla Cęnæ, quàm eæ, quæ continentur in corpore iuris, & Extrauagantibus; sed quia de his Scotus nihil dicit; & copiosè ab alijs explicantur, vt est videre apud omnes Summistas, præsertim apud Recentiores, Nauarum, & Suarez, ideo hic supersedeo.

DISPVTATIO QVINTA.

De Interdicto.

Quid, & quotuplex sit interdictum. *Caput Primum.*

Licet inferre censuram interdicti.

1 QVod in Ecclesia sit potestas ferendi interdictũ patet ex ijs, quæ supra diximus in vniuersum de potestate Ecclesię ferendi censuras; ideo licèt interdictum videatur quædam censura, quæ in detrimentum diuini cultus vergat, cum per illud Christiani à diuino cultu arceantur, atque sine culpa multorum aliquando feratur, vt cum propter peccatum vnius, vel aliquorum paucorum interdicitur tota aliqua Prouincia, vel Regnum: Tamen certum est licere, & semper in vsu fuisse in Ecclesia. Quod liceat, probatur; quia rectæ gubernationi Ecclesiæ conducit cum prudenter, & legitimè fertur. Sæpè enim erit aliquis in excommunicatione obstinatus, nec à peccato, & contumacia recedere vult: ideo eius familia, parentes, vel Ciuitas, vel Regnum pro qualitate excõmunicati interdicitur à diuinis officijs, vt ille tali sacrorum suspensione, & amicorum, vel parentum, vel populi indignatione, qui eius causa diuinis prohibentur, ad cor reddat, & Ecclesiæ pareat. Vnde licèt cultus diuinus aliquod detrimentum patiatur, compensatur tamen ob vtilitatem, quam recipit Ecclesia ad defendendam suam potestatem, & obedientiam comparandam. Et licèt innocens puniatur, hæc punitio ei non nocet, sed ob bonum publicum Ecclesię tolerare debet, & orationibus, & alijs exercitijs fructum diuinorum officiorum compensare.

Semper fuit in vsu censura interdicti.

2 Quod verò in vsu semper fuerit in Ecclesia, ex eo probatur, quia D. Augustinus hac pęna vsus est aduersus Bonifacium, vt patet epistola 185. Et refertur 17. quæstio. 4. cap. miror. Rapuerat enim Bonifacius hominem fugitiuum de Ecclesia, ad quam confugerat. Diuus Augustinus præcipit, vt eum in eandem Ecclesiam restituat, & interim donec restituat, interdicit ei communionem, & familiæ suæ oblationes prohibet à clericis accipi, quæ tamen familia erat innocens. Verba epistolæ sunt hæc. *Ecclesia igitur illorum rebellis, quem vt irreligiosissimus rapuisti. Oblatio verò domus tuæ à clericis ne suscipiatur indixi, communionemq; tibi interdictã, donec peracta pro ausibus, vel errore à me definita tibimet pœnitentia & tempore ordinato pro hoc facto corde cõtrito, et humiliato dignũ offeras sacrificium Deo.* D. Augustinus autem ea pęna afficit innocentem familiam Bonifacij, non tanquam quid de nouo instituens, sed vt rem consuetam in Ecclesia exercens: ergo ex hoc exemplo habetur. Interdicti censuram fuisse in vsu in veteri Ecclesia, & consequenter semper. D. Augustinus enim floruit circa 400. Annum Christi plus minus.

Cuncta autem pertractare, quæ de interdicto disceruntur à Canonistis, & Summistis longum esset, ea, quæ ad eius essentiam spectant, & sufficientem cognitionem huius censuræ tradunt, breuius quàm potero attingam.

Variæ diffinitiones de interdicto.

3 Dimissa itaq; varia significatione huius nominis interdicti, vt facit ad propositum, interdictum accipitur pro quadam censura ecclesiastica, quæ est Arctatio à quibusdã actibus ecclesiasticis exercendis, Vel ab assistendo quibusdam talibus; vt videbimus explicando eius diffinitionem. De hac censura variæ assignãtur diffinitiones à Doctoribus. Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. hanc assignat. *Interdictum est censura ecclesiastica qua homo à perceptione quorundam Sacramentorum, & à diuinis officijs, & ab ecclesiastica sepultura separatur.* Nauarrus in Manuali c. 27. num. 167. diffinit sic. *Interdictum est censura ecclesiastica, qua prohibentur diuina officia Sacramenta, & sepultura actiuè, & passiuè, exceptis aliquibus* Couarruuias cap. alma, part. 2. §. 9. numer. 1. inquit. *Interdictum est suspensio à diuinorum officiorum Sacramẽtorumq; actiua, & passiua celebratione respectu alicuius loci, aut personarum facta ecclesiasticam etiam prohibens sepulturam.* Suarez tomo de censuris disp. 32. sect. 1. his opinionibus confutatis adducit hanc. *Interdictum est censura ecclesiastica prohibens vsum quarundam rerum diuinarum, vt communem fidelibus quatenus talis est.* Aliæ assignantur ab alijs, vt à Caldérino apud Nauarrum, & ab alijs, quas adducere superuacaneum est.

Diffinitio Scoti.

Scotus in 4. dist. illa 25. quæst. 1. assignat hanc, quam supra annuimus. *Interdictum est arctatio à quibusdam actibus ecclesiasticis exercendis, vel ab assistenda quibusdã talibus.* Ex his diffinitionibus tres priores Soto, Nauarri, & Couarruuię minus aptæ videntur: quia confundunt diffinitionem interdicti in se, vt abstrahit à suis speciebus, & eas simul miscent; cum tamen diffinitio generis debeat esse distincta, & seiuncta à speciebus, nec per illas debeat diffiniri, sed per proprium genus, & proprias differentias. Quæ omnia patent, & ex dicendis de speciebus interdicti euidentia magis fient. Diffinitio allata à Suarez caret hoc defectu, quia assignatur de interdicto in communi, & in genere et abstrahit à suis speciebus, sed illæ duę differẽtię additæ, *vt fidelibus communem,* & *quatenus talis est,* minus aptè positæ videntur. Et prima quidem, quia ponit illam vt distinguat interdictum à suspensione: quia inquit, suspensio est de actibus proprijs alicui potestati ecclesiasticæ, interdictum est de actibus communibus: hoc autem non aptè admodum dicitur. Quia si intelligit, quod actus per interdictum prohibiti, sint communes omnibus fidelibus, hoc est vel actiuè, vel passiuè. Non actiuè: quia illi actus non conueniunt actiuè laicis. Non passiuè, quia hoc modo non conueniunt clericis. Deinde alia est euidentior differentia inter interdictum, & suspensionem, quia suspensio est censura propriè, & simpliciter competens clericis, at interdictum competit, & clericis, & laicis, non oportet ergo ad illam differentiam confugere. Altera etiam differentia, *vt talis est,* quam ponit vt faciat interdictum differre ab excommunicatione, quam inquit priuare vsu talium rerum; non tamen quatenus est vsus rei sacræ, sed quatenus est communicatio cum alijs fidelibus, interdictum verò priuat vsu talis rei sacræ per se, ac independenter à communicatione cum alijs, minus aptè dicitur. Quia etiam actus ecclesiastici, qui per interdictum priuantur, pertinẽt ad communicationem cum fidelibus; ideo vt ipse dicebat,

bat, pertinent ad communem vsum fidelium, ergo ista priuatio est quædam priuatio communicationis fidelium, & sic non præscindit, nec est independens à communione fidelium, sed illam includit. Accedit quod alia est differentia inter interdictum, & excommunicationem, quæ in illa diffinitione omittitur, quæ est, quod excommunicatio est priuatio generalis omnium actuum ecclesiasticorũ; interdictum quorundam solum; ergo non videtur esse multum apta hæc diffinitio Suarez.

Diffinitio Scoti declaratur.

5 Mihi aptissima videtur diffinitio allata à Scoto. Hęc enim est de interdicto in communi, & in genere nullam miscens speciem interdicti, & in ea ponuntur omnes differentiæ distinguentes illud ab alijs censuris, & pœnis ecclesiasticis. Primò dum dicit, *Interdictum est Arctatio* supponit, quod interdictum sit pœna, & censura ecclesiastica, dixit enim prius ibi. *Quinta pœna est interdictũ. quæ, &c.* Illa ergo particula *Arctatio a quibusdam actibus ecclesiasticis*, est prima differentia, qua distinguitur ab excommunicatione, quæ est arctatio, & priuatio vniuersalis omniũ actuum ecclesiasticorum. Secunda differentia est, *vel ab assistendo illis*. Per hanc enim distinguitur à suspensione, & alijs pœnis, quæ non consistunt in priuatione assistentię diuinorum, sed in ministratione. Suspensio enim & aliæ pœnæ ecclesiasticæ (excepta excommunicatione) non priuant assistentia diuinis actibus, sed solum interdictum. Vnde laici possunt incurrere hanc pœnam assistendo actibus diuinis prohibitis, quæ vltima differentia omittitur ab alijs, & tamen est maximè necessaria, quia est de essentia huius censuræ, quæ maximè priuat laicos, & fideles hac assistentia.

Tres sunt species interdicti.

6 Species interdicti sunt tres secundum Scotum, & alios communiter, scilicet locale, personale, & locale personale simul. De interdicto locali habetur cap. *præsenti*, de sent. excommunicationis in 6. De interdicto personali habetur cap. *sententia* eodem titulo, & colligitur ex his locis esse diuersas.

Interdictum locale quodnam sit.

Interdictum locale est quod directè fertur in locum, quia scilicet interdicit diuina officia secundũ modum à Canonibus expressum in eo celebrari: & Scotus inquit, interdictũ vt est censura distincta ab alijs frequentius infligi loco, non personis, nisi dum in loco sunt, vt scilicet in tali loco non liceat celebrare solemniter, nec alios interesse. Vnde quamuis interdictum diuidatur in locale, & personale, tamen propriè videtur dici de locali, & iuxta hanc differentiam propriè distinguitur ab excõmunicatione, & suspensione, quia istæ pœnæ propriè infligũtur personis absolutè. Dicitur autem locale, non quia locus sit capax pœnæ spiritualis, nisi quodammodo per accidens, sicut etiam dicimus locum cum Ecclesia consecrari, benedici, &c. sed quia tendit in personas ratione illius loci, quia prohibentur celebrare in illo loco diuina officia.

Interdictum locale, aliud generale, aliud speciale.

7 Interdictum autem locale diuiditur in duas species, scilicet in interdictum generale, & interdictum speciale. Hęc diuisio habetur cap. *cum in partibus*, de verborum significatione. Interdictum generale est quod fertur in aliquem locum quasi generalem, idest complectentem plura loca particularia; vt est aliquod Regnum, vel aliqua Prouincia, in qua sunt plures Ciuitates; Vel etiam in aliqua Ciuitate, in qua sunt plures Ecclesiæ. Interdictũ speciale est quod fertur in aliquem locum particularem, vt in aliquam Ecclesiam particularem. Quę colliguntur ex dicto cap. *cum in partibus*, multa autem congerunt Doctores disputando, an cum aliqua Ciuitas interdicitur, sed excipitur aliqua Ecclesia; Vel interdicuntur omnes Ecclesiæ alicuius Ciuitatis, non tamen interdicitur tota Ciuitas, vel Terra, debeat dici interdictum generale, vel particulare. At ego puto, hæc debere dici interdicta particularia. Ratio est, quia vt diximus, interdictum generale est illud, in quo nulla fit exceptio; vbi enim est exceptio vnius particularis destruitur generalitas, siue vniuersalitas. Cum autem interdicitur aliqua Ciuitas, sed vna Ecclesia excipitur, illud non est vniuersale interdictum, quia non fertur in totam Ciuitatem; Et cum fertur in omnes Ecclesias alicuius Ciuitatis, quia non fertur in totam ipsam Ciuitatem, licèt interdictum cadat super Ecclesias tantum, non potest dici generale, quia excipitur Ciuitas ipsa. Vnde si fortè fortuna esset aliquis Religiosus, qui posset ex priuilegio in Altari portatili celebrare, vellet celebrare in illa Ciuitate extra Ecclesias posset, quia tunc solum Ecclesię essent interdictę non reliquæ partes Ciuitatis.

Quid sit interdictũ personale, et quotuplex.

8 Interdictum personale est quod immediatè fertur in personam, atque illi interdicit vsum quorundam certorũ officiorum diuinorum. Atque hoc interdictum quoque est duplex, scilicet generale, & particulare. Generale est quod fertur in aliquam vniuersitatem personarum, quæ constituunt aliquod vnum corpus politicum, & in singulas personas illius Vniuersitatis, vt in aliquod collegium, vel in populum alicuius Ciuitatis; Tota enim illa Vniuersitas & non alia ab ea distincta est interdicta, & singulę personæ, quæ sunt partes illius Vniuersitatis, non autem quæ nõ sunt partes illius, sunt interdictæ. Particulare est quod fertur in aliquam vnam particularem personã, vel in aliquas plures particulares personas, vt dictum est de interdicto locali.

Quid de eo qui habet duo domicilia, quorũ vnum est interdictum, aliud non.

9 Sed dubium est, an si quis habeat duo domicilia, vnum vbi populus est interdictus, aliud vbi populus nõ est interdictus, an sit interdictus. Aliqui affirmãt, aliqui negant; & hæc secunda opinio videtur probabilior, quia in partem fauorabiliorem est inclinandum.

An cũ clerus interdicitur, extendatur ad omnes ecclesiasticos.

10 Aliud dubiũ est, an cũ clerus alicuius Ciuitatis interdicitur, intelligatur de cũctis ecclesiasticis personis, q̃ gaudent priuilegio clericali, vt Nouitij, Conuersi, etiam fęminæ. Respondetur quod si res est dubia, saltem non est ita clara vt omnes comprehendant cum pœnæ sint restringendæ, non ampliandæ, pro solo Clero seculari est intelligendum.

Quędam regula obseruãda circa interdicta generalia.

11 Circa autem hæc interdicta generalia vt casus particulares multi explicari possint, de quibus Summistæ varias quæstiones tractant, obseruandæ sunt quædam regulæ.

Prima regula.

Prima est quod interdicto aliquo communi loco, intelliguntur interdicta omnia particularia loca illius, & nõ alia, quæ non sunt partes illius. Vt interdicta Ecclesia, intelliguntur interdictæ omnes capellæ, & omnia altaria illius, atque etiam cęmiterium illius, quod est illi cõiunctũ, non autem altaria, & cęmiterium alterius Ecclesię distinctæ. Et si Ciuitas sit interdicta, etiam suburbia, & continentia illius sunt interdicta.

Secunda regula.

Quæ omnia expressè habentur cap. *si Ciuitas*, de sent. excommun. in 6. Ex quo è conuerso infertur supposita vna parte Ecclesiæ interdicto, puta interdicta vna capella Ecclesiæ, non propterea hoc interdictam esse totam Ecclesiam. Et interdictu cęmiterio nõ esse interdictam Ecclesiam. Et omnia desumuntur ex cap. *si Ciuitas*. Et confirmatur per regulam iuris, *accessorium sequitur ad principale, non è conuerso*. Ratio est, quia commune, & totum absque particularibus non est capax huius interdictionis; è conuerso vna pars sine alijs omnibus, vel aliquibus, est capax huius interdictionis. Ad cognoscendum autem quę sint partes illius totius: recurrẽdũ est ad ius, si illud declaret quæ sint partes illius totius: si autem in iure non habeatur hæc declaratio, recurrendũ est ad casũ securum in iure expressum. Quod si neque hic habeatur, consideranda sunt verba diligenter, & secundum eorum proprium sensum iudicandum. Quod si res sit dubia, sententia interdicti erit nulla, quia ambigua est, atq; incerta.

De tertia specie interdicti.

12 De tertia specie interdicti, quæ simul est localis, & personalis, Suarez eadem disput. 32. sect. 2. dicit eam esse superfluam: Quia in illis duobus prioribus continetur, neque est membrum diuersum, sed est collectio duorum priorum membrorum. Nihilominus videatur rationabiliter adduci, quia licèt sit collectio duorum priorum mẽbrorum, tamen sic collecta simul habent aliquam differẽtiam, quam seiunctim considerata non habent. Nam primo certum est ex cap. *si sententia*, de sent. excommunicationis, quod interdictum locale generale nõ infert interdictum generale personale, nec è conuerso. Vnde cum

aliqua

aliqua Ciuitas, vel Regnum est interdictum, personæ illius Ciuitatis non sunt interdictæ. Vnde clerici illius Ciuitatis possunt extra illam Ciuitatem diuina officia celebrare, & personæ illius Ciuitatis extra illam Ciuitatem eisdem officijs assistere possunt: si autem esset interdictum generale simul locale, & personale, personæ illæ neque in illa Ciuitate, neque extra illam possent celebrare, nec audire sacra. Quod etiam ipse Suarez vbi supra rectè admittit contra eos, qui sustinent, interdictum locale generale semper esse iunctum cum interdicto personali generali. Similiter interdictum personale particulare non infert interdictum locale particulare. Vnde si Parochus personaliter sit interdictus, eius Ecclesia non est interdicta: Vnde alius Sacerdos poterit in ea celebrare diuina. Quando autem & persona, & locus particularis essent interdicta, nec ipse Parochus, nec alius in illa Ecclesia celebrare posset; ergo est aliqua differentia. Tandem confirmatur ex alia regula generali. Quod interdictum locale siue generale, siue particulare semper includit interdictum particulare alicuius certę personę, nimirum illius, vel illorum, qui dederunt causam interdicto; isti enim sunt semper personaliter interdicti, nec vllibi possunt diuina celebrare, nec audire. Quod colligitur ex cap. prædicto *si sententia*, de senten. excommunicationis in illis verbis. *Qui culpabiles non existunt, possunt extra ipsam licitè interesse diuinis*. Ex quo colligunt Doctores à contrario: ergo qui culpabiles existunt, etiam extra locum interdictum non possunt interesse sacris.

Aliæ species interdicti. Interdictum totale, et partiale.

13 Præter species interdicti allatas possunt adiungi alię, vt interdictum totale, & interdictum partiale. Totale est quo includuntur omnes effectus interdicti. Quod fit cum persona, vel locus absolutè interdicitur sine vlla exceptione. Partiale est in quo interdicitur aliquis vnus effectus particularis, vt si alicui interdicatur ingressus Ecclesię tantum cap. *is qui*, de sententia excommunicationis. Vel si priuet tantum ecclesiastica sepultura. argumento cap. 2. de torneamentis.

Interdictum ab homine, et à iure.

14 Alia potest esse species interdicti, scilicet ab homine, & à iure. De interdicto ab homine patet quod est in vsu sicut de excommunicatione. De interdicto à iure patet, quia aliqua in iure habentur, de quibus infra.

De effectibus Interdicti. *Caput Secundum.*

15 Effectus interdicti reducuntur ad tria cap. scilicet ad priuationem actiuam, & passiuam quorundam sacramentorum. Secundò ad priuationem actiuã, & passiuam officiorum diuinorum. Tertiò ad carentiam actiuam, & passiuam ecclesiastica sepultura. De celebratione, & sepultura habetur expressè cap. *si sententia*, eodem titulo, & de eisdem diuinis officijs, & certis sacramentis habetur clarè in cap. *alma*, eodem titulo.

De primo effectu interdicti, qui est priuatio sacramentorũ quorundam.

16 Incipiendo a priuatione sacramentorum obseruandum est, quod in aliquibus iuribus dicitur interdictũ priuate administratione sacramentorum indefinitè, vnde videtur intelligi de omnibus sacramentis: Attamen certum est, hoc non intelligi de omnibus sacramentis Nam Bonifacius VIII. in cap. *alma*, explicat id intellectum fuisse semper *exceptis certis casibus, & sacramentis*: ergo interdictum non priuat administratione omnium sacramẽtorum. Sacramenta autem quæ excipiuntur secundum omnes sunt Baptismus, Confirmatio, & Pęnitentia: Secũdum aliquos etiam Matrimonium. Et quidem exceptio de Baptismo habetur expressè cap. *quoniam*, de sententia excommunicationis in 6. Et ratio est, quia est sacramentum necessitatis, quod propter periculum non debet differri: Et intelligitur de Baptismo cum solemnitatibus suis, tum quia illę non debent omitti, nisi propter aliquam necessitatem accidentalem, tum quia in eodem cap. dicitur, dandum esse hoc sacramentum cum vnctione Chrismatis; At vnctio Chrismatis est cęrimonia pertinens ad solemnitatem Baptismi: ergo idem dicendum est de alijs, quia non est maior ratio de vna, quàm de alia. Quæ est sententia cõmunis, vt est videre apud Nauarum in summa cap. 27. n. 178. atque idẽ dicendum videtur de Cathechismo, & benedictione fontis, quæ pręcedunt ipsum Baptismum, quia & ipsæ sunt cęrimoniæ pertinentes ad eius solemnitatem, vt rectè sustinet Suarez disput. illa 32. sect. 1. contra Conatinum. Atque exceptio hæc Baptismi fit ab omni interdicto tàm locali generali, quàm particulari, & etiam ab interdicto personali tàm generali, quàm particulari: Quia in illo cap. *quoniam*, absolutè dicitur, *tempore interdicti licitè posse ministrari Baptismum*. Nec distinguit de generali interdicto, vel particulari: neque de locali, vel personali. Vnde cum clarum sit excipi ab interdicto locali, videtur eadem ratione esse exceptum ab interdicto personali quocunque, ita quod quilibet Sacerdos, qui potest illud licitè ministrare extra tempus interdicti, potest etiam tempore interdicti illud licitè ministrare. Quam sententiam sic amplè declaratam sustinet quoque Suarez vbi supra: Qui excipit tamen personam particulariter interdictam, quæ dedit causam interdicto. sed mihi videtur etiam illam excipi, quia vt dictum est cap. *quoniam*, nulla fit exceptio. Quod adhuc confirmabitur nunc infra agendo de exceptione sacramenti Confirmationis.

Excipitur sacramentum Confirmationis.

17 Quod dictum est de sacramento Baptismi, dicendum est quoque de sacramento Confirmationis. Ratio est, quia cap. *quoniam*. de sent. excommun. in 6. æquiparantur Baptismus, & Confirmatio quo ad eorum ministerium in interdicto. Dicitur enim ibi. *Quoniam cum Baptismo, & Confirmatione (quæ nedum paruulis, sed adultis propter moræ periculum exhiberi possunt licitè tempore interdicti, &c.* In quocunque ergo interdicto tam locali, quàm personali licitum est ministrare hæc duo sacramenta: Et cum non distinguatur de interdicto personali, & gratiæ sint amplianda, & pęnæ restringẽdæ, mihi videtur quod etiam personaliter interdictus, qui causam dedit interdicto possit vtrumque sacramentum dare propter moræ periculum: Velle autem excipere interdictum personale videtur fieri sine ratione. Quod autem ait Suarez, quia in cap. *alma*, interdictus personaliter ob causam datã interdicto, eximi à cõcessione ministrationis sacramenti pęnitentiæ, & consequenter à ministratione sacramẽti Baptismi, & Cõfirmationis: quia hæc sine prio sacramẽto pœnitẽtię ministrare licitè non possunt, hoc est accidẽtariũ, & oritur ex alia radice, s. quia non licet ministrare sacramẽtũ in peccato mortali, nõ autẽ quia hoc sit prohibitũ vi interdicti. Itẽ qui sic ministraret vtrumque horũ sacramẽtorũ, nõ peccaret per violationem interdicti, sed quia ministraret in peccato mortali, & proinde non faceret duo peccata: secundum Suarez autẽ faceret duo peccata; Primò, quia ministraret in peccato mortali; Secundò quia violaret interdictum; ideo illa opinio Suarez mihi nõ ꝓbatur.

Reijcitur Suarez.

De confectione Chrismatis.

18 Per illud idem cap. *quoniã*, excipitur cõfectio Chrismatis, quæ tempore interdicti potest confici non obstante ipso interdicto, & intelligitur de quocunque interdicto sicut dictum est de duobus præcedentibus sacramentis.

Sacramentũ Pœnitentiæ excipitur ab interdicto.

19 Sacramentum Pęnitentiæ excipitur quoque à Bonifacio VIII. c. *alma*, de sent. excom. in 6. in quo decernitur, quod hoc sacramentum possit cuilibet homini concedi tempore interdicti; Ante Bonifacium enim solum in articulo mortis cõcedebatur. Quod colligitur ex cap. *præmisimus*, de sent. excomm. & alijs: Atque hæc exceptio intelligitur nedum de interdicto locali, de quo solo videtur caput illud *alma*, in principio loqui, sed de interdicto locali generali, & etiam particulari, atque etiam de interdicto personali generali, vt colligitur ex illis verbis posterioribus eiusdem capitis. *Vbi Ciuitas, vel locus alius, seu vniuersitas interdicti existunt*, in his enim verbis illa tria interdicta significant, Nam *Ciuitas* significat interdictũ locale generale; *Locus*, interdictum locale particulare; *Vniuersitas*, significat interdictum personale generale.

20 Est verò dubium: an hæc exceptio etiam intelliga-

tur de interdicto personali particulari. Et quidem loquendo de interdicto personali personæ innocentis si aliquod adesset, non dubito ad illud extendi, quia cum excipiat ab hoc priuilegio personam, quæ dedit causam culpabiliter aliquo modo ipsi interdicto, consequenter excipit eos, qui culpam non dederunt. Concedit ergo Pontifex in illo cap. licentiam recipiendi Sacramentum Pœnitentiæ tempore cuiuslibet interdicti omnibus, exceptis duorum personarum generibus. Primum est illorum, qui sunt excommunicati; istis enim hoc priuilegium non vult impartire, nisi in articulo mortis. De quib. verò excõmunicatis intelligatur, an de excõicatis per causã interdicti, vel vniuersaliter quacunque causa sint excommunicati, est dubium. Mihi placet sententia illorum, qui asserunt intelligi debere de quocunque excommunicato quouis nomine. Et ratio est, quia verba textus absoluta sunt, & ideo sine cogente ratione non sunt restringenda, legitima autem ratio non adest. At inquit Suarez eadem disputat. section. 1. num. 16. legitimam rationem adesse. Quia cum conceditur facultas absoluendi à peccatis, conceditur facultas absoluendi ab excommunicatione non reseruata, iuxta caput *nuper*, de senten. excommunicationis. Vnde cum concedat Papa facultatem recipiendi Sacramentum Pęnitentiæ, quod est absolutio à peccatis, videtur tacitè concedere licentiam etiam absoluendi ab excommunicatione. Ideo, inquit, videtur dicendum, cum intelligere de excommunicatione lata ob interdictum, vel de reseruata. Sed hæc ratio non cogit; quia Papa apertè se declarat, quod cum concedit potestatem recipiendi pęnitentiam tempore interdicti, non vult hoc beneficium concedi ipsis excommunicatis; ergo quicunque sit excommunicatus quocunque nomine non potest absolui à peccatis, & recipere Sacramentum Pęnitentiæ; non ergo hanc facultatem illis impartitur, nisi in articulo mortis, sed illis solis, qui nullo vinculo excommunicationis sunt alligati.

Pœnitentia nõ potest ministrari in duobus casibus tempore interdicti.

Suarez reijcitur.

Qui dedit causã interdicto nõ potest recipere pœnitentiã nisi, &c.

21 Secundum genus est illorum, qui quoquo modo culpabiliter dederunt causam interdicto; hos enim non vult participare hoc beneficio susceptionis sacramenti Pęnitentiæ, nisi prius satisfecerint modo præscripto eodem capite, *nimirum quod de ipso delicto (si sint tales, quod id facere valeant) prius satisfecerint, vel de satisfaciendo idoneam dederint cautionem: Aut si satisfacere nequeant, vel huiusmodi cautionem præstare iurauerint, quod cum poterunt, satisfacient, & ad satisfactionem huiusmodi per eum, vel per eos, qui eam facere debent, & possunt præstandum, dabunt consilium, auxilium, ac iuxta posse suum fideliter laborabunt.*

An exceptio intelligatur de actiua ad ministratione pęnitẽtiæ.

22 Est verò dubium, an illa concessio ministrandi sacramentum Pęnitentiæ intelligatur de ministerio passiuo tantùm, an etiam de actiuo. Sed breuiter est dicendum extẽdi sine dubio ad ministerium actiuum quoque: quia ministerium passiuum non potest haberi sine actiuo, cum vnum non possit esse sine alio; ideo omnes illi, qui non excipiuntur ab hoc priuilegio, possunt recipere, & dare; qui vero excipiuntur, vt excommunicatus, & qui dedit causam interdicto, non possunt recipere, nec dare, nisi in articulo mortis qui excipitur etiam à Pontifice.

An absolutio data à persona iterdicta sit irrita, & nulla.

23 Dubitat verò Suarez, an absolutio, & ministratio actiua à persona interdicta sit irrita, & nulla ex vi ipsius cẽsuræ præcisè considerata; & dicit solutionem huius dubij non reperisse apud Doctores, & huius dubij solutionem differt in tractatu de irregularitate. Sed breuiter dicendum est, nullum esse dubium, huiusmodi absolutionem esse irritam, & nullam. Nam priuatio ministerij huius sacramenti non est priuatio potestatis ordinis; ergo iurisdictionis; Quia nulla alia adest potestas, vt patet; cẽsuræ autem ecclesiasticæ, vt diximus supra, & ipse Suarez fassus est, non priuant potestate ordinis, sed iurisdictionis. Cum ergo in tali administratione sit carentia potestatis iurisdictionis, nulla est absolutio. Quod si aliquis bona fide accedat ad Sacerdotem interdictum, & ab illo absoluatur, dicendum est sicut in alijs casibus, in quibus fit defectus ex parte Sacerdotis, vt si quis baptizetur ab aliquo sine intentione debita; similiter si quis absoluatur sine intentione debita; in istis autem casibus dicimus esse absolutum, non quidem vi sacramenti, quod nullum est, sed ex pia, & misericordi clementia Dei, vt habet Alexander Alensis (male citatus à Soto, & Suarez tomo 3. quæst. 64. art. 8. in comm.) 4. par. quæst. 8. mẽb. 3. artic. 1. ad quartum, Durandus dist. 6. quæst. 2. Gabriel quæst. 1. artic. 3. distinct. 2. vide de Pœnit. disput. 33. cap. 3.

De Sacramẽto Eucharistię.

24 De Sacramento Eucharistiæ duplex est vsus. Alter communis. Alter per modum Viatici. Communis est duplex, scilicet Sacerdotalis, siue per modum sacrificij, qui fit in celebratione missæ. Alter laicalis, scilicet quo Eucharistia communiter datur laicis, & clericis non sacerdotibus. In interdicto conceditur solum vsus Eucharistiæ per modum Viatici; quia hoc expressè habetur *cap. quod in te*, de pœnitentijs, & remissionibus. Atque intelligitur cum omni illa solemnitate, qua solet deferri; quia hæc solemnitas non debet à tanto sacramento separari; ideo cõcedendo vsum Viatici, conceditur etiam cum solemnitate debita. Hæc omnia probantur: quia cum Pontifex vsum Eucharistiæ solum per modum Viatici concedat, secundùm alios vsus negat. Et hoc intelligitur, vt supra dictum est, de Sacramento Pęnitentiæ, scilicet de interdicto locali generali, & particulari; & personali tàm generali, quàm particulari; etiam de illa persona, quæ dedit occasionem interdicto, sed debet hęc persona dare satisfactionem, si possit, vt dictum est in cap. *alma*. Et ratio est, quia Viaticum sine pœnitentia dari non potest; pęnitentia autem ex cap. *alma*, non potest concedi huiusmodi interdicto, nisi præmissa satisfactione si possit; si autem non possit, debet ei concedi absolutio, & sacramentum pœnitentiæ, & tandem Viaticum: Et hoc de passiuo vsu Eucharistiæ tempore interdicti. Idem dicendum de actiuo vsu sacramenti per modum Viatici. Nam cum liceat passiuè recipere Viaticum, necessarium est, vt etiam liceat actiuè conferre. Quare quicũq; personaliter interdictus siue gñaliter siue particulariter, poterit viaticũ præbere infirmo, etiã ille, qui dedit causam interdicto, si nullus alius adsit Sacerdos, qui hoc munus præstare possit; sicut etiam excommunicatus; nam in articulo mortis nulla censura ligat, nec priuat à ministratione sacramentorum. Et hoc dicendum est nedum quoad infirmum, sed quoad omnes alios, qui dicuntur esse in articulo mortis. Quis autem sit articulus mortis, dictum est de pęnitentia. Qui tamen habent priuilegium sumendi Eucharistiam tempore interdicti possunt communicari: huiusmodi autem sunt cõmuniter Religiosi, & Moniales ex specialibus priuilegijs, & quandoque aliqui nobiles habentes specialia priuilegia.

An cõmunio laica liceat tempore interdicti.

25 Est verò grauis dubitatio, an de iure communi, & ablatis priuilegijs liceat illis personis, quibus ex iure communi licitum est tempore interdicti interesse, & celebrare diuina cum circumstantijs cap. *alma*, scilicet ianuis clausis, &c. sumere Eucharistiam more laico. Syluester verbo interdictum 5. num. 9. affirmat; Cuius sententiam laudat, & probabiliter defendit Suarez vbi supra disp. 33. sect. 1. num. 35. Nauarus verò cap. 27. num. 178. & 179. Couaruuias cap. *alma*, par. 2. §. 5. num. 6. negant. Alij dicunt esse dubium, atque in hac re Papam esse consulendum, vt Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 8. num. 30. Communior verò sententia ea est, quam sequuntur Nauarus, & Couaruuias, qui eo fundamento innituntur, quod in cap. *alma*, concessionis huius communionis laicalis non fit mentio, quod autem non conceditur, prohibetur. Ceterùm mihi sine præiudicio opinio Syluestri, & Suarez placet: Quia falsum est, quod nõ concedatur hæc communio laica personis illis, quibus licet celebrare diuina tẽpore interdicti. Nã in cap. *alma*, vt considerat Suar. dicitur, *dicantur diuina officia sicut prius.* At prius. i. ante interdictũ ita celebrãtur, vt non Sacerdotes clerici sumãt Eucharistiã more laico; similiter Sacerdotes aliquo ĩpedimẽto nõ potẽtes celebrare

co-

eodem modo communicant; ergo. Item fauores sunt ampliandi, & accessorium sequitur principale; ergo dum principaliter conceditur, quod est celebrare diuina, etiam conceditur Accessorium, quod est communio laica. Ex quo sequitur vt infert idem Suarez contra prædictos authores, etiam laicos in quatuor festiuitatibus, quibus eis cōceditur posse interesse diuinis, posse etiam sumere communionem propter easdem rationes, tamen in hac re est standum consuetudini.

De Sacramēto Extremæ Vnctionis.

26 De Sacramento Vnctionis Extremæ dicendum est omnino prohiberi in interdicto. Ratio est, quia nullibi excipitur. Cum ergo generalis prohibitio habeatur de Sacramentorum administratione per interdictum, & illorum administratio solum liceat, de quibus fit exceptio, & de hoc Sacramento nulla sit exceptio, certum est illius administrationem esse omnino interdictam. Accedit, quod de eius prohibitione tempore interdicti apertè habetur cap. *quod in te*, de pœnitent. & remission. cuius verba sunt. *licet per generale interdictum omnibus denegetur tàm vnctio, quàm ecclesiastica sepultura*. In his autem verbis significatur non de nouo fieri prohibitionem huius Sacramenti, sed iam supponi esse factam. Neque hoc Sacramentum tempore mortis dari potest: quia cum proprium eius tempus conferendi sit articulus mortis, & prohibeatur dari tempore interdicti, sequitur non posse pro illo tempore ministrari. Seruanda est tamen regula superius assignata de speciebus interdicti. Nam quando esset interdictum locale, si extra illum locum reperiretur aliqua persona, quæ soleret manere in eo loco interdicto, si non dedit causam interdicto; posset illud recipere; si vero esset interdictum personale, nequaquam iuxta ibi dicta. Ratio autem huius generalis prohibitionis videtur esse, quia non est ita necessarium hoc Sacramentum, sicut alia, quæ conceduntur saltem aliqua ex parte.

De Sacramēto Ordinis.

27 De Ordinis Sacramento omnes tenent contra Innocentium cap. *non est vobis*, de sponsalibus (vbi tenet clericis iam promotis ad ordines inferiores licere promoueri ad superiores) nunquam tempore interdicti, nec laicis, nec clericis licere ordinari, & promoueri ad ordines sacros; vt est videre apud Couaruuiam cap. *alma*, part. 2. §. 5. num. 4. qui citat Panormitanum in dicto cap. *non est vobis*, Paludanum distinct. 18. quæst. 8. num. 29. & Summistas, & apud Suarez vbi supra. Ratio autem est, quia per interdictum generaliter prohibetur administratio Sacramentorum, quæ non excipiuntur; Sacramentum autem Ordinis non excipitur, vt patet cap. *Responso*, de sententia excommunicationis. Ibi enim excipiuntur tantum Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiæ, neque alibi. Ideo cum generaliter prohibeatur ministratio Sacramentorum cap. *sententia*, de senten. excommunicationis in 6. vt vidimus supra in principio huius capitis; & Sacramentum Ordinis non excipiatur, non potest ministrari in interdicto locali; Et multo minus in interdicto personali, si sit generale tam laicorum, quàm clericorum; Si autem sit laicorum tantùm, non clericorum, poterunt clerici ordinari. Et prædicta prohibitio intelligitur de ordinibus, quæ sunt Sacramenta, non autem de prima tonsura, & de benedictione Abbatis, vel Virginis: Quia hæc non sunt Sacramenta, sed sacramentalia, ideo in his seruanda est regula, quæ seruatur de diuinis officijs; sunt enim diuina officia, de quibus infra.

De Sacramēto Matrimonij.

28 De Sacramento Matrimonij quædam certa sunt, quædam dubia. Certa sunt primò, quod tempore cuiuscunque interdicti sponsalia licent, & valida sunt. Ratio est, quia ista non sunt Sacramentum, neque aliquid sacrum, nec officium sacrum, sed sunt quidam contractus humani puri, & ideo non continentur inter ea, quæ per interdictum prohibentur.

29 Secundò certum est, quod matrimonium contractum per verba de præsenti in quocunque interdicto cum debitis circumstantijs, & conditionibus requisitis ex Concilio Tridentino validum est. Hæc. n. est communis sententia, quam probat Glosa in cap. *alma*, verbo *Sacramentis*, licet ratio illius Glosæ non approbetur communiter. Ratio vera autem esse videtur; quia cum adsunt essentialia requisita ad Sacramentum, Ecclesia non potest facere, quin Sacramentum sit factum, & validum; licèt possit facere vt sit illicitè factum. Cum ergo matrimonium habet omnia requisita, vt dictum est, est validum.

An benedictiones nuptiales liceant tēpore interdicti.

30 Ista verò sunt dubia. Primò An benedictiones nuptiales sint prohibitæ tempore interdicti. Nam communis opinio tenet eas esse illicitas, quia inter diuina officia computantur, immo habent adiunctam missam, & preces solemnes, quas tempore interdicti esse prohibitas est certum, vt infra videbimus. Nihilominus Couaruuias in dicto cap. *alma*, par. 2. §. 2. num. 7. tenet has benedictiones licere tempore interdicti, si fiant eo modo, quo concessum est celebrare diuina tempore interdicti, scilicet clausis ianuis, quia etiam istæ benedictiones sunt quædam officia sacra annexa cuidam missæ, & proinde cum eisdem circumstantijs licebit. Sed obstat huic opinioni, quod in huiusmodi celebratione diuinorum permissa tempore interdicti debent excludi laici nedum interdicti sed etiam non interdicti, vt infra videbimus: ergo sponsus, & sponsa non possunt illi missæ interesse, & consequenter benedici non possunt, ideo sententia communis non videtur derelinquenda.

An liceat cōtrahere matrimoniū tēpore interdicti.

31 Difficultas secundò est, An quamuis sit validum Sacramentum matrimonij per verba de præsenti ritè contractum, liceat tamen illud contrahere tempore interdicti, & sine peccato. Nam hic sunt duæ opiniones. Aliqui simpliciter affirmant, vt Syluester verbo *interdictum*, quinto num. 9. cum Innocentio cap. vltimo de excessibus Prælatorum nume. 6. & cap. *non est*, de sponsalibus. Panormitanus in eodem cap. qui dicit esse communem sententiam. Nauarus cap. 27. numer. 170. Couaruuias cap. *alma*, part. 2. §. 2. num. 7. & Alij. Fundamentum est, quia matrimonium, licèt sit Sacramentum, tamē est quoque contractus humanus: Contractus autem humani non sunt per interdictum prohibiti. Secundò cap. *appellamus*, de ferijs dicitur, matrimonium omni tempore contrahi posse. Tertiò videtur vsu, & consuetudine hæc sententia recepta, ergo per hanc consuetudinem erit sufficiēter exceptum.

Prima opinio quæ est affirmatiua.

Secunda opinio quæ est negatiua.

32 Altera opinio est in contrarium quam tenet Suarez prædicta disputat. 33. sect. 1. num. 51. & sequentibus, quæ mihi quantum est de rigore iuris videtur vera, nisi per consuetudinem, & vsum prior sententia sit acceptata, & consequenter per illam Sacramentum matrimonij sit exceptum, de qua quidem consuetudine quia mihi non constat, relinquo veritatem suo loco. Ratio autem propter quam de iure non videtur sustinenda illa opinio est; quia de hoc Sacramento nulla est exceptio in iure. Nam cap. *Responso*, de senten. excommunicationis in quo fit exceptio de illis Sacramentis, quæ tempore interdicti licent, de hoc Sacramento nulla fit mentio. Regula autem generalis in cap. *alma* est, nullum Sacramentum posse celebrari tempore interdicti, nisi certis sacramentis exceptis: verba enim illius textus sunt. *Sanè à nostris dudum fuit prædecessoribus constitutum, vt in terris, seu locis ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus, & Sacramentis exceptis) diuina celebrentur officia, vel ministrentur Sacramenta*. Cum ergo per regulam generalem non possint ministrari Sacramenta in tempore interdicti, nisi quæ excipiuntur in iure, & in illo cap. *responso*, nec in alijs excipiatur matrimonium, sequitur illud celebrari licitè non posse. Licèt autem matrimonium sit contractus, est tamen etiam Sacramentum, ita quod ratio Sacramenti est inseparabilis à vero contractu matrimonij in lege Euangelica, & ratio Sacramēti est præcipalis, & maioris momenti, quā ratio contractus, ideo ratio cōtractus non facit vt matrimonium tempore interdicti celebrari liceat.

Quale peccatum sit violare interdictũ i materia Sacramentorũ.

Clericus violans interdictum fit irregularis.

33 Sed quale peccatum est violare interdictum in materia Sacramentorum? Respondetur proculdubio esse ex suo genere mortale; quia est violatio præcepti ecclesiastici grauis, sicut edere carnes tempore prohibito: Atque cum fit in materia Sacramentorum, est sacrilegium, & erit grauius, vel minus graue secundum circumstantias, sicut contingit de alijs peccatis.

Clerici autem violantes interdictum, fiunt irregulares, vt diximus in materia de irregularitate, ideo hic non sunt repetenda.

Secundus effectus interdicti, est prohibitio celebrationis diuinorum.

34 Secundus effectus principalis interdicti est celebrationis diuinorum officiorum prohibitio. Quid verò per diuina officia intelligatur, non est ita clarè explicatum; Omnes tamen conueniunt inter hæc diuina officia contineri principaliter sacrificium Missæ, & ideo per interdictum ipsa prohibetur. Verùm non eodem modo per quodlibet interdictum prohibetur sacrificium Missæ.

Celebratio missæ quomodo prohibeatur tẽpore interdicti generalis localis.

Nam per interdictum generale alicuius Prouinciæ, Regni, vel Ciuitatis non prohibetur omnino celebratio Missæ, sed semper certis diebus pro viatico conficiendo, quod datur pœnitentibus, licitum fuit, & est celebrare. Vnde in cap. *permittimus*, de senten. excommunicationis permittitur, quod semel in hebdomada in singulis Ecclesijs tempore interdicti possit celebrari Missa ad effectum prędictum cum conditionibus infra assignandis. Deinde in cap. *alma*, de sent. excommunicat. in 6. propter multa incommoda, quæ ex priuatione huius sacrificij accidebant, permissum est, vt singulis diebus Missa, & diuina officia celebrentur in Ecclesijs, & Monasterijs seruatis quatuor conditionibus, quarum Prima est, vt Missa, & diuina officia submissa voce celebrentur. Secunda ianuis clausis. Tertia excommunicatis, & interdictis expulsis. Quarta campanis non pulsatis. Ideo seruatis his quatuor conditionibus Missa, & alia diuina officia tempore interdicti generalis celebrari possunt.

Quatuor conditiones seruanda.

35 Celebratio autem ista permittitur in cap. *alma*, in Ecclesijs, & Monasterijs. Vbi oritur difficultas, quid intelligatur per Ecclesias, & Monasteria. Sed disputationibus dimissis magis recepta opinio est, quod intelligantur non solum Ecclesiæ, & templa secularium Religiosorum, Regularium, & Monialium, sed quæcunque Oratoria, & loca approbata ad Missæ sacrificium perficiendum. Cum enim illa concessio sit fauorabilis, non debet limitari ad certas Ecclesias, & præsertim cum in eo cap. *alma*, apponatur illa particula *sicut prius*. Vnde cum prius in omnibus prædictis locis celebraretur, etiam tempore interdicti celebrari poterit. Accedit quod ex illa particula colligitur non solum esse licitum in omnibus prædictis locis, singulis diebus celebrare, sed etiam pluries, atque omnes Sacerdotes, qui personaliter non sunt interdicti, siue sint illius loci, siue aliunde, atque omnes solemnitates in prædictis officijs adhiberi possunt, exceptis illis quatuor prohibitis, quia cum illæ quatuor solum prohibeantur, à contrario reliquæ conceduntur, atque hæc est opinio communior, quam sequuntur Nauarus in Manuali cap. 27. num. 175. Suarez disp. illa 33. sect. 1. & Alij ab eis citati.

Prima conditio explicatur.

36 Prima autem conditio seruanda in celebratione missæ tempore interdicti est, vt *submissa voce dicatur*. Quæ ita intelligitur, quod fiat ita voce submissa, quod non possit audiri extra Ecclesiam à populo interdicto, non tamen ita submissa, quod à legitimè assistẽtibus audiri nõ possit, quod disertè habetur cap. *in te*, de pœnitentijs, & remissionibus.

Secunda conditio explicatur.

37 Secunda conditio est *ianuis clausis*, quæ requiritur, ne laici interdicti adesse, & videre possint. Vnde ianuæ non debent esse perforatæ, sed omnino clausæ proximè, vel remotè, vt laici, & interdicti ingredi non possint.

Tertia conditio explicatur.

38 Tertia conditio est *excommunicatis, & interdictis exclusis*. quæ est euidens, & intelligitur de omnibus excommunicatis maiori excommunicatione, & interdictis quocunque interdicto. Sed difficultas est, an laici non excommunicati, nec interdicti adesse possint his diuinis officijs; nã cum excludat solũ excõmunicatos, & interdictos, videtur concedere, quod non excommunicati, nec interdicti non excludantur. Sed est dicendum, omnes laicos etiam non interdictos, nec excommunicatos non habentes priuilegium excludi: quia hoc disertè declaratur in cap. *licet*, de priuilegijs in 6. & ex Clementina 3. de sententia excommunicationis, vbi prohibetur nostris Fratribus Minoribus, ne homines Tertij Ordinis (admittebant enim prius Fratres, & Sorores Tertij Ordinis ad diuina officia tempore interdicti) ad diuina officia admittant: qui tamen Fratres, ac Sorores non erant excommunicati, vel interdicti. & hæc est communis sententia, quam tenent Summistæ omnes verbo *interdictum* Nauarus cap. 27. num. 173. Couaruuias cap. *alma*, parte secunda, §. 4. num. 4. & Alij ab eis citati. Priuilegiati verò assistere possunt cum suis familiaribus, qui concomitantur, non autem extra comitatum, dicto cap. *licet*, de priuilegijs. Neque extenditur hæc prohibitio ad homines doli non capaces, sed solum ad capaces doli; quia tales non sunt capaces meriti, nec culpæ, nec obligantur ad obseruationem horum præceptorum, cum non sint doli capaces.

Quarta conditio explicatur.

39 Quarta conditio est *campanis non pulsatis*. Quæ intelligitur de illa pulsatione, quæ fit ad vocandum populum ad missam audiendam, & de quolibet alio signo æquiualenti, vt per cymbalum, vel per tubam, vel per præconem, & similia; Non autem prohibetur vsus campanarum ad conuocandum populum ad alias actiones, vt ad concionem audiendam, ad dicendum Salutationem Angelicam, ad significandum horas diei, & similia, quia ista non sunt diuina officia. Aliqui tamen, vt Suarez vbi supra, dicunt non esse prohibitum aliquod signum campanæ ad conuocandum clericos ad diuina officia: quia clerici interesse debent horis canonicis ex cap. *alma*, alioquin amittunt distributiones; non possunt autem conuenire, nisi detur aliquod signum. Sed hoc non videtur admittendum, quia expressa conditio est, quod sine pulsatione campanæ celebrentur diuina officia; ergo prohibetur signum illud campanarum quatenus est conuocans clericos. Clerici autem possunt conuenire per alia signa campanarum, quæ non ordinantur ad conuocandum clericos ad diuina, vt per pulsationem ad horas diei, vel ad officia secularia, ad quas pulsationes multa facta, & actiones fieri solet determinari. Intelligitur etiam vniuersaliter de quacunque pulsatione campanæ in ordine ad diuina officia siue deinde dicantur, siue non; & etiam de pulsatione paruæ campanæ, quæ in missa fieri solet, vt attentius auditores missæ assistant; vt omnes authores prędicti affirmant: quia vniuersaliter pulsatio campanarum prohibetur ad diuina officia spectantia.

Opinio Suar. refellitur.

Quatuor festiuitatib. potest celebrari missa.

40 Vltimò in eodem cap. *alma*, adiungitur alia permissio celebrationis missæ, & est quod in quatuor solemnitatibus anni, scilicet Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ celebrari possit, & permittitur quod celebrari possit cum tota solemnitate consueta. Adduntur tamen duæ limitationes. Prima quod excommunicati excludantur. Secunda quod interdicti illi, qui causam dederunt interdicto *Altari non appropinquentur*. Et prima quidem limitatio de excommunicatis ex vi excommunicationis adest; quia excommunicati vi excommunicationis excluduntur à diuinis. Quantum ad secundam vero quid intelligatur per illam particulam *non appropinquentur Altari* est dubium. Communiter tamen videtur intelligi quo ad tria. Primò ne localiter approximentur altari propter indecẽtiam, cũ sint contumaces Ecclesiæ. Secundò quod non admittantur ad sumendũ Eucharistiã. Tertiò quod nõ admittantur ad faciendũ oblationẽ; si enim ad hunc actũ admitterentur, viderentur recõciliati Ecclesiæ. Poterũt ergo etiam interdicti illi, qui causã dederũt interdicto, his tribus conditionibus

nibus seruatis interesse sacrificio Missæ in his solemnitatibus.

Extenditur ad festũ Corporis Christi cum octaua.

41 Vlterius extensum est hoc priuilegium ad festiuitatem Corporis Christi, & totam Octauam à Martino Quinto in Bulla incipiente *ineffabile Sacramentum*, & ab Eugenio Quarto Bulla *Excellentissimum*. De quibus Summistæ Syluester verbo *interdictum*, quinto quæst. 2. Angelus *interdictum*, 6. numer. 16. Nauarus de interdicto. Nauarus autem, & Suarez, & Couaruuias addunt à Leone X. extensum fuisse quoque hoc priuilegium ad festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, & eius Octauam pro sola Hispania, vt habetur in supplemento Minorum concessione 67. quam concessionem tamen limitant Nauarus cap. 27. nu. 182. & Corduba in summa ad illas Ecclesias, in quibus dicitur Missa *egredimini*, Couaruuias verò addit etiam extendi ad diem, in qua contingit Regem aliquem ingredi de nouo Ciuitatem, quæ sit interdicta. Sed Suarez eum confutat eadem disput. 34. sect. 1. in fine, quia nullo fundamento certo innititur.

An priuilegium intelligatur de primo die festiuitatis tãtũ. Opinio Soto.

42 Est verò dubium, an hoc priuilegium de festiuitatibus totè ligatur de primo die festiuitatis, an de pluribus, vt puta de tota Octaua. Et quidem Soto in hoc 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. post quartam conclusionem ait in festiuitate Paschatis hoc priuilegium incipere a Missa Vigiliæ saltẽ ab initio Gloriæ, quando pulsantur campanæ; in alijs verò festiuitatibus incipere à primis Vesperis; finiri verò in vltimis tertiæ diei. In Assumptione verò Beatæ Mariæ Virginis finiri in vltimis Vesperis diei Assumptionis. Soto nullam adducit rationem, sed videtur fundari in vulgari appellatione, qua tres dies Paschatis solent dici dies Paschæ, & Ecclesia celebrat festum Paschæ per illos tres dies.

Alia opinio.

43 Alia est opinio, quod intelligatur hoc priuilegium incipere à die festo primo cum dies incipit lucescere, (sed Syluester inquit plures esse qui dicant incipere ad Vesperas) & illo terminari etiam in Paschate. Ratio est, quia verba textus cap. *alma*, sunt hæc. *In festiuitatibus vero Natalis Domini, Paschatis, Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, campanæ pulsantur, &c.* At festiuitas Natalis Domini, & Assumptionis vnico die celebrantur; ergo videtur dicendum eodem modo intelligendum esse de Paschate, & Pentecoste. Hanc sententiam tenet Syluester cum Archidiacono verbo *interdictum*, 5. quæst. 2. num. 3. quos sequitur Suarez vbi supra, & dicit esse communem sententiam, & citat Glosam in cap. *alma*, verbo *Assumptionis*, & Nauarum cap. 27. num. 182. qui tamen non dicunt, quod in festiuitatibus Paschatis, & Pẽtecostes liceat solum prima die Missam celebrare; sed Nauarus inquit *diebus solum non octauis*. Adeo quod videtur excludere solum dies octauæ, non festiuos. Vnde quantum ad dies, quibus liceat vti hoc priuilegio non mihi displicet opinio Soto; neque hæc est ampliatio repugnãs textui: quia cum dicatur in cap. *alma*, *in festiuitatibus Paschę, &c.* & Ecclesia tres dies festos faciat, non videntur excludi debere alij duo dies, cum etiam illi sint festi, seu festiui. Vnde non est par ratio de die Natalis Domini, & Assumptionis B. Virginis: quia Ecclesia celebrat has duas festiuitates solum vnica die.

De tempore quo incipit, et desinit priuilegium.

44 Quãtum etiam ad inceptionẽ priuilegij mihi quoque probatur opinio Soto, quæ est quoque Glosæ in cap. *alma*, verbo Assumptionis in eo quod dicit, quod incipit in vigilijs diei festi ad Vesperas, & adducit rationem: quia tunc quo ad officiorum celebrationem incipit dies dist. 75 cap. *quod die*, & terminatur ad Vesperas diei festi includẽdo Completorium. (licet Glosa ibidem excludat Completorium,) quia Cõpletorium solet includi in officio vespertino dist. 92. cap. vltimo. Atque ex hoc videtur etiam approbanda opinio eiusdem Soto de vigilia Paschæ, quia in Missa Sabbati Sancti dicuntur Vesperæ, & à Gloria in excelsis, & pulsatione campanarum incipit solemnitas Paschæ proportionaliter addita prædictæ Glosæ. Hęc de interdicto locali generali.

45 Loquendo verò de interdicto locali speciali, vt de aliqua Ecclesia particulari alicuius Ciuitatis, priuilegia illa ex cap. *almę*, non habent locum. Ratio est secundum omnes: quia causa concessionis eorum priuilegiorum in cap. *alma*, fuerunt illa inconuenientia adducta à Pontifice, scilicet quia ex districtione statutorum interdicti cessabat deuotio populorum, &c. hoc autem non habet locum in interdicto particulari locali, quia si diuina in vna Ecclesia non celebrantur, in alia celebrantur. Solum haberet locum ius antiquum, quod si in illa Ecclesia seruaretur Eucharistia, liceret priuatim in illa celebrare ad renouandam Eucharistiam, vt supra dictum est. In loco ergo specialiter interdicto celebrari non potest Missa, nisi modo prædicto; nec locum habet caput *alma*, quia illud loquitur solum de interdicto locali generali.

Quid de interdicto locali speciali.

De interdicto personali.

46 Multo minus habet locum prædictum cap. *alma*, in interdicto personali tam generali, quàm personali, quia vt dictum est, illud loquitur de interdicto locali generali, non personali. Vnde interdictis personaliter, siue generaliter, siue particulariter nullibi licet ministrare sacrificium Missæ, nec illi interesse: quia hoc habetur clarè in cap. citatis *si Ciuitas*, *si sententia*, de sententia excommunicationis in sexto, vt ostendimus supra; Nec vllibi quo ad interdictum personale factum est aliquod priuilegiũ, nisi in vno casu, quod personæ interdictæ personaliter, etiam quæ dederunt causam interdicto, in prædictis quatuor festiuitatibus possunt assistere celebrationi Missę, sed differenter: quia personæ absolutæ possunt absolutè assistere, sed personæ interdictæ, quæ dederunt causam interdicto, possunt assistere cum illa moderatione, quod non appropinquent ad Altare vt nunc supra diximus.

An audiens missam interdicti peccet.

47 Dubium verò est, an personæ non interdictę liceat audire Missam Sacerdotis interdicti personaliter. Respondeo si non est publice denunciatus nulli dubium esse non peccare propter Extrauagantem *ad euitandã*, de qua in disputatione de excommunicatione diximus. Si verò est publicè denunciatus, sustinet Suarez vbi supra sect. 3. num. 5. non esse peccatum. Ratio eius est; quia interdictum personale militat contra personam interdictam ne faciat, vel audiat Missam, & diuina officia, non autem prohibet, ne quis cum illa communicet, aut eius actionibus assistat: quia in nullo iure hæc prohibitio apparet explicitè, nec implicitè; Vnde dummodo non communicet in ministrando diuina, sed solum assistendo, inquit non peccare. Hæc autem opinio mihi non probatur, nec tuto in praxi seruari posse iudico, quoniam celebratio diuinorum officiorum actiua, & passiua est mutua. Vnde cum quis priuatur ab actiua administratione diuinorum, consequenter quoque videtur priuari passiua assistentia aliorum ad illa in persona illius. Vnde cum quis interdicitur personaliter à celebratione Missæ, consequenter prohibet, ne alij ei assistant; quia mutuò hæc se consequuntur. Confirmatur quia certum est Sacerdotem sic ministrantem peccare; cum autem quis illi sacrificio assistit cooperatur illi, & communicat operi malo, quatenus est illius Sacerdotis; quia est sacrilegium; ergo mihi videtur peccare; ideo in iure hæc prohibitio continetur implicitè.

An licitũ sit celebrare coram personis non interdictis, inter quas est vna interdicta.

48 Aliud dubium est, an Sacerdos possit facere sacrum coram personis, inter quas sit aliqua persona personaliter interdicta. Ad hoc dubium Respondetur procul dubio non licere, sed interdictam personam debere expelli. Ratio est, quia iura semper cum loquuntur de celebratione diuinorum, inquiunt, personas interdictas debere expelli cap. *permittimus*, & cap. *alma*, de sentent. excommunicationis in 6. & alijs, ideo ministri Ecclesiæ debent facere quantum possunt, vt cum celebrant diuina expellant interdictos: hoc enim est munus ministrorum Ecclesiæ modo prudenti, & etiam per vim, si fieri possit sine scandalo.

49 Sed quid si persona interdicta nõ possit expelli. Aliqui dicunt non esse celebrandã Missam, & si sit inchoata, nec peruentũ sit ad canonem esse cessandum. Alij asserunt

Quid si persona iterdicta non possit expelli.

Missam posse celebrari; quia nullibi in iure hic effectus assignatur; neque à Doctoribus. Vnde authoritas negatiua licèt non sit aliàs efficax, in hac re tamē est efficax: quia Doctores hunc casum non prætermisissent. Solum ergo Sacerdoti non licet celebrare coram interdicto quando locus est interdictus (quod habet locum solum quādo priuatim celebret secundum limitationes in cap. *alma*, supra explicatas, vt ex se patet) quia expresè præcipitur dicto cap. *alma*, quod interdicti excludantur; sed quando locus non est interdictus, sed habilis, licèt adsit aliquis interdictus personaliter, dicunt licere celebrare, & alia diuina officia facere. Quam opinionem sequitur Suarez vbi supra num. 10. sed tamen cum formidine. Ego tamen in praxi non puto hanc opinionem tutam; quia vt supra dixi, mutuò referuntur celebratio actiua, & assistentia passiua astātium diuinis, ideo cum prohibetur alicui assistentia passiua, consequenter etiam prohibetur agenti ministratio actiua.

De aliis diuinis officiis ꝑ interdictum prohibitis.

50 In secundo effectu interdicti, qui est celebrationis diuinorum officiorum priuatio, præter sacrificium Missæ enumerantur alia diuina officia, vt patet ex iuribus adductis in principio huius capitis. Cæterum quæ sint diuina officia, quę per interdictum prohibentur in particulari nō habetur expresè declaratum, sed solum habetur vniuersalis hæc negatiua, quod tempore interdicti nulla diuina officia celebrentur. Ex Doctoribus autem colligitur quātum se extendat hæc negatiua, & declaratur in particulari quæ sint illa diuina officia, quæ per interdictum prohibē-

Prima opinio

tur. Verùm hoc vario modo explicatur à diuersis. Aliqui dicunt hæc esse omnia officia, quæ in Missali, & Breuiario Romano continentur; vt Syluester verbo *interdictum*. quinto quæst. 3. & Angelus eodem verbo num. 4. sed hic modus dicendi est obscurus, nec rem declarat, vt optime notauit Nauarus in Man. cap. 27. nu. 172. quoniam multa sunt in Breuiario Romano, quæ per interdictum non sunt prohibita, vt Benedictio mensæ, Itinerarium, Commendatio Animæ, & similia. Et in Missali sunt benedictiones quædam, quæ non prohibentur tempore interdicti, vt benedictio panis, fructuum, baculi, & sacculi ad peregrinandum, & similium. Sunt etiam quædam alia extra Breuiarium, & Missale Rumanum, quæ tamen tempore interdicti prohibita sunt, vt quæ in Pontificali, & Rituali Romano continentur.

51 Ideo ipse Nauarus vbi supra inquit posse rectè determinari *diuina officia, quæ per interdictum prohibentur esse officia ordinata in dictis tribus libris, scilicet Breuiario Missali, & Pontificali Romano, aut in aliis libris legitimè, ad vsum ordinum & aliorum Sacramentorum, vel sacramentalium, aut ad horas Canonicas*, Suarez disput. illa 34. sect. 3. in re sequitur hanc opinionem, sed eam distinctius declarat distinguens, quod officium diuinum duobus modis accipi potest, vno modo quo ad substantiam, scilicet quatenus sunt orationes quædam directę ad Deum. Alio modo quo ad modum celebrationis illius, qui duplex est. Alter publicus, & solemnis, qui est quando celebratur à clericis pro communi vsu populi, & ex officio suo; Alter est priuatus, vt quæcunque recitatio diuini officij priuata, quæ à qualibet persona fieri potest, etiam vsurpando illas orationes, & verba, quæ Ecclesia instituit ad publicum vsum dici à Sacerdotibus. Ad propositum inquit, quod ꝑ interdictum prohibentur illa diuina officia, quæ sunt propriè ecclesiastica, quæ sunt illa sola, quæ publicè, & pro cōmuni vsu populi à clericis ex officio fiunt, ita quod tali modo non possunt fieri nisi à clerico ad illud munus specialiter ordinato, vel deputato. Officia vero priuata, seu priuato modo dicta, quæ tamen à non clerico dici possunt, neque deputata sunt alicui ordini clericali specialiter, possūt dici tempore interdicti etiam publicè, vt Benedictio Mēsæ, Orationes Ecclesiæ pro iterageotibus, Salutatio Angelica, & pulsatio ad illam, adoratio publica Crucis, etiam in die Parasceue, dummodo sine illis precibus, & cęremonijs fiat, quia illæ cęrimoniæ Veneris Sancti pertinent ad officium publicum illius diei, Introducere mulierem post partum in Ecclesiam, si fiat absque vlla solemnitate Sacerdotali, & demum horæ canonicę. Nam licèt sint propriè clericorum; tamen non sunt deputatæ ita alicui ordini sacro, vt necessarium sit illas publicè canere, vel recitare publicè, sed possunt priuatim ab ipsis, & laicis dici. Prohibētur ergo per interdictum ne publicè in Ecclesia fiant, & cum cantu, non autem quod recitentur priuatim.

De horis Canonicis.

Quæ diuina officia dici possint ex priuilegio.

52 Diuina officia vero, quæ per interdictum sunt prohibita, ex priuilegio in cap. *alma*, possunt dici singulis diebus, sed cum quatuor limitationibus superius adductis de celebratione missæ, scilicet *ianuis clausis Ecclesiæ, submissa voce, sine pulsatione campanæ, & excommunicatis, & interdictis expulsis*. In quatuor autem illis solemnitatibus licet illa celebrare sicut prius, seruatis eisdem conditionibus, quas ibi diximus. Ratio est quia priuilegium est idē de alijs diuinis officijs, & de sacrificio Missæ quantum ad hoc, quæ est communis sententia, vt patet ex Doctoribus vbi supra. Atque hæc vera sunt de interdicto locali generali.

Quid dicendum de aliis interdictis.

53 Quo ad interdicta vero alia, s. locale, speciale & personale, tam generale, quàm speciale idem dicēdum quod supra dictum est de celebratione Missæ. Nam in illis prædicta officia celebrari prohibitum est, neque per caput *alma*, aliquid eis est concessum, quia loquitur solum de interdicto locali generali.

Quale peccatum sit interdicti violatio.

54 Quicunque autem violant interdictum quodcunq; allatum celebrando diuina officia prohibita, vel celebrādo aliter, vel alio modo quam præscriptum est in priuilegio, peccant mortaliter, siue sint clerici, siue laici, (licèt aliqui in laicis dicant esse peccatum veniale violationem interdicti generalis) quia violant præceptum ecclesiasticum graue, ideo talis violatio, & transgressio reputatur grauis, & sufficiens ad peccatum mortale, vt tenet Suarez eadem disput. 34. sect. 5. contra prædictos Doctores, & hoc nisi paruitas materiæ excuset à mortali. An vero clerici fiant irregulares ex violatione huiusmodi interdictorum, dictū est supra agendo de irregularitate.

55 Ad hoc autem vt violatio interdicti sit peccatum, requiritur quod interdictum sit denunciatum iuxta Extrauagantem *ad euitanda*, & secundo quod interdictum seruetur ab ijs, in gratiam quorum interdictum est latum, vt habetur cap. *petisti*, de priuilegijs. Nam si ipsi non seruant, non merentur, vt Ecclesia alios prohibeat à diuinis in gratiam ipsorum, vt habetur eodem cap.

Tertius effectus interdicti, qui ē priuatio sepulturæ ecclesiasticæ.

56 Tertius effectus interdicti est priuatio sepulturæ ecclesiasticæ, vt habetur cap. *quod in se*, de Pœnitentia, & remissione, & alijs iuribus. Quid sit sepultura ecclesiastica diximus supra agendo de effectibus excommunicationis, explicando quomodo priuet diuinis officijs. Hic autem effectus non eodem modo se habet in omnibus speciebus interdicti. In interdicto ergo locali generali extenditur ad omnes personas illius loci, siue adultos, siue paruulos baptizatos. Nam iura vniuersaliter, & absolutè loquuntur, ideo nullum personarum genus excipi potest. Hoc enim statuit Ecclesia ad maiorem rigorē censuræ ecclesiasticæ ad magis compellendum fideles, vt causam interdicti tollant. Per interdictum autem generale non ꝓhibetur, vt personæ illius loci absolutè non possint sepeliri ecclesiastica sepultura, sed prohibetur solum, ne in illo loco interdicto sepeliantur; In alio autem loco non interdicto sepeliri possunt. Vnde possūt fideles corpora suorum defunctorum extra locum interdictum deferre, & ibi ea sepelire. In interdicto personali speciali persona interdicta nullibi sepeliri potest sepultura ecclesiastica, vt habetur cap. *si Ciuitas*, de sent. excommunic. & est communis opinio. Ratio differentiæ est clara: quia in primo interdicto prohibitio nō fertur in personas absolutè, sed solum ratione loci; in secundo vero absolutè fertur in personas. At de interdicto personali generali est contentio inter Doctores. Aliqui tenent etiam ipsos priuari ecclesiastica sepultura ꝑ iura adducta de interdicto personali, &

præ-

Opinio Suar. refellitur.

præsertim ex cap. *si sententia*. de senten. excomm. in 6. vbi interdictum personale generale dicitur ligare singulas personas; Tamen Suarez vbi supra tenet oppositum propter Extrauagantem *ad euitanda*, quæ requirit, quod persona sit nominatim denunciata, & interdicta. sed hæc opinio est difficilis: quia sequeretur quod neque priuarentur alijs effectibus, scilicet celebratione diuinorum officiorum, & participatione quorundam Sacramentorum, quod tamē est contra essentiā interdicti. Ad fundamentum eius Respondetur sufficere quod sententia interdicti personalis bis sit publicata.

57 Excipiuntur priuilegiati, qui quoad interdictum generale proculdubio possunt sepeliri ecclesiastica sepultura, vt habetur cap. illo *quod in te*, adducto, cuiusmodi sūt clerici, qui tamen causam interdicto non dederunt: isti enim personaliter sunt interdicti, & ibidem excipiuntur ab hoc priuilegio, & insuper si seruauerint interdictum, quę exceptio eodem cap. *quod in te*, habetur: hi enim sunt indigni hoc priuilegio, cum non seruauerint interdictum. Poterunt etiam in interdicto particulari sepeliri in Ecclesia, si in eo loco nulla alia adsit Ecclesia, nisi interdicta. Rationabiliter enim indicatur, quod Papa intelligat in hoc casu priuilegium extendi ad interdictum locale speciale: quia vult concedere priuilegium clerico, vt in loco sacro sepeliatur, in casu autem isto nullus alius locus sacer adest. secus quando adsunt aliæ Ecclesiæ non interdictæ; tunc enim nullo modo sepeliri potest in loco sacro, quod Doctores supra affirmant. Per clericos autem intelliguntur omnes ordinati ad primam tonsurā, qui gaudent priuilegio clericali, de quibus diximus in materia de ordine sacro, & habetur in Concilio Tridentino sess. 23. c. 6. & cap. vnico de clerico coniugato. Hęc exceptio clericorum extenditur etiam ad omnes alias personas, quę licitè tempore interdicti possunt interesse diuinis officijs, hi enim in hoc priuilegio veniunt sub nomine clerici, vt vsus, & consuetudo comprobat.

Seruari debēt limitationes præscripta.

58 Hi tamen priuilegiati possunt sepeliri sepultura ecclesiastica seruatis limitationibus præscriptis in prædicto cap. *quod in te*, quæ sunt quatuor, Prima quod hæc sepultura fiat in cęmiterio Ecclesiæ, non in Ecclesia: tamen ex vsu, & consuetudine communiter per cęmiterium Doctores interpretantur etiam Ecclesiam propter dignitatē status clericalis, quæ interpretatio videtur fundari in Clem. 1. de sepulturis. Secunda limitatio est, vt fiant sine pulsatione campanarum. Tertia vt fiat sine solemnitatibus omnibus ecclesiasticis, quibus corpora mortuorum fidelium sepeliri solent. Quę autem pertinent ad honorem humanum non prohibentur; quia hæc non pertinent ad officia diuina. Quarta est, vt cum silentio tumulentur. Per silentium autem non prohibetur quod Psalmi, & aliæ orationes, & diuina officia non recitentur: quia dato casu, ꝙ per caput illud *quod in te*, esset prohibitum: tamen per caput *alma*, est concessum; In quo tempore interdicti hæc diuina officia recitari, sine cantu tamen, &c. conceditur, vt supra diximus. Vnde cum ex cap. *quod in te*, liceat priuilegiatis sepultura ecclesiastica, & ex cap. *alma*, liceat clericis cum illis limitationibus tempore interdicti celebrare diuina officia, licebit sepelire clericū diuina officia eo modo recitando. Non tamen licebit extra Ecclesiam alternis choris Psalmos recitare, vt moris est, nec in cęmiterio, si cęmiterium sit publicum benedicere sepulturam, quia hoc in cap. *alma*, non est concessum. In quatuor vero festiuitatibus iam adductis poterunt sepeliri solemniter, quia diuina officia solemniter posse celebrari illis diebus conceditur; ergo & in hoc casu sepulturæ. Solent autem hæc priuilegia concedi quandoque alijs personis, quæ qualia sint, & ad quæ se extendant inspiciendum est ex forma concessionis.

An cōcesso priuilegio assistendi diuinis officijs cōcedatur ecclesiastica sepultura.

59 Solet autem specialiter dubitari, an si in aliquo priuilegio per generalia verba concedatur alicui laico, vt posset tempore interdicti interesse diuinis officijs, intelligatur etiam eidem esse concessum, vt ecclesiastica sepultura possit sepeliri. De qua re est contentio inter Doctores, sed verior videtur esse pars negatiua, ea præsertim ratione, quia officia diuina, & ecclesiastica sepultura in iure diuersa reputantur. Vnde enumerantur in iuribus tanquam res diuersæ; siquidem dicitur per interdictum prohiberi diuina officia, & ecclesiasticam sepulturam: si autem sub diuinis officijs contineretur sepultura, non fieret additio. Cum ergo sint diuersa, si in priuilegio concedatur posse interesse diuinis officijs, non propter hoc censetur intelligi concedi sepulturam ecclesiasticam. Quam opinionem optimè tuetur Suarez disput. 35. sect. 1. num. 13. & sequentibus; si tamē verba priuilegij essent generaliora, vt si diceret admitti ad diuina absolutè, tunc extenderetur quoque ad sepulturam; quia videtur illa concessio esse quædam suspensio generalis interdicti quò ad illam personam, vt ibidem optimè sustinet Suarez.

Peccat mortaliter sepeliēs aliquem in loco interdicto. & est excōmunicatus.

60 Violatio autem interdicti quoad hunc effectum sepulturæ est peccatum mortale: quia est actio contra præceptum graue Ecclesiæ. Quod maximè patet ex hoc, quia in Clem. 1. de sepulturis, excommunicantur ipso iure, qui sepeliunt aliquem in loco interdicto. Vnde cum excommunicationis impositio sit signum grauis præcepti, sequitur peccare mortaliter, & etiam esse excommunicatum ipso facto; hæc enim prohibitio tendit in viuum sepelientem, non in mortuum, qui non potest peccare violādo interdictum; si autem defunctus aliquis sepeliatur in loco interdicto, non est exhumandus, nisi sit affectus censura excommunicationis, siue interdictum sit sublatum, de quo non est dubium, siue interdictum maneat; vt docuit Angelus *interdictum* 6. num. 33. & alij, quos sequitur Suarez vbi supra. Et ratio est, quia per interdictum prohibetur actus sepeliendi in loco interdicto, non autem prohibetur corpora ibi sepulta non manere. Vnde cum materia sit odiosa, fauorabilius est exponenda.

Non tamen corpus exhumari debet.

De causis Interdicti, & eiusdem relaxatione, & cessatione à diuinis. Caput Tertium.

Quatuor genera causarū in interdicto

61 AD magis methodicè explicandam materiam censurarum, solent authores in eis quærere quatuor genera causarum, scilicet efficientem, materialem, formalem, & finalem; ideo & nos hanc methodum sequentes quatuor has causas explicabimus in hac materia interdicti. Causa ergo efficiens interdicti est ille, qui habet potestatem iurisdictionis ferendi interdictum. Vnde duplex est interdictum, ab homine, & à iure. De interdicto à iure affert exemplum Scotus vbi supra de receptantibus vsurarios extraneos extra. de vsurarijs. cap. *vsurarum voraginem* in 6. Suarez, & alij alia plura exempla afferunt, vt infra dicam. Interdictum vero ab homine est quod fertur à Iudice. A iure est quod fertur à lege facta ab habente potestatem condendi legem. Vnde qui habet potestatem excommunicandi, vel suspendendi, habet potestatem quoque ferēdi interdictum; quod est euidens ex dictis supra de eo, qui potest excommunicare, & elicitur apertè ex cap. *Cum Ecclesiarum*, de officio ordinand. Requiritur ergo potestas iurisdictionis ordinaria, vel delegata, & sic Episcopi, & Prælati habentes iurisdictionem Episcopalē, possunt interdictum ferre. de Capitulo autem Canonicorum dubitatur, sed resolutè dicendum est iure ordinario, Capitulum non posse ferre interdictum; secus si ex priuilegio id ei liceat; vt sentiunt Doctores in cap. *quæsitum*, de his, quæ fiunt à maiori parte Capituli. Episcopus vero per se sine consensu Capituli ex cōsuetudine illud ferre potest cap. 3. de consuetud. in 6. & extra. cap. 3. eodem.

Causa efficiens quæ.

An omnes Prælati possint ferre interdictum.

62 Dubitant vero aliqui, an omnes habentes iurisdictionem super aliquem locū, & certas personas possint ferre interdictum locale? & dicunt Regularium Prælatos nō posse illud ferre, vt Soto in 4. dist. 22. quæst. 3. art. 1. conclus. 2. sed hoc sine fundamento dicitur: quia cum aliquis habet iurisdictionem super aliquam Ciuitatem, vel locum & personas illius loci, ad ponendum interdictum locale,

&

& personale habet potestatē sufficientem. At Prælati Regulares habent potestatem super propria Monasteria, & Ecclesias sicut super personas Regulares sibi subditas; sunt enim eorum loca, & Monasteria exempta à iurisdictione Episcopali; ergo possunt illa interdicere. Immo in Constitutionibus quibusdam nostræ Religionis ordinatur, vt quædam Monasteria interdicantur, si in illis quędam culpæ, & inobedientiæ patientur. Verùm est quidem non esse in vsu, & si tale interdictum ferretur, pareret scandalum populo. Nec talis censura, scilicet interdictum locale videtur accommodata ad disciplinam regularem firmandam.

Cōstitutiones Alexādrina

De causa materiali.

63 De causa materiali, siue de eo, qui potest interdici patet ex dictis supra de speciebus interdicti. Nam iàm locus generalis, quàm specialis, & personæ tàm in communi, vt collegium, quàm in particulari, vt personæ particulares possunt interdici, & possunt ab eo interdici, cuius iurisdictioni subsunt, iuxta superius dicta, & cum exceptionibus adductis.

De pueris venientibus ad vsum ratiōis

64 Duo dubia specialem difficultatem habere videntur. Primum est, an pueri, qui propter carentiam vsus rationis nō sunt capaces interdicti personalis, si de facto interdicantur, & durante interdicto perueniant ad vsum rationis, incipiant ligari interdicto.

65 Aliud dubium, an cum collegium aliquod est interdictum, & illi aliquis de nouo adiungitur durante interdicto incipiat ligari interdicto. Et proportionaliter. An si de nouo ædificetur aliqua Ecclesia, vel Capella in loco interdicto generaliter, illa Ecclesia, vel Capella de nouo condita incipiat quoque subesse interdicto.

De capella de nouo condita ī loco generaliter interdicto.

Solutio prædictorum dubiorum.

66 Respondetur ad omnia hæc dubia affirmatiuè. Nam de paruulo id tradunt Doctores cum Glosa in cap. *si sententia*, de sent. excomm. & de aggregato de nouo collegio interdicto affirmat Syluester verbo *interdictum* 2. num. 9. & idem dicēdum ad tertium dubium. Ratio est, quia interdictum est sententia lata, quæ semper habet vim in omne illud, in quod lata est; ideo illi, vel illa, quæ fiūt idem cum illa re interdicta incipiunt subiacere illi sententiæ. Qui autem fit de collegio interdicto, & Ecclesia quæ ædificatur in locū interdicto, fit vnū totū cum illo, & proinde incipit subiacere eidē sententiæ. Notandū est aūt, ꝙ additio personarū, & loci debet esse talis, vt fiat vnū cū illis, ita ꝙ illud primū pmaneat, & nō destruatur. Vnde si alicui collegio interdicto adderētur plures psonę, quā essēt illæ priores illius collegij, & si Ecclesiæ priori interdictę adderetur alia Ecclesia lōgè maior, ita quod superaret priorē, vel ex vtraque fieret vna, ita tamen quod pars addita esset maior illa non censeretur interdicta: quia non censeretur esse eadem, quæ prior, sed alia, & consequenter cum desineret subiectum interdicti, cessaret quoque interdictum.

De causa finali, seu de causa, ꝓpter quam fertur interdictum.

67 Loquendo de causa finali, seu de causa propter quā interdictum potest ferri, Scotus inquit innumeras esse, et communius tamen propter inobedientiam communem populi terræ. Vnde breuiter est dicendum, quod causa, propter quam ferri potest interdictum, est peccatum mortale, scilicet contumacia, vnde in vnoquoque interdicto est applicanda, & est discurrendum per omnes species cū alijs Doctoribus. Interdictum ergo personale particulare requirit culpam, & contumaciam particularem, alioquin esset iniustum, vt diximus de excommunicatione, & est res clara. Interdictum personale generale requirit culpam, & contumaciam generalem, scilicet vel in omnibus personis illius generalitatis, vel in pluribus, quæ sufficiant ad constituendum vniuersalitatem tāquam corpus vnum morale: Nam licèt omnes non peccauerint, tamen quia omnes sunt de eodem corpore morali, innocentes possūt interdici; Et in hoc differt interdictum ab excommunicatione, quia excommunicatio non potest ferri in communitatem, vt supra diximus agēdo de excommunicatione; interdictum verò maximè, vt patet cap. *si sententia*, de sent. excomm. in 6. Vel demum culpa est in solo capite, ꝓpter quam Populus, & Ciuitas interdicitur; vt patet eodem cap. *si sententia*, peccatum enim Principis, vel Reipublicæ, vel Collegij est causa sufficiens, vt pœna interdicti feratur, non autem aliqua priuata, etiam plurium, si Princeps, vel Rector Ciuitatis illi peccato non consentiat. Et ratio est, quia cum interdictum sit pęna publica, requirit causam publicam, & æquiualentem, cuiusmodi est peccatum Principis, & Reipublicæ, seu Collegij quatenus vnum corpus est, licèt non omnes de Collegio consentiant.

De causa interdicti localis generalis.

68 De causa interdicti localis generalis idem dicendū. Cum enim per istud innocentes quoque plectātur, necesse est, quod causa sit grauissima, & maximum peccatum mortale, & hoc Principis, vel Reipublicæ vt constituit vnum corpus morale. non autem est sufficiens causa peccatum priuatum propter eandem rationem, quam adduximus de interdicto generali personali.

An propter peccatū Episcopi interdictū possit poni.

69 Est autem dubium, an propter culpā Episcopi Diœcesis possit interdici. Respōdetur aliquos negare, sed oppositum habetur cap. *sanè*, 2. de officio delegati, & apud Abbatem in eod. cap. num. 6.

70 Dubitatur etiam, an propter debitū temporale soluendum Principes, vel Episcopi cum sunt contumaces in soluendo possit interdictum poni. Respondetur sine licētia Pontificis non posse, quia sic cauetur in Extrauaganti *proinde*, de sent. excommun.

De interdicti localis particularis causa

71 De causa interdicti localis particularis idem dicendum, licèt non requiratur tam grauis culpa; debet tamen esse semper mortalis, quia pœna est grauis, & redundat in damnum publicum, vt patet.

De causa formali interdicti.

72 Vltimo quo ad causam formalem interdicti dicendum est, nullam esse præscriptam formam verborum ad hanc censuram ferendam, sicut supra diximus de forma ferendi excommunicationem; sed tamen debent esse talia verba, quæ sine dubitatione, & ambiguitate, sed distinctè significent censuram interdicti localem, vel personalem, generalem, vel particularem, si effectus est limitatus, vel ad tempus; quia si in hac significatione verba essent incerta, nihil fieret: quia requiritur distincta significatio personæ, vel loci generalis, vel particularis. Verba tamen ordinaria solent esse, interdico, vel interdicto ecclesiastico suppono, & æquiualentia. & hæc quantum ad substantialia formæ interdicti. Quantum verò ad solemnitatem, dicendum est necessarium esse præmittere monitionem, vt à contumacia desistat, vt diximus supra de excomm. & post latum interdictum necessaria est denunciatio, seu intimatio, vt diximus vbi supra. In reliquis dicēdum est sicut dictum est de solemnitate sententię excommunicationis: quia eadem solemnitas seruanda est in excommunicatione, interdicto, & suspensione cap. *medicinalis*, de sent. excomm. in 6.

De numero interdictorū in iure.

73 Quot verò in iure habeantur interdicta tàm localia, quàm personalia, & tàm generalia, quàm specialia, videri possunt Syluester verbo *interdictio* 4. per totum, Angelus, Nauarrus cap. 27. num. 169. & copiosius Suarez disp. 37. sect. 1.

De absolutione ab interdicto.

74 Quantum ad absolutionem, seu relaxationem interdicti, obseruandum est, quod aliquando non aufertur nisi per absolutionem, aliquando aufertur sine absolutione, seu (vt ait Scotus) aliquando ab homine, aliquando à iure relaxatur. Et quidem quod à iure relaxetur, patet ex cap. *alma*, de sent. excomm. in 6. vt supra vidimus. Relaxatur etiam à Iudice vt patet; & etiam aliquando sine absolutione Iudicis: Quando enim interdictum fertur in pœnam peccati præteriti, vt cum quis interdicitur ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & sic de alijs, tunc finito tempore cessat interdictum absque vlla absolutione: quia sententia, vel lex non operatur plusquam verba eius sonent. Cum ergo verba limitant ad certum tempus extra illud non obligant, vnde illo tempore transacto non adest amplius interdictum, & sic nō est opus amplius absolutione.

De interdicto lato sub conditione.

75 Est verò dubitatio, an cū interdictū fertur sub cōditione, vt sub hac forma, *donec satisfaciat*, vel *restituat*, an adimpleta cōditione, interdictum tollatur absque abso-

solutione, seu relaxatione facta à superiore. Aliqui tenēt, interdictum cessare absque absolutione, vt Syluester verbo *interdictum*, 3. quęst. 9. Couaruuias in cap. *alma*, parte 1. §. 11. num. 8. & nonnulli alij, atque hæc est communior sententia. Suarez tamen disp. 38. sect. 1. tenet necessariam esse absolutionem, seu relaxationē ab illo qui posuit interdictum, vel habet potestatē auferendi illud, quæ sententia mihi quoque probatur: quia iura, quæ sub illa forma ferunt interdictum, & censuras, non requirunt solum satisfactionem, sed requirunt etiam absolutionem. Vnde cap. *quamquam*, de censibus in 6. vbi censuræ, & interdictum feruntur contra exigentes iniusta tributa ab ecclesiasticis personis, in fine habentur hæc verba. *Nec ab excommunicatione huiusmodi absolutionem, vel interdicti relaxationem obtineāt, donec exactā plenariè restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter.* Ex his enim verbis apparet, quod post satisfactionem exactam, Papa requirit absolutionem ab excommunicatione, & relaxationem ab interdicto. Idem habetur alijs iuribus.

76 Est etiam dubium, an interdictum locale, tam generale, quàm speciale tollatur absque absolutione quoties locus mutatur, vt si Ciuitas destruatur, vel Regnū diruatur. Et quo ad hoc dicendum est nequaquam tolli, quia est impossibile, quod totaliter diruatur, semper enim manet solum, in quo erat Ciuitas, vel Regnum, vel Villa, in quo manent ruinæ Ciuitatis, vel Regni; (super illud enim principaliter fundatur interdictum) quod remanet interdictum. Et multo minus tollitur interdictum per alienationem, & venditionem; vt puta si sit interdicta Ciuitas propter peccatum Principis, & Princeps illam vendat, nō propter hoc cessat interdictum; quia interdictum est velut onus loci, ideo locus transit ad emptorem cum onere suo; Neque enim actio venditionis, vel emptionis est causa interdicti, ideo ab illa non dependet, vel tollitur, & ꝓpter hoc si dominus, propter quē aliqua Ciuitas fuit interdicta, emit aliquam aliam Ciuitatem, illa non subijcitur interdicto, quia à principio non fuit comprehensa sub interdicto, ideo per actionem emptionis, illi non subijcitur. Quod tenet Syluester verbo *interdictum*, 2. num. 3. adducens alios in hac sententia super caput *si sententia*, de sent. excomm. in 6. sed in hoc videnda sunt semper verba formæ interdicti; si enim adderetur, quod eidem interdicto subiaceant quæcunque Ciuitates, & Terræ, quas ille emerit, vel quocunque titulo possederit, tunc interdicto subijceretur. Excipitur autem interdictum deambulatorium; quando enim interdicitur omnis locus, in quo reperitur, vel reperietur talis, tunc recedente illo ab vno loco ad aliū, prior manet liberatus ab interdicto, quia interdictum nō ferebatur directè in locum, sed solum in ordine ad præsentiam talis personæ, ideo illa ablata cessat interdictum, absque vlla absolutione propter rationem superius adductam.

De interdicto deambulatorio.

77 De interdicto verò personali generali oppositum est dicendum. si enim collegium, vel communitas, vel populus aliquis sit interdictus, & collegium illud, vel cōmunitas, vel populus destruatur, quod fit cum dissoluitur omnino, ita vt amplius non constituant illud corpus, & totū vnum morale, quod prius constituebat, tollitur interdictū. Nam tunc perit subiectum, in quod directè ferebatur interdictum, in personas enim ferebatur secundariò, & ex consequenti, quatenus scilicet erāt partes illius totius, ideo cum totum illud corpus dissoluitur, cessat interdictum, licèt personæ disiunctæ, & dissolutæ ab illo corpore maneant, quia non sunt partes amplius illius totius. Quę est sententia communis Canonistarum in cap. *si sententia*, de sent. excomm. in 6. & Summistarum verbo *interdictum*, Couaruuiæ lib. 2. Variarum cap. 8. nu. 10. Et eadem ratione si quis ab illa communitate separetur, vel domiciliū mutet, non manet interdictus, quia erat interdictus solum in quantum erat pars, & membrum illius totius, ideo cū cessauit esse membrum illius, cessauit interdictum in eo.

78 Sed quid si dedit causam interdicto? Prædicti Doctores respondent rectè, quod iste non liberatur ab interdictu: Quia iste non est interdictus per participationem illius communitatis, sicut alij innocentes, sed est causa directa, propter quam interdictum est latum, ideo in personam illius primariò est directum, & sic est interdictum personale particulare: Vnde per destructionem illius corporis non liberatur, nisi cesset contumacia, & absoluatur.

Qui dedit causam interdicto excipitur.

79 Sed quid si quis personaliter interdictus pœniteat, sed moriatur antequam absoluatur ab interdicto, cessatne interdictum per mortem, & destructionem ipsius? Respondetur aliquos asserere interdictum cessare, & consequenter sic morientem in ecclesiastica sepultura sepeliri posse absque vlla alia absolutione. Alij plures, vt Ioānes Andreas, Anchatanus, & quidam alij, quos sequitur Suarez disp. illa 38. sect. 1. asserunt non tolli interdictum, sed esse necessarium, vt interdictū tollatur propter viuentes, quia ad eos directè tendit obligatio interdicti, ne huiusmodi mortuus in interdicto sepeliri possit in sepultura sacra. Et ratio est, quia ipsi viuentes per pœnitentiam alterius, scilicet mortui non liberantur ab hac obligatione. In tali casu ergo peracta pœnitentia debet absolui ab interdicto, a quo poterit à quocunq; Sacerdote absolui stante illa pęnitentia. Hæc enim videtur esse sententia, & sensus cap. *is cui*, de sent. excommu. in 6. dum dicit. *talis quoque si hoc interdicto durante decedat non debeat in Ecclesia, vel cęmiterio ecclesiastico, nisi pœnituerit sepeliri.*

Quid de interdicto personaliter in particulari moriente antequā sit absolutus.

80 Quando verò interdictum tollitur per absolutionē, nō potest tolli, nisi ab eo, qui habet authoritatem, qui est ille met, qui illud imposuit, vt docuit Scotus cum alijs vbi supra. Vnde interdictum positum ab homine, solum ab eo Iudice, qui illud imposuit, vel ab eius superiore relaxari potest, vt diximus supra de absolutione ab excommunicatione. Si verò est à iure, ab eo, qui condidit ius, vel eius superiore, vel ab eo, qui habet potestatem abrogandi illā legem. Et quando interdictum est reseruatum Papæ certum est neminem posse absoluere ab illo nisi Papam: Tamen ex Conc. Trident. sess. 24. cap. 6. omnes Episcopi possunt ab illo absoluere, quādo casus est occultus, vt diximus supra etiam de absolutione ab excommunicatione. Quādo verò interdictum est simpliciter prolatū à iure, sed nulli est reseruatum, Episcopus potest regulariter ab illo absoluere propter easdem rationes, quas adduximus supra loquendo de eo, qui potest absoluere ab excommunicationibus in iure nulli reseruatis. An verò simplex Sacerdos habens authoritatem absoluendi à peccatis, possit absoluere ab interdicto? Respondetur loquendo de generali interdicto tàm locali, quàm personali nō posse, quia simplex Sacerdos habet authoritatem super personam particularem, non super Communitatem, vel Ciuitatem, sed Episcopus: ideo non est par ratio de excommunicatione, & interdicto, quia illa est personalis, non generalis, vt ex dictis supra patet: quia communitas non potest excommunicari, vt est tale corpus vnū morale. Loquendo verò de interdicto personali particulari, videtur dicendum posse relaxari à prædicto Sacerdote habente authoritatem absoluendi à peccatis, quia videtur esse eadem ratio ac de excommunicatione, cum enim non sit reseruatum, & Sacerdos habeat authoritatem absoluendi à peccatis, videtur habere quoque authoritatem absoluendi ab hac censura. Hoc tamen non conceditur ex vi capitis *nuper*, de sent. excomm. vt diximus supra de excommunicatione, sed ex quadam consuetudine, quæ habet vim legis: ideo hæc consuetudo in Episcopatibus est consideranda.

Quis possit interdictum relaxare.

At simplex Sacerdos possit absoluere ab interdicto.

81 Quantum ad formam relaxationis, nulla est præscripta certa forma verborum. sed obseruādum est solum illa debere esse talia, quæ sine ambiguitate, & dubitatione significent talem locum, vel personā ab interdicto actu liberare. Atque etiam aliquis nutus simul cum verbis poterit sufficere, vt si Episcopus interrogatus an sibi placeat actu relaxare tale interdictum, & ipse annuat, quod sibi placet, tile nutus cum verbis illis præcedentibus erit sufficiens forma.

De forma relaxādi interdictum.

An interdictũ absolui possit ad cautelam.

82 An vero interdictum ad cautelam possit relaxari sicut in excommunicatione, disputatur à Doctoribus in cap. *præsenti*, de sent. excomm. in 6. Nauarus in cap. *cum contingat*, de Rescriptis remed. 6. num. 2. & alij ex Recẽtioribus. Et dicendum est, quod loquendo de interdicto generali locali, absolutio ad cautelam non habet locum: quia id cauetur expresse in cap. *præsenti*, supra allato. Subiungit tamen Nauarus, data cautione de parendo iuri posse absolui ad cautelam, quando petitur simpliciter ad instantiam partis, ob cuius culpam positum dicitur. De interdicto vero particulari tàm locali, quàm personali tenet Suarez vbi supra cum Syluestro interdictum 3. quæst. 9. & Angelo interdicto 8. num. 2. posse ad cautelam relaxari, quia iura id non prohibent, & hoc beneficium cõceditur regulariter in omni censura; ergo in hac non debet negari. De interdicto vero generali personali non videtur aliquid determinatè expressum, sed prædicti authores, excepto Suarez videntur eodem modo loqui de interdicto generali locali, & personali, Suarez vero considerat, quod capit illud *præsenti*, loquitur expressè de interdicto locali. Vnde cum non includat interdictum personale generale non debet ad illud extendi. Vnde sustinet etiam interdictum personale generale gaudere hoc priuilegio, quod possit ad cautelam absolui, & mihi quoque placet propter regulam illam generalem, quod pęnę, & odia sunt restringenda, non amplianda, in his tamen consuetudo est seruanda, quæ est optima legum interpres.

An interdictũ possit suspendi.

83 Demum quoad suspensionem certum est non posse suspendi propter appellationem, quia hoc habetur expressè cap. *ad hæc quoniam*, de appellationibus de omni interdicto: quia loquitur absolutè de interdicto. A Iudice vero, qui illud tulit suspendi potest ad tempus, vel simpliciter, vel quo ad aliquem effectum, quod Doctores communiter contra Panormitanum cõcedunt super caput illud *Ad hæc*, de interdicto generali tàm locali, quàm personali, & de interdicto locali particulari, quos sequuntur Recentiores Couaruuias c. *alma*, p. 2. §. 2. Suarez vbi supra sect. 3. qui alios citat. Atque insuper idem dicendum esse de interdicto personali particulari: Atque de eo, qui dedit causam interdicto sustinet contra Syluestrum, & rationabiliter. Ratio est non quia per aliquod ius concedatur specialiter, sed quia nullo iure prohibetur, & efficacia censuræ, & effectus eius pendet à voluntate ferentis: ergo sicut potest simpliciter auferre interdictum, sic potest illud suspendere ad tempus, & ad certos effectus. Ideo generalis regula est, Eum qui potest auferre interdictum, posse illud suspendere, vt dictum est: quia ex eadem potestate oritur vterque actus. Potest autem contingere aliquis casus, vt prudenter Iudex censeat vtile esse suspẽdere prędictum interdictum, & tunc diuina exercens secũdum ea, quæ suspensa sunt, nullam pœnam incurret: quia non aget contra censuram, licèt possit celebrando peccare propter alias causas.

De Cessatione à diuinis.

An contineatur sub interdicto, vel sit pęna quędã ab alijs distĩcta.

84 DE hac pęna cessationis à diuinis non loquitur Scotus, quia illam non enumerat inter pœnas canonicas in hac quæstione. Non est autem parua contentio inter Doctores, an sub interdicto concludatur, an sub suspensione: Vel sit pœna canonica separata ab alijs, de qua late Recentiores disputant, neque pro vlla parte in iure, vel ratione videtur esse fundamentum cogens. Nihilominus communior sententia esse videtur, quod cessatio à diuinis differat ab interdicto essentialiter: quia pœna non seruantis interdictum est pœna irregularitatis; pœna verò violantis cessationem à diuinis non est irregularitas, sed excommunicatio. Quod discrimen habetur in Clement. 1. de sent. excommu. in qua transgressoribus cessationis à diuinis imponitur pœna excommunicationis, nõ autem, irregularitatis. Præterea ex communi sententia cum conceditur priuilegium ad audiendam missam tempore interdicti, non intelligitur concedi ad illam audiendam tempore cessationis à diuinis, vt ait Nauarus in Manual. cap. 27. num. 188. Differt etiam à suspensione propter eandem rationem, quia suspensus celebrans fit irregularis, non autem qui per cessationem à diuinis est prohibitus, & celebrat. Præterea suspensio directè fertur in personam, non in locum. At cessatio à diuinis fertur in loca tantum, quæ est communis sententia. Et probatur, quia ex vi cessationis à diuinis nunquam prohibetur vbiq; celebrare diuina, sed tantum in aliquo loco, quem respicit cessatio, vt constat ex vsu Ecclesiæ. Et rursus communiter cessatio à diuinis distinguitur in duas species, scilicet in cessationem generalem à diuinis, in aliquibus pluribus locis, & in cessationem particularem in aliquo loco particulari. Relinquitur ergo esse pęnam quandam canonicam particularem.

Quid sit cessatio à diuinis.

85 Quę vero sit eius diffinitio nõ cõueniunt Doctores; Nauarus in sũma c. 27. n. 188. inquit, ꝙ cessatio à diuinis est quędã desistẽtia à diuinis officijs, & ab administratione Sacramẽtorũ. Sed hęc diffinitio reprehẽditur: quia cessatio à diuinis quatenus imponitur ab Ecclesia nõ est ipsa actualis desistentia, & omissio diuinorum officiorum, sed est effectus eius. Videtur ergo dicendum, quod possit sic diffiniri. *Cessatio est prohibitio quadam diuinorum simplex facta ministris Ecclesiæ respectu talis loci.* Dicitur *prohibitio diuinorum*, quia est præceptum quoddam Ecclesię prohibens exercitium diuinorum. Dicitur *simplex*, quia non habet annexam pœnam irregularitatis, ita quod qui illam violat, fiat irregularis. Vnde hæc prohibitio, quæ dicitur cessatio à diuinis est similis illis prohibitionibus, quæ fiunt à Prælatis quandoque, quãdo prohibent aliquem celebrare, vel confessiones audire. Neque enim statim transgressor illarum fit irregularis, licèt peccet mortaliter, quia illa prohibitio non fuit facta per modum suspensionis, vel cẽsuræ, sed solum per modum simplicis præcepti. Dicitur *facta ministris Ecclesiæ*, quia licèt extendatur etiam ad laicos, qui ex consequenti arcentur ab interuentu diuinorum in tali loco generali, vel particulari, in quo preceptum est cessari à diuinis: tamen directè tendit in clericos.

De effectibus huius pęnę.

86 Effectus huius pœnæ cessationis à diuinis significatur per illam particulam *à diuinis*, per diuina autem intelliguntur illa tria, quæ supra explicauimus de interdicto; scilicet officia diuina, quæ complectuntur celebrationem missarum, & publicam recitationem horarum canonicarum, (non priuatam, neque enim ab hac, cum sit onus, eximuntur per aliquam censuram, vt diximus supra, atque ex hoc sequitur, quod duo clerici, simul possunt recitare officium tẽpore cessationis à diuinis, quia illa recitatio est censenda priuata, nõ publica) & omnes alias benedictiones, seu cęrimonias, quæ in Ecclesia fiunt publicè, etiam campanarũ pulsationem, non absolutè, sed quatenus pulsantur ad conuocandum ad diuina officia, vt dictum est de interdicto. Secundò ministrationem Sacramentorũ. Tertiò ecclesiasticam sepulturam. An vero in aliquo iure sit permissa celebratio diuinorum officiorum tempore cessationis, sicut contingit in interdicto ex cap. *alma*, concẽdunt Doctores. sed communior est, nullam esse factam exceptionem. Nam de cessatione sub nomine cessationis nulla habetur exceptio, vel moderatio in iure. Quæ autẽ habetur in cap. *alma*, cum sit expressè de interdicto, non potest extendi ad cessationem, cum sit pœna diuersa, vt vidimus. Extenditur etiam cessatio à diuinis generaliter ad celebrationem omnium officiorum, nisi fiat specificatio de aliquibus tantum; quia vox illa à diuinis est vniuersalis, & vniuersaliter, ac totaliter intelligitur in praxi.

An tempore cessationis à diuinis aliqũ permissa sit celebratio diuinorum.

Cessatio à diuinis est totalis, nõ partialis.

Quæ Sacramenta ministrare liceat tempore cessationis à diuinis.

87 Quantum autẽ ad cessationem à ministratione Sacramentorum, habetur moderatio, & exceptio in cap. *non est nobis*, de sponsalibus; Ibi enim excipiuntur ministratio Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ, & hoc propter necessitatem horum Sacramentorum. Vnde nullo tempore ab Ecclesia negantur fidelibus. Ex hac eadem necessitate excipitur ministratio Eucharistiæ per modum Viatici:

ci:

ci: Quia est præceptum de ... diuino, vt illud sumatur, & habetur etiam cap. *quod in te.* de pœnitentia, & remissione, vbi dicitur, quod cum pœnitentia morientibus non negatur, etiam viaticum non negatur. Vnde ex consequenti deducunt Doctores licere celebrare missam pro conficienda Eucharistia: quia sine celebratione missæ haberi non potest Viaticum. Tunc temporis autem Missa celebranda est secretè, eo modo quo dictum est tempore interdicti; Et Viaticum est defferendum cum solemnitate, sed sine psalmis, vt ibidem tempore interdicti diximus. Aliqui excipiunt confirmationem ea ratione, qua in interdicto ex cōcessione Baptismi inferebatur concedi quoque ministrationem confirmationis: quia quodammodo consequitur ad Baptismum, cum sit roboratio Christiani, & Baptizati in fide Christi. Extenditur etiam ad Sacramentum pœnitentiæ extra articulum mortis propter eius maximam necessitatem, & periculum mortis, Adeò quod solum ordo sacer, extrema vnctio, & Eucharistiæ celebratio extra viaticum prohibentur, & Sacramentum matrimonij quò ad solemnitatem, vt diximus de eo tempore interdicti.

De ecclesiastica sepultura.

88 Quantum ad ecclesiasticam sepulturam accipiendo illam simul pro depositione cadaueris in loco sacro, & cum officio, quod fieri solet in tumulatione mortuorum, certum est illam tempore cessationis prohiberi; Quia officium illud est ecclesiasticum. At loquendo, de sola tumulatione cadaueris sine illo officio solito, tenet Suarez non prohiberi per cessationem à diuinis disp. 39. sect. 2. num. 28. multis rationibus, sed ea præcipua mihi videtur: Quia depositio corporis in loco sacro seclusa diuini officij, recitatione solita, non est diuinum officium, sed opus pietatis, & misericordiæ, ergo non continetur sub prohibitione illa diuinorum officiorum in cessatione; ergo à diuinis prohibetur ecclesiastica sepultura in quantum est iuncta cum officio diuino solito, non sine illo.

Quis potest ferre cessationem à diuinis.

89 Loquendo de causis interdicti dicendum est, causam efficientem esse eum, qui habet potestatem ferendi interdictum propter rationem supra adductam de causa efficiente interdicti. Causa finalis, siue propter quam ferri debet, vel potest cessatio à diuinis est ablatio contumaciæ, & peccati inobedientiæ ad ecclesiam, qua quis renuit recedere ab aliquo graui peccato, vt dictum est de interdicto; licèt puniat quoque innocētes, vt ibidem diximus. Nam hæc pœna non debet poni nisi propter aliquod grauissimum peccatum, & valdè notum, & tendens in damnum publici boni; quia est pœna grauissima, & significat maximum signum afflictionis, quam ecclesia patitur.

De causa formali.

90 De causa formali, seu forma ferendi hanc pœnam cessationis quò ad substantialia, seruanda sunt omnia illa, quæ seruanda esse diximus in ferenda excommunicatione ad hoc vt sit valida, & iusta; quia illa communia sunt omni sententiæ iustæ, & validæ. Quo ad solemnitatem

Ad solemnitatem cessationis à diuinis requiruntur decem conditiones.

verò requiruntur decem conditiones, quæ colliguntur à Doctoribus ex capite *quamuis*, & ex cap. *si Canonici*, de officio ordinarij in 6. quas adducunt Soto in 4. dist. 22. q. 3. art. 2. Suarez disp. 39. sect. 3. & alij, Prima est vt causa cessationis in instrumento authentico publico ponatur antequam cessatio ferratur. Secunda quod hoc instromentum tradatur ei, contra quem cessatio ferri intenditur. Tertia quod cessatio ponatur ab illis, qui vel à iure, vel à consuetudine habent hanc potestatem. Quarta quod causa sit manifesta, & Quinta quod sit rationabilis; istæ enim duæ conditiones secundum glosam continentur in illa particula *Canonica.* tex. adducti. Sexta conditio, quæ cum reliquis quatuor sumitur ex cap. *quamuis* eodem titulo, est. quod ad ferrendam hanc sententiam euocentur omnes, qui sunt de Capitulo. Septima vt post conuocationem circa cessationem ferrendam diligenter deliberent. Octaua quod de cessatione deliberetur, idest ferrantur suffragia, & pro maiori parte suffragiorum decernatur ferrenda. Nona vt moneatur persona, propter cuius iniuriam videtur ferrenda cessatio, vt ab iniuria cesset, & illam emendet. Decima est vt posita cessatione nisi partes infra mensem conueniant, ac tollatur cessatio, teneantur patres per se, vel per idoneos procuratores ad sedem Apostolicam accedere cum monimentis, & actis ad negotium spectantibus, vt quid agendum sit ab illa declaretur. Atque omnes hæc conditiones sunt seruandæ, altoquin cessatio erit nulla; vt colligitur ex verbis vltimis capitis illius *quamuis*, in quo mentionem faciens de capitulo *si Canonici*, videtur omnes conditiones in vtroque cap. positas confirmare sub illa pœna nullitatis cessationis. Dubium tamen est de cessatione posita, vel ponenda à Prælatis, qui habent totam potestatem in se absque conuocatione capituli, illa enim conuocatio, & suffragiorum latio illis non competit, sed capitulo, vel alicui communitati, quæ habeant hanc potestatem ferrendi hanc pœnam: sed in hoc seruanda erit consuetudo, vt notant Recentiores.

Pœna malè imponētis cessationem.

91 Pœna autem, quam incurrit, qui cessationem à diuinis posuerit sine legitima causa, habetur cap. illo *si Canonici*, & est quod priuetur fructibus, quos percipere deberet tempore cessationis, & parti offensæ iniuriam, & damna recompenset. Quando verò cessatio iusta de causa lata est, ille, qui causam dedit, tenetur ad omne interesse personarum, & ecclesiæ illius, quæ eius culpa suo debito cultu priuata est, & superioris arbitrio condemnandus est in aliqua quantitate pecuniæ in vtilitatem ecclesiæ conuertenda.

Pœna dantis causam cessationis.

Pœna violantium cessationē à diuinis.

92 Pœna verò violantium cessationem à diuinis, seu eam non seruantium est excommunicatio ipso facto incurrenda, quæ fertur in Clemen. 1. de sententia excom. Hanc autem non incurrunt laici, nec clerici sæculares, sed solum Religiosi seu Regulares: quia illa Clem. directè fert hanc pœnā contra Regulares non seruātes interdictū, nec cessationem à diuinis, & intelligitur de cessatione lata nedū à Papa sed ab Episcopo, vel à capitulo, vel à Collegio, vel conuentu, vel à quocunque alio habente authoritatem illam ferrendi. Et intelligitur de quibuscunque Regularibus etiam exemptis, & hoc quando matrix ecclesia dictam cessationem seruat. Hæc enim omnia habentur in eadem Clementina, cuius summa est, quod Religiosi etiam exempti violantes interdictum positum per sedem Apostolicam, vel per ordinarium loci, vel generalem cessationem diuinorum factam per Prouinciale Concilium, vel eum, qui hoc possit, seruatam per Cathedralem, vel matricem ecclesiam loci, excommunicati sunt ipso facto. Non obstantibus priuilegijs, consuetudinibus, conuentionibus, & statutis quibuscunque, &c.

A quo, & quomodo tollitur cessatio à diuinis.

93 Tollitur autem cessatio à diuinis ab eo, qui illam posuit, & cum talis pœna non sit à iure, quia in nullo iure aliqua reperitur, sequitur quod omnis cessatio sit à iudice, ideò ab ipso, vel successore, vel superiore solum tolli potest. Nec ipso facto tollitur, sed est necessaria relaxatio à iudice, vt diximus de interdicto. Nec suspenditur per appellationem sequentem, vt diximus de interdicto, cui in hoc assimilatur, quia secum affert executionem. Potest tamen suspendi à iudice, qui illam posuit in totum, vel in partem, quia ab eius voluntate pendet.

De forma relaxandi.

Quantum autem ad formam, seu ad modum illam relaxandi, nulla est præscripta forma, sed sufficit, vt iudex voluntatem suam explicet sufficientibus verbis, non ambiguis, se intendere auferre illam pœnam, sicut diximus de alijs pœnis, quia est eadem ratio, vt diximus.

✠

DISPVTATIO SEXTA.

De Suspensione.

Quid, & quotuplex sit Suspensio. *Caput Primum.*

1 SExta pœna canonica secundum ordinem Scoti est suspensio, de qua Scotus vltimo loco in illa q. 1. dist. 25. agit. Circa hanc pœnam canonicam de more tria faciemus. Primò explicabimus quid sit suspensio, & quot eius species. Secundò explicabimus eius effectus. Tertiò causas ipsam ferendi, & tollendi.

Primo loco ergo videndum est quęnam sit diffinitio vera suspensionis. Pro cuius intelligentia est notandum, quod licèt hoc nomen suspensio multiplicem habeat significationem, tamen in proposito accipitur pro quadam specie censuræ, seu pęnæ ecclesiasticæ. De hac suspensione autem variæ afferuntur diffinitiones, sed ijs ommissis hæ potiores videntur. Nauarus in Man. cap. 27. nu. 151. sic eam diffinit. *Suspensio est censura, qua alicui personæ ecclesiasticę prohibetur exercitium sui officij in totũ, vel in partem, in certum tempus, vel in perpetuum quo ad partem ob suam culpam à Iudice, vel à lege* Franciscus Suarez disp. 25. sect. 1. affert istam. *Suspensio est censura ecclesiastica, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones ecclesiasticas exerceat, aliquaue ecclesiastica potestate vtatur.* Scotus verò loco citato affert istam. *Suspensio est prohibitio ab aliquo alias conueniẽte, & hoc ad tempus.* omnes istæ diffinitiones conueniunt in re, licèt vna plura addat, quàm alia. Nam omnes conueniunt, quod suspensio est censura, seu pęna canonica: hoc enim supponit quoque Scotus, cum dixerit, sex esse pęnas canonicas, & inter illas enumeret suspensionem. Prima differentia essentialis est. *Prohibens ab aliquo alias conueniente.* Hanc differentiam explicat Nauarus dicendo, quod prohibet personam ecclesiasticam ab exercitio sui officij. sed hæc declaratio nõ sufficit, quia suspensio prohibet etiam à beneficio, vt videbimus. Suarez verò addit, per ipsam prohiberi personam ecclesiasticam nedum à functionibus ecclesiasticis, sed ne aliqua potestate ecclesiastica vtatur. sed neque hoc sufficit: quia suspensio à beneficio est prohibitio etiam receptionis fructuum, quod est quid amplius; Et suspensio ab ingressu Ecclesiæ non videtur esse prohibitio alicuius officij ecclesiastici, nec potestatis. Melius ergo explicatur dicendo, quod suspensio in communi sit pęna canonica, seu censura ecclesiastica prohibens ab aliquo alias conueniente.

Diffinitio Nauari. *Diffinitio Suarez.* *Diffinitio Scoti.* *Prima differentia.*

2 Altera differentia essentialis est. *Ad tempus*, per hanc differentiam dicit Scotus suspensionẽ specialiter differre ab alijs cẽsuris, & pęnis. Cæterùm hoc videtur falsum: quia omnes cẽsuræ sunt medicinæ; vt patet cap. *medicinalis*, de sent. excomm. in 6. suspensio autem est censura ex eod. cap. & c. *quærenti*, de verborũ significatione; ergo non potest præscribi certum tempus, sed semper includit illam conditionem *donec resipiscas, vel satisfacias.* Vnde Suarez disp. illa 25. sect. 1. distinguit, quod duplex est suspensio. Alia est pęna, Alia est censura. Illa quæ est pęna datur ad certum tempus; quia infertur propter culpam aliquam tanquam pęna eius, & quantò culpa est grauior, tantò diuturnior erit suspensio, & finito termino præfixo suspensioni, ipsa per se absque absolutione aliqua desinit esse, atque per hoc distinguitur à depositione, quæ est perpetua absque spe restitutionis; sed suspensio, quæ est censura, non habet præfixum terminum aliquem, sed durat donec durat contumacia, & donec nõ tollatur ab habente potestatem.

Secunda differentia. *Obiectio contra Scotum.*

3 Verùm hæc ratio non infirmat assertionem Scoti: Quia cum Scotus dicit, quod suspensio est prohibitio ad tempus, non vult dicere, quod suspensio quatenus est censura feratur ad determinatum tempus: quia clarum est, quod fertur ad tollendum contumaciam, sicut ipse supra dixerat de excommunicatione, ideo potest durare quo ad durat cõtumacia, quæ cum sit incerta, incertum etiam est tempus, quo suspensio durare debet. sed pro tanto dicit, suspensionem esse prohibitionem ad tempus, quia suspẽsio ex vi nominis, & ex natura sua est prohibitio non perpetua, sed temporalis: quod enim suspenditur ab aliquo officio, vel beneficio non priuatur omnino illo, sed remanet spes restitutionis. In alijs verò censuris, vt sunt excõmunicatio, & interdictum, & alijs pęnis canonicis, vt est irregularitas, depositio, degradatio, & infamia, ex vi nominis, & natura censurę non insinuatur spes restitutionis, sed solum priuatio eorum bonorum, quibus priuant abstrahendo à perpetuitate prohibitionis, & spe restitutionis, licèt in censuris illis duabus in quantum sunt institutę ab Ecclesia includatur spes restitutionis, quia sunt ordinatæ vt medicinę ad tollendum contumaciam, qua habita tolluntur. Atque hæc videtur aptior differentia inter hanc censuram, & pęnam, & alias censuras, & pęnas. Nam aliæ differentiæ, quæ assignantur inter illas, non omnino seiungunt illas ab inuicem. Nam licèt differat ab excommunicatione, & interdicto per hoc, quod suspensio propriè fertur in clericos: excommunicatio verò, & interdictum in clericos, & laicos, quia excommunicatio includit totum quod suspensio, suspensio autem solum aliqua, & se habet vt includens, & inclusum, tamen istæ differentiæ potius sumuntur ab effectibus censurarũ, quã ab essentiali, & intrinseca ratione cuiuslibet censuræ.

Defenditur Scotus.

4 Altera particula, quã ponit Nauarus *in partem, vel totum*, pertinet ad significandũ species suspensionis: quia alia est totalis, alia partialis, vt videbimus, illa verò *ob suã culpam* subintelligitur, quia censura non ponitur nisi ob contumaciam. Altera particula *à Iudice, vel lege* indicat aliam diuisionem suspẽsionis in alias duas species, scilicet ab homine, vel à Iudice, de quibus infra.

Aliæ particulæ à Nauaro positæ expenduntur.

5 Quantum ad species suspensionis multa dicuntur à Canonistis, & variæ diuisiones afferuntur, quæ reijciuntur communiter à Recentioribus, vt est videre apud Nauarum cap. 27. num. 152. & sequentibus, & apud Suarez vbi supra. Tres ergo solum afferuntur species suspensionis à Scoto. Prima est suspensio ab officio, secũda est suspensio à beneficio. Tertia est suspensio ab ingressu Ecclesiæ. sed hanc suspensionem alij ponunt sub interdicto, vt Nauarus in Manuali cap. 25. num. 75. Suarez disput. 35. sect. 4. & Alij ab eis citati, sed de hac re infra agemus. Alij adducunt aliam speciem suspensionis, quæ est suspensio simul ab officio, & beneficio, sed Scotus hanc omisit, quia nihil aliud est, nisi aggregatum ex vtraque suspensione. Numeratur tamen vt tertia species, quia vtraq. simul habet plures effectus, quam suspensio ab officio sola, & suspensio à beneficio sola, est enim veluti suspensio ipsa tota, & in se, quæ est censura ecclesiastica. Vnde cum in iure fit mentio de suspẽsione absolutè sine declaratione ab officio, vel à beneficio, intelligitur de suspensione ipsa completa, & in se, quæ complectitur ambas illas suspẽsiones, scilicet ab officio, & beneficio, vt in cap. *tuorum*, de priuilegijs, & in Clementina 1. de decimis, & cap. *Iane*, 2. de officio delegati. De suspẽsione verò ab officio solum habetur in cap. *quia Pontificali*, de officio delegati in 6. & in Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. De suspensione à beneficio solum habetur cap. *nihil*, de electione, & in Clementina 1. de vita, & honestate clericorum cap. 2.

De speciebus suspensionis. *Opinio Scoti.*

6 Cæterùm hic est difficultas, si suspensio ab ingressu Ecclesiæ est species suspensionis, nam si sit species suspensionis: ergo cum aliquis absolutè suspenditur, intelligitur esse suspensus nedum ab officio, & beneficio totaliter, sed etiam ab ingressu Ecclesiæ: Tamen communior sententia

An suspẽsio ab ingressu Ecclesiæ sit species suspẽsionis.

tia videtur hoc negare: quia ponũt eam sub interdicto. Respondetur in iure suspensio ab ingressu ecclesiæ fertur sub nomine suspensionis, vt patet capit. *is, cui* §. 2. de sent. excomm. in 6. Et cap. vltimo de officio ordinarij, hæc suspensio ab ingressu ecclesiæ enumeratur cum alijs duabus speciebus suspẽsionis ab officio, & beneficio. Nam verba textus sunt ista. *Alioquin Episcopi, & eorum superiores ab ingressu ecclesiæ cæteri vero ab officio, & beneficio tamdiu eo ipso nouerint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis.* Quantum ad rem etiam habet effectum suspensionis, non omnem, sed aliquem: quia etiam ex confessione Suarez vbi supra, & aliorum, qui tenent suspensionẽ esse speciem interdicti, suspensio ab ingressu ecclesiæ reducitur ad interdictum personale, & priuat participatione actiua diuinorum, non vbique, sed in Ecclesia, à cuius ingressu est suspensus: hoc autem est idem quod suspensio ab officio ecclesiastico. Sed hęc disputatio est parui momenti, an sit species interdicti, vel suspensionis: quia in iure fertur modò sub nomine suspensionis, modò sub nomine interdicti; sufficit vt sciamus quis sit eius effectus, quod pertinet ad rem. Vnde ad propositum cum suspensio ab ingressu Ecclesiæ habeat aliquam specialitatem, scilicet quod non priuat suspensum ab omni officio suo, sed solum in ecclesia, a cuius ingressu prohibetur, non videtur comprehendi sub suspensione quando absolute profertur: quia suspensio videtur communiter intelligi ab officio, & beneficio solum; suspensio autem ab ingressu ecclesiæ habet quid amplius, quia priuat sepultura ecclesiastica, & est communis Clericis, & Laicis, ideo nisi specificetur non videtur comprehendi sub suspensione. Scotus autem non videtur eam ponere sub suspensione modo rigoroso, sed communiter: quia sub nomine suspensionis in iure fertur. Ex his iure reijciũtur opiniones illorum, qui dicunt peccatum mortale excomm. maiorem, & minorem, irregularitatem, depositionẽ, & degradationem esse species suspensionis; patet enim peccatum mortale non esse pęnam Canonicam: quia non est impedimentum inductum a iure humano, sed diuino. Reliqua verò sunt pœnę distinctæ a suspensione, vt ex dictis patet.

7 Diuiditur deinde a Scoto, & communiter ab omnibus suspensio in communi quatenus has tres species complectitur in duo genera. Alia enim est suspensio ab homine, & alia a iure, sicut diximus de excommunicatione. Rursus suspensio in communi potest esse integra, seu totalis, & non integra, seu partialis; totalis si suspendatur ab omnibus actibus pertinentibus ad officium; vt si aliquis suspendatur ab ordine, & a iurisdictione. Vel partialis, vt suspensio ab ordine, non à iurisdictione; Vel a iurisdictione, non ab ordine; Et huiusmodi aliæ multæ possunt esse suspensiones partiales, secundum quod quis suspenditur ab vno actu officij, nõ ab alio. Idem dicendum de suspensione a beneficio, & de suspensione vtraque, potest enim comprehendere suspensionem ab officio quò ad aliquos actus, & suspensionem a beneficio similiter quò ad aliquid, non totaliter, quia est sita in potestate iudicis, vel legislatoris illam ferentis.

Suspensio à iure, & ab homine.

Suspensio totalis, & partialis.

De suspensione ab officio.

8 Cum autem tres sint species suspensionis, scilicet ab officio, & beneficio, ex quibus vt dictum est tertia coalescat, & tertia quæ est suspensio ab ingressu ecclesiæ, oportet eas in speciali declarare. Incipiamus ergo a suspensione ab officio, & quia suspensio ab officio potest esse totalis, & partialis, obseruandum est, quod cum fertur suspensio ab officio absolutè, intelligitur esse suspensionem totalem; idest ab omni vsu ordinis, & iurisdictionis, & muneris ecclesiastici. Ratio est, quia qui priuat, & negat genus, priuat, & negat omnes, & singulas species illius generis. Quæ est sententia communis, & patet ex vi verborum; ponderanda tamen sunt verba, quia ex illis, & circumstantijs potest innotescere, an sit totalis, vel partialis.

9 Suspendit etiam in omni loco si feratur absolutè absque determinatione loci particularis; Vndè sic suspensus ab officio absolutè, in omni loco, etiam extra diocesem sui Episcopi est suspensus, quia sicut excommunicatus in vno Episcopatu est excommunicatus vbique, ita suspensus ab officio absolutè est suspensus vbique propter rationes adductas in materia de excommunicatione. Cum vero in suspensione determinatur locus vt in Extrauaganti *Ambitiosè*, in qua suspenditur à tali ecclesia, & iudices, & Prelati solent suspendere aliquem, ne in tali ecclesia celebret, vel concionem habeat; tunc extra illam ecclesiam, vel locum, officium suum ecclesiasticum potest exercere, si aliud non obsistat.

Suspendit à loco.

10 Similiter si feratur sinè determinatione temporis, pro quolibet tempore durat donec reuocetur, seu tollatur. Si verò limitetur ad certum tempus, erit partialis, & finito tempore cessabit sinè aliqua absolutione, vt ait glosa in caput *Sacro*, de sent. excom. Talis enim suspensio est pęna re vera, non censura, vt supra tetigimus, ideo illa soluta nulla manet obligatio.

Suspendit per tempus.

11 Pęna autem violationis, seu non obseruantiæ suspensionis est in primis pena peccati mortalis; quia est transgressio præcepti ecclesiæ, seu superioris grauis, quæ est peccatum mortale; & cooperantes cum sic suspensis in actu, & vsu malo officij sui similiter peccant mortaliter: quia cooperantur alteri in peccato mortali, quod est de se peccatum mortale; Tamen illi cooperantes nullam aliam pęnam incurrunt: quia in iure nulla talis pœna est illorum transgressioni imposita. Secundò sic suspensus fit irregularis, vt habetur cap. 1. de sentent. excom. eodem 6. §. 3. Intelligitur autem de violatione suspensionis quò ad exercitium ordinum sacrorum, vt diximus in materia de irregularitate: Acta tamen ab ipso tenent, & sunt valida in quantũ sunt actus ordinis: quia vt dictum est aliàs, actus sacramentorum per censuras non possunt impediri. Violatione autem suspensionis quò ad potestatem iurisdictionis, nimirum exercendo aliquem actum potestatis iurisdictionis, à qua est suspensus, non fit irregularis: Quia in iure non reperitur tali transgressioni impositam esse irregularitatem.

Pęna violãtis suspensionem.

12 Est autem dubium, an hæc suspensio vlterius habeat aliquam pęnam annexam, vt puta priuationẽ beneficij, vel saltem impediat consecutionem beneficij alicuius, dum quis ligatus est suspensione, vel aliquam aliam pęnam, vt priuationem alicuius actus sacri, vel non sacri, seu secularis. Respondetur certum esse suspensionem ab officio non includere suspensionem à beneficio illo, quod ille, qui est suspensus possidet. Quia in iure istæ sunt species diuersæ, & vna non includit altera. Neque in iure habetur, quod suspensio ab officio, se extendat ad suspensionem à beneficio.

An suspensio ab officio includat suspensionem à beneficio.

13 Est autem grauis dubitatio, an suspensus ab officio sit priuatus fructibus beneficij; quia beneficium datur propter officium cap. vltimo de Rescriptis in 6. & accessorium sequitur principale; officium autem est principale, fructus beneficij sunt quid accessorium. ergo. De hac re multa tractant Doctores in Clementina *Cupientes*. de pęnis & in cap. *Apostolis* de except. & Syluester verbo *suspensio*. num. 5. & Recentiores. Sed communior opinio, quam sequuntur Nauarrus cap. 27. num. 160. ex Abbate, & alijs in prædicta Clementina est, quod quando suspensio fertur præcisè ab officio, non includit priuationem fructuum. Ratio est, quia vt diximus istæ sunt duæ species suspensionis distinctæ, quarum vna alteram non includit, vt patet ex iuribus supertus, assignatis, quibus addi potest caput

Solutio.

L inter.

uter, de purgatione canonica, in quo fit sermo de his duabus suspensionibus tanquam de suspensionibus diuersis; Et suspensio à beneficio additur supra suspensionem ab officio, ergo vna non includit aliam. Cum autem suspensio ab officio non includat suspensionem à beneficio, neq; consequenter includit priuationem fructuum beneficij; quia illi sequuntur beneficium, & consequenter sunt illius, cuius est beneficiũ. Et per hæc patet ad argumentum in oppositum factum; quia concluderet si priuaretur beneficio, ad quod consequuntur fructus. Beneficium autem datur propter officium priuatum horarum canonicarum à quo suspensus non liberatur propter suspensionem.

Suspẽsio ab officio reddit inhabilem à collatione & cõsecutione noui beneficij.

14 Quantum verò ad collationem, vel consecutionem noui beneficij dictum est, per suspensionem ab officio illã impediri. Ratio est, quia cum beneficium detur propter officium, repugnat, vt illi detur beneficium, qui priuatus est officio. Vnde non est par ratio de perceptione fructuum beneficij iam obtenti, & de beneficio de nouo obtinẽdo. Nã in primo qui habet beneficiũ, habet iam ius acquisitũ in fructib. à quo per suspensionem non priuatur; At in secundo nullum ius habetur, & nouus titulus confertur, quod repugnat suspenso, vt dictum est. Deinum in cap. vltimo de Clerico excommunicato habetur hęc regula. Qui est priuatus aliquo munere actu, est etiam priuatus susceptione eorum, quæ ad illud munus ordinantur; vt colligunt Doctores ibidem.

Suspẽsio nõ priuat alijs actibus sacris, & non sacris.

15 Quantum ad tertium dicendum est, suspensionem ab officio non includere priuationem alicuius alterius actus sacri, vel non sacri; vt puta susceptionis sacramentorum, excepto ordine sacro; (quia hoc ordinatur ad exercendum officium, quo est suspensus) vt puta à susceptione eucharistiæ more laico ab ingressu ecclesiæ, & similibus; Neq; includit prohibitionem actuum secularium, & temporalium; si quis. n. Clericus sit iudex in causa ciuili, non priuatur per suspensionem actu iudicandi, & sic de alijs actibus secularibus, & temporalibus. Et ratio est, quia suspensio est priuatio actiua officij Clericalis, & directè tendit in Clericos, quos ab officio actiuè priuat, vt ex dictis constat.

De suspensione ab officio partiali assertio vniuersalis

16 Suspensio ab officio partialis ab ea parte officij tantùm suspendit, quæ per verba indicatur; & ab alijs partibus, quæ necessariò includuntur implicitè in illa parte, à qua suspenditur; ab alijs verò partibus, quæ in illa non includuntur, nequaquam. In hac assertione tria sunt. Primum quod suspensio partialis suspendit ab illa parte officij, quam explicant, & designant verba. Declaratur. Exempli gratia. Aliquis Parochus, vel Episcopus suspenditur ab ordine absolutè sine vlla limitatione. Hic est suspensus solum ab officio, & vsu ordinum omnium; At non est suspensus à iurisdictionis potestate; quia potestas ordinis, & iurisdictionis sunt diuersæ potestates omnino distinctæ, quarum vna non includit alteram; quia vna potest esse sine altera (ex dictis in lib. de Pęnitentia de his potestatibus, & ex natura rei patet; Quia quandoq; Vicarius laicus in foro contentioso vtitur potestate iurisdictionis. Quod autem respectu sacramenti pęnitentiæ coniungantur in eodem sacerdote, oritur ex speciali ratione illius sacramenti, vt dixi vbi supra, non autem quia potestas iurisdictionis fundetur in potestate ordinis, & sine illa esse non possit) Ratio est, quia sententia non ligat vltra id, quod verba significant; ijs .n. mens legislatoris significatur. Atq; ex hoc fundamento sequitur, quod suspensus ab ordine, non est suspensus ab actu eligendi si habeat hanc potestatem: quia actus eligendi est actus iurisdictionis, non ordinis. Idem dicendum si quis suspendatur ab aliquo ordine, atq; hoc dicendum de alijs similibus.

Suspẽsus ab vna parte officij est suspensus ab oib. inclusis in illa.

17 Secundum, quod in assertione illa ponitur, est, quod suspensus ab vna parte officij, est suspensus quoque ab omnibus alijs partibus, quæ in illa parte includuntur, etiam implicitè. Declaratur, & probatur. Exempli gratia. Si quis suspendatur ab aliquo ordine particulari, vt puta ab ordine superiori, vt à Sacerdotio, suspenditur quoq; ab inferioribus, vt à diaconatu, & alijs. Ratio est, quia ordo superior includit inferiorem, & inferior subordinatur ad superiorem, vt diaconatus includitur in sacerdotio, & ordinatur ad sacerdotium. Et hac ratione si Episcopus suspenderetur à Sacerdotio, esset etiam suspensus ab ordine Episcopali, Ratio est, quia ordo Episcopalis includit ordinem Sacerdotalem, ideò suspensus à Sacerdotio, cõsequenter intelligitur esse suspensus ab ordine, & functionibus Episcopalibus.

Suspẽsus ab vna parte officij nõ suspẽdit ab ijs quę in illa non includitur.

18 Tertium, quod ponitur in illa assertione, est, quod suspensus ab vna parte officij non suspenditur ab alijs partibus, quæ in illa non includuntur. Declaratur, & probatur. e. g. si quis suspendatur à Diaconatu, non propter hoc suspenditur à Sacerdotio (dato quod sit quoq; Sacerdos.) Ratio est, quia Diaconatus non includit sacerdotium, nec vsus ordinis diaconatus includit vsum ordinis Sacerdotalis, & declaratur in simili. Nam cap. *significauit* de corpore vitiatis. Papa concedit cuidam Presbytero, qui virilia sibi fecit amputari putans se obsequium præstare Deo, vt Sacerdotale munus exercere possit, absq; tamen Altaris ministerio. Hoc autem non aliunde procedit, nisi quia alij actus Sacerdotales, vt baptizare solenniter, & ex officio, pęnitentiam ministrare, & similium vsus, non includit vsum sacrificij Missæ, à cuius celebratione per exclusionem ab Altari priuatur. Vbi obiter obseruo, Suarez disp. 26. sect. 4. nu. 10. & sequentibus rectè contra Canonistas quosdam sustinere, falsam esse illam regulam, suspensum ab inferiori esse suspensum etiam à superiori ordine, absolutè sumptam; sed veram esse tantùm, quando inferior necessariò connectitur superiori, vt contingit in Episcopatu, in quo necessariò includitur Sacerdotium. Vndè Episcopus suspensus à Sacerdotio, est etiam suspensus ab vsu actuum Episcopalium, vt supra diximus. Nam fundamentum Canonistarũ est illud, quod qui indignus est inferioris potestatis, indignus est etiam superioris, ideò Episcopus priuatus potestate conferendi primam tonsuram, est priuatus consequenter potestate conferendi ordines superiores. Hoc autem fundamentum tantùm verum est, quando quis per se, & præcisè sumptus est indignus minori honore: At quando sunt aliquæ circũstantiæ, propter quas meretur priuari minori honore, & non maiori, non valet: Hoc autem modo contingit in præsenti, quod patet etiam exemplo. Nam si suspenditur Episcopus ab actu confirmandi, non propter hoc suspenditur ab officio, & actu conficiendi eucharistiam, & tamen Eucharistiæ confectio est actus longè nobilior, quàm sit confirmatio, vt omnes concedunt.

Regula Canonistarũ, suspensũ ab inferiori ẽt esse suspensum a superiori, est falsa vniuersaliter.

De suspensione a iurisdictione tantum.

19 Hoc eodem modo dicendum est de suspensione ab officio partiali quò ad solam iurisdictionem. Nam hæc non priuat ab vsu actuum ordinis, quia potestas ordinis, & iurisdictionis sunt omnino diuersæ. Excipiuntur tamen actus ordinis, qui requirunt substantialiter iurisdictionem; vt ministratio sacramenti pęnitentię; Vndè si à suspenso à potestate iurisdictionis simpliciter exerceatur, actus est nullus: Exercendo verò alios actus Sacramentorum, peccabit tantùm mortaliter, quia facit contra præceptum ecclesiæ, & contra censuram; Actus tamen illi sacramentorum sunt validi, quia illi essentialiter non pendent à potestate iurisdictionis, nec possunt impediri à potestate humana, vt aliàs in lib. de Pęnitentia dictum est.

Vbi

Forma verborum suspensionis est obseruanda.

20 Vbi est obseruanda forma verborum, sicut etiam supra diximus. Nam cum fertur suspensio à potestate iurisdictionis absolutè, vt suspendo te à potestate iurisdictionis, est vniuersalis, seu totalis; & priuat omni actu iurisdictionis, & est proinde ac si dicat, suspendo te ab omnibus actibus iurisdictionis. Si verò verba significent suspẽsionem esse ab aliqua parte actus iurisdictionis; vt si dicat, suspendo te ab actu collationis beneficiorum, & similibus, est partialis, & suspendit ab illo actu tantùm; nisi habeat cum alio actu necessariam connexionem propter rationem superius adductam de suspensione partiali ab ordine.

Pœna violationis suspensionis partialis ab officio.

21 Pœna transgressionis suspensionis à iurisdictione est peccatum mortale: nulla autem est irregularitas propter rationem superius dictam; quia in iure nõ inuenitur posita irregularitas, nisi in violante suspensionem ab ordine; debet tamen puniri à superiore pro qualitate violationis.

De secunda specie suspẽsionis.

22 Secunda species suspensionis erat suspensio à beneficio. Hæc autem, vt breuiter agamus, est prohibitio receptionis fructuum beneficij. Nam cum in beneficio duo sint, officium, seu ministerium ecclesiasticum, propter quod datur beneficium, & ipsa potestas eorum percipiendi fructus, qui conferuntur propter tale ministerium, & officium suspensio à beneficio nõ priuat primo, scilicet, officio, & ministerio, sed hoc spectat ad suspẽsionem ab officio, de qua diximus supra; sed priuat secundo scilicet potestate, & iure percipiendi fructus debitos ex illo beneficio. Et in hoc sensu accipitur suspensio à beneficio in iure; vt sumitur ex cap. *cum bene.* de ætate, & qualitate. Ex Abbate ibidem nu. 6. & ex alijs iuribus. Quod autem suspensio à beneficio non tollat, nec impediat officium, & ministerium ecclesiasticum ex eo probatur, quia censura nõ fertur ad tollendum onus; At officium, & ministerium ecclesiasticum est onus; ergo per suspensionem à beneficio non tollitur, immò quia suspensio à beneficio est pœna, rationabiliter priuando vtilitate fructuum, relinquit onus exercẽdi officium ecclesiasticum; alioquin nõ esset onus, & pœna, sed alleuiatio, vel saltem esset leuis pœna auferendo beneficium auferre etiam officium, & onus, propter quod efficiendum datur beneficium, & stipendium. Deniq; qui suspenditur à beneficio nõ priuatur beneficio; ergo neque priuatur illis obligationibus, quæ annexæ sunt beneficio; huiusmodi autem est officium, & ministeriũ ecclesiasticum, ergo per suspensionem à beneficio quis non suspenditur ab officio. Licèt autem suspensio à beneficio videatur maior pœna quàm suspensio ab officio, non est tamen verũ: quia priuatio potestatis actiuę ministerij ecclesiastici est magnum damnum, cũ illa potestas actiua sit magnus honor, & dignitas; & deindè cũ teneatur suspensus aliũ alere qui tale munus exerceat, & teneatur ad horas canonicas, & nisi emendetur subsit periculo priuationis beneficij; vt habetur cap. *Cupientes. §. cæterum*, de electione, certè est magna pœna.

Quando sit totalis suspẽsio à beneficio, & quãdo particularis.

23 Quoniam autem hæc suspensio potest esse totalis, & partialis, ad cognoscendum quando est totalis, & quando partialis, inspicienda est forma verborum, sub qua fertur. Nam si fertur absolutè, suspendo te à beneficio, intelligitur de omnibus beneficijs, & pensionibus curatis, & non curatis, si plura talia beneficia habeat. Et hoc est verum, nisi sit addita aliqua particula, propter quam intelligatur determinari ad vnum beneficium particulare. Quæ additio potest aliquando esse expressa, & aliquando licèt non sit expressa, tamẽ ex causa, ob quam fertur suspensio, iudicari potest: si. n. causa pertinet ad vnam Ecclesiam particularem, intelligẽda est suspẽsio à beneficio illius Ecclesiæ, nõ ab alijs

24 Suspensio à beneficio quoque potest esse vniuersalis, & totalis quo ad locum, & quò ad tempus. Quò ad locum cum profertur absolutè sinè determinatione loci; vt si aliquis haberet beneficia aliqua plura, quorum aliqua sint extra Episcopatum Episcopi proprij suspendentis, licèt de possibili possit ad omnia illa extendi, vt tenet Panormitanus in cap *Pastoralis*, *§. Verum.* de Appellationibus, quia sententia illa fertur in personam, quæ est subiecta illi Episcopo, & ideo potest ab illo priuari omnibus beneficiis vbicumque sint, sicut potest illum degradare, & deponere, ac priuare omnibus beneficijs existentibus in aliena diœcesi, licet executio pertineat ad Episcopum illius diœcesis, vt habetur cap. *Pastoralis.* de foro competenti. tamen de facto (loquendo de suspensione lata ab Episcopo, non à Papa) non extenditur nisi ad beneficia, quæ in diœcesi Episcopi proprij, vt multi tenent, & est valdè rationabilis: quia pœnæ sunt restringendæ, non ampliãdæ. Sed in his casibus verba, quibus suspensio fertur, debent esse clara, non ambigua, ne sententia sit nulla.

De vniuersalitate temporis.

25 Potest etiam esse vniuersalis, & totalis quò ad tempus, idest *non limitata* ad tale, & tale tempus, sed vniuersaliter, & indefinitè, & tunc durat quò ad tollitur à superiore, vt dictum est supra de suspensione ab officio, & adhibenda est illa distinctio de suspensione lata ob contumaciam, vel ob pœnam: illa. n. durat donec durat contumacia, nec tollitur nisi per absolutionem; hæc verò si est limitata, cessat finito tempore pręscripto, & cessat sinè vlla absolutione; si verò non est limitata, durat donec tollatur à iudice pãtem habẽte.

Suspensus à beneficio est inhabilis ad obtinendum nouũ beneficium.

26 Suspensus à beneficio, etiam intelligitur suspensus à susceptione beneficij de nouo propter rationem superius dictam de suspensione ab officio; cum. n. ecclesia suspendat eum à beneficio, quod habet, consequenter priuat eum consecutione alterius beneficij, alioquin sibi ipsi repugnaret; si tamen eligatur, non est ipso facto priuatus, sed per iudicem debet priuari, vt diximus vbi supra.

Quibus fructibus priuet.

27 Quantum ad fructus, quando suspensio est vniuersalis, & totalis, i. quando non est determinata ad aliquam partem fructuum, priuat omnibus fructibus; per fructus autem intelliguntur omnes temporales redditus, qui ratione beneficij conferuntur, cuiuscũq; sint conditionis, & quocunq; nomine dentur, siuè sint pecuniæ, siue fructus terræ, seu animalia, siuè dentur per modum decimarum, seu primitiarum, & oblationum, seu vt pensiones, aut prouentus ex bonis immobilibus ipsius beneficij. quod patet in titulo de decimis, & de Parochis secundum omnes, quia hęc omnia veniunt sub nomine fructuum beneficij. Atque etiam sub his fructibus cõprehenduntur distributiones, quæ dantur propter horas Canonicas recitandas, vt patet ex glosa in Cle. a. de vita, & honestate monachorũ verbo *suspensus*, nam hæ distributiones veniunt quoque sub nomine beneficij, institutæ. n. sunt propter officiũ, ideo sunt fructus beneficij. Pecuniæ verò, & alia, quæ dantur beneficiario non ratione beneficij, sed ex pia hominũ volũtate, vt pro missis dicendis, & anniuersarijs faciẽdis pro mortuis, non cõprehendũtur sub hac suspensione, nisi qñ vt incerta annexa sunt beneficio, seu tanquã fructus beneficij habentur, vt obseruauit Suarez disp. 25. sect. 1. n. 30. ex Nauar. lib. 3. Consiliorũ titulo de Clericis non residentibus Consilio 13.

Suspensus priuatur omnibus actibus administrationis temporalis.

28 Sub priuatione fructuum comprehenduntur etiam omnes actiones pertinentes ad administrationẽ temporalem illorum fructuum, vt sunt locare beneficium, fundos, vel bona eius, vendere fructus, & similes, quod colligitur ex cap. 1. de electione §. vltimo, in quo prohibetur suspensum se ingerere propria temeritate circa fructus beneficij tempore suspensionis. Vndè Doctores in cap. *ex tua* de clerico non residente, & Felin. in cap. *intelleximus.* de iudicijs nu. 10. dicunt, huiusmodi actus a suspenso factos esse nullos, atque si ali

quis debitor ecclesię hoc debitum soluat sic suspenso, non satisfacere, sed posse repeti ab Ecclesia: quia facta est solutio non habenti potestatem recipiendi huiusmodi bona. Necesse est autem vt talis suspensio sit publicata propter extrauagantem. *Ad euitanda*: quia aliter non tenetur quis sic suspensum vitare in huiusmodi contractibus, vt diximus supra de excõmunicatione. Quæ omnia clara, & communiter concessa sunt. Atque hinc sequitur multo magis sub illa prohibitione administrationis fructuum contineri actus permutationis beneficij, donationis, & similium; quia requirunt maius dominium, quam administratio fructuũ. Vndè cum à prioribus sit prohibitus, multò magis ab his posterioribus.

Sub fructibus beneficij non cõtinetur actus conferendi beneficium, & eligendi.

29 Sub fructibus autem beneficij non comprehenduntur propriè potestas conferendi beneficium, & eligendi; illi enim propriè non sunt fructus, sed actus officij Episcopalis, vel illius, qui habet talem potestatẽ. Vndè pertinet ad suspensionem ab officio, non ad suspensionem ad beneficio, quod latè prosequitur Suarez, vbi supra adducens iura, & Doctores in hanc sententiam.

Quid de suspensione a beneficio partiali.

30 Ex dictis patet quid sit dicendum de suspensione partiali à beneficio ille enim non priuat omnibus fructibus, sed illis, quę per verba designantur, vt dictũ est supra de suspensione partiali ab officio, & ideo ista bene sunt consideranda. Vnde si quis priuetur beneficio, vel beneficijs cum hac particula *qua habet*, est partialis suspensio, quia non priuat potestate habendi beneficium nouum, suspensio autem vniuersaliter prolata, & totalis priuat omnibus beneficijs præsentibus, & futuris.

Quid si clericus suspẽsus non habeat vnde viuat.

31 Sed quid si Clericus suspensus à beneficio nõ habeat vnde viuat, & sinè illis mẽdicare cogatur? Respõdetur si est suspensus ob contumaciam, quia non vult parere ecclesiæ, non est alendus ex fructibus beneficij, & relinquendus mendicationi; quia ipse in culpa est talis necessitatis cum possit ab illa liberari secedendo à contumacia, & parendo Ecclesiæ, si verò suspensus est in pęnam delicti cõmissi, de licẽtia Prelati est sibi subueniendum propter decentiam Clericalem, & quia nõ est in potestate sua recedere ab illa suspensione.

Fructus per suspensionẽ ammissi an recuperari possint.

32 Fructus autem, quibus priuatur tempore suspẽsionis si est valida, nunquam possunt recuperari, quia illis ratte priuatur; si verò sententia suspensionis est inualida, poterũt recuperari, quia iniustè ablati sunt, quibus in rebus nullam video dubitationem.

Pęna violẽtis suspẽsionem a beneficio qua.

33 Pęna autem violantis suspensionem à beneficio est in primis peccatum mortale, quia facit contra præceptum graue Ecclesiæ, seu Prælati sui, & vsurpat aliena bona, quod reducitur ad furtum; atque obligatur ad restitutionem fructuum perceptorum; quia nemo potest retinere alienum; vt diximus in materia de restitutione. Atque hoc est verum absque eo quod declaretur debere restituere; quia hic non spoliatur bonis, quæ prius iustè possideret per aliquod crimẽ, quo casu requireretur sentẽtia iudicis. Sed per suspensionẽ fit inhabilis ad illos fructus possidẽdos, & ei aufertur ius, & dominium in illos; ideo sine vlla sententia tenetur ad restitutionem, sicut quicunq; rem alienam vsurpat. Nam incurrit tamen irregularitatẽ, vt supra diximus: quia in iure solum imponitur irregularitas in violatione suspensionis quò ad exercitium ordinum sacrorum; neque vlla alia censura huic violationi inuenitur in iure posita; de illa enim aliqua mentio fieret a doctoribus, quæ tamen nulla fit.

De suspensione ab ingressu ecclesia, qua est.

34 Tertia species suspensionis est suspẽsio ab ingressu Ecclesiæ, de qua diximus esse contentionem, an cõtineatur sub interdicto, vel sit species particularis, suspẽsionis, & determinauimus supra hoc parũ referre, cũ mõ feratur sub noie suspensionis, & habeat aliquẽ effectũ suspẽsionis, & aliquem interdicti, sufficit scire qui sint eius effectus, ex quib. eius diffinitio, seu descriptio haberi potest effectus autem eius sunt. Primò priuat quibusdam sacramentis, & diuinis officijs, scilicet illis omnibus, quæ in ecclesia celebrãtur; vt est celebratio Missæ, & officiorum diuinorũ, quę in ecclesia publicè fiunt; Et demum ecclesiastica sepultura. Non priuat autem participatione sacramentorum, & diuinorum officiorum, quæ fiunt extra Ecclesiam. Ex quo sequitur, quod qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, poterit interesse, & exercere omnia diuina officia, quę extra ecclesiam celebrari possunt; Ab omnibus verò in ecclesia prohibetur, ita quod sic interdictus non potest celebrare in ea, nec in ea sepeliri, nec dare, aut recipere sacramenta, nec aliud ministerium sacrum in ea ministrare, nec missam, aut aliquod aliud officium sacrum in illa audire. Quæ eliciũtur ex cap. *is cui*. de sent. excom. in 6. Quatum autem ad hæc diuina officia in ecclesia celebranda tam quò ad peccatum, & pęnas eorum, qui illam transgrediuntur, quam quò ad priuilegia ex cap. *Alma*, quæ conceduntur ibi personis interdictis, idem dicendum est de interdicto, quæ est censura & de hac suspensione ab ingressu ecclesiæ, quia eadem est ratio de vtroque quò ad hoc.

Tertia species suspensionis.

Qui sint effectus huius suspensionis.

Quid per ecclesiã intelligatur.

35 Per Ecclesiam autem intelligitur quodlibet tẽplum authoritate Episcopi publicè deputatum ad sacra facienda, siuè illud sit benedictum, siuè non; Quia per nomen Ecclesiæ hoc designatur capit. penultimo de immunitate Ecclesiæ. Vndè extra huiusmodi templum, & ecclesiam licet huiusmodi interdicto facere omnia, quæ ei licebant antequam esset interdictus: & sic poterit celebrare missam in priuato oratorio approbato, recipere Sacramentum extremę vnctionis in propria domo, & quælibet alia Sacramenta extra ecclesiam, vt docent Doctores cõmuniter. Syluester verbo interdicto 6.q.5. Nauarrus cap. 25. nu. 75. Suarez disp. 35. sect. 4. & alij.

Potest ne interdictus sic extra ecclesiam audire diuina.

36 Sed potest ne sic interdictus manens extra ecclesiam audire diuina in ecclesia? Respondetur negatiuè, quia vt habetur cap. prædicto *is cui*, interdictum ab ecclesia propter hoc fit, vt interdictus diuina audire, nec interesse illis possit; ideò licet extra ecclesiam maneos, & possit audire, ab illis tamen prohibetur sic audire etiam extra Ecclesiam.

Potest ingredi cemeterium, & in illo diuina audire.

37 Sed huiusmodi persona interdicta ab ingressu Ecclesiæ poterit ne ingredi cemeterium, & in illo diuina audire, & celebrare? Respõdetur affirmatiuè, quia cap. *Laterem* 33. q. 2 permittitur quidam interdictũ ab ingressu ecclesiæ, ad fores ecclesiæ assistere, & ibi Deum deprecare admittitur, nec vlla ratio in contrarium facit: Quia regula quod Accessorium sequitur principale, est vera in fauorabilibus, non in odiosis, & pęnalibus.

An interdictus ab ingressu ecclesia pro quacunque tempore sit interdictus.

38 Demum est difficultas, an sic interdictus ab ingressu ecclesiæ priuetus tali ingressu solum ad effectũ vt diuinis officijs non intersit, nec illa celebret; An verò etiam ne priuatas orationes in illa dicere possit. obliqui tenent primam partem, vt Nauarrus in summa c. 25. nu. 73. qui citat multos alios, & Suarez multo plures pro eo vbi supra. Alij tenent secundam partem, vt Syluester verbo. Interdictum 6.q.6. qui citat alios, atque eum sequitur Suarez citans multos alios. Licet res sit difficilis, mihi secunda opinio videtur probabilior quia restrictio ad diuina officia tantum non habetur clarè in iure, è conuerso autem in cap. *Laterem*. 33. q. 2. expresse habetur hæc declaratio. *per annum integrũ ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores ecclesiæ stãs orãs, & deprecans Deum perseueret*. est ergo dicendum, interdictum ab ingressu ecclesiæ esse interdictum ita vt intra illam nullam orationem, nec officium sacrum publicum, vel priuatum audire, nec celebrare possit. Putant

rent verò aliqui non prohiberi per huiusmodi interdictum ingredi ipsam Ecclesiam ad alias actiones non sacras faciendum, vt puta ad audiendum concionem, ad faciendum, vel audiendum disputationem, vel faciendum aliquam electionem similem, quæ non sunt actiones sacræ, vt Suarez vbi supra, & ratio est, quia censura videtur prohibere ingressum Ecclesię, quatenus ecclesia est, & quatenus est locus sacer, & solemniter institutus ad orandum ad Deum, nō autem quatenus est locus materialis, sed Abbas in cap. *cum ecclesia*, de immunitate ecclesiarum nu. 5. & nonnulli alij tenent oppositum, vt ipsemet Suarez obseruauit. Et certè cum prohibitio sit vniuersalis, videtur vniuersaliter intelligi, ideò hæc pars est tutior.

De Causis suspensionis, & eius absolutione.
Caput secundum.

Quæ sit causa efficiens suspensionis.

39 AD complementum cognitionis huius censuræ necessarium est cognoscere à quibus causis pēdeat, & per quas desinat, & tollatur. Quantum autem ad causam efficientem, Regula generalis est, eum posse ferre hanc censuram, qui potest excommunicare; ille autem potest excommunicare, qui habet potestatē spiritualem iurisdictionis, & reliquas conditiones; vt supra diximus agendo de eo, qui potest excommunicare; ideò nihil aliud est addendum, cum eadem sit ratio de causa efficiente omnium harum censurarum, tam à iure, quam ab homine.

Propriè in Clericos fertur suspēsio

40 Causa materialis est subiectum, in quod ferri potest suspensio, seu quod est capax suspensionis. Hoc autem vt sit capax huius censurę debet habere conditiones omnes, quas supra diximus requiri in eo, qui est capax excommunicationis; maximè verò requiritur qđ sit subiectus alicui in potestate iurisdictionis; Vnde sūmus Pontifex cum nulli sit subditus, non est capax suspensionis alicuius, præsertim verò maximè quò ad duas priores species, quę propriè sub suspensionis nomine continentur. Requiritur etiam vt sit Clericus. Nam hæc censura propriè, & directè tendit in Clericos, quia isti soli possunt suspendi ab officio ecclesiastico, & beneficio ecclesiastico. Nihilominus etiam laici

Aliquo modo fertur in laicos.

aliquo modo possunt esse subiectum capax suspensionis: Vide Extrauagās vnica de censibus inter communes. §. 7. loquens de ijs, qui procurationes receperint in visitatione vltra modum in ea Extrauaganti taxatum, habet hæc verba. *Alioquin ex tunc recipiens si Clericus fuerit, tamdiu ab officio, & beneficio sit eo ipso suspēsus: si verò laicus tamdiu ingressum ecclesiæ sibi nouerit interdictum, & à communione Eucharistiæ ipso facto nouerit se suspensum, donec de duplo huiusmodi grauatis ecclesijs, monasterijs, siuè locis satisfecerit in effectu.* Suspensio ergo quoque extenditur ad laicos: sed vt dictum est supra, hæc lato modo dicitur suspensio. Nam & suspensio ab ingressu Ecclesiæ hic appellatur interdictum, vt patet.

Episcopi per suspensionē generalem non ligātur

41 Obseruandum est autem, Episcopos, & eorum superiores, & alios Prelatos exemptos per generalem sententiam suspensionis latam non incurrere suspensionem, ex priuilegio c. *Quia periculum*: de sent. excom. in 6. & hoc nisi specialiter nominentur. In generali sententia verò quod omnes Clerici sint suspensi, est dubiū an includantur etiam Regulares; quia nomine Clerici

Regulares per suspensionem generalem ligantur.

videntur venire Clerici sæculares, non Regulares. Sed Respondetur etiam ad Regulares extendi, nisi ex tenore suspensionis, vel alijs circumstantijs eliciatur intentionem iudicis, vel Canonis ad ipsos regulares non extendi; quia nomen Clerici ad vniuersos Clericos extenditur.

An cōmunitas suspēdi possit.

42 Est verò dubium, an Communitas suspendi possit. Et breuiter Respondetur, quod hęc suspensio duobus modis intelligi potest. Vno modo vt suspensio feratur in communitatem, vt in Collegium præcisè quatenus est vnum corpus coalescens ex particularibus in communi; habens proprias actiones in communi, quę non spectant per se ad singulas personas. Alio modo quatenus accipitur distributiuè pro singulis personis illius Collegij, vt singulares sunt; & sic suspendere communitatem, vel Collegium est suspendere omnes singulas personas illius Collegij. Vtroque modo potest suspendi: Et quidem primo modo; quia in hoc differt ab excommunicatione. Excommunicatio. n. priuat bonis personalibus, vt participatione sacramentorū, &c. quæ sunt actiones, quæ non competunt communitati in communi, cum illa vt sic non habeat animam, quæ sit capax priuationis talium bonorum; At communitas, vt sic potest habere aliquod beneficium, quo tota communitas fruatur; potest habere aliquam potestatem iurisdictionis, vt conferendi aliquod beneficium, quæ potestas est in corpore totius communitatis, & Capituli, non in personis particularibus vt particulares sunt; ideò potest suspendi ab his beneficijs, & ab his actionib. potestatis iurisdictionis. Secundo modo quoque potest suspendi; quia etsi singulæ personæ nō deliquerint, tamen quatenus sunt illius corporis possunt propter peccatum commune puniri in particulari, licèt aliqui innocentes sint; Et in hoc differt ab excommunicatione, quæ in communitatem hoc modo sumptam non potest ferri; quia non potest innocens excommunicari, cum sit pœna grauissima, potest tamen suspendi.

Differentia inter suspēsionem & excommunicationem quoad communitatem aliquam.

Quomodo de facto cōmunitas suspendatur

43 Verùm etsi communitas vt Collegium possit hoc secundo modo suspendi, tamen de facto, & secundum communem vsum non suspenditur Collegium, nec Communitas hoc secundo modo, sed solum primo modo; nisi adsit specificatio, & declaratio particularis. Ratio est, quia vox illa Capitulum, & Communitas secundum rigorem intelligitur primo modo, non secundo modo; ideò non debet extendi ad secundum modum. Et l. *Sicut municipium*. ff. quod cuiusque vniuersitatis nom. dicitur *non quod vniuersitas debet, singulis debent*, ideo hoc in proposito quoque valet.

De causa finali suspensionis.

44 Causa finalis est ablatio culpæ alicuius, vel punitio illius; vndè hæc est finis impositionis suspensionis. Hic autem occurrit grauis quæstio tractata à Canonistis in cap. *si celebrat*. de Clerico excom. ministrante, & alijs locis, a Nauarro cap. 27. nu. 151. à Suarez disp. 28. sect. 4. & Alijs, & est. An ad ferendam suspēsionem necessaria sit culpa, & quæ culpa. An mortalis. An venialis. In qua quæstione Alij tenent sinè vlla culpa aliquem posse suspendi. Alij tenent semper requiri aliquam culpam, & causam. Sed breuiter possunt opiniones istæ conciliari, distinguendo, quod suspēsio potest duobus modis considerari. Vno modo strictè, & quatenus est censura Ecclesiastica, seu pœna Ecclesiastica: & hoc modo dicendum est, eam requirere culpam, & causam ex parte illius, qui per se, & directè suspenditur. Ratio est, quia cum censura sit medicinalis non potest ferri, nisi ad tollendum peccatum, & contumaciam. Quando ergo nulla est contumacia, nec culpa, iniustè quis suspenditur. Quod maxime veritatem habet de suspensione ab officio, seu ab ordine sacro; quæ primò, & principaliter est censura ecclesiastica. Et hoc modo Nauarrus, & Alij dixerunt requiri culpam aliquam. Alio modo potest suspensio accipi largè pro omni prohibitione vtendi aliqua potestate. Et hoc modo sumpta potest dici, quod potest ferri sinè propria culpa; & hoc modo verum dicunt ij, qui asserunt posse ferri sinè culpa; vt D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. ad secundum. Syluester verbo *Suspensio* num. 4. & aliqui Canonistæ. Et habetur clarè in cap. *Vel non est compos*. de tempore ordinandorū

An ad ferendam suspensionem necessaria sit culpa. Resolutio.

vbi puer ordinatus in ętate 13. annorum suspenditur ab officio Diaconi vsque ad ætatem legitimam, Patet .n. quod puer ille nullam habebat culpam, neque ille deliquit, sed Episcopus eum ordinando. In his tamen suspensionibus requiritur etiam aliqua causa, licèt nõ sit culpabilis ex parte illius, qui suspenditur, vt aliquis defectus ex parte illius, qui sic suspenditur. Vndè in casu proposito de puero ordinato patet adesse causam ex parte illius, s. defectum ætatis legitimæ, licèt hic defectus non sit culpabilis in illo, vt patet. Et sic dicendum de alijs similibus suspensionibus.

45 Suspensio verò à beneficio, & alię similes possunt imponi sine defectu, & possunt innocentes illa puniri sine proprio defectu, vt propter bonum publicũ, vel aliquam aliam rationabilem causam; quia hæc nõ est priuatio alicuius boni spiritualis pertinentis ad animam.

An culpa debeat esse mortalis, vel venialis.

46 An verò culpa, propter quam fertur, vel incurritur, debeat esse venialis, vel mortalis, sunt diuersę sententiæ; mihi tamen probatur opinio asserens non incurri propter culpam venialem. Ratio est, quia ea lege iustitiæ pęna debet proportionari culpę; Vnde cum suspensio ab officio, vel beneficio sit grauis pęna, est absurdum illam infligere, & incurri per peccatum veniale; Neque enim quis dicet rationabile esse, vt quis priuetur fructibus beneficij, vel munere ecclesiastico per annum per simplex peccatum veniale. Et quod solet afferri in contrarium, quia per peccatum veniale incurritur excommunicatio minor, vt per communicationem cum excommunicato maiori excommunicatione, quæ est peccatum veniale, vt supra diximus, nihil concludit in proposito: Quia illud factum est in odium excommunicationis maioris, vt cum maiori rigore seruetur, ideò non est ea illa trahenda similitudo.

De causa formali ferendi suspẽsionem.

47 Quantum ad causam formalem, seù ad formã ferendi suspensionem, dicendum est nulla verba esse determinata, sed sufficere illa verba, quæ sufficienter declarent speciem suspensionis, & modum illam incurrendi, vt diximus de alijs censuris. Requiruntur etiam alia, quæ pertinent ad validitatem sententiæ, vt diximus in materia de excomm. quia hæc in omni sẽtentia requiruntur ad hoc vt sit valida. Præsertim requiritur vt feratur ante appellationem, quia per appellationẽ tollitur iurisdictio; si autem appellatio sequatur sententiam, nõ impedit effectum suspensionis, sicut nec excommunicationis cap. vt. cm. de sent. excõmunic. in 6. Quantum verò ad solemnitatem, quando fertur ab homine debet præcedere monitio, vt diximus de Excommunicatione; si enim monitio nõ præcedat, non potest esse contumax, & inobediens; & consequenter non potest incurrere suspensionem. Quod verum est de suspensione quatenus est censura. Suspensio verò, quæ est pęna, non requirit monitionem, sed sufficit probatio delicti, vt experientia continua patet, & habetur ex cap. *Tam litteris.* de testibus §. vltimo. Post datam autem sententiam suspensionis, requiritur denuntiatio, vt possit vitari in actibus suis, sicut diximus de excõmunicatione (licèt alio modo vitandus sit suspensus ac excommunicatus) Nam antequam suspensio denuntietur, & publicetur, nemo tenetur vitare suspensum in participatione, & corporatione in actibus, à quibus est suspensus; Insuper actus eius ministerij, & ministratio sacramenti pęnitentiæ validi sunt ex Extrauaganti *ad euitanda*. secus post denuntiationem; ideò vt suspensio habeat effectum suum, quò ad alios debet denũtiari. An verò communicantes cum suspenso in actibus prohibitis post denuntiationem peccent mortaliter est grauis contentio inter Nauarrum in Man. cap. 27. nu. 161. in fine, & in cap. 1. §. *labores* de pęnitentia d. 6. nu. 18. & Suarez d. 28. sect. vltima nu. 5. & 6. Et mihi probatur opinio Nauarri quod peccent mortaliter, quicquid dicat Suarez. Quia communicatio in actibus istis est communicatio in Diuinis, & est cooperari actibus illis prohibitis, & non potest esse sine scandalo, ideo licèt nõ habeatur in iure præceptum expressè vt de excommunicatione quod celebrante suspenso fideles ab ecclesia egrediantur; tamen hoc sequitur ex natura rei. Et proinde effectus Extrauagantis illius *ad euitanda* est vt fideles ante ipsam denunciationem liberè possint actibus illis communicare, non post.

Necesse est quod prçcedat Monitio & quãdo.

Si appellatio sequatur sententiam nõ impedit effectum suspẽsionis, vel excomm.

De absolutione à suspensione.

48 Quantum ad ablationem suspensionis Scotus vbi supra breuiter se expedit, dicens, quod tollitur suspensio per relaxationem factam ab eo, qui eam tulit, vel à superiore eius. Verùm rem ipsam amplius explicare debemus, & licèt pateat ferè ex dictis quid dicendum sit, tamen breuiter res est absoluenda. Dicebamus suspensionem ferri posse dupliciter. Vno modo per modum pęnæ, Alio modo per modum censuræ, seu pro auferenda contumacia. Suspensio per modum pęnæ cum feratur ad certum tempus, vt supra diximus, quia in hoc differt à degradatione, & depositione, est regula generalis, duobus modis tolli. Vno modo sine absolutione; quando, s. tempus, pro quo lata est, finitur. Alio modo per absolutionem. Quod primo modo tollatur, est sententia præsertim Abbatis, & Innocentij & Aliorum quoq; in cap. *Cum bona* de ætate, & qualitate. ac Summistarum omnium, Et ratio est; quia suspensio non est priuatio officij, vel beneficij, seu prohibitio, seu impedimentum vsus officij, & beneficij, ideò ablato impedimento, statim potest exire in actum suum, & exercere officium, & fructus beneficij recipere. Quod autem finito tempore præscripto in sententia auferatur hoc impedimentum, probatur; quia sententia non obligat amplius, quam sit intentio iudicis, vel iuris, quæ determinatis verbis significatur.

Quando incipiat tempus suspensionis, & terminetur.

49 Dubium est autem quando tempus suspensionis incipiat, & quando terminetur. Et quidem quantum ad temporis inceptionem, est communis sententia incipere ab eo puncto, ex quo sententia lata est, si feratur à iudice; & à tempore, quò delictum commissum est, si est à iure. Et ratio est, quia sententia censuræ secum affert executionem, cap. *Pastoralis. §. verum.* de Appellationibus. Atque hoc verum est quoque si eodem tempore alia simili suspensione suspendatur; potest enim simul pluribus suspensionibus suspendi, & ligari; quia de vnaquaq; est eadem ratio, quod statim habeat executionem. Terminatur verò cum tempus præscriptum continuatum completur omnino, quod tempus debet computari secundum computationem communem temporis in contractibus humanis vsitatam; vt si suspensio sit per sex menses, debent computari menses currentes vsq; ad diem vltimum mensis 6. currentis completum: Quia suspẽsio est prohibitio, ideò prohibet, & se extendit ad totum illud tẽpus completum, quod significat. Atq; si interrumpat tempus præfixum, non seruando suspensionem per aliquod tempus, non tenetur illud repetere, sicut interrumpens ieiunium quadragesimale, non tenetur extrà tempus Quadragesimæ, & alijs diebus ieiunare. Finitur ergo tempore illo præscripto terminato; in eo tamen tempore, quo illam violauit, si erat suspensio ab ordine, factus est irregularis; si verò est alterius speciei, peccauit mortaliter, & si fuit suspensio à beneficio, & eo tempore accepit fructus, tenetur ad restitutionem tanquam rei alienæ malè acceptæ.

50 Secũdo modo tollitur per absolutionem, quandoque enim contingit, quod antequam tempus suspensionis finiatur, per aliquam causam rationabilem congruam sit sic suspensum ab ipsa suspensione liberare;

re; in hoc casu non potest auferri; nisi per absolutionem, atque hæc absolutio ab eo tantùm fieri potest, qui illam tulit, vt si est à iure tollitur per absolutionē illius, qui fecit canonem, vel ab eius superiore; si est ab homine tollitur ab eo, qui sententiam illam tulit, vel ab eius superiore. Dubium verò est, an quando est à iure, & legislator eam sibi non reseruat, quilibet potens absoluere a peccatis, possit absoluere ab ea, sicut potest absoluere ab excommunicatione non reseruata ex cap. *Nuper.* de sent. excom. Respondetur non esse parem rationem de excommunicatione, & suspensione; quia excommunicatio est maius vinculum, & pœna, & magis periculosa, quam suspensio. Præterea excommunicatio non fertur ad determinatum tempus, sed quò ad resipiscat, ideò cōgruum est, vt à quocunque possit absolui; non sic de suspensione lata in pœnam, quia non est periculosa, & est ad certum tempus determinata à latore ipsius.

51 Eadem ratione dicendum est in suspensionibus non solum latis, sed ferendis pro aliquo crimine secundum ius præscribens certum tempus, Episcopū non posse dispensare super illud tempus. e. g. si lex præcipiat imponi suspensionem ad annum pro aliquo delicto, Episcopus non poterit illud tempus minuere eam imponendo; quia inferior non potest dispensare legem superioris, nec pœnam à lege impositam mutare. Si verò lex non præscribat tempus, sed solum illi delicto imponat pœnam suspensionis indefinitè, poterit Episcopus, & iudex ad certum tempus eam limitare, & deinde etiam ante illud tempus completum ab ea absoluere; quia hoc non est dispensare super legem superioris, sed dispensare super propriam sententiam. Nunc autem ex Priuilegio Concilij Tridentini, sess. 24. cap. 6. de Reformatione, possunt Episcopi dispensare, & absoluere ab omni suspensione occulta, & non deducta ad forum contentiosum.

Quid est Conc. Trid. ī hoc sit innouatum.

De suspensionis absolutione latę ob contumaciam.

52 Loquendo de suspensione per modum censuræ, seu latam ob contumaciam, certum est posse tolli per absolutionem, etiam stante contumacia, licèt hoc fieri non debeat, quia vergit in detrimentum boni publici, scilicet in contemptum Censuræ. cap. *Venerabilibus* §. *Vbi autem.* cum glosa de sent. excom. In casu tamen posset expedire ob negotij qualitatem absoluere suspensum; & tunc etiam licitè fieret absolutio ab illa: potest autem solum ab eo tolli, qui eam tulit, vel ab eius superiore si est lata ab homine; si verò est à iure, solum ab eo potest tolli, qui condidit canonem, vel ab eius superiore, si illum habeat; atque huius sententiæ est Scotus, vt vidimus.

An quando suspensio a iure nulli est reseruata, possit Episcopus ab illa absoluere.

53 Verùm est hic inter Doctores dissensio: quia Aliqui tenent quando suspensio est a iure, & nulli est reseruata, Episcopum ab illa posse absoluere, innixi cap. *Nuper.* de sentent. excom. in quo dicitur, quod cum conditor canonis excommunicationem sibi nō reseruauit, videtur licentiam alijs eam relaxandi facere; atque hoc extendunt quoque ad suspensionē nulli reseruatam, vt glosa in cap. *Cupientes.* §. *Cæterum.* verbo *suspensos.* de sentent. excomm. in 6. & multi Alij quos adducit, & sequitur Nauarrus cap. 27. nu. 162. Alij negant vt Suarez disput. 29. sect. 2. nu. 3. & sequētibus satis prolixè, præsertim quia non est par ratio de excommunicatione, & suspensione, quia absolutio ab excommunicatione est multò magis necessaria ad salutem animæ, quam à suspensione, quia excommunicatio priuat suffragijs, & receptione sacramentorum; suspensio verò à sola actiua administratione, quę non est necessaria simpliciter ipsi suspenso ad salutem.

Solutio.

54 Hic est distinguendum de absolutione à suspensione durante contumacia. Vel de absolutione à suspensione cessante contumacia. Primo modo videtur vera hæc secunda opinio; quia re vera in capit. *Nuper.* non fit sermo de suspensione, sed de excommunicatione; velle verò eam extendere ad suspensionem, videtur esse sine fundamento; cum censuræ sint longè diuersæ rationis, vt dictum est. Et confirmatur; quia si fieri deberet extensio, asserere deberent posse absolui nedum ab Episcopo, sed à quouis sacerdote habente potestatem absoluendi à peccatis: quia in capit. illo, absolutio ab excommunicatione dicitur concedi omni simplici Sacerdoti. Loquendo verò de suspensione cessante contumacia, est etiam contentio, asserentibus aliquibus nullam esse necessariam absolutionem, sed ipsam cessare sinè vlla absolutione, quia talis suspensio est veluti conditionata, scilicet donec resipiscat; adimpleta autem conditione cessat. Sicuti si quis suspenderetur à beneficio sub hac forma, *quamdiu durauerit fabrica huius templi.* Finita fabrica absq; alia absolutione posset percipere fructus. Atque hanc sententiam tenet Couaruuias in Epitom. 4. Decis. 2. p. cap. 6 in principio nu. 15. & 16. & Alij ab eo citati. Alij verò sustinent necessariam esse absolutionem etiā ablata contumacia, quos adducit, & sequitur Suarez eadem disput. num. 6. longa disputatione, & multis rationibus. Atque hæc sententia mihi quoque probatur. In primis est Scoti, qui non agnoscit alium modum auferendi hanc suspensionem quatenus est censura. Deinde, quia etiam excommunicatio includit hanc conditionem implicitè donec resipiscas: Diximus enim supra eam ferri solum ob contumaciam. Ad propositum, si illa particula est veluti conditio, qua adimpleta cesset censura, ergo ablata contumacia, excommunicatio tolletur sinè absolutione, quod est absurdum. Afferuntur aliquæ responsiones, sed eas optimè reijcit Suarez, quas non oportet repetere. Et confirmatur in proposito, quia si illa opinio esset vera, sequeretur nunquam esse ferendam absolutionem à suspensione regulariter, & per se loquendo; hoc autem est absurdum, vt patet ex praxi continua; ergo. Consequentia autem probatur, quia non est absoluendus suspensus antè ablationem contumaciæ regulariter, & licitè loquendo. Modo si etiam post ablatam contumaciam non est absoluendus, sequitur nunquam esse absoluendum.

55 Est ergo dicendum, necessariam esse absolutionem ablata contumacia; hoc autem supposito iuxta dicta superius, de iure videtur absolutio suspensionis à iure non reseruata, ab eo solum tolli posse, qui eam tulit, seu à conditore canonis, & consequenter non posse tolli ab Episcopo; Tamen quia sententia communis est in oppositum, & consuetudo est altera lex, est dicendum, Episcopum ab illis absoluere posse, vt tandem ipsemet Suarez quoque concludit.

56 Quantum ad formam absolutionis, nulla est præscripta certa forma verborum, sed sufficiunt verba, quæ significent solutionem à vinculo illo suspensionis. Vsitata autem forma est hæc vt colligitur ex Summistis. *ego te absoluo à vinculo suspensionis in quā incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis,* vel *ad tuum beneficium.* Non tamen omnia ista verba sunt necessaria, sed illa solū *absoluo te à vinculo suspensionis,* vel *à suspensione.* Quia cum illud verbum a vinculo suspensionis, vel à suspensione, sit verbum generale includit omnes species suspensionis; & ideo licèt sit suspensus ab vnaquaque specie suspensionis, vt ab officio, non à beneficio, non est opus specificare speciem suspensionis, quia in illo generali nomine comprehenditur, & sufficit quod intentio absoluētis determinetur ad absoluendum ab illa suspēsione, quam incurrit, & respectu cuius eget absolutione. Sicut in absolutione a peccatis non oportet ponere specialia peccata, à quibus absoluit, sed sufficit absolutio

De forma absolutionis.

lotio in generali, *absoluo te à peccatis tuis*, reliqua adduntur maioris claritatis gratia.

De solemnitate absolutionis.

57 Quantum ad solemnitatem. Ab Ecclesia nulla solemnitas est instituta, quæ ex præcepto seruanda sit in absoluendo à suspensione: quia de hac solemnitate in iure nihil reperitur, neque ex vsu communi aliqua est in vsu. Nauarrus tamen in Manuali cap. 27. num. 161. requirit, iuramentum præstandum esse ab eo, qui absoluitur de parendo, aut satisfaciendo; & fundatur in cap. *Super eo & cap. Venerabili.* de sent. excom. Verùm hoc procedere videtur quando quis absoluitur à suspensione, vel excommunicatione permanente adhuc contumacia, seu nondum facta satisfactione, sed habetur tantum promissio de satisfaciendo, & auferenda contumacia; tunc enim non debet absolui, nisi dato iuramento de satisfaciendo, & parendo ecclesiæ; & hoc modo videntur loqui illa duo cap. allegata; At loquendo de absolutione à suspensione, vel excommunicatione; iam ablata contumacia, & facta satisfactione, non video cur exigendum sit iuramentum de obediendo, & satisfaciendo, cum iam sit præstita obedientia, & facta satisfactio.

An absolutio possit absenti, nolenti, &c.

58 An verò absolutio possit dari absenti, ignoranti, inuito, dicendum est sicut diximus supra de absolutione ab excommunicatione. Similiter an possit absolui ab vna suspensione, & non ab alia, si pluribus sit ligatus, eodem modo dicendum, quo diximus de excommunicato pluribus excommunicationibus; Consi derare enim debet absoluens, an ab vna tantùm absoluat, non ab alia, vel an ab omnibus.

De differentia inter suspensionē, degradationem, & depositionem.

De differentia suspensionis à depositione, & degradatione diximus supra agendo de his duabus pœnis canonicis.

quæ et quot sint in iure suspēsiones inuenire lōgum est.

Scotus de quatuor tātùm facit mentionē.

59 Quæ autem, & quot sint suspensiones à iure lõgum esset recensere. Scotus facit mentionem tantùm de quatuor suspensionibus, scilicet de suspensione lata contra iudicem ecclesiasticum, qui contra iustitiā, & contra conscientiam in grauamen partis in iudicio aliquid fecerit per sordes, vel per gratiam, quæ est suspensio ab officio ad annum; & si in illo tempore se ingesserit, fit irregularis, quæ habetur cap. *cum æterni.* de sententia, & re iudicata in 6. Secunda suspensio est contra iudicem in excommunicatione, suspensione, & interdicto ferendo, cum illam fert in scriptis, nec causam conscribit, nec requisitus exemplum sententiæ tradit. Quæ habetur cap. *medicinalis*. de sentent. excommun. in 6. Tertia est contra eum, qui suscipit ordines sacros, id est maiores scienter ab eo Episcopo; qui renunciauit loco, & dignitate Episcopatus; est. n. suspensus ab officio, quæ habetur cap. *requisiuit*. de ordinatis ab Episcopo, qui renunciauit. Quarta suspensio est de ordinato simoniacè scienter, quæ per plura Capitula in titulo de simonia habetur, præsertim cap. *per tuas*.

Quot sint suspēsiones à iure, colligitur à Sūmistis.

60 Plures aliæ suspensiones adducuntur a Summistis verbo *suspensio*. Syluester num. 6. enumerat 40. suspensiones in corpore iuris latas. Angelus eodem verbo enumerat 37. Nauarrus in Man. cap. 27. num. 154. & sequentibus, Suarez fusius disp. 31. per sex sectiones, & Alij, apud quos poterunt videri.

DI-

DISPVTATIO SEPTIMA.

VTRVM POENA CANONICA IMPEDIAT à susceptione, & collatione Ordinum.

Proposita difficultas breuiter explicatur. Caput Vnicum.

HAec quæstio ex dictis in tota hac materia de penis Canonicis patet, & Scotus eã pertractans diuisit illã in duos articulos. In primo explicauit quæ, & quales sunt pene canonice, de quib. per has disputationes disseruimus. In secũdo aũt articulo declarat quomodo excludant ab ordinibus, quod est id, qđ in presenti disputatione tractatur. Et quia iam sepius superius hoc explicatum est, breuiter est dicendum cum Scoto, & omnibus, quod prædictæ penæ non prohibent à collatione, vel susceptione ordinum de facto, & simpliciter; Vndè licet Episcopus sit his ligatus, tamen si attentet facit, & ordines confecti, & similiter qui suscipit, licet sit eisdem penis ligatus, tamen suscipit ordines. Prohibent autem de iure, & licite ordines conferre, & eos recipere; idest licet ordinatio actu teneat, tamen peccant mortaliter & conferentes, & suscipientes. Quas autem penas prædictarum incurrant, & quomodo iam dictũ est explicando prædictas penas; præsertim explicando penam irregularitatis. Hæc assertio habet duas partes. Prima est, quod istę non impediunt de facto, nec simpliciter collationem, & susceptionem ordinum. Secunda, quod impediunt, ne ritè, & licitè collatio, & susceptio fiat. Ratio primæ partis est, quia istæ penæ non possunt impedire vim Sacramenti ordinis; ideò cum adesse possint omnia requisita ad Sacramentum ordinis cum illis pena; s. minister habens authoritatẽ ordinis; nimirum Episcopus ritè ordinatus; materia, s. subiectum aptum; & intentio ministri, & suscipientis, quæ sunt ea, quæ ad perfectionem Sacramenti requiruntur; quodlibet. n. sacramentum tribus perficitur, s. materia, & forma, & ministro cum debita intentione, sequitur Sacramentum posse perfici, & consequenter habere suum effectum inseparabilem, qui est impressio characteris, & collatio gratiæ. Duplex est enim effectus sacramentorum irreiterabilium; s. impressio characteris, & collatio gratiæ. Collatio autem gratiæ non est effectus inseparabilis, sed per positionem alicuius peccati potest impediri; effectus autẽ characteris nequaquam, vt diximus in disp. an in Baptismo imprimatur character. Atque hoc totum probatur; quia penæ Canonicæ fundantur in potestate iurisdictionis, à qua habent esse; potestas autem ordinis, & iurisdictionis diuersæ sunt, & potestas iurisdictionis non potest impedire potestatem ordinis, quia hæc est excellentior, & immediatè pendens à Deo authore sacramentorum; potestas verò iurisdictionis est immediatè ab ecclesia, à Deo verò mediante ecclesia.

Pena canonicè non prohibent simpliciter à susceptione ordinum, sed ne licitè.

Prima pars probatur.

2 Ratio secundæ partis. s. quod istæ penæ impediãt, ne licitè, & rectè suscipiatur ordo sacramenti, est; quia ecclesia habet potestatem ordinandi, siue eligendi, & deponendi ministros; ideò potest eos repellere, qui sibi per aliquem defectum non placent, & decernere suos ministros debere habere certas conditiones, quibus qui carent, illicitè ad hoc ministerium sacrum accedant. Hoc totum fundatur in hoc, quod Summo Pontifici collata est Summa potestas iurisdictionis in Petro, *Pasce oues meas.* Ioan. vltimo. Et confirmatur à Scoto ex sacra scriptura. Nam prima ad Timoteum 3. docet Paulus quales debent esse ministri Ecclesiæ & primò de Episcopo. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. oportet autem Episcopum irreprahensibilem esse, vnius vxoris virum, &c.* & paulo infra loquens de Diacono inquit. *Diaconus similiter pudicos, non bilingues, non multo vino seruientes,* & infra. *& hi autem probentur primum, & sic ministrent nullum crimen habentes,* ergo cum habent crimina, possunt deponi, & priuari ministerio, & officio suo ecclesiastico.

Secũda pars probatur.

3 Dubitat verò Scotus, an Episcopus degradatus possit ordines validè conferre: nam quod non possit licitè clarum est, Et videtur esse problematicus, & tamen certum est, ordinatum ab Episcopo ritè ordinato, sed deindè degradato, verè, & simpliciter ordinem conferri. Ratio Scotus hoc dicit propter illorum opinionem, qui tenent Episcopatum non esse ordinẽ distinctum à Præsbyteratu, vt vidimus supra agendo de ordine Episcopali, & de numero sacrorum ordinum. Verum quia Scotus ibi sustinuit cum vera sententia, quod Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio, consequenter est dicendum imprimere characterem, & eius potestatem ordinis esse inamissibilem; neque per degradationem auferri, & ideò verè, & realiter ordines conferre, si attentet; peccare tamen mortaliter, quia ab ecclesia est prohibitus.

An Episcopus degradatus possit conferre ordines valide.

Solutio.

4 Per distinctionem allatã soluuntur rationes principales adductæ à Scoto, & ab alijs. Nam aliquæ adducuntur ad probandum, quod penæ canonicæ adductæ non impediant susceptionem ordinis sacri. Prima est à simili excommunicatus, & irregularis si attẽtet conficere sacramentum euchatistiæ, conficit, ergo à simili licet Episcopus sit excommunicatus, & c. poterit ordinare, & ordinatio tenebit, si habet intentionem faciendi quod facit ecclesia, & suscipiens intendit ordinari. Secundò irregularis non excluditur à perceptione sacramentorum aliorum, vt à Sacramento penitentiæ; ergo neque ab ordinis susceptione. Tertiò Hæresia, non excludit ab ordine sacro 1. q. 1. cap. *quod quidem.* ergo Respondetur enim ad primam quod cõcludit Episcopum excommunicatum & c. conferre ordines de facto, & realiter at non cõferre licitè, sed peccare mortaliter, sustinendo, vt verè sustinendum est, quod Episcopatus sit ordo diuersus à Sacerdotio, & quod character eius sit indelebilis.

Rõnes adductæ à Scoto soluuntur. Prima rõ.

Secũda rõ

Tertia rõ. Solutio.

6 Ad secundum non est par ratio de Sacramento ordinis, & alijs sacramẽtis, quæ includunt aliquid excellentiæ. Nam sacramentum penitentiæ est sacramentum generale, & ideò nullus ab eo excluditur, nec de facto, nec de iure. Vndè quibuscumque censuris, & penis ligatus cum penitet, & recedit à contumacia, & à peccato mortali, & de facto, & de iure, i. simpliciter, & licitè, ac meritoriè potest illud suscipere. Alia vero sacramenta, sicut est ordo, non est sacramentum necessitatis, ideò non est inconueniens, quod propter delictum hoc exigẽs quis arceatur ab illo, & hoc est quod fit per huiusmodi censuras.

Ad secũdũ

7 Ad tertium diximus supra agendo de irregularitate cap. 4. per hæresim incurri irregularitatem, ac proinde

Ad tertiũ.

inde de iure impedire susceptionem ordinis, non autem impedire de facto, & simpliciter, vt dictum est.

Ad rationes ad oppositum. 8 Aliæ rationes ea oppositu probantes, qd prædictæ pęnę ecclesiasticæ impediant, soluuntur per hoc, quod concludunt impedire executionem, & ne licitè conferatur, & suscipiatur ordo; non autem quod de facto, & simpliciter non conferatur. *Prima rõ oppositũ.* Prima ratio ergo est hæc, cap. *de Cetero*, 1. q. 1. & cap. proximo dicitur. *Damnamus simoniacos, & post talem susceptionem, & collationem irritam decreuimus.* Idem habetur cap. *si quis*, eodem titulo.

Secũda rõ. Secunda ratio Ecclesia potest dare potestatem conferendi ordines, vt patet; quia dat potestatem consecrandi Episcopum; ergo potest auferre: ergo potest infligere aliam pęnam canonicam Episcopo, per quam non possit conferre ordines.

Tertia rõ. Tertia. Ecclesia illegitimat psonas ad contrahendũ matrimoniũ, ita quod si attentant nihil faciunt: ergo multò magis potest reddere Episcopum illegitimum ad actum spiritualem, itaquod si attenter nihil faciat. Consequentia probatur, quia magis videntur subesse ecclesiæ illa, quæ sunt de iure positiuo, quàm ea, quæ sunt de iure naturali, & diuino. Sed quæcunque ordinatio ecclesiæ per istas dignitates Episcopatus, & huiusmodi videntur pęrtinere ad ius positiuum ecclesiæ, saltem non videtur esse de lege naturæ, & diuina sicut matrimonium.

Ad primũ. 9 Ad primũ. Respondetur concludere quod simoniaca ordinatio est irrita quò ad executionem; & concludit quod peccauerunt conferẽs, & suscipiens simoniacè; quia illicitè collata, & suscepta est; tamen non concludit, quin realiter, & de facto ordo sit receptus.

Ad secũdũ. 10 Ad secundum. Respondetur concludere, Ecclesiam posse ponere pęnam impedientem, ne licitè conferat, non autem ne absolutè, & de facto conferat, si attentet. Vndè non valet consequentia à potestate impediendi ne licitè faciat ad potestatem ne simpliciter, & de facto faciat. Respondetur etiam non valere illam consequentiam. Ecclesia dat potestatem faciendi ministrum sacramenti ordinis; ergo potest etiã auferre, & destruere ordinis potestatem in illo ministro; Quia Ecclesiæ data est potestas, vt faciat sibi ministros, non vt eos destruat; & minister ecclesiæ habet potestatem in conferendo, non in auferendo; idcò cum factus est minister potest conferre, non autem potest destruere illud esse ministerium, & impedire effectum illius simpliciter, & de facto.

11 Ad tertium. Respondetur non esse parem rationem de matrimonio, & de ordine sacro quantum ad illegitimandum personas ad hæc sacramenta: quia illegitimatio personarum in matrimonio fit circa cõtractum matrimonij, quod præcedit Sacramentum; sed illegitimatio, & inhabilitas personæ ad ordines sacros post ordinem susceptum, & characterem impressum in sacramento ordinis est irritare, & anullare sacramentum ordinis, quod Ecclesia facere non potest. *Ad tertiũ.* Cum dicitur, quod matrimoniũ est magis de lege naturæ, quàm dignitas Episcopalis. Respondetur hoc esse verum quantum ad ratitudinem, & perpetuitatẽ matrimonij contracti, non autem quantum ad habilitationem personarum contrahentium matrimoniũ; sed magis de lege naturæ diuinæ est quod id, quod à Deo est impressum animæ, neq; repugnat peccato, seu per peccatum non tollitur, inuariabiliter inhęreat ipsi animæ, quam quod contritio habilitans personam ad matrimonij contractum sit inuariabilis, firmius ergo inhæret potestas ordinis, & characteris in Episcopo, quàm qualitas personæ quò ad habilitatem ad contrahendum; quia hæc potest variari, non illa. Secunda quæstio huius distinctionis superius in materia de irregularitate cap. 6. est explicata.

FINIS.

LIBRI STAMPATI DA MARCO GINAMMI.

D. Laurentij Iustiniani opera omnia f.
Quaestiones,& Expositio Scoti in Metaphisicam Aristotelis f.
Dioscoride del Mattiolo Volg. con figure f.
F. Petri Posnaniensis in Primum librum sententiarum f.
Idem Institutiones sacræ, Literales, Morales,& Speculatiuæ in Dominicas Anni f.
F. Andreæ Kochmanij in primum lib. sent. f.
Fauentinus in quatuor libros sententiarum f.
Idem De Prædestinatione f.
Idem De Penitentia f.
Idem de Censuris f.
Idem De Restitutione,& Extrema Vnctione f.
Idem Aduersus Atheos 4.
Vite di Plutarco Volg. 4.
Parere sopra li Caratteri del Manico del Coltello di S. Pietro.
Considerationi Politiche, e Morali del Zuccoli 4.
Discorsi dell'Honor, del medesimo 4.
Discorso delle Ragioni del numero del verso Italiano, del medesimo 4.
Dialoghi del medesimo 4.
Discorso della Nobiltà commune,& Heroica del medesimo 4.
Discorsi sopra Cornelio Tacito del Conte Virgilio Maluezzi 4.
De Coniectandis cuiusque motibus Scipionis Claramontij 4.
De operibus Sex Dierum 4.
Istoria della distruttione dell'Indie di Monsig. Vescouo di Chiappa 4.
Lettere di D. Antonino Collurafi 4.
Maschera Iatropolitica, ouero Ceruello, e Cuore Principi Riuali 4.
Tragedie di Seneca tradotte in Volg. dal Nini 8.
Sommario delle Scienze del Signor Domenico Dolfino 8.
Capricci del Bottaio del Gelli 8.
Horribile inferno del Gliffenti 8.
Il Parto della Vergine Rappresentatione 8.
La Maddalena rauueduta Rappresentatione 8.
Partenio Etiro Parafrasi sopra i sette Salmi 12.
Idem dell'Humanità del Figliuolo di Dio 12.
Rime del Salomoni 12.
Concetto di Rime del Petrelli 12.
Sentiero al Paradiso del Petrelli in Rame,& in legno 12.

Morte Innamorata 12. Diligente, o sollecito 12. Giusta Morte 12. Possanza della Carne 12. Mercato della vita humana 12.	Fauole del Glisenti.

Ninfa Guerriera Pastorale 12.
Regole di S. Francesco 32. Lat.& Volg.
Libri diuersi in lingua Slaua, & in carattere Slauo.

DISPVTATIO SEXTA.

De Suspensione.

Quid, & quotuplex sit Suspensio. Caput Primum.

1 SExta pœna canonica secundum ordinem Scoti est suspensio, de qua Scotus vltimo loco in illa q. 1. dist. 25. agit. Circa hanc pœnam canonicam de more tria faciemus. Primò explicabimus quid sit suspensio, & quot eius species. Secundò explicabimus eius effectus. Tertiò causas ipsam ferrendi, & tollendi.

Primo loco ergo videndum est quęnam sit diffinitio vera suspensionis. Pro cuius intelligentia est notandum, quod licèt hoc nomen suspensio multiplicem habeat significationem, tamen in proposito accipitur pro quadam specie censuræ, seu pęnæ ecclesiasticæ. De hac suspensione autem variæ afferuntur diffinitiones, sed ijs ommissis hæ potiores videntur. Nauarus in Man. cap. 27. nu. 151. sic eam diffinit. *Suspensio est censura, qua alicui personæ ecclesiasticę prohibetur exercitium sui officij in totū, vel in partem, in certum tempus, vel in perpetuum quo ad partem ob suam culpam à Iudice, vel a lege* Franciscus Suarez disp. 25. sect. 1. affert istam. *Suspensio est censura ecclesiastica, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne functiones ecclesiasticas, exerceat, aliquaue ecclesiastica potestate vtatur.* Scotus verò loco citato affert istam. *Suspensio est prohibitio ab aliquo alias conueniēte, & hoc ad tempus.* omnes istæ diffinitiones conueniunt in re, licèt vna plura addat, quàm alia. Nam omnes conueniunt, quod suspensio est censura, seu pęna canonica: hoc enim supponit quoque Scotus, cum dixerit, sex esse pęnas canonicas, & inter illas enumeret suspensionem. Prima differentia essentialis est, *prohibens ab aliquo alias conueniente.* Hanc differentiam explicat Nauarus dicendo, quod prohibet personam ecclesiasticam ab exercitio sui officij. sed hæc declaratio nō sufficit, quia suspensio prohibet etiam à beneficio, vt videbimus. Suarez verò addit, per ipsam prohiberi personam ecclesiasticam nedum a functionibus ecclesiasticis, sed ne aliqua potestate ecclesiastica vtatur, sed neque hoc sufficit: quia suspensio à beneficio est prohibitio etiam receptionis fructuum, quod est quid amplius; Et suspensio ab ingressu Ecclesiæ non videtur esse prohibitio alicuius officij ecclesiastici, nec potestatis. Melius ergo explicatur dicendo, quod suspensio in communi sit pęna canonica, seu censura ecclesiastica prohibens ab aliquo alias conueniente.

Diffinitio Nauari.

Diffinitio Suarez.

Diffinitio Scoti.

Prima differentia.

2 Altera differentia essentialis est. *Ad tempus*, per hanc differentiam dicit Scotus suspensionē specialiter differre ab alijs cēsuris, & pęnis. Cæterùm hoc videtur falsum: quia omnes cēsuræ sunt medicinæ, vt patet cap. *medicinalis*, de sent. excomm. in 6. suspensio autem est censura ex eod. cap. & c. *quærenti*, de verborū significatione; ergo non potest præscribi certum tempus, sed semper includit illam conditionem *donec resipiscas, vel satisfacias*. Vnde Suarez disp. illa 25. sect. 1. distinguit, quod duplex est suspensio. Alia est pęna, Alia est censura. Illa quæ est pęna datur ad certum tempus; quia infertur propter culpam aliquam tanquam pęna eius, & quantò culpa est grauior, tantò diuturnior erit suspensio, & finito termino præfixo suspensioni, ipsa per se absque absolutione aliqua desinit esse, atque per hoc distinguitur a depositione, quæ est perpetua absque spe restitutionis, sed suspensio, quæ est censura, non habet præfixum terminum aliquem, sed durat donec durat contumacia, & donec nō tollatur ab habente potestatem.

Secunda differentia.
Obiectio contra Scotum.

3 Verùm hæc ratio non infirmat assertionem Scoti: Quia cum Scotus dicit, quod suspensio est prohibitio ad tempus, non vult dicere, quod suspensio quatenus est censura feratur ad determinatum tempus: quia clarum est, quod fertur ad tollendum contumaciam, sicut ipse supra dixerat de excommunicatione, ideo potest durare quo ad durat cōtumacia, quæ cum sit incerta, incertum etiam est tempus, quo suspensio durare debet. sed pro tanto dicit, suspensionem esse prohibitionem ad tempus, quia suspēsio ex vi nominis, & ex natura sua est prohibitio non perpetua, sed temporalis: quod enim suspenditur ab aliquo officio, vel beneficio non priuatur omnino illo, sed remanet spes restitutionis. In alijs verò censuris, vt sunt excōmunicatio, & interdictum, & alijs pęnis canonicis, vt est irregularitas, depositio, degradatio, & infamia, ex vi nominis, & natura censurę non insinuatur spes restitutionis, sed solum priuatio eorum bonorum, quibus priuant abstrahendo à perpetuitate prohibitionis, & spe restitutionis, licèt in censuris illis duabus in quantum sunt institutę ab Ecclesia includatur spes restitutionis, quia sunt ordinatæ vt medicinę ad tollendum contumaciam, qua habita tolluntur. Atque hæc videtur aptior differentia inter hanc censuram, & pęnam, & alias censuras, & pęnas. Nam aliæ differentiæ, quæ assignantur inter illas, non omnino seiungunt illas ab inuicem. Nam licèt differat ab excommunicatione, & interdicto per hoc, quod suspensio propriè fertur in clericos: excommunicatio verò, & interdictum in clericos, & laicos, quia excommunicatio includit totum quod suspensio, suspensio autem solum aliqua, & se habet vt includens, & inclusum, tamen istæ differentiæ potius sumuntur ab effectibus censurarū, quā ab essentiali, & intrinseca ratione cuiuslibet censuræ.

Defenditur Scotus.

4 Altera particula, quā ponit Nauarus *in partem, vel totum*, pertinet ad significandū species suspensionis: quia alia est totalis, alia partialis, vt videbimus, illa vero *ob suā culpam* subintelligitur, quia censura non ponitur nisi ob contumaciam. Altera particula *à Iudice, vel lege* indicat aliam diuisionem suspēsionis in alias duas species, scilicet ab homine, vel à Iudice, de quibus infra.

Aliæ particulæ à Nauaro positæ expenduntur.

5 Quantum ad species suspensionis multa dicuntur à Canonistis, & variæ diuisiones afferuntur, quæ reijciuntur communiter à Recentioribus, vt est videre apud Nauarum cap. 27. num. 152. & sequentibus, & apud Suarez vbi supra. Tres ergo solum afferuntur species suspensionis à Scoto. Prima est suspensio ab officio, secūda est suspensio à beneficio. Tertia est suspensio ab ingressu Ecclesiæ, sed hanc suspensionem alij ponunt sub interdicto, vt Nauarus in Manuali cap. 25. num. 75. Suarez disput. 35. sect. 4. & Alij ab eis citati, sed de hac re infra agemus. Alij adducunt aliam speciem suspensionis, quæ est suspensio simul ab officio, & beneficio, sed Scotus hanc omisit, quia nihil aliud est, nisi aggregatum ex vtraque suspensione. Numeratur tamen vt tertia species, quia vtraq. simul habet plures effectus, quam suspensio ab officio sola, & suspensio à beneficio sola, est enim veluti suspensio ipsa tota, & in se, quæ est censura ecclesiastica. Vnde cum in iure fit mentio de suspēsione absolute sine declaratione ab officio, vel à beneficio, intelligitur de suspensione ipsa completa, & in se, quæ complectitur ambas illas suspēsiones, scilicet ab officio, & beneficio, vt in cap. *tuorum*, de priuilegijs, & in Clementina 1. de decimis, & cap. *sane*, 2. de officio delegati. De suspēsione verò ab officio solum habetur in cap. *quia Pontificali*, de officio delegati in 6. & in Clementina 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis. De suspensione à beneficio solum habetur cap. *nihil*, de electione, & in Clementina 1. de vita, & honestate clericorum cap. 2.

De speciebus suspensionis.

Opinio Scoti.

6 Cæterùm hic est difficultas, si suspensio ab ingressu Ecclesiæ est species suspensionis, nam si sit species suspensionis: ergo cum aliquis absolutè suspenditur, intelligitur esse suspensus nedum ab officio, & beneficio totaliter, sed etiam ab ingressu Ecclesiæ: Tamen communior senten-

An suspēsio ab ingressu Ecclesiæ sit species suspēsionis.

tia

tia videtur hoc negare: quia ponūt eam sub interdicto. Respondetur in iure suspensio ab ingressu ecclesiæ fertur sub nomine suspensionis, vt patet capit. *is, cui* §.2. de sent. excomm. in 6. Et cap. vltimo de officio ordinarij, hæc suspensio ab ingressu ecclesiæ enumeratur cum alijs duabus speciebus suspēsionis ab officio, & beneficio. Nam verba textus sunt ista. *Alioquin Episcopi, & eorum superiores ab ingressu ecclesia cæteri vero ab officio. & beneficio tamdiu eo ipso nouerint se suspensos, quousque restitutionem fecerint de prædictis.* Quantum ad rem etiam habet effectum suspensionis, non omnem, sed aliquem: quia etiam ex confessione Suarez vbi supra, & aliorum, qui tenent suspensionē esse speciem interdicti, suspensio ab ingressu ecclesiæ reducitur ad interdictum personale, & priuat participatione actiua diuinorum, non vbique, sed in Ecclesia, à cuius ingressu est suspensus: hoc autem est idem quod suspensio ab officio ecclesiastico. Sed hęc disputatio est parui momenti, an sit species interdicti, vel suspensionis: quia in iure fertur modò sub nomine suspensionis, modò sub nomine interdicti; sufficit vt sciamus quis sit eius effectus, quod pertinet ad rem. Vnde ad propositum cum suspensio ab ingressu Ecclesiæ habeat aliquam specialitatem, scilicet quod non priuat suspensum ab omni officio suo, sed solum in ecclesia, a cuius ingressu prohibetur, non videtur comprehendi sub suspensione quando absolute profertur: quia suspensio videtur communiter intelligi ab officio, & beneficio solum; suspensio autem ab ingressu ecclesiæ habet quid amplius, quia priuat sepultura ecclesiastica, & est communis Clericis, & Laicis, ideo nisi specificetur non videtur comprehendi sub suspensione. Scotus autem non videtur eam ponere sub suspensione modo rigoroso, sed communiter: quia sub nomine suspensionis in iure fertur. Ex his iure reijciūtur opiniones illorum, qui dicunt peccatum mortale excomm. maiorem, & minorem, irregularitatem, depositionē, & degradationem esse species suspensionis; patet enim peccatum mortale non esse pęnam Canonicam: quia non est impedimentum inductum a iure humano, sed diuino. Reliqua verò sunt pœnę distinctæ a suspensione, vt ex dictis patet.

7 Diuiditur deinde a Scoto, & communiter ab omnibus suspensio in communi quatenus has tres species complectitur in duo genera. Alia enim est suspensio ab homine, & alia a iure, sicut diximus de excommunicatione. Rursus suspensio in communi potest esse integra, seu totalis, & non integra, seu partialis; totalis si suspendatur ab omnibus actibus pertinentibus ad officium; vt si aliquis suspendatur ab ordine, & a iurisdictione. Vel partialis, vt suspensio ab ordine, non à iurisdictione; Vel a iurisdictione, non ab ordine; Et huiusmodi aliæ multæ possunt esse suspensiones partiales, secundum quod quis suspenditur ab vno actu officij, nō ab alio. Idem dicendum de suspensione a beneficio, & de suspensione vtraque, potest enim comprehendere suspensionem ab officio quò ad aliquos actus, & suspensionem a beneficio similiter quò ad aliquid, non totaliter, quia est sita in potestate iudicis, vel legislatoris illam ferentis. *Suspensio à iure, & ab homine.* *Suspensio totalis, & partialis.*

8 Cum autem tres sint species suspensionis, scilicet ab officio, & beneficio, ex quibus vt dictum est tertia coalescat, & tertia quæ est suspensio ab ingressu ecclesiæ, oportet eas in speciali declarare. Incipiamus ergo a suspensione ab officio, & quia suspensio ab officio potest esse totalis, & partialis, obseruandum est, quod cum fertur suspensio ab officio absolutè, intelligitur esse suspensionem totalem: idest ab omni vsu ordinis, & iurisdictionis, & muneris ecclesiastici. Ratio est, quia qui priuat, & negat genus, priuat, & negat omnes, & singulas species illius generis. Quæ est sententia communis, & patet ex vi verborum; ponderanda tamen sunt verba, quia ex illis, & circumstantijs potest innotescere, an sit totalis, vel partialis. *De suspensione ab officio.*

9 Suspendit etiam in omni loco si feratur absolutè absque determinatione loci particularis; Vndè sic suspensus ab officio absolutè, in omni loco, etiam extra diocesem sui Episcopi est suspensus, quia sicuti excommunicatus in vno Episcopatu est excommunicatus vbique, ita suspensus ab officio absolutè est suspensus vbique propter rationes adductas in materia de excommunicatione. Cum vero in suspensione determinatur locus vt in Extrauaganti *Ambitiosè*, in qua suspenditur à tali ecclesia, & iudices, & Prelati solent suspendere aliquem, ne in tali ecclesia celebret, vel concionem habeat; tunc extra illam ecclesiam, vel locum, officium suum ecclesiasticum potest exercere, si aliud non obsistat. *Suspendit à loco.*

10 Similiter si feratur sinè determinatione temporis, pro quolibet tempore durat donec reuocetur, seu tollatur. Si verò limitetur ad certum tempus, erit partialis, & finito tempore cessabit sinè aliqua absolutione, vt ait glosa in caput *Sacro*, de sent. excom. Talis enim suspensio est pęna re vera, non censura, vt supra tetigimus, ideo illa soluta nulla manet obligatio. *Suspendit per tempus.*

11 Pęna autem violationis, seu non obseruantiæ suspensionis est in primis pęna peccati mortalis; quia est transgressio præcepti ecclesiæ, seu superioris grauis, quæ est peccatum mortale; & cooperantes cum sic suspenso in actu, & vsu malo officij sui similiter peccant mortaliter; quia cooperantur alteri in peccato mortali, quod est de se peccatum mortale; Tamen illi cooperantes nullam aliam pęnam incurrunt: quia in iure nulla talis pœna est illorum transgressioni imposita. Secundò sic suspensus fit irregularis, vt habetur cap. 1. de sentent. excom. eodem 6. §. 3. Intelligitur autem de violatione suspensionis quò ad exercitium ordinum sacrorum, vt diximus in materia de irregularitate: Acta tamen ab ipso tenent, & sunt valida in quantū sunt actus ordinis: quia vt dictum est alias, actus sacramentorum per censuras non possunt impediri. Violatione autem suspensionis quò ad potestatem iurisdictionis, nimirum exercendo aliquem actum potestatis iurisdictionis, à qua est suspensus, non fit irregularis: Quia in iure non reperitur tali transgressioni impositam esse irregularitatem. *Pęna violātis suspensionem.*

12 Est autem dubium, an hæc suspensio vlterius habeat aliquam pęnam annexam, vt puta priuationē beneficij, vel saltem impediat consecutionem beneficij alicuius, dum quis ligatus est suspensione, vel aliquam aliam pęnam, vt priuationem alicuius actus sacri, vel non sacri, seu secularis. Respondetur certum esse suspensionem ab officio non includere suspensionem à beneficio illo, quod ille, qui est suspensus possidet. Quia in iure istæ sunt species diuersæ, & vna non includit altera. Neque in iure habetur, quod suspensio ab officio, se extendat ad suspensionem à beneficio. *An suspensio ab officio includat suspensionem à beneficio.*

13 Est autem grauis dubitatio, an suspensus ab officio sit priuatus fructibus beneficij; quia beneficium datur propter officium cap. vltimo de Rescriptis in 6. & accessorium sequitur principale; officium autem est principale, fructus beneficij sunt quid accessorium. ergo. De hac re multa tractant Doctores in Clementina *Cupientes*. de pęnis & in cap. *Apostolis* de except. & Syluester verbo *suspensio*. num. 5. & Recentiores. Sed communior opinio, quam sequuntur Nauarrus cap. 27. num. 160. ex Abbate, & alijs in prædicta Clementina est, quod quando suspensio fertur præcisè ab officio, non includit priuationem fructuum. Ratio est, quia vt diximus istæ sunt duæ species suspensionis distinctæ, quarum vna alteram non includit, vt patet ex iuribus superius, assignatis, quibus addi potest caput *Solutio.*

uer. de purgatione canonica, in quo fit sermo de his duabus suspensionibus tanquam de suspensionibus diuersis; Et suspensio à beneficio additur supra suspensionem ab officio, ergo vna non includit aliam. Cum autem suspensio ab officio non includat suspensionem à beneficio, neq; consequenter includit priuationem fructuum beneficij; quia illi sequuntur beneficium, & consequenter sunt illius, cuius est beneficiũ. Et per hæc patet ad argumentum in oppositum factũ; quia cum lo deret si priuaretur beneficio, ad quod eandem tantum fructus. Beneficium autem datur propter vtilitatem priuatum horarum canonicarum à quo suspensus non liberatur propter suspensionem.

Suspẽsio ab officio reddit inhabilem à collatione & cõsecutione noui beneficij.

14 Quantum verò ad collationem, vel consecutionem noui beneficij dicẽdum est, per suspensionem ab officio illã impediri. Ratio est, quia cum beneficium detur propter officium, repugnat, vt illi detur beneficium, qui priuatus est officio. Vnde non est par ratio de perceptione fructuum beneficij iam obtenti, & de beneficio de nouo obtinẽdo. Nã in primo qui habet beneficiũ, habet iam ius acquisitũ in fructib. à quo per suspensionem non priuatur; At in secundo nullum ius habetur, & nouus titulus confertur, quod repugnat suspenso, vt dictum est. Deinde in cap. vltimo de Clerico excommunicato habetur hæc regula. Qui est priuatus aliquo munere actu, est etiam priuatus susceptione nouorum, quæ ad illud munus ordinantur; vt colligunt Doctores ibidem.

Suspẽsio nõ priuat alijs actibus sacris, & non sacris.

15 Quantum ad tertium dicendum est, suspensionem ab officio non includere priuationem alicuius alterius actus sacri, vel non sacri; vt puta susceptionis sacramentorum, excepto ordine sacro (quia hoc ordinatur ad exercendum officium, quo est suspensus) vt puta à susceptione eucharistiæ more laico, ab ingressu ecclesiæ, & similibus; Neq; includit prohibitionem actuum secularium, & temporalium; si quis. n. Clericus sit iudex in causa ciuili, non priuatur per suspensionem actu iudicandi, & sic de alijs actibus secularibus, & temporalibus. Et ratio est, quia suspensio est priuatio actiua officij Clericalis, & directè tendit in Clericos, quos ab officio actuè priuat, vt ex dictis constat.

De suspensione ab officio partiali assertio vniuersalis

16 Suspensio ab officio partialis ab ea parte officij tantùm suspendit, quæ per verba indicatur; & ab alijs partibus, quæ necessariò includuntur implicitè in illa parte, à qua suspenditur; ab alijs verò partibus quæ in illa non includuntur, nequaquam. In hac assertione tria sunt. Primum quod suspensio partialis suspendit ab illa parte officij, quam explicant, & designant verba. Declaratur. Exempli gratia. Aliquis Parochus, vel Episcopus suspenditur ab ordine absolutè sine vlla limitatione. Hic est suspensus solum ab officio, & vsu ordinum omnium; At non est suspensus à iurisdictionis potestate; quia potestas ordinis, & iurisdictionis sunt diuersæ potestates omnino distinctæ, quarum vna non includit alteram; quia vna potest esse sine altera (ex dictis in lib. de Penitentia de his potestatibus, & ex natura rei patet; Quia quandoq; Vicarius laicus in foro contentioso vtitur potestate iurisdictionis. Quod autem respectu sacramenti penitentiæ coniungantur in eodem sacerdote, oritur ex speciali ratione illius sacramenti, vt dixi vbi supra, non autem quia potestas iurisdictionis fundetur in potestate ordinis, & sine illa esse non possit) Ratio est, quia sententia non ligat vltra id, quod verba significant; ijs .n. mens legislatoris significatur. Atq; ex hoc fundamento sequitur, quod suspensus ab ordine, non est suspensus ab actu eligendi si habeat hanc potestatem; quia actus eligendi est actus iurisdictionis, non ordinis. Idem dicendum si quis suspendatur ab aliquo ordine, atq; hoc dicendum de alijs similibus.

Suspẽsus ab vna parte officij est suspensus ab oib. inclusis in illa.

17 Secundum, quod in assertione illa ponitur, est, quod suspensus ab vna parte officij, est suspensus quoque ab omnibus alijs partibus, quæ in illa parte includuntur, etiam implicitè. Declaratur, & probatur. Exempli gratia. Si quis suspendatur ab aliquo ordine particulari, vt puta ab ordine superiori, vt à Sacerdotio, suspenditur quoq; ab inferioribus, vt à diaconatu, & alijs. Ratio est, quia ordo superior includit inferiorem, & inferior subordinatur ad superiorem, vt diaconatus includitur in sacerdotio, & ordinatur ad sacerdotium. Et hac ratione si Episcopus suspenderetur à Sacerdotio, esset etiam suspensus ab ordine Episcopali, Ratio est, quia ordo Episcopalis includit ordinem Sacerdotalem, ideò suspensus à Sacerdotio, cõsequenter intelligitur esse suspensus ab ordine, & functionibus Episcopalibus.

Suspẽsus ab vna parte officij nõ suspẽdit ab ijs quę in illa non includitur.

18 Tertium, quod ponitur in illa assertione, est, quod suspensio ab vna parte officij non suspenditur ab alijs partibus, quæ in illa non includuntur. Declaratur, & probatur. e. g. si quis suspendatur à Diaconatu, non propter hoc suspenditur à Sacerdotio (dato quod sit quoq; Sacerdos.) Ratio est, quia Diaconatus non includit sacerdotium, nec vsus ordinis diaconatus includit vsum ordinis Sacerdotalis, & declaratur in simili. Nam cap. *significasti* de corpore vitiatis, Papa concedit cuidam Presbytero, qui virilia sibi fecit amputari putans se obsequium præstare Deo, vt Sacerdotale munus exercere possit, absq; tamen Altaris ministerio. Hoc autem non aliunde procedit, nisi quia alij actus Sacerdotales, vt baptizare solemniter, & ex officio, penitentiam ministrare, & similium vsus, non includit vsum sacrificij Missæ, à cuius celebratione per exclusionem ab Altari priuatur. Vbi obiter obseruo, Suarez disp. 26. sect. 4. nu. 10. & sequentibus rectè contra Canonistas quosdam sustinere, falsam esse illam regulam, suspensum ab inferiori esse suspensum etiam à superiori ordine, absolutè sumptam; sed veram esse tantùm, quando inferior necessariò connectitur superiori, vt contingit in Episcopatu, in quo necessariò includitur Sacerdotium. Vndè Episcopus suspensus à Sacerdotio, est etiam suspensus ab vsu actuum Episcopalium, vt supra diximus. Nam fundamentum Canonistarũ est illud, quod qui indignus est inferioris potestatis, indignus est etiam superioris, ideò Episcopus priuatus potestate conferendi primam tonsuram, est priuatus consequenter potestate conferendi ordines superiores. Hoc autem fundamentum tantùm verum est, quando quis per se, & præcisè sumptus est indignus minori honore: At quando sunt aliquæ circũstantiæ, propter quas meretur priuari minori honore, & non maiori, non valet; Hoc autem modo contingit in præsenti, quod patet etiam exemplo. Nam si suspenditur Episcopus ab actu confirmandi, non propter hoc suspenditur ab officio, & actu conficiendi eucharistiam, & tamen Eucharistiæ confectio est actus longè nobilior, quàm sit confirmatio, vt omnes concedunt.

Regula Canonistarũ, suspensũ ab inferiori ẽt esse suspensum à superiori est falsa vniuersaliter.

De suspensione a iurisdictione tantum.

19 Hoc eodem modo dicendum est de suspensione ab officio partiali quò ad solam iurisdictionem. Nam hæc non priuat ab vsu actuum ordinis, quia potestas ordinis, & iurisdictionis sunt omnino diuersæ. Excipiuntur tamen actus ordinis, qui requirunt substantialiter iurisdictionem; vt ministratio sacramenti penitentiæ; Vndè si à suspenso à potestate iurisdictionis simpliciter exerceatur, actus est nullus: Exercendo verò alios actus Sacramentorum, peccabit tantùm mortaliter, quia facit contra præceptum ecclesiæ, & contra censuram; Actus tamen illi sacramentorum sunt validi, quia illi essentialiter non pendent à potestate iurisdictionis, nec possunt impediri à potestate humana, vt aliàs in lib. de Penitentia dictum est.

Vbi

Forma verborum suspensionis est obseruanda.

20 Vbi est obseruanda forma verborum, sicut etiam supra diximus. Nam cum fertur suspensio à potestate iurisdictionis absolutè, vt suspendo te à potestate iurisdictionis, est vniuersalis, seu totalis; & priuat omni actu iurisdictionis, & est proinde ac si dicat, suspendo te ab omnibus actibus iurisdictionis. Si verò verba significent suspēsionem esse ab aliqua parte actus iurisdictionis; vt si dicat, suspendo te ab actu collationis beneficiorum, & similibus, est partialis, & suspendit ab illo actu tantùm; nisi habeat cum alio actu necessariam connexionem propter rationem superius adductam de suspensione partiali ab ordine.

Pena violationis suspensionis partialis ab officio.

21 Pęna transgressionis suspensionis à iurisdictione est peccatum mortale; nulla autem est irregularitas propter rationem superius dictam; quia in iure nō inuenitur posita irregularitas, nisi in violante suspensionem ab ordine; debet tamen puniri à superiore pro qualitate violationis.

De secunda specie suspēsionis.

22 Secunda species suspensionis erat suspensio à beneficio. Hæc autem, vt breuiter agamus, est prohibitio receptionis fructuum beneficij. Nam cum in beneficio duo sint, officium, seu ministerium ecclesiasticum, propter quod datur beneficium, & ipsa potestas eorum percipiendi fructus, qui conferuntur propter tale ministerium, & officium suspensio à beneficio nō priuat primo, scilicet, officio, & ministerio, sed hoc spectat ad suspēsionem ab officio, de qua diximus supra; sed priuat secundo scilicet potestate, & iure percipiendi fructus debitos ex illo beneficio. Et in hoc sensu accipitur suspensio à beneficio in iure; vt sumitur ex cap. *cum bene*. de ætate, & qualitate. Ex Abbate ibidem nu. 6. & ex alijs iuribus. Quod autem suspensio à beneficio non tollat, nec impediat officium, & ministerium ecclesiasticum ex eo probatur, quia censura nō fertur ad tollendum onus; At officium, & ministerium ecclesiasticum est onus; ergo per suspensionem à beneficio non tollitur, immò quia suspensio à beneficio est pęna, rationabiliter priuando vtilitate fructuum, relinquit onus exercēdi officium ecclesiasticum; alioquin nō esset onus, & pęna, sed alleuiatio, vel saltem esset leuis pęna auferendo beneficium auferre etiam officium, & onus, propter quod efficiendum datur beneficium, & stipendium. Deniq; qui suspenditur à beneficio nō priuatur beneficio; ergo neque priuatur illis obligationibus, quæ annexæ sunt beneficio; huiusmodi autem est officium, & ministeriū ecclesiasticum, ergo per suspensionem à beneficio quis non suspenditur ab officio. Licèt autem suspensio à beneficio videatur maior pęna quàm suspensio ab officio, non est tamen verū: quia priuatio potestatis actiuę ministerij ecclesiastici est magnum damnum, cū illa potestas actiua sit magnus honor, & dignitas; & deindè cū teneatur suspensus aliū alere qui tale munus exerceat, & teneatur ad horas canonicas, & nisi emendetur subsit periculo priuationis beneficij; vt habetur cap. *Cupientes. §. cæterum*, de electione, certè est magna pęna.

Quando sit totalis suspēsio à beneficio, & quādo particularis.

23 Quoniam autem hæc suspensio potest esse totalis, & partialis, ad cognoscendum quando est totalis, & quando partialis, inspicienda est forma verborum, sub qua fertur. Nam si fertur absolutè. suspendo te à beneficio, intelligitur de omnibus beneficijs, & pensionibus curatis, & non curatis, si plura talia beneficia habeat. Et hoc est verum, nisi sit addita aliqua particula, propter quam intelligatur determinari ad vnum beneficium particulare. Quæ additio potest aliquando esse expressa, & aliquando licèt non sit expressa, tamē ex causa, ob quam fertur suspensio, iudicari potest: si. n. causa pertinet ad vnam Ecclesiam particularem, intelligēda est suspēsio à beneficio illius Ecclesiæ, nō ab alijs.

24 Suspensio à beneficio quoque potest esse vniuersalis, & totalis quo ad locum, & quò ad tempus. Quò ad locum cum profertur absolutè sinè determinatione loci; vt si aliquis haberet beneficia aliqua plura, quorum aliqua sint extra Episcopatum Episcopi proprij suspendentis, licèt de possibili possit ad omnia illa extendi, vt tenet Panormitanus in cap *Pastoralis*, §. *Verum.* de Apellationibus, quia sententia tua fertur in personam, quæ est subiecta illi Episcopo, & ideo potest ab illo priuari omnibus beneficiis vbicumque sint, sicut potest illum degradare, & deponere, ac priuare omnibus beneficijs existentibus in aliena diœcesi, licet executio pertineat ad Episcopum illius diœcesis, vt habetur cap. *Pastoralis*. de foro competenti, tamen de facto (loquendo de suspensione lata ab Episcopo, non à Papa) non extenditur nisi ad beneficia, quæ in diœcesi Episcopi proprij, vt multi tenent, & est valdè rationabilis: quia pęnæ sont restringendæ, non ampliādæ. Sed in his casibus verba, quibus suspensio fertur, debent esse clara, non ambigua, ne sententia sit nulla.

De vniuersalitate temporis.

25 Potest etiam esse vniuersalis, & totalis quò ad tempus, idest *non limitata* ad tale, & tale tempus, sed vniuersaliter, & indefinitè, & tunc durat quò ad tollitur à superiore, vt dictum est supra de suspensione ab officio, & adhibenda est illa distinctio de suspensiona lata ob contumaciam, vel ob pęnam: illa. n. durat donec durat contumacia, nec tollitur nisi per absolutionem; hæc verò si est limitata, cessat finito tempore pręscripto, & cessat sinè vlla absolutione; si verò non est limitata, durat donec tollatur à iudice pārem habēte.

Suspensus à beneficio est inhabilis ad obtinendum nouū beneficium.

26 Suspensus à beneficio, etiam intelligitur suspensus a susceptione beneficij de nouo propter rationem superius dictam de suspensione ab officio; cum. n. ecclesia suspendat eum à beneficio, quod habet, consequenter priuat eum consecutione alterius beneficij, alioquin sibi ipsi repugnaret; si tamen eligatur, non est ipso facto priuatus, sed per iudicem debet priuari, vt diximus vbi supra.

Quibus fructibus priuet.

27 Quantum ad fructus, quando suspensio est vniuarsalis, & totalis, i. quando non est determinata ad aliquam partem fructuum, priuat omnibus fructibus; per fructus autem intelliguntur omnes temporales redditus, qui ratione beneficij conferuntur, cuiuscūq; sint conditionis, & quocunq; nomine dentur, siuè sunt pecuniæ, siue fructus terræ, seu animalia, siuè dentur per modum decimarum, seu primitiarum, & oblationum, seu vt pensiones, aut prouentus ex bonis immobilibus ipsius beneficij. quod patet in titulo de decimis, & de Parochis secundum omnes, quia hęc omnia veniunt sub nomine fructuum beneficij. Atque etiam sub his fructibus cōprehenduntur distributiones, quæ dantur propter horas Canonicas recitandas, vt patet ex glosa in Cle. a. de vita, & honestate monachorū verbo *suspensus*, nam hæ distributiones veniunt quoque sub nomine beneficij, institutæ. n. sunt propter officiū, ideo sunt fructus beneficij. Pecuniæ verò, & alia, quæ dantur beneficiario non ratione beneficij, sed ex pia hominū volūtate, vt pro missis dicendis, & anniuersarijs faciēdis pro mortuis, non cōprehendūtur sub hac suspensione, nisi qn̄ vt incerta annexa sunt beneficio, seu tanquā fructus beneficij habentur, vt obseruauit Suarez disp. 25. sect. 1. n. 30. ex Nauar. lib. 3. Consiliorū titulo de Clericis non residentibus Consilio 13.

Suspensus priuatur omnibus actibus administrationis temporalis.

28 Sub priuatione fructuum comprehenduntur etiam omnes actiones pertinentes ad administrationē temporalem illorum fructuum, vt sunt locare beneficium, fundos, vel bona eius, vendere fructus, & similes, quod colligitur ex cap. 1. de electione §. vltimo, in quo prohibetur suspensum se ingerere propria temeritate circa fructus beneficij tempore suspensionis. Vndè Doctores in cap. *ex tua* de clerico non residente, & Felin. in cap. *intelleximus*. de iudicijs nu. 10. dicunt, huiusmodi actus a suspenso factos esse nullos, atque si ali

quis debitor ecclesię hoc debitum soluat sic suspenso, non satisfacere, sed posse repeti ab Ecclesia: quia facta est solutio non habenti potestatem recipiendi huiusmodi bona. Necesse est autem vt talis suspentio sit publicata propter extrauagantem. *Ad euitanda*: quia aliter non tenetur quis sic suspensum vitare in huiusmodi contractibus, vt diximus supra de excōmunicatione. Quæ omnia clara, & communiter concessa sunt. Atque hinc sequitur multo magis sub illa prohibitione administrationis fructuum contineri actus permutationis beneficij, donationis, & similium; quia requirunt maius dominium, quam administratio fructuū. Vndè cum à prioribus sit probibitus, multò magis ab his posterioribus.

Sub fructibus beneficij non cōtinetur actus causę rendi beneficium, & eligendi.

29 Sub fructibus autem beneficij non comprehenduntur propriè potestas conferendi beneficium, & eligendi; isti enim propriè non sunt fructus, sed actus officij Episcopalis, vel illius, qui habet talem potestatē. Vndè pertinet ad suspensionem ab officio, non ad suspensionem ad beneficio, quod latè prosequitur Suarez, vbi supra adducens iura, & Doctores in hanc sententiam.

Quid de suspensione a beneficio partiali.

30 Ex dictis patet quid sit dicendum de suspensione partiali à beneficio illa enim non priuat omnibus fructibus, sed illis, quę per verba designantur, vt dictū est supra de suspensione partiali ab officio, & iden ista bene sunt consideranda. Vnde si quis priuetur beneficio, vel beneficijs cum hac particula *qua habet*, est partialis suspensio, quia non priuat potestate habendi beneficium nouum, suspensio autem vniuersaliter prolata, & totalis priuat omnibus beneficijs præsentibus, & futuris.

Quid si clericus suspēsus non habeat vnde viuat.

31 Sed quid si Clericus suspensus à beneficio nō habeat vnde viuat, & sinè illis mēdicare cogatur? Respōdetur si est suspensus ob contumaciam, quia non vult parere ecclesiæ, non est alendus ex fruct bus beneficij, & relinquendus mendicationi; quia ipse in culpa est talis necessitatis cum possit ab illa liberari recedendo à contumacia, & parendo Ecclesiæ, si verò suspensus est in pęnam delicti cōmissi, de licētia Prelati est sibi subueniendum propter decentiam Clericalem, & quia nō est in potestate sua recedere ab illa suspensione.

Fructus per suspensionē ammissi an recuperari possint.

32 Fructus autem, quibus priuatur tempore suspēsionis si est valida, nunquam possunt recuperari, quia illis iuste priuatur; si verò sententia suspensionis est inualida, poterūt recuperari, quia iniustè ablati sunt, quibus in rebus nullam video dubitationem.

Pęna violātis suspēsionem a beneficio quæ.

33 Pęna autem violantis suspensionem à beneficio est in primis peccatum mortale, quia facit contra præceptum graue Ecclesiæ, seu Prælati sui, & vsurpat aliena bona, quod reducitur ad furtum; atque obligatur ad restitutionem fructuum perceptorum; quia nemo potest retinere alienum; vt diximus in materia de restitutione. Atque hoc est verum absque eo quod declaretur debere restituere; quia hic non spoliatur bonis, quæ prius iustè possideret per aliquod crimē, quo casu requireretur sentētia iudicis. Sed per suspensionē fit inhabilis ad illos fructus possidēdos, & ei aufertur ius, & dominium in illos; ideo sine vlla sententia tenetur ad restitutionem, sicut quicunque rem alienam vsurpat. Nam incurrit tamen irregularitatē, vt supra diximus: quia in iure solum imponitur irregularitas in violatione suspensionis quò ad exercitium ordinum sacrorum; neque vlla alia censura huic violationi inuenitur in iure posita, de illa enim aliqua mentio fieret a doctoribus, quæ tamen nulla fit.

De suspensione ab ingressu ecclesiæ, quæ est.

34 Tertia species suspensionis est suspēsio ab ingressu Ecclesiæ, de qua diximus esse contentionem, an cōtineatur sub interdicto, vel sit species particularis, suspēsionis, & determinauimus supra hoc parū referre, cū mō feratur sub noīe suspensionis, & habeat aliquē effectū suspēsionis, & aliquem interdicti sufficit scire qui sint eius effectus, ex quib. eius diffinitio, seu descriptio haberi potest effectus autem eius sunt. Primò priuat quibusdam sacramentis, & diuinis officijs, scilicet illis omnibus, quæ in ecclesia celebrātur; vt est celebratio Missæ, & officiorum diuinorū, quę in ecclesia publicè fiunt; Et demum ecclesiastica sepultura. Non priuat autem participatione sacramentorum, & diuinorum officiorum, quæ fiunt extra Ecclesiam. Ex quo sequitur, quod qui interdictus est ab ingressu Ecclesiæ, poterit interesse, & exercere omnia diuina officia, quę extra ecclesiam celebrari possunt; Ab omnibus verò in ecclesia prohibetur, ita quod sic interdictus non potest celebrare in ea, nec in ea sepeliri, nec dare, aut recipere sacramenta, nec aliud ministerium sacrum in ea ministrare, nec missam, aut aliquod aliud officium sacrum in illa audire. Quæ eliciūtur ex cap. *is cui*. de sent. excom. in 6. Quantum autem ad hæc diuina officia in ecclesia celebranda tam quò ad peccatum, & pęnas eorum, qui illam transgrediuntur, quam quò ad priuilegia ex cap. *Alma*, quæ conceduntur ibi personis interdictis, idem dicendum est de interdicto, quæ est censura & de hac suspensione ab ingressu ecclesiæ, quia eadem est ratio de vtroque quò ad hoc.

Tertia species suspensionis.

Qui sint effectus huius suspensionis.

Quid per ecclesiā intelligatur.

35 Per Ecclesiam autem intelligitur quodlibet tēplum authoritate Episcopi publicè deputatum ad sacra facienda, siuè illud sit benedictum, siuè non; Quia per nomen Ecclesiæ hoc designatur capit. penultimo de immunitate Ecclesiæ. Vndè extra huiusmodi templum, & ecclesiam licet huiusmodi interdicto facere omnia, quæ ei licebant antequam esset interdictus: & sic poterit celebrare missam in priuato oratorio approbato, recipere Sacramentum extremę vnctionis in propria domo, & quælibet alia Sacramenta extra ecclesiam, vt docent Doctores cōmuniter. Syluester verbo interdicto 6. q. 5. Nauarrus cap. 25. nu. 75. Suarez disp. 35. sect. 4. & alij.

Potest ne interdictus sic extra ecclesiam audire diuina.

36 Sed potest ne sic interdictus manens extra ecclesiam audire diuina in ecclesia? Respondetur negatiuè, quia vt habetur cap. prædicto *is cui*, interdictum ab ecclesia propter hoc fit, vt interdictus diuina audire, nec interesse illis possit; ideò licet extra ecclesiam manens, & possit audire, ab illis tamen prohibetur sic audire etiam extra Ecclesiam.

Potest ingredi cemeterium, & in illa diuina audire.

37 Sed huiusmodi persona interdicta ab ingressu Ecclesiæ poterit ne ingredi cemeterium, & in illo diuina audire, & celebrare? Respōdetur affirmatiuè, quia cap. *Latorem* 33. q. 2. permittitur quidam interdictē ab ingressu ecclesiæ, ad fores ecclesiæ assistere, & ibi Deum deprecare admittitur, nec vlla ratio in contrarium facit: Quia regula quod Accessorium sequitur principale, est vera in fauorabilibus, non in odiosis, & pęnalibus.

An interdictus ab ingressu ecclesiæ pro quacunque tempore sit interdictus.

38 Demum est difficultas, an sic interdictus ab ingressu ecclesiæ priuetur tali ingressu solum ad effectū vt diuinis officijs non intersit, nec illa celebret; An verò etiam ne priuatas orationes in illa dicere possit. obliqui tenent primam partem, vt Nauarrus in summa c. 25. nu. 73. qui citat multos alios, & Suarez multo plures pro eo vbi supra. Alij tenent secundam partem, vt Syluester verbo. Interdictum 6. q. 6. qui citat alios, atque eum sequitur Suarez citans multos alios. Licet res sit difficilis, mihi secunda opinio videtur probabilior quia restrictio ad diuina officia tantum non habetur clarè in iure, è conuerso autem in cap. *Latorem*. 33. q. 2. expressè habetur hæc declaratio. *per annum integrū ecclesiam non ingrediatur, sed ante fores ecclesiæ stās orās, & deprecans Deum perseueret.* est ergo dicendum, interdictum ab ingressu ecclesiæ esse interdictum ita vt intra illam nullam orationem, nec officium sacrum publicum, vel priuatum audire, nec celebrare possit. Putant

tant verò aliqui non prohiberi per huiusmodi interdictum ingredi ipsam Ecclesiam ad alias actiones non sacras faciendum, vt puta ad audiendum concionem, ad faciendum, vel audiendum disputationem, vel faciendum aliquam electionem similem, quæ non sunt actiones sacræ, vt Suarez vbi supra, & ratio est, quia censura videtur prohibere ingressum Ecclesię, quatenus ecclesia est, & quatenus est locus sacer, & solemniter institutus ad orandum ad Deum, nō autem quatenus est locus materialis, sed Abbas in cap. *cum ecclesia*, de immunitate ecclesiarum nu. 5. & nonnulli alij tenent oppositum, vt ipsemet Suarez obseruauit. Et certè cum prohibitio sit vniuersalis, videtur vniuersaliter intelligi, ideò hæc pars est tutior.

De Causis suspensionis, & eius absolutione.
Caput secundum.

Quæ sit causa efficiens suspēsionis. 39 AD complementum cognitionis huius censuræ necessarium est cognoscere à quibus causis pēdeat, & per quas desinat, & tollatur. Quantum autem ad causam efficientem, Regula generalis est, eum posse ferre hanc censuram, qui potest excommunicare; ille autem potest excommunicare, qui habet potestatē spiritualem iurisdictionis, & reliquas conditiones; vt supra diximus agendo de eo, qui potest excommunicare; ideo nihil aliud est addendum, cum eadem sit ratio de causa efficiente omnium harum censurarum, tam à iure, quam ab homine.

Propriè in Clericos fertur suspēsio 40 Causa materialis est subiectum, in quod ferri potest suspensio, seu quod est capax suspensionis. Hoc autem vt sit capax huius censurę debet habere conditiones omnes, quas supra diximus requiri in eo, qui est capax excommunicationis; maximè verò requiritur qđ sit sub itus alicui in potestate iurisdictionis; Vnde sūmus Pontifex cum nulli sit subditus, non est capax suspensionis alicuius, præsertim verò maximè quò ad duas priores species, quę propriè sub suspensionis nomine continentur. Requiritur etiam vt sit Clericus. Nam hæc censura propriè, & directè tendit in Clericos; quia isti soli possunt suspendi ab officio ecclesiastico, & beneficio ecclesiastico. Nihilominus etiam laici aliquo modo possunt esse subiectum capax suspensionis: *Aliquo modo fertur in laicos.* Vnde Extrauagās vnica de censibus inter communes. §. 7. loquens de ijs, qui procurationes receperint in visitatione vltra modum in ea Extrauaganti taxatum, habet hæc verba. *Alioquin ex tunc recipiens si Clericus fuerit, tam diù ab officio, & beneficio sit eo ipso suspēsus. si verò laicus tamdiu ingressum ecclesiæ sibi nouerit interdictum, & à communione Eucharistiæ ipso facto nouerit se suspensum, donec de duplo huiusmodi grauatis ecclesijs, monasterijs, siuè locis satisfecerit in effectu.* Suspensio ergo quoque extenditur ad laicos: sed vt dictum est supra, hæc lato modo dicitur suspensio. Nam & suspensio ab ingressu Ecclesiæ hic appellatur interdictum, vt patet.

Episcopi pro suspensionē generalem non ligātur 41 Obseruandum est autem, Episcopos, & eorum superiores, & alios Prelatos exemptos per generalem sententiam suspensionis latam non incurrere suspensionem, ex priuilegio c. *Quia periculum*: de sent. excom. in 6. & hoc nisi specialiter nominentur. In generali sētentia verò quod omnes Clerici sint suspensi, est dubiū an includantur etiam Regulares: quia nomine Clerici videntur venire Clerici sæculares, non Regulares. Sed *Regulares per suspensionem generalem ligantur.* Respondetur etiam ad Regulares extendi, nisi ex tenore suspensionis, vel alijs circumstantiis eliciatur intentionem iudicis, vel Canonis ad ipsos regulares non extendi; quia nomen Clerici ad vniuersos Clericos extenditur.

An cōmunitas suspēdi possit. 42 Est verò dubium, an Communitas suspendi possit. Et breuiter Respondetur, quod hęc suspensio duobus modis intelligi potest. Vno modo vt suspensio feratur in communitatem, vt in Collegium præcisè quatenus est vnum corpus coalescens ex particularibus in communi; habens proprias actiones in communi, quę non spectant per se ad singulas personas. Alio modo quatenus accipitur distributiuè pro singulis personis illius Collegij, vt singulares sunt; & sic suspendere communitatem, vel Collegium est suspendere omnes singulas personas illius Collegij. Vtroque modo potest suspendi: Et quidem primo modo; quia in hoc differt ab excommunicatione. Excommunicatio. n. priuat bonis personalibus, vt participatione sacramentorū, &c. quæ sunt actiones, quæ non competunt communitati in communi, cum illa vt sic non habeat animam, quæ sit capax priuationis talium bonorum; At communitas, vt sic potest habere aliquod beneficium, quo tota communitas fruatur; potest habere aliquam potestatem iurisdictionis, vt conferendi aliquod beneficium, quæ potestas est in corpore totius communitatis, & Capituli, non in personis particularibus vt particulares sunt; ideo potest suspendi ab his beneficiis, & ab his actionib. potestatis iurisdictionis. Secundo modo quoque potest suspendi; quia etsi singulæ personæ nō deliquerint, tamen quatenus sunt illius corporis possunt propter peccatum commune puniri in particulari, licèt aliqui innocentes sint; Et in hoc differt ab excommunicatione, quæ in communitatem hoc modo sumptam non potest ferri; quia non potest innocens excommunicari, cum sit pęna grauissima, potest tamen suspendi. *Differentia inter suspēsionem & excommunicationem quo ad communitatem aliquam.*

43 Verùm etsi communitas vt Collegium possit hoc secundo modo suspendi, tamen de facto, & secundum communem vsum non suspenditur Collegium, nec Communitas hoc secundo modo, sed solum primo modo; nisi adsit specificatio, & declaratio particularis. Ratio est, quia vox illa Capitulum, & Communitas secundum rigorem intelligitur primo modo, non secundo modo; ideò non debet extendi ad secundum modum. Et l. *Sicut mancipium*. ff. quod cuiusque vniuersitatis nom. dicitur *non quod vniuersitas debet, singulis debent*, ideo hoc in proposito quoque valet. *Quomodo de facto cōmunitas suspendatur*

44 Causa finalis est ablatio culpæ alicuius, vel punitio illius; vndè hæc est finis impositionis suspensionis. Hic autem occurrit grauis quæstio tractata à Canonistis in cap. *si celebrat*. de Clerico excom. ministante, & alijs locis, à Nauarro cap. 27. nu. 151. à Suarez disp. 28. sect. 4. & Alijs, & est. An ad ferendam suspēsionem necessaria sit culpa, & quæ culpa. An mortalis. An venialis. In qua quæstione Alij tenent sinè vlla culpa aliquem posse suspendi. Alij tenent semper requiri aliquam culpam, & causam Sed breuiter possunt opiniones istæ conciliari, distinguendo, quod suspēsio potest duobus modis considerari. Vno modo strictè, & quatenus est censura Ecclesiastica, seu pœna Ecclesiastica: & hoc modo dicendum est, eam requirere culpam, & causam ex parte illius, qui per se, & directè suspenditur. Ratio est, quia cum censura sit medicinalis non potest ferri, nisi ad tollendum peccatum, & contumaciam. Quando ergo nulla est contumacia, nec culpa, iniustè quis suspenditur. Quod maximè veritatem habet de suspensione ab officio, seu ab ordine sacro: quæ primò, & principaliter est censura ecclesiastica. Et hoc modo Nauarrus, & Alij dixerunt requiri culpam aliquam. Alio modo potest suspensio accipi largè pro omni prohibitione vtendi aliqua potestate. Et hoc modo sumpta potest dici, quod potest ferri sinè propria culpa; & hoc modo verum dicunt ij, qui asserunt posse ferri sinè culpa; vt D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 3. ad secundum, Syluester verbo *Suspensio* num. 4. & aliqui Canonistæ. Et habetur clarè in cap. *Vel non est compos*. de tempore ordinandorū vbi *De causa finali suspensionis.* *An ad ferendam suspensionem necessaria sit culpa. Resolutio.*

vbi puer ordinatus in ętate 13. annorum suspenditur ab officio Diaconi vsque ad ætatem legitimam; Patet .n. quod puer ille nullam habebat culpam, neque ille deliquit, sed Episcopus eum ordinando. In his tamen suspensionibus requiritur etiam aliqua causa, licèt nō sit culpabilis ex parte illius, qui suspenditur, vt aliquis defectus ex parte illius, qui sic suspenditur. Vndè in casu proposito de puero ordinato patet adesse causam ex parte illius; s. defectum ætatis legitimæ, licèt hic defectus non sit culpabilis in illo, vt patet. Et sic dicendum de alijs similibus suspensionibus.

45 Suspensio verò à beneficio, & alię similes possunt imponi sine defectu, & possunt innocentes illa puniri sine proprio defectu, vt propter bonum publicū, vel aliquam aliam rationabilem causam; quia hæc nō est priuatio alicuius boni spiritualis pertinentis ad animam.

An culpa debeat esse mortalis, vel venialis.

46 An verò culpa, propter quam fertur, vel incurritur, debeat esse venialis, vel mortalis, sunt diuersę sententiæ; mihi tamen probatur opinio asserens non incurri propter culpam venialem. Ratio est, quia ex lege iustitiæ pęna debet proportionari culpę; Vnde cum suspensio ab officio, vel beneficio sit grauis pęna, est absurdum illam infligere, & incurri per peccatum veniale; Neque enim quis dicet rationabile esse, vt quis priuetur fructibus beneficij, vel munere ecclesiastico per annum per simplex peccatum veniale. Et quod solet afferri in contrarium, quia per peccatum veniale incurritur excommunicatio minor, vt per communicationem cum excommunicato in maiori excommunicatione, quæ est peccatum veniale, vt supra diximus, nihil concludit in proposito: Quia illud factum est in odium excommunicationis maioris, vt cum maiori rigore seruetur, ideò non est ex illo trahenda similitudo.

De causa formali ferrendi suspēsionem.

47 Quantum ad causam formalem, seù ad formā ferendi suspensionem, dicendum est nulla verba esse determinata, sed sufficere illa verba, quæ sufficienter declarent speciem suspensionis, & modum illam incurrendi, vt diximus de alijs censuris. Requiruntur etiam alia, quæ pertinent ad validitatem sententiæ, vt diximus in materia de excomm. quia hæc in omni sētentia requiruntur ad hoc vt sit valida. Præsertim requiritur vt feratur ante appellationem, quia per appellationē tollitur iurisdictio: si autem appellatio sequatur sententiam, nō impedit effectum suspensionis, sicut nec excommunicationis cap. *is, cui.* de sent. excōmunic. in 6. Quantum verò ad solemnitatem, quando fertur ab homine debet præcedere monitio, vt diximus de Excommunicatione; si enim monitio nō præcedat, non potest esse contumax, & inobediens; & consequenter non potest incurrere suspensionem. Quod verum est de suspensione quatenus est censura. Suspensio verò, quæ est pęna, non requirit monitionem, sed sufficit probatio delicti, vt experientia continua patet, & habetur ex cap. *Tam litteris.* de testibus §. vltimo. Post datam autem sententiam suspensionis, requiritur denuntiatio, vt possit vitari in actibus suis, sicut diximus de excōmunicatione (licèt alio modo vitandus sit suspensus ac excommunicatus) Nam antequam suspensio denuntietur, & publicetur, nemo tenetur vitare suspensum in participatione, & corporatione in actibus, à quibus est suspensus; Insuper actus eius ministerij, & ministratio sacramenti pęnitentiæ validi sunt ex Extrauaganti *ad euitanda,* secus post denuntiationem; ideò vt suspensio habeat effectum suum, quò ad alios debet denūtiari. An verò communicantes cum suspenso in actibus prohibitis post denunciationem peccent mortaliter est grauis contentio inter Nauarrum in Man. cap. 27. nu. 161. in fine, & in cap. 1. §. *labores* de pęnitentia d. 6. nu. 18. & Suarez d.

Si appellatio sequatur sententiam nō impedit effectum suspēsionis, vel excomm.

Necesse est quod pręcedat Monitio & quando.

28. sect. vltima nu. 5. & 6. Et mihi probatur opinio Nauarri quod peccent mortaliter, quicquid dicat Suarez. Quia communicatio in actibus istis est communicatio in Diuinis, & est cooperari actibus illis prohibitis, & non potest esse sine scandalo, ideo licèt nō habeatur in iure præceptum expressè vt de excommunicatione quod celebrante suspenso fideles ab ecclesia egrediantur; tamen hoc sequitur ex natura rei. Et proinde effectus Extrauagantis illius *ad euitanda* est vt fideles ante ipsam denunciationem licitè possint actibus illis communicare, non post.

De absolutione à suspensione.

48 Quantum ad ablationem suspensionis Scotus vbi supra breuiter se expedit, dicens, quod tollitur suspensio per relaxationem factam ab eo, qui eam tulit, vel à superiore eius. Verùm rem ipsam amplius explicare debemus, & licèt pateat ferè ex dictis quid dicendum sit, tamen breuiter res est absoluenda. Dicebamus suspensionem ferri posse dupliciter. Vno modo per modum pęnæ, Alio modo per modum censuræ, seu pro auferenda contumacia. Suspensio per modum pęnæ cum feratur ad certum tempus, vt supra diximus, quia in hoc differt à degradatione, & depositione, est regula generalis, duobus modis tolli. Vno modo sine absolutione; quando s. tempus, pro quo lata est, finitur. Alio modo per absolutionem. Quod primo modo tollatur, est sententia præsertim Abbatis, & Innocentij & Aliorum quoq; in cap. *Cum bona.* de ætate, & qualitate. ac Summistarum omnium, Et ratio est; quia suspensio non est priuatio officij, vel beneficij, seu prohibitio, seu impedimentum vsus officij, & beneficij, ideò ablato impedimento, statim potest exire in actum suum, & exercere officium, & fructus beneficij recipere. Quod autem finito tempore præscripto in sententia auferatur hoc impedimentum, probatur; quia sententia non obligat amplius, quam sit intentio iudicis, vel iuris, quæ determinatis verbis significatur.

Quando incipiat tempus suspensionis, & terminetur.

49 Dubium est autem quando tempus suspensionis incipiat, & quando terminetur. Et quidem quantum ad temporis inceptionem, est communis sententia incipere ab eo puncto, ex quo sententia lata est, si feratur à iudice; & à tempore, quò delictum commissum est, si est à iure. Et ratio est, quia sententia censuræ secum affert executionem, cap. *Pastoralis. §. verum.* de Appellationibus. Atque hoc verum est quoque si eodem tempore alia simili suspensione suspendatur; potest enim simul pluribus suspensionibus suspendi, & ligari; quia de vnaquaq; est eadem ratio, quod statum habeat executionem. Terminatur verò cum tempus præscriptum continuatum completur omnino, quod tempus debet computari secundum computationem communem temporis in contractibus humanis vsitatam; vt si suspensio sit per sex menses, debent computari menses currentes vsq; ad diem vltimum mensis 6. currentis completum: Quia suspēsio est prohibitio, ideò prohibet, & se extendit ad totum illud tēpus completum, quod significat. Atq; si interrumpat tempus præfixum, non seruando suspensionem per aliquod tempus, non tenetur illud repetere, sicut interrumpens ieiunium quadragesimale, non tenetur extrà tempus Quadragesimæ, & alijs diebus ieiunare. Finitur ergo tempore illo præscripto terminato; in eo tamen tempore, quo illam violauit, si erat suspensio ab ordine, factus est irregularis; si verò est alterius speciei, peccauit mortaliter, & si fuit suspensio à beneficio, & eo tempore accepit fructus, tenetur ad restitutionem tanquam rei alienæ malè acceptæ.

50 Secūdo modo tollitur per absolutionem, quandoque enim contingit, quod antequam tempus suspensionis finiatur, per aliquam causam rationabilem congruum sit sic suspensum ab ipsa suspensione liberare;

re; in hoc casu non potest auferri; nisi per absolutionem, atque hæc absolutio ab eo tantùm fieri potest, qui illam tulit, vt si est à iure tollitur per absolutionẽ illius, qui fecit canonem, vel ab eius superiore; si est ab homine tollitur ab eo, qui sententiam illam tulit, vel ab eius superiore. Dubium verò est, an quando est à iure, & legislator eam sibi non reseruat, quilibet potens absoluere à peccatis, possit absoluere ab ea, sicut potest absoluere ab excommunicatione non reseruata ex cap. *Nuper.* de sent. excom. Respondetur non esse parem rationem de excommunicatione, & suspensione; quia excommunicatio est maius vinculum, & pęna, & magis periculosa, quàm suspensio. Præterea excommunicatio non fertur ad determinatum tempus, sed quò ad resipiscat, ideò cõgruum est, vt à quocunque possit absolui; non sic de suspensione lata in pęnam, quia non est periculosa, & est ad certum tempus determinata à latore ipsius.

51 Eadem ratione dicendum est in suspensionibus non solum latis, sed ferendis pro aliquo crimine secundum ius præscribens certum tempus, Episcopũ non posse dispensare super illud tempus. e. g. si lex præcipiat imponi suspensionem ad annum pro aliquo delicto, Episcopus non poterit illud tempus minuere eam imponendo; quia inferior non potest dispensare legem superioris, nec pęnam à lege impositam mutare. Si verò lex non præscribat tempus, sed solum illi delicto imponat pœnam suspensionis indefinitè, poterit Episcopus, & iudex ad certum tempus eam limitare, & deinde etiam ante illud tempus completum ab ea absoluere: quia hoc non est dispensare super legem superioris, sed dispensare super propriam sententiam. Nunc autem ex Priuilegio Concilij Tridentini, sess. 24. cap. 6. de Reformatione, possunt Episcopi dispensare, & absoluere ab omni suspensione occulta, & non deducta ad forum contentiosum.

Quid est Conc. Trid. in hoc sit innouatum.

De suspensionis absolutione latæ ob contumaciam.

52 Loquendo de suspensione per modum censuræ, seu latam ob contumaciam, certum est posse tolli per absolutionem, etiam stante contumacia, licèt hoc fieri non debeat, quia vergit in detrimentum boni publici, scilicet in contemptum Censuræ. cap. *Venerabilibus. §. Vbi autem.* cum glosa de sentent. excom. In casu tamen posset expedire ob negotij qualitatem absoluere suspensum; & tunc etiam licitè fieret absolutio ab illa: potest autem solum ab eo tolli, qui eam tulit, vel ab eius superiore si est lata ab homine; si verò est à iure, solum ab eo potest tolli, qui condidit canonem, vel ab eius superiore, si illum habeat; atque huius sententiæ est Scotus, vt vidimus.

An quando suspensio à iure nulli est reseruata, possit Episcopus ab illa absoluere.

53 Verùm est hic inter Doctores dissensio: quia Aliqui tenent quando suspensio est à iure, & nulli est reseruata, Episcopum ab illa posse absoluere, innixi cap. *Nuper.* de sentent. excom. in quo dicitur, quod cum conditor canonis excommunicationem sibi nõ reseruauit, videtur licentiam alijs eam relaxandi facere; atque hoc extendunt quoque ad suspensionẽ nulli reseruatam, vt glosa in cap. *Cupientes. §. Cæterum.* verbo *suspensos.* de sentent. excomm. in 6. & multi Alij quos adducit, & sequitur Nauarrus cap. 27. nu. 162. Alij negant vt Suarez disput. 29. sect. 2. nu. 3. & sequẽtibus satis prolixè, præsertim quia non est par ratio de excommunicaione, & suspensione, quia absolutio ab excommunicatione est multò magis necessaria ad salutem animæ, quam à suspensione, quia excommunicatio priuat suffragijs, & receptione sacramentorum; suspensio verò à sola actiua administratione, quę non est necessaria simpliciter ipsi suspenso ad salutem.

Solutio.

54 Hic est distinguendum de absolutione à suspensione durante contumacia. Vel de absolutione à suspensione cessante contumacia. Primo modo videtur vera hæc secunda opinio; quia re vera in capit *Nuper.* non fit sermo de suspensione, sed de excommunicatione; velle verò eam extendere ad suspensionem, videtur esse sine fundamento; cum censuræ sint longè diuersæ rationis, vt dictum est. Et confirmatur; quia si fieri deberet extensio, asserere deberent posse absolui nedum ab Episcopo, sed à quouis sacerdote habente potestatem absoluendi à peccatis: quia in capit. illo, absolutio ab excommunicatione dicitur concedi omni simplici Sacerdoti. Loquendo verò de suspensione cessante contumacia, est etiam contentio, asserentibus aliquibus nullam esse necessariam absolutionem, sed ipsam cessare sinè vlla absolutione, quia talis suspensio est veluti conditionata, scilicet donec resipiscat; adimpleta autem conditione cessat. Sicuti si quis suspenderetur à beneficio sub hac forma, *quam diu durauerit fabrica huius templi*. Finita fabrica absq; alia absolutione posset percipere fructus. Atque hanc sententiam tenet Couaruuias in Epitom. 4. Decis. 2. p. cap. 6 in principio nu. 15. & 16. & Alij ab eo citati. Alij verò sustinent necessariam esse absolutionem etiã ablata contumacia, quos adducit, & sequitur Suarez eadem disput. num. 6. longa disputatione, & multis rationibus. Atque hæc sententia mihi quoque probatur. In primis est Scoti, qui non agnoscit alium modum auferendi hanc suspensionem quatenus est censura. Deinde, quia etiam excommunicatio includit hanc conditionem implicitè donec resipiscas: Diximus enim supra eam ferri solum ob contumaciam. Ad propositum, si illa particula est veluti conditio, qua adimpleta cesset censura, ergo ablata contumacia, excommunicatio tolletur sinè absolutione, quod est absurdum. Afferuntur aliquæ responsiones, sed eas optimè reijcit Suarez, quas non oportet repetere. Et confirmatur in proposito, quia si illa opinio esset vera, sequeretur nunquam esse ferendam absolutionem à suspensione regulariter, & per se loquendo; hoc autem est absurdum, vt patet ex praxi continua; ergo. Consequentia autem probatur, quia non est absoluendus suspensus antè ablationem contumaciæ regulariter, & licitè loquendo. Modo si etiam post ablatam contumaciam non est absoluendus, sequitur nunquam esse absoluendum.

55 Est ergo dicendum, necessariam esse absolutionem ablata contumacia; hoc autem supposito iuxta dicta superius, de iure videtur absolutio suspensionis à iure non reseruata, ab eo solum tolli posse, qui eam tulit, seu à conditore canonis, & consequenter non posse tolli ab Episcopo; Tamen quia sententia communis est in oppositum, & consuetudo est altera lex, est dicendum, Episcopum ab illis absoluere posse, vt tandem ipsemet Suarez quoque concludit.

56 Quantum ad formam absolutionis, nulla est præscripta certa forma verborum, sed sufficiunt verba, quæ significent solutionem à vinculo illo suspensionis. Vsitata autem forma est hæc vt colligitur ex Summistis. *ego te absoluo à vinculo suspensionis in quã incurristi, & restituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis,* vel *ad tuum beneficium*. Non tamen omnia ista verba sunt necessaria, sed illa solũ *absoluo te à vinculo suspensionis*, vel *à suspensione*. Quia cum illud verbum à vinculo sespensionis, vel à suspensione, sit verbum generale includit omnes species suspensionis; & ideo licèt sit suspensus ab vnaquaque specie suspensionis, vt ab officio, non à beneficio, non est opus specificare speciem suspensionis, quia in illo generali nomine comprehenditur, & sufficit quod intentio absoluẽtis determinetur ad absoluendum ab illa suspẽsione, quam incurrit, & respectu cuius eget absolutione. Sicut in absolutione à peccatis non oportet ponere specialia peccata, à quibus absoluit, sed sufficit absolutio

De forma absolutionis.

DISPVTATIO SEPTIMA.

VTRVM POENA CANONICA IMPEDIAT à ſuſceptione, & collatione Ordinum.

Propoſita difficultas breuiter explicatur.
Caput Vnicum.

HAec quæſtio ex dictis in tota hac materia de pęnis Caoonicis patet, & Scotus eã pertractãna diuiſit illã in duos articulos. In primo explicauit quæ, & quales ſunt pęnæ canonicę, de quib. per has diſputationes diſſeruimus. In ſecũdo aũt articulo declarat quomodo excludant ab ordinibus, quod eſt id, qd in pręſenti diſputatione tractatur. Et quia iam ſępius ſuperius hoc explicatom eſt,

Pęna canonicę non ꝓhibent ſimpliciter à ſuſceptione ordinum, ſed ne licitè.

breuiter eſt dicendum cum Scoto, & omnibus, quod prædictæ pęnæ non prohibent à collatione, vel ſuſceptione ordioum de facto, & ſimpliciter; Vndè licet Epiſcopus ſit his ligatus, tamen ſi attentet facit, & ordines confecti, & ſimiliter qui ſuſcipit, licet ſit eiſdem pęnis ligatus, tamen ſuſcipit ordines. Prohibent autem de iure, & licite ordines cooferre, & eos recipere; adeſt licet ordinatio actu teneat, tamen peccant mortaliter & conferrentes, & ſuſcipientea. Quas autem pęnas prædictarum incurrant, & quomodo iam dictũ eſt explicando prædictas pęnas; præſertim explicando pęnam irregularitatis. Hæc aſſertio habet duas partes.

Prima pars probatur.

Prima eſt, quod iſtę non impediunt de facto, nec ſimpliciter collationem, & ſuſceptionem ordinum. Secunda, quod impediunt, ne ritè, & licitè collatio, & ſuſceptio fiat. Ratio primæ partis eſt, quia iſtæ pęnæ non poſſunt impedire vim Sacramenti ordiois; ideò cum adeſſe poſſint omnia requiſita ad Sacramentum ordinis cum illis pęnis; ſ. miniſter habens authoritatẽ ordinis; nimirum Epiſcopus ritè ordinatus; materia, ſ. ſubiectum aptum; & intentio miniſtri, & ſuſcipientis, quæ ſunt ea, quæ ad perfectionem Sacramenti requiruntur; quodlibet. n. ſacramentum tribus perficitur, ſ. materia, & forma, & miniſtro cum debita intentione, ſequitur Sacramentum poſſe perfici, & conſequenter habere ſuum effectum inſeparabilem, qui eſt impreſſio characteris, & collatio gratiæ. Duplex eſt enim effectus ſacramentorum irreiterabilium; ſ. impræſſio characteris, & collatio gratiæ. Collatio autem gratiæ non eſt effectus inſeparabilis, ſed per poſitionem alicuius peccati poteſt impediri; effectus autẽ characteris nequaquam, vt diximus in diſp. an in Baptiſmo imprimatur character. Atque hoc totum probatur; quia pęnæ Canonicæ fundantur in poteſtate iuriſdictionis, a qua habent eſſe; poteſtas autem ordinis, & iuriſdictionis diuerſæ ſunt, & poteſtas iuriſdictionis non poteſt impedire poteſtatem ordinis, quia hæc eſt excellentior, & immediatè pendens à Deo authore ſacramentorum; poteſtas verò iuriſdictionis eſt immediatè ab eccleſia, à Deo verò mediante eccleſia.

Secũda pars probatur.

2 Ratio ſecundæ partis, ſ. quod iſtæ pęnæ impediãt, ne licitè, & rectè ſuſcipiatur ordo ſacramenti, eſt; quia eccleſia habet poteſtatem ordinandi, ſiue eligendi, & deputandi miniſtros; ideò poteſt eos repellere, qui ſibi per aliquem defectum non placent, & decernere ſuos miniſtros debere habere certas conditiones, quibus qui carent, illicitè ad hoc miniſterium ſacrum accedant. Hoc totum fundatur in hoc, quod Summo Pontifici collata eſt Summa poteſtas iuriſdictionis in Petro, *Paſce oues meas.* Ioan. vltimo. Et confirmatur à Scoto ex ſacra ſcriptura. Nam prima ad Timoteum 3. docet Paulus quales debent eſſe miniſtri Eccleſiæ & primò de Epiſcopo. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris virum, &c.* & paulo infra loquens de Diacono inquit. *Diaconus ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino ſeruientes*, & infra. *& hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes*, ergo cum habent crimina, poſſunt deponi, & priuari miniſterio, & officio ſuo eccleſiaſtico.

An Epiſcopus degradatus poſſit conferre ordines valide.

3 Dubitat verò Scotus, an Epiſcopus degradatus poſſit ordines validè conferre: nam quod non poſſit licitè clarum eſt, Et videtur eſſe problematicus, & tamen certum eſt, ordinatum ab Epiſcopo ritè ordinato, ſed deindè degradato, verè, & ſimpliciter ordines conferri. Ratio Scotus hoc dicit propter illorum opinionem, qui tenent Epiſcopatum non eſſe ordinẽ diſtinctum à Præsbyteratu, vt vidimus ſupra agendo de ordine Epiſcopali, & de numero ſacrorum ordinum.

Solutio.

Verum quia Scotus ibi ſuſtinuit cum vera ſententia, quod Epiſcopatus ſit ordo diſtinctus à Sacerdotio, conſequenter eſt dicendum imprimere characterem, & eius poteſtatem ordinis eſſe inamiſſibilem; neque per degradationem auferri, & ideò verè, & realiter ordines conferre, ſi attentet; peccare tamen mortaliter, quia ab eccleſia eſt prohibitus.

Rõnes adductã à Scoto ſoluuntur. Prima rõ.

4 Per diſtinctionem allatã ſoluuntur rationes principales adductæ à Scoto, & ab alijs. Nam aliquæ adducuntur ad probandum, quod pęnæ canonicæ adductæ non impediant ſuſceptionem ordinis ſacri. Prima eſt à ſimili excommunicatus, & irregularis ſi attẽtet conficere ſacramentum euchariſtiæ, conficit, ergo à ſimili licet Epiſcopus ſit excommunicatus, &c. poterit ordinare, & ordinatio tenebit, ſi habet intentionem faciendi quod facit eccleſia, & ſuſcipiens intendit ordinari.

Secũda rõ.

Secundò irregularis non excluditur à perceptione ſacramentorum aliorum, vt à Sacramento pęnitentiæ; ergo neque ab ordinis ſuſceptione.

Tertia rõ. Solutio.

Tertiò Hæreſis, non excludit ab ordine ſacro 1. q. 1. cap. *quod quidem.* ergo Reſpondetur enim ad primam quod cõcludit Epiſcopum excommunicatum &c. conferre ordines de facto, & realiter; at non cõferre licitè, ſed peccare mortaliter, ſuſtinendo, vt verè ſuſtinendum eſt, quod Epiſcopatus ſit ordo diuerſus à Sacerdotio, & quod character eius ſit indelebilis.

Ad ſecũdũ

6 Ad ſecundum non eſt par ratio de Sacramento ordinis, & alijs ſacramẽtis, quæ includunt aliquid excellentiæ. Nam ſacramentum pęnitentiæ eſt ſacramentum generale, & ideò nullus ab eo excluditur, nec de facto, nec de iure. Vndè quibuſcumque cenſuris, & pęnis ligatus cum pęnitet, & recedit à contumacia, & à peccato mortali, & de facto, & de iure, i. ſimpliciter, & licitè, ac meritoriè poteſt illud ſuſcipere. Alia vero ſacramenta, ſicut eſt ordo, non eſt ſacramentum neceſſitatis, ideò non eſt inconueniens, quod propter delictum hoc exigẽs quis arceatur ab illo, & hoc eſt quod fit per huiuſmodi cenſuras.

Ad tertiũ.

7 Ad tertium diximus ſupra agendo de irregularitate cap. 4. per hæreſim incurri irregularitatem, ac proinde

inde

inde de iure impedire susceptionem ordinis, non autem impedire de facto, & simpliciter, vt dictum est.

1 a ra- ... ad op- ...

8 Aliæ rationes ad oppositu probantes, qd prædictæ pœnę ecclesiasticæ impediant, soluuntur per hoc, quod concludunt impedire executionem, & ne licitè conferatur, & suscipiatur ordo; non autem quod de facto, & simpliciter non conferatur. Prima ratio ergo est hæc, cap. *de Cetero*, 1. q. 1. & cap. proximo dicitur. *Damnamus simoniacos, & post talem susceptionem, & collationem irritam decrenimus.* Idem habetur cap. *si quis ... eodem titulo.*

Prima rō oppositũ.

Secũda rō. Secunda ratio. Ecclesia potest dare potestatem conferendi ordines, vt patet; quia dat potestatem consecrandi Episcopum; ergo potest auferre: ergo potest infligere aliam pœnam canonicam Episcopo, per quam non possit conferre ordines.

Tertia rō. Tertia. Ecclesia illegitimat psonas ad contrahendũ matrimoniũ, ita quod si attentant nihil faciunt: ergo multò magis potest reddere Episcopum illegitimum ad actum spiritualem, itaquod si attenter nihil faciat. Consequentia probatur, quia magis videntur subesse ecclesiæ illa, quæ sunt de iure positiuo, quàm ea, quæ sunt de iure naturali, & diuino. Sed quæcunque ordinatio ecclesiæ per istas dignitates Episcopatus, & huiusmodi videntur pertinere ad ius positiuum ecclesiæ, saltem non videtur esse de lege naturæ, & diuina sicut matrimonium.

Ad primũ. 9 Ad primũ. Respondetur concludere quod simoniaca ordinatio est irrita quò ad executionem; & concludit quod peccauerunt conferẽs, & suscipiens simoniacè; quia illicitè collata, & suscepta est; tamen non concludit, quin realiter, & de facto ordo sit receptus.

Ad secũdũ 10 Ad secundum. Respondetur concludere, Ecclesiam posse ponere pœnam impedientem, ne licitè conferat, non autem ne absolutè, & de facto conferat, si attentet. Vndè non valet consequentia à potestate impediendi ne licitè faciat ad potestatem ne simpliciter, & de facto faciat. Respondetur etiam non valere illam consequentiam. Ecclesia dat potestatem faciendi ministrum sacramenti ordinis; ergo potest etiã auferre, & destruere ordinis potestatem in illo ministro; Quia Ecclesiæ data est potestas, vt faciat sibi ministros, non vt eos destruat; & minister ecclesiæ habet potestatem in conferrendo, non in auferrendo; ideò cum factus est minister potest conferre, non autem potest destruere illud esse ministerium, & impedire effectum illius simpliciter, & de facto.

11 Ad tertium. Respondetur non esse parem rationem de matrimonio, & de ordine sacro quantum ad illegitimandum personas ad hæc sacramenta: quia illegitimatio personarum in matrimonio fit circa cõtractum matrimonij, quod præcedit Sacramentum; sed illegitimatio, & inhabilitas personæ ad ordines sacros post ordinem susceptum, & charactèrem impressum in sacramento ordinis est irritare, & annullare sacramentum ordinis, quod Ecclesia facere non potest. Cum dicitur, quod matrimoniũ est magis de lege naturæ, quàm dignitas Episcopalis. Respondetur hoc esse verum quantum ad ratitudinem, & perpetuitatẽ matrimonij contracti, non autem quantum ad habilitationem personarum contrahentium matrimoniũ; sed magis de lege naturæ diuinæ est quod id, quod à Deo est impressum animæ, neq; repugnat peccato, seu per peccatum non tollitur, inuariabiliter inhęreat ipsi animæ, quam quod contritio habilitans personam ad matrimonij contractum sit inuariabilis, firmius ergo inhæret potestas ordinis, & characteris in Episcopo, quàm qualitas personæ quò ad habilitatem ad contrahendum; quia hæc potest variari, non illa. Secunda quæstio huius distinctionis superius in materia de irregularitate cap. 6. est explicata. *Ad tertiũ.*

F I N I S.